
IHS

MEFFRET,

VERBI DEI PRÆCONIS QVONDAM CELEBERRIMI.

SERMONES DE PRÆCIPVIS SANCTORVM FESTIVITATIBVS.

Vulgo

HORTVLVS REGINÆ APPELLATI.





MONACHII,

Ex Officina Nicolai Henrici.

M. DC. XIV.



PROLOGVS.

IN SERMONES MEFFRET

DE SANCTIS.



Audate Dominum in Sanctis eius. *Ita scribitur Psalm. 150. Est enim commune prouerbium; Qui honorat seruum, honorat & dominum. Honor autem serui redundat in honorem sui domini. Ideo de laude serui, aut militis gaudet Dominus, & de contemptu eorum, ad iracundiam prouocatur. Sicut legitur 3. Reg. 5. Quia rex Salomon misit seruos ad Hiram regem Tyri, rogans vt aptaret seruos, qui præscinderent ligna cedrina pro templo construendo. Quos cum vidisset Hiram rex, cum gaudio suscepit, & honorem illis impendit: quapropter Salomon ipsum dilexit, & fœdus societatis & amicitiæ cum eo percussit, & omni anno necessaria ei destinauit. Econtra legitur 1. Reg. 25. Cum Rex Dauid esset profugus à facie Saul, & moraretur in deserto, vbi sibi victus defecerunt, misit decem iuuenes ad Nabal, qui in solitudine Moab habitabat; dicens:* Inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis; quodcunque inuenerit manus tua, da seruis tuis & filio tuo Dauid. *Audiens hæc verba Nabal, despexit seruos dicens:* Tollam panes meos & aquas meas, & dabo viris quos nescio vnde sint? *quasi diceret; Non faciam. Et sic regressi sunt serui Dauid vacui, & vituperati. Propter quod ille concitatus ait:* Accingatur vnusquisq; gladio suo, & ipse Dauid accinctus est ense suo, & secuti sunt eum quasi quadringenti viri, *volens delere Nabal, & domum eius totam, nisi per Abigail mulierem prudentissimam fuisset mitigatus. Ex quibus, inquam, figuris elucet veritas prouerbii euidenter.*

Et si sic est, de dominis terrestribus, multò fortiùs de Domino cœlesti, qui in laude sanctorum suorum honoratur, & in inhonoratione eorundem vituperatur. Quia igitur secundum Hugonem de sancto victore: Summus tunc honor impenditur creatori, dum quis honorat pauperem, & suam studet eleemosynam impartiri:

 quan-

quanto magis summus creator tunc honoratur, cum laus sanctorum, & eius famulorum, secum iam regnantium à nobis profertur.

Quamobrem ego stultissimus virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum. *Prouerb. 30. Confisus tamen de clementissima Domini pietate, qui indigentiam, sapientiam, & os ea postulantibus*, dat omnibus affluenter *Iac. 1. Hoc opusculum exile, & nullius reputationis, ad honorem sanctorum, quorum laus in eo continetur, compilaui, sperans reuera ex hac laude, quamuis exigua, Domino sanctorum placere, ipsumq; multò fortius honorare, quia secundum Bernardum in Serm. de Natiuit. S. Ioan. Non derogamus regi, si milites honoramus, quin immò ex hoc laudamus eũ, qui in sanctis eius à nobis quotidiè vult laudari. Sicut & iubet Psaltes in verbis prælibatis.* Laudate Dominum in Sanctis eius. *Insuper in his huius operis sermonibus exempla aliquando inserui Legendarum, quæ ab auditoribus audientur, vt magis memoriæ commendentur, quia secundum Augustinum lib. 6. de doctrina Christiana, plus docent exempla, quàm verba subtilia. Sicut hoc probat Venerabilis Beda in historiis Anglorum dicens. Quidam Episcopus literatus, & subtilis valde, missus de Stara ad conuersationem, & conuersionem Anglorum, subtilitate vtens in prædicationibus nihil profecit. Missus est autem alius minoris literaturæ, sed cautior, & vtens exemplis, & parabolis in suis sermonibus, & hic quasi totam Angliam conuertit.*

Cur Auctor exemplis vti voluerit.

Quare, & ego hoc perpendens exemplis hincinde repertis hanc materiam pro profectu pauperum studentium exornaui, subtilia euitando. Quia refert B. Eusebius in Epist. de laude Hieron. ipsum in fine vitæ suæ dixisse: Subtilium verborum doctor tantum, non operum factor est, sed quidam auris inflator, & veritatis fumus citò pertransiens sine fructu. Non n. pro sapientibus, à quibus profunda hauriuntur, rimanturq; occulta scripturarum, sed pro simplicibus, qui subtiles doctorum stylos, subtilitate verborum perpolitos, habere nequeunt, hoc opusculum est collectum, in quo quidem nihil imposui de meo, nec nouum aliquid finxi. Cum secundum Sapientem, Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere; Ecce hoc recens est. *Eccles. 1. Sed cum paupercula Ruth vadens post messores, hoc est, sanctos Doctores & aliarum Postillarum collectores, vtpote Florentium, Iacobinum, Milicianum & Iordanum, ex quorum postillis tàm Theologorum, quàm naturalium firmissimis dictis, spicas meæ simplicitatis comportaui, & collegi, timens si talentum mihi à Domino traditum in terra cordis abscondissem cum seruo malo, & pigro Matth. 25. impunitus non pertransissem, sed fortassis, (quod procul absit) ablato à me talento, cum ipso in tenebras exteriores,* vbi erit fletus, & stridor dentium, *missus tunc fuissem.*

Quare dicit gloriosus Doctor Gregorius: Cuilibet scienti iniungitur prædicationis of-

nis officium, & qui scit, & solus facit, & alios scire non facit, tenetur Deo reddere rationem. Et subdit *declarando dictum Ioan. 1. & 3.* Qui odit fratrem suum, homicida est. &, Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera ab eo, quomodo in eo manet Charitas Dei? *quantò magis, qui viderit fratrem suum errãtem, & mortalibus oppressum criminibus, & non ministrauerit ei verbum diuinum & doctrinæ, homicida est, & sine charitate.* Subdit: O *Doctores & Rectores, timeatis quibus iniungit Dominus prædicationis officium, si non populo suo verbum Dei ministraueritis. Quot n. vel vestro exemplo, vel vestra negligentia in peccatis moriuntur, tot de manu vestra requiret Dominus. Hæc ille.*

Sed quia quilibet sacerdos est Christi fidelium Doctor, Rector & Magister, secundum illud Gregorii: Quis dubitet sacerdotes Regum, & principum, omniumq́ Christi fidelium patres & magistros censeri? quasi diceret. Nullus. Et habetur, dist. 96. c. Quis dubitet. Et cum omnium ego abortiuus sim, & indignus Christi sacerdotum, ne nomen subirem, quod dicitur officiperdi, & inciderem in dictum huius Doctoris gloriosissimi, huius operis onus suscepi, docens collectione, quod non potui sermone, supplicans quemlibet pium lectorem, cum in eius profectum venerit liber iste, Deo altissimo, Patri videlicet, & Filio, & Spiritui sancto, actiones referat gratiarum infinitas, ut de sede maiestatis emittat sapientiam, mecumq́ laboret, & suam voluntatem me facere informet, quæ vtinam, ego miser, & primus peccatorum semper implerem. Desiderarem deniq́ de erratis, & minus benè collectis pios correctores, non inuidos detractores; de benè autem scriptis & comportatis, Deo & gloriosæ Virgini MARIÆ, omnibusq́ sanctis persoluere laudes, & honores affecto, quorum inquam nomina sint per secula benedicta.

SERMONES MEFFRETH
DE SANCTIS.
DE SANCTO ANDREA APOSTOLO.
Sermo I.

Ambulans IESVS iuxta mare Galilaea. Matth. 4.

A. N proprietatibus rerum dicitur. Herodius est auis paucæ carnis, & multæ plumositatis, ideò leuissimi & velocissimi est volatus, quia parum est in eo, quod aggrauat; & multum, quod ipsum subleuat, & quando vocatur à Domino suo, non tardat, sed statim ad manus volat se gestantis, & hoc facit præcipuè, quando esurit, & Dominus sibi carnem porrigit.

S. Andreas herodio comparatus.

SPIRITVALITER. Per herodium B. Andreas Apostolus aptè intelligitur, cuius hodie festiuitas ab Ecclesia solenniter celebratur. Refert enim sanctus Ambrosiꝰ in hexam: quòd herodius inter omnes volucres habet affectum pium, & benignum non solùm ad à se genitos, sed etiam ad alienos. Quia pullos ab aquila eiectos suscipit, & nutrit. Sic B. Andreas in omnes Apostolos fuit pius, & mitis, ita vt de eo dicat B. Gregorius, & canat Ecclesia: *Vir iste mitissimus apparuit in populo suo.* Hanc pietatem non solùm ostendit suis spiritualibus filiis, quos doctrina sua parturiuit, & spiritualibus alimentis pauit etiam, secundum Augustinum, pendens in cruce; sed & filiis alienis. De quibus Psalm. 17. *filii alieni mentiti sunt mihi.* &c. qui & à cœlesti aquila, videlicet Christo, eiecti sunt ad mortem perpetuam, secundum illud Ezech. 18. habetur. 24. q. 3. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quia legitur antiquum peccatorem, scilicet Nicolaum nomine, conuertisse, & salutari pabulo doctrinæ suæ enutrisse. Hic, inquam, nobilis herodius Andreas beatissimus paucæ fuit carnositatis, hoc est, voluptatis. Quia continuè carnem suam nunc piscando, nunc alia licita sua retia reficiendo macerauit. Et sic benè dicere potuit cum Apostolo. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 1. Corinth. 9. Ideò velox fuit Christum suum imitando, cum vocem eius audiuit. Quia legitur, Ioan. 1. quod Ioan. Baptista quodam die stabat, & videns Christum ipsum ambulantem dixit: *Ecce Agnus Dei.* Quod cum audisset B. Andreas, & alius discipulus, quem dicunt Doctores fuisse Ioannem Euãgelistam, statim secuti sunt Christum. sicut scriptum in Euangelio hodierno, Mat. 4. in quo principaliter tria describuntur. *Primum,* & diligens Christi per mundum ambulatio, ibi; *Ambulans. Secundum,* Apostolorum diuina vocatio, cum dicitur; *Venite post me. Tertium,* velox eorum imitatio, ibi; *At illi continuò.*

S. Andreas carnem suã macerauit.

Solis effectus mirabilis.

De PRIMO est sciendum. Dicunt naturales, quod sol est fons totius luminis, cuius irradiatione non solum inferiora mirificè illustrantur, & virtutem suam, nõ duntaxat in altissimis, verumetiam in infimis ostendit. Nam calore suæ virtutis terram subintrat, & in ea lapides pretiosos, aurum, & argentum generat; & hoc non solum in terra, imò efficaciam suam habet etiam in aquis maris. quia secundum Isidorum lib.

lib. 16. in fundo, & alibi in littore maris conchæ rorem cœlestem attrahunt, quæ in pretiosissimas conuertuntur margaritas, quod vtique fit virtute solis tales gemmas procreantis.

SPIRITVALITER. Per solem Christus, qui est sol iustitiæ, conuenit designari. quia est origo omnis claritatis, à quo cuncta in cœlo illustrantur, secundum illud Ecclesi. 24. *Ego*, inquit, *feci in cœlis, vt orıretur lumen indeficiens.* & hoc lumen clarissimum non ostendit virtutem suam solùm in cœlis, sed etiam in mundo, & in terris; sicut ipse de se testatur, Ioan. 3. *lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* In hac, inquam, terra sol iustitiæ multiplicem vigorem ostendit. Nam homines terrenos, quos inuenit, in aurum mutauit caritatis & argentum puritatis. Nonnè Maria Magdalena fuit terrena tota, & more terræ frigida? Sed Christus ipsam calore sui luminis tangens, in nobile mutauit aurum caritatis, ita, vt ex magna dilectione lacrymas effunderet abundanter, vt habetur Luc. 7. Nunquid Matthæus, sedens in telonio fuit imbutus variis vitiis & eruditus, sed Dominus tangens cor eius in margaritam mutauit puritatis? Matth. 9.

B Christus sol iustitiæ omnia illustrat.

Et hanc virtutem non duntaxat in terris, sed etiam in mari: & præcipuè Galilææ demonstrauit, & ibi nobilissimas margaritas, Petrum & Andream rore cœlestis gratiæ regenerauit, & ad fidem vocauit, secundum quam innuunt verba sancti Euangelii. *Ambulans IESVS iuxta mare Galilaa*, vbi dicit Glos. Ambulauit IESVS, vt nos ambulare in luce faceret, & non in tenebris sedere. Sicut & consulit Ioan. 12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt vos tenebræ non comprehendant; & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadit: dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis.* O verè fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quem omnipotens DEVS nobis proponit, vt agamus bonum hoc tempore gratiæ, & ambulemus in lumine veræ scientiæ. Et verè beatus homo ille, qui facit hoc, quia in futuro non ambulabit in tenebris pœnalitatis æternæ. Ambulando ideo circa mare Galilææ, sine cibis, & vsq; ad esuriem, sine equis vsq; ad lassitudinem, sine pompis & scutiferis vsque ad extremam humilitatem, *Vidit duos fratres, Petrum & Andream fratrem eius.* Hi sunt duæ oliuæ propter plenitudinem pietatis, & duo candelabra propter ardorem caritatis lucentia ante Dominum per conscientiam veritatis. Hi habent potestatem claudendi cœlum per claues Ecclesiæ, & aperire. Apocal. 11.

Hi sunt duæ pretiosissimæ margaritæ, quas rore cœlesti Christus sol iustitiæ generauit, dum in hoc mari piscans hos inuenit. Bene margaritis comparantur. Nam sicut margaritæ secundum Isidorum in maris conchis inueniuntur, è quibus extrahuntur, & in ornamentis vestium reponuntur: ita Christus hos Apostolos in mari piscantes reperit, & de illo eos euocauit, dicens: *Venite post me: faciam vos piscatores hominum.* & posuit eos nunc in totius mundi fulcimentum. Quia Petrus Italiam, Andreas Achaiam prouinciam splendore suæ doctrinæ, laudabiliter decorauit. Rectè sicut margaritæ vestem decorant, in quam ponuntur; sic vt de ipsis canat Ecclesia, *Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in caritate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam, quorum doctrina fulget Ecclesia, vt sole luna.*

Petrus & Andreas margaritis comparantur.

SECVNDO, margaritæ sunt paruæ, quia vltra seminucem nulla crescere videtur. Sic isti sancti Apostoli erant paruæ reputationis & humiles; ante vocationem officium piscationis habuerunt. Dicit enim Euangelium, quia *mittebant retia in mare.*

re. *Erant enim piscatores*, & hoc est negotium humile, parui lucri, aut valoris; etiam eorum humilitas patet ex hoc, quia mortem turpissimam suspendii elegerunt; vt B. Andreas benè possit dicere illud Iob 7. *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea:* Ideò quando appropinquabat Cruci, dixit. *Salue Crux sancta, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata*, vt dicit Augustinus in libro de peccatis.

TERTIÒ, margaritæ sunt magnæ virtutis & fertilitatis, quia secundum medicos, purgant membra à superfluis humoribus, eò, quòd constringendo, & coërcendo confortant: valent etiam contra fluxus ventris & sanguinis, vt dicit Plin. Hæc virtus margaritæ principaliter congruit B. Andreæ, qui fertilis interpretatur. Hac enim virtute fluxum ventris in sibi seruientibus constringit & purgat. Quod ostendit in quodam Episcopo sibi deuoto, quem diabolus in spe virginea decipit, & ad consensum libidinis valde ardenter stimulauit, quem tamen B. Andreas ab hoc fluxu luxuriæ misericorditer liberauit. Et hoc quo ad primum.

C

Pars secunda concionis.

Quantum ad SECVNDVM, ponitur Apostolorū de mari euocatio, cum dicitur. *Venite post me*. Vbi sciendū, q sol habet virtutem attractiuā, & de mari euocatiuam. Attrahit n. calore suo à mari fumos, & vapores & tandem condensat in nubes, & sic cōdensatas resoluit eas in grandinem; nunc in pluuiam, nunc in niuem. Sic fecit sol iustitiæ Christus, virtute namq; attractiua suæ diuinitatis attraxit ad se homines humiles, qui sunt fumo similes, sicut scriptum Sap. 5. vbi dicitur. *Sunt quasi fumus, qui à vento diffusus est*. Talis fumus fuerunt hi duo Apostoli ante vocationē, sed Dominus eos ad se traxit, & in nubes conuertit. De quibus dicitur Isa. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Et benè B. Andreas nubibus comparatur, quia nubes de se fundunt pluuiam, quæ terram irrigat, & fœcundat; sic B. Andreas imbrem suæ doctrinæ fuit prædicando, & corda arida idololatrantium irrigauit, & in fide roborauit. Secundum quod canitur in Prosa vel sequentia: *Myrmidones idololatras diu fluctiuagos, cepit rete fidei*. Hoc probat Iacobus Ianuen. exemplo.

Vocantur Apostoli.

B. Andreas nubi comparatus.

Exemplum.

Quædam vxor homicida, quæ cum parere non posset, misit sororem suam, vt Dianam pro se imploraret, ait diabolus; Cur me inuocas, cum tibi prodesse non possim? Vade ad Andream Apostolum, hic sororem tuam potest adiuuare. Quod cum audisset, sororem vsq; ad Apostolum perduxit; ad quam Apostolus ait; meritò hæc pateris, quia malè nupsisti, dolosè concepisti, & dæmones consuluisti. Sed tamen pœniteat te, & in Christum crede. Qua credente, eam à cruciatu liberauit.

Etiam nubes fundunt non solum de se pluuiam, sed aliquando coruscationem, & fulmen, quod cadens versus terram arbores multas destruit, & ædificia altiora. Similiter emittunt tonitruum, quod sibi resistentia comminuit & emollit, vt dicit Commentator super 4. Matth. Sic B. Andreas etiam misit de se fulmen, & tonitruum diræ vindicationis in obstinatos, & superbos. Quod probat idem Iacobus referens, quod quidam Præpositus obstinatus agrum S. Andreæ sibi arroganter vsurpauit, & ob hoc grauibus febribus correptus fuit. Cumq; sic corriperetur, Episcopum eiusdem ciuitatis rogauit, vt pro se oraret, & agrum redderet. Quo orante sanatus est, nec tamen agrum restituit. Quare in eandem infirmitatem incidit, seq; ad Episcopum deferri fecit, & ipsum adorandum coëgit. Sed dum Episcopus Ecclesiam ingreditur, ille subitò moritur, & ager Ecclesiæ restituitur. Ecce quomodo Deus hanc nubem resoluit, nunc in pluuiam sanæ prædicationis, nunc in fulmen aut tonitruum

Exemplum.

truum diræ vindicationis. Ex quibus verbis patet, quare Christus sol iustitiæ B. Andream, & alios Apostolos voluit ad se trahere, & vocare, vt scilicet imbrem suæ doctrinæ, & auxilii super terrenos funderent. Ideò dixit: *Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum,* quasi diceret; secundum Chrysostomum super Matth. hoc est, Faciam vos Prædicatores, & Dd. vt reti verbi Dei comprehendatis homines de mundo tempestuoso, vbi alterutrum se comedunt, sicut pisces fortiores deuorant debiles, & minores. Et Dominus hic per rete comparat Doctores piscatoribus, quia secũdum Chrysostomum: vbi suprà. Piscatores iactant retia sua in aquam, & nesciunt quot pisces sunt capturi; sic Doctores quando diuini sermonis retia super populum iactant, nesciunt, qui sunt ad Deum accessuri. Sed quos Deus excitauit, hi sunt adhærentes eius doctrinæ.

Sed dices; Quare Dominus non vocauit Reges, & crudentes Oratores, quos misisset per mundum prædicare? *Ad hoc respondetur rectè.* Sicut sol attrahit aurum, & lapides pretiosos refulgentes, quia non possunt in pluuiam conuerti, sed trahit ad se vapores, quæ de facili in impressionem conuertuntur. Sic Christus non trahit ad se reges vestibus aureis refulgentes, nec superbos Doctores, quia tales de facili non mittunt de se imbrem doctrinarum. Sed secundum Augustinum super Ioan. Si doctus eligeretur fortassis ideo se electum diceret, quod doctrina eius eligi meruit. Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruicem, non per oratorem, sed per piscatorem lucratus est Imperatorem. Hæc Augustinus. Et hoc sic quoad secundum.

Cur Christus piscatores, & non Reges ad prædicandũ miserit.

Quo ad TERTIVM, subiungitur velox eorum imitatio. Circa quod NOTANDVM, quod Aristot. in lib. de animalib. dicit, quod perdix cum genuit pullos suos, statim vocat, & clamat illis cum nati sunt, & audiunt vocem matris, & sequuntur eam. Sic cum Dominus Petrum, & Andream in fide genuisset spiritualiter, eosque vocasset, statim audientes vocem eius, omnia dimiserunt, & eum secuti sunt. sicut testatur B. Gregorius in Cantico hesterno. Mox vt vocem Domini prædictam audiuit B. Andreas relicto reti &c. Idem ostendens Euangelista dicit: *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* In hoc apparet eorum vera obedientia, quia secundum B. Bernardum: Verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi.

Obedientia Apostolorũ.

Sed dices: Quare tamen eum sequebatur? *Respondetur:* Quia in eo fuit virtus Deitatis: & ideò sicut exterius poterat vocare per vocem, ita poterat interius trahere per voluntatem suam inspiratione. Et dicit Hieronym. Fulgor ipse, & maiestas diuinitatis, quæ etiam in humana facie relucebat, primò ad se venientes potuit aspectu trahere. Facies enim Christi speciosa erat ad imitandum, & intuendum. quia *omnes angeli desiderant in eam respicere.* 1. Pet. 1. Erat gratiosa ad intelligendum, quia facies eius erat plena gratiarum. Esther. 15. Ideò nimirum visio faciei eius tam facilè attrahebat, quia ita erat speciosa, & tam gratiosa, Sed (prô dolor) Christus iam nos per multos annos vocauit, cùm per inspirationem, tùm per flagellationem, tùm per prædicationem. nec tamen ipsum audiuimus, sicut illi Apostoli gloriosi. Sed faciamus, sicut accipiter, de quo dicit Aristoteles lib. 6. de animalibus. Qui cum lautè cibatur, tunc nimium impinguatur, aut pigrescit, & tunc ad reclamatorem dedignatur venire: & si euolauerit de manu Domini, si non est, famelicus, ad ipsum conuertere citius

F

Cur Apostoli Christum secuti sunt.

non consueuit, quando ei caro cruda ostenditur, sed potius hinc inde vagatur, sic quidam nostrum cum sumus pasti cibis peccatorum, aut deliciarum, Dominum clamatorem non audimus. Quod Dominus conqueritur Iob 19. *Seruum meum vocaui, & non respondit.*

G Sed dices. Quomodo, vel quando vocamur? *Respondetur*, multipliciter. Tum per inspirationem, Psalm. 84. *Audiam quid loquatur.* Tum per corporalem afflictionem, Psalm. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Tum per Doctorum prædicationem, Matth. 22. *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.* Tum per beneficiorum exhibitionem. Sed ista omnia spernimus. Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis.* Sed certè multi nostrum sequuntur diabolum dicentem. Sap. 2. *Venite fruamur bonis, & vtamur creatura, in iuuentute celeriter: coronemus nos rosis, antequam marcescunt; vino nos impleamus, & nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ideò nobis contingit sicuti pullis gallinæ, qui in colligendis granis occupantur, vt ad insidias milui non attendant. Galina autem miluum videns vocat pullos, qui si veniunt, à miluo defenduntur: Si autem venire contempserint, ab ipso miluo fortassis rapiuntur. Sic nos quando occupamur in terrenis, insidias dæmonis non attendimus, sed Christus nos vocat, qui dicit Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti.* Et ideò nos, si non acquieuerimus, à miluo infernali rapiemur. Quare potius exemplo B. Andream Christum sequamur nos vocantem, qui omnia terrena reliquit, & Dominum Iesum Christum per mortem crucis secutus fuit.

Quomodo Christus vocat.

Vocat etiã diabolus.

Cur Christum vocantem non audimus.

H Sed dices; Quare B. Andreas est vocatus secundum propositum diuinæ prædestinationis, & non solum vocatus est, sed & tractus, secundum illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Ergò non mirum, si Dominum tam celeriter est secutus, nec mihi debet imputari, si non venio, cum nemo venerit, nisi trahatur. *Ad hoc dicendum est* in simili: Si homo ex se cadens in foueam non eleuatur, non est ex parte trahentis, quia quantum in eo est, in nullo deficit; sed hoc est propter illius impedimentum, qui trahitur. Sic Deus paratus est cuilibet homini dare gratiam, & ad se omnes trahere, & vocare, teste Apostolo, qui ait. 1. Tim. 2. *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si ergò aliquis non veniat, se indispositum faciens per peccatum ad gratiam recipiendam, non imputare debet Deo, sed sibi, quia venire contemnit. Modo B. Andreas quando vocatus est à Domino statim acquieuit, sed tu fortè sæpius vocat⁹ es, & tractus, & venire voluisti.

Obiectio soluitur.

I Si vis ergò temerariè quærere, quare Deus aliquos ad se trahit, aliquos non, audi B. Augustinum super Ioann. 6. qui dicit. Illum trahit, & illum non. Noli velle iudicare, si non vis errare. Si non traheris, ora vt traharis. Illa autem attractio non fit per coactionem, sed per quandam inductionem, & hoc ostendit Augustinus, vbi suprà exemplo rami viridis, exemplo nucis & pellis. Ostendis, inquit, oui ramum viridem, & trahis eam; ostendis nuces puero, & trahis eum, non violentiam inferendo, sed alliciendo voluntatem suam. Pelliparius ostendit pulchras pelles ante emptorem, alliciendo voluntatem. Deus igitur dicitur nos trahere ostendendo nobis ramum viridem, hoc est promittendo nobis delectabilem visionem; ostendendo nobis nucem, imò cœlestem gloriam, quæ dicitur nux, quia dulcedo illius gloriæ est circundata cortice duro, hoc est tribulatione & penuria amara: *Quia per multas tribulationes oportet*

Nota aureã D. Augustini sententiarum.

portet nos intrare in regnum DEI. Trahit etiam vos ostendendo nobis cœlum depictum, immò stellatum tanquam pellem variam, siue depictam, vt ex hoc alliciat nostrum affectum ad desiderandum. Quod si est tam pulchra pellis exterior, quæ est quasi velamen, quàm ergo pretiosus est thesaurus, qui latet intrinsecus, Ad hunc thesaurum perducat nos Iesus Christus.

DE EODEM FESTO.

Sermo II.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Psalm. 1.



Icunt naturales, arbor, quæ de terra sterili ad fertilem transplantatur, illa plurimum fructum affert. Sicut & testantur perfecti hortulani. Et huius signum est, quod arbores, quæ sunt steriles in deserto, redduntur fructiferæ in hortis plantatæ, quia dicit Aristoteles lib. 1. de reg. principum: ad hoc, vt arbores à malitia in bonitatem alterentur, multum necessaria est mutatio loci, & ponit exemplum de Iusquiano, quod cum est natum in Perside, est pernitiosum; sed translatum in Ægyptum, & in Hierusalem, fit comestibile. Et hoc accidit ideò secundum Albumasar: quia per temperamentum loci distemperantia ad medium reuocatur. A Arbor sterilis transplantatione fœcundatur: ita homo.

MYSTICE per arborem homo significatur, quia vt ait Innocentius de miseria humanæ conditionis lib. 1. cap. 8. Homo est arbor inuersa, cuius radices crines sunt, caput est truncus, stirps pectus cum aluo, rami sunt palmæ cum tibiis, frondes sunt digiti cum articulis. Hæc igitur arbor, si debet fieri fructifera, necesse est, vt de terra sterili, imò de statu humanæ vanitatis, in qua nascitur, ad terram fertilem status gratiæ transplantetur, vt sic multum afferat fructum, secundum illud Psalm. 84. *Terra nostra dabit fructum suum.*

Sed tamen cauendum est summoperè secundum naturales, vt arbor, quæ debet transplantari, nihil de priori terra habeat in radice, sed totaliter excuti debet; quia terra illa remanente non posset fertilis terræ humorem attrahere, & sic fortassis, vt prius, sterilis permaneret. Sic qui dimittit mundum, & in religionem transplantatur, debet excutere omnem terrenæ carnalitatis substantiam vel amorem, secundum quod præcepit Dominus Apostolis Matth. 10. *Puluerem excutite de pedibus vestris.* Qui hoc non fecerit, minimè fructificabit: Si autem fecerit, multum affert: sicut testatur S. Iulianus in passione sua dicens: Contemptus mundi regna cœlestia accipit, renunciatio parentum consortium fit angelorum, parui temporis tribulatio æternam mæretur requiem. Ideò legitur Gen. 12. quod Dominus dixit Abrahæ. *Egredere de terra tua,* hoc est, de sterili mundo, *& de cognatione tua,* quantum ad affectionem; *& veni in terram, quam monstrauero tibi, & faciam te in gentem magnam.* Sententia aurea.

Ad propositum. B. Andreas natus fuit in terra sterili legis Iudaicæ, & status mundani, ideò non portabat fructus operum meritoriorum. Sed Christus volens ab eo fructus colligere, plantauit eum in ordinem Christianitatis, & ipse statim excussit omnem affectionem temporalium à se, vt sic fructuosior fieret. Quia, vt habetur Matth. 4. & Marc. 1. Postquam ipsum Dominus ad Apostolatum vocauit,

uit, omnia reliquit, & secutus est voluntariam paupertatem, & ideò plurimum fructum tulit rectè, sicut arbores plantatæ iuxta aquas. Ideò de ipso possunt summi verba prælibata. *Erit tanquam lignum.* In quibus verbis tria commendabilia ponuntur de B. Andrea. *Primò,* fidei firmitas, ibi; *Erit tanquam lignum. Secundò,* operum fructuositas, ibi; *Quod plantatum est. Tertiò,* mortis acerbitas, ibi; *Secus decursus aquarum* &c.

B De PRIMO est NOTANDUM, quod Plinius in spec.nat.lib. 11.c.3. dicit: Quia Castor est animal, quod aliquando in aquis, aliquando in terris solet habitare; in extremis autem aquarum ædificat sibi domus & cauernas, miro ædificio præparatas: & ad hoc ædificium fortia & firma dentibus suis præcidit ligna de silua, & ad sua latibula miro modo deducit. Nam vnum Castorem consodalem pro vehiculo pedib' eleuatis, supinum in terram prosternit, inter cuius crura abscissa ligna ordinat & cōponit, eumq; tractum ad mansiones, lignis exonerat', & in sublimitate habitacula fieri parat.

Christus Castori assimilatus.

SPIRITVALITER. Per Castorem Christus intelligitur, qui se castrauit ab omnibus illicitis & peccatis, quia ipse solus dicere potest illud Prouerb. 20. *Mundum est cor meum: purus sum à peccato.* Ipse enim cum hominibus in terris habitauit secundum illud Baruch. 3. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Etiam aliquando in aquis ambulauit; sicut legitur Matth. 14. Quia ipse *venit ad discipulos quarta vigilia noctis ambulans super mare.*

C Iste igitur Castor Christus Iesus volens ædificare ædificium forte spiritualis dom' sanctæ Ecclesiæ, elegit ligna fortia & firma, hoc est, Apostolos, qui erant fortes in fide, & constantes in passione. Fecit enim sicut sapiens artifex, qui ad forte ædificium construendum non eligit virgas fragiles, & flexibiles, sed ligna firma, quæ possunt ædificium sustentare. Sicut legitur fecisse rex sapiens Salomon 3. Regum 5. qui volens ædificare templum in Hierusalem, non habuit ligna fortia in terra sua, ideò misit ad Hiram regem Tyri, in cuius terra ligna fortia abundabant, & dixit: *Tu scis voluntatem Dauid Patris mei, quod voluit ædificare templum, sed non potuit propter bella; sed nunc requiem dedit mihi Deus per circulum. quamobrem cogito nunc ædificare templum Dei. Præcipe igitur seruis tuis, vt præscindant mihi cedros de Libano, & mercedem tibi dabo, quamcunq; petieris.* Et sequitur: quod Hiras dabat ei ligna cedrina, & abiegna iuxta omnem eius voluntatem. Sic Christus, qui est Salomon pacificus & sapientissimus, in *quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi,* vt dicit Apostolus ad Coloss. 2. volens construere templum non materiale manu factum, sed templa spiritualia, de quibus ait ibidem Apostolus 1. Cor. 3. *Nescitis, quod templum Dei estis vos, & Spiritus DEI habitat in vobis?* Et hoc exponit Hieronymus dicens: verum templum Christi credendum est anima deuota. Idcircò ad hoc templum fabricandum virgæ flexibiles, imò homines proni ad peccatum, vel cuilibet suggestioni, & tentationi consentientes non valent, sed virtuosi & fortes, tentationibus resistentes. De quorum numero fuit B. Andreas, lignum forte, & imputribile, de quo dicit Isai. 40. capit. *Lignum forte & imputribile eligit sapiens artifex* (CHRISTVS) qui *fabricatus est auroram & solem,* Psal. 73. lunam & stellas, & cuncta, quæ in mundo continentur. Elegit igitur B. Andream pro spirituali ædificio construendo, qui est similis ligno cedrino. Refert Isidorus lib. 17. cedrus est lignum iucundi odoris, diu durans, non habens nodos

Anima deuota templum Dei.

Beatus Andreas cedro comparatus

nodos, tortuositatem, & nunquam exterminatur tinea. Ideò propter eius durabilitatem perpetuam, ex cedrinis fiunt laquearia in palatiis regum atq; templis. Similiter libri de eius lacryma liniti, nec à tineis corroduntur, nec tempore senescunt. Huic ligno est similis B. Andreas, qui iucundi fuit odoris, tàm quo ad Deum, quia canitur de eo? *Dilexit Dominus Andream in odore suauitatis*, id est, propter odorem suauitatis; quàm etiam quo ad homines. Nam apud illos fuit tam iucundi sermonis, vt omnes incolæ Patrarum ciuitatis propter sua suauia verba ipsum sequerentur, ita vt dicere potuerit illud Psalm. 103. *iucundum sit ei,* scilicet homini, *eloquium meum*, & nō solum, (vt dicit S. Augustinus in lib. de pœnit.) dum liberè prædicauit, sed dum etiam cruci iam affixus fuit, in qua biduo pendens viginti millia hominum sequebantur ipsum, & prædicationem eius iucundam audiebant. Erat etiam tunc redolentis famæ, ita vt omnis populus ei testimonium innocentiæ proferret, dicens: *Innocens huius sanguis sine causa damnatur.* Et cum iam affixus esset cruci, dixerunt: *Virum sanctum, mansuetum, & pium non licet pati.* O inquam laudabile testimonium bonæ famæ huius gloriosissimi Apostoli, quam & quilibet debet attendere, & coram hominib⁹ bonam habeat famam, & nomen. *Quia melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa, & diuitiæ multa*, Prouerb. 22. Ideò præcepit sapiens Eccli. 41. *Curam habe de nomine bono, hoc enim magis permanebit, quàm mille thesauri.* Cura habēda de nomine bono.

Sed dicis: Quid mihi de hoc, si non tam iucūdam famam habeo, sicut B. Andreas? sufficit mihi, si est bona conscientia; non curo sermones de me malos. Quia diffamatus ab hæretico Manichæo, S. Augustinus ait 11. q. 3. c. Senti. Senti de Augustino quicquid libet; sola me in oculis Domini conscientia non accuset. *Ad hoc dico*, cum B. Augustino 5. q. 1. Nonné confidens conscientiæ, & famam suam negligens crudelis est? Duæ enim sunt res, scilicet conscientia & fama. Conscientia necessaria est tibi, & fama proximo. Sed beatus Augustinus non curat de fama erga Manichæum, quia sciuit ipsum ex fama sua non esse meliorandum, sed peiorandum magis. Sed beatus Andreas propter homines, quibus prædicauit, tantam habere voluit famam, qui sciuit eos ex hoc esse meliorandos. In ipso etiam sicut in cedro, non fuit nodus rancoris, non tortuositas inuidiæ, non putredo luxuriæ, nec vermis corrodens conscientiæ. quia de hoc canit Ecclesia: Vir iste mitissimus apparuit in populo, contra rancorem, & inuidiam: sanctitate autem, & gratia plenus, contra luxuriam & vermem conscientiæ corrodentem. D Conscientia & fama necessaria. B. Andreas comparatur abieti.

Comparatur etiam SECVNDO ligno beatus Andreas, quod sapientissimus Salomon elegit. Refert Isidor. lib. 17. quod Abies est expers omnis terreni humoris, ideo habilis est & leuis, quamuis generetur ex humore leui. *Secundo,* subtilitas illius humoris superfluitatem reijcit inter lignum, & corticem, & ibidem à calore exteriori mutatur in resinam. Sic beatus Andreas fuit expers omnis terrenæ substantiæ. Licet enim natus fuerit ad piscaturam, vbi quasi in humore quærebat victum corporalē, tamen postea vocatus à Christo dereliquit omnia, & ipsum pauper est secutus, Matt. 4. animaduertens diligenter; quod cum diabolo esset dimicaturus, qui difficulter vincitur à viro terrena possidente. Quia dicit gloriosus Hieronymus, vt habetur in Epistola Eusebij discipuli eius; Diabolus in mundo nihil possidet. Expoliati ergo mundanis rebus, & citò velut vmbra labentibus, cum mundo pugnetis, qui oneratur vestibus, & cum mundo luctatur, citius ad terram deijcitur, quia vnde se tueatur,

tur, non habet. Vis firmiter cum diabolo dimicare, vestimenta proiice, ne succumbas. Terrena omnia sunt corporis indumenta: qui ea possidet, citius vincetur. Hæc ille.

Est etiam abies, vt dicit Aristoteles in libro de plantis, arbor in cœlum se extendens. Ideò dicta est ab eundo, eò quòd cæteris arboribus longius it in altũ. Ita beatus Apostolus Andreas rectè erat sursum per contemplationem ad cœlestia eleuatus, ita vt dicere potuisset illud cum Paulo ad Philip. 3. *Nostra conuersatio est in cœlis.* Et vt altius in cœlum tolleretur, noluit viuus de cruce descendere, cum hoc populus voluisset; sed orauit, sicut dicit Augustinus in libro de pœnitent. Non permittas me Domine viuum descendere, quia tempus est, vt commendes terræ corpus meum. Scis Domine, quoties à puritate contemplationis retrahere me intendebat: quoties à dulcissimo quietis tuæ somno me excitare obtendebat, quantum & quoties laborem ingerebat. Qui igitur tamdiu, vt potui, pater benignissime pugnanti restiti, & tua opera superaui; à te iusto remuneratore, posco ne mihi id vltra commendes, sed depositum reddo. Commenda alii, quod illo vltrò non impediar, & resurrecturum seruet & reddat, vt & ipsum quoq; meritum sui laboris accipiat. Hæc Augustinus. Hoc quo ad primum.

E — B. Andreas fructuosus fuit.

Quantum ad SECVNDVM commendatur B. Andreas ab operis fructuositate, cum additur: *Quod plantatum.* Vbi NOTANDVM, secundum naturales, arbor plantata intra viridarium, citius habet fructum, & florem, quàm sita in campestribus, quia illa frequenter in viridario irrigatur cum est nouella. Quia omnis planta noua secundum Petrum de Crescent. lib. 2. frequenti irrigatione tempore magni caloris adiuuatur, & à magnis ventis, & prædantibus melius custoditur. In campestribus autem fructus ante maturitatem faciliter absportatur.

Sic SPIRITVALITER in campestibus mundanæ vitæ nullus est fructus propter carentiam humoris, id est, deuotionis; Sed ibi est (vt dicit Bernardus in libro meditat.) vita lacrymosa, & laboriosa, vita corruptibilis, & amaritudine plena. Ibi honores tumidant, dolores exterminant, ardores siccant, aër morbidat, escæ inflant.

Propter ista, quæ sunt circa mundanam vitam, dicit Beatus Abbas Effrem de beatitudine animæ: Beatus, qui odio habuit hunc mundum, & ideò meditatio eius in DEO fuerit, qui ex toto corde dilexerit, & mundum istum, & omnia quæ in eo sunt, tota virtute oderit. Cognouit enim ille vir, qui in campo huius mundi transiuit, quod homo non potest benè ferre fructus bonorum operum, & si protulerit, tollit eos frequenter fauor, aut incursus diaboli ante maturitatem; sicut contingit arboribus in publico situatis in siluis, quæ licet aliquando fructibus abundant; tamen quia ad eas est communis accessus hominum, ante tempus capiunt fructus porcis tribuendo, vel etiam à vento diaboli, vel ab asinis siluestribus colliguntur.

Viridarium religionis quid conferat.

Sic non est de illis, qui in viridario religionis plantantur, tales enim si prius erant steriles, fructuosi efficiuntur: & propter humorem deuotionis, & propter tuitionem à tentationibus mundanis, & propter cautelam ab infestatione dæmonis, afferunt fructus plurimos, Quod patet de Beato Augustino, qui cum esset in

in campo mundanæ vanitatis, nullum fructum fecit vitæ æternæ meritorium; plantatus autem in hortum religionis Christianæ, derelinquendo hæresim, fecit fructum multum, de quo totus mundus satiatur spiritualiter. Ita etiam B. Andreas, dum erat in mari huius mundi, parum profecit piscando, sicut patet Luc. 5. Cum esset cum fratre suo Petro in stagno Genesaret. Dixit enim Petrus ad Dominum; *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Cum autem fuit plantatus in viridario religionis, magnum fructum fecit, & qui pisces capere non potuit, per rete prædicationis postea homines accepit secundum illud, quod canitur: *Myrmidones idololatras diu fluctiuagos rete cœpit fides.* Ideò de illo potest exponi illud Psal. 91. *Plantatus in domo Domini, in atriis Dei nostri florebit.* Hoc quo ad secundum.

Quantum ad TERTIVM commendatur B. Andreas à mortis acerbitate in hoc, quod subiungitur; *Secus decursus aquarum.* Hic per aquas tribulationis martyrium designatur, per quam faciliter transitur ad cœlum, rectè sicut via aquarum, vt maris, vel alterius fluuii: licet pœnosa & laboriosa, non est tamen alia ita facilis, & festina ad perueniendum ad terminum, ad quem itur, nec ita magni lucri nec mercedis. Martyrium breuissima via ad cœlū.

SPIRITVALITER loquendo non est ita breuis via, ducens ad cœlestem paradisum, sicut ista, qua itur per aquas martyrii, aut passionis. Ideò dicit Psalm. 76. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis.* Semitæ veniendi ad terminum vitæ æternæ, consistunt in multis tribulationibus, ideò nos cum simus mercatores regni cœlestis, debemus gaudenter ingredi hanc viam aquæ martyrii, siue nauem tribulationis, qua citius possumus ad terminum venire, teste beato Augustino, & ponitur. 15. q. 1. c. firmissimè. Firmissimè tene, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam ęternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidemq; conuersus, & per sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus. Idcircò B. Andreas hodiè lætanter transiuit ad crucem, sicut patet ex verbis suis, cum vidit crucem, sic inquit: *Salue crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata, securus & gaudens venio ad te, vt tu exultans suscipias discipulum eius, qui pependit in te, Magister meus Christus, quia amator tuus semper fui, & desideraui te amplecti. O bona crux quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini nostri Iesu Christi suscepisti diu desiderata, sollicito amore sine intermissione quæsita, & iam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Ecce quomodo lætanter per viam martyrii ingressus est hodie portas cœlestis gaudii. Ad quod nos, &c.

DE SANCTA BARBARA.


Sermo primus.

Hortus conclusus soror mea sponsa. Cant. 4.

Expe-

A

B. Barbara regi apum comparatur.


Xperientia discimus, quanto aliqua res est pulchrior, & plus omnibus amabilior, tanto custodia ei adhibetur diligentior. Et hoc probat Magister lib. 12. propriet. de rege apum rubeo, qui multò est nigro pulchrior, & apibus amabilior; quia est melior. Et quoniam ab eis diligitur, summa diligentia custoditur. Nam ei in alueario domunculam faciunt, in qua ipsum diligenter includunt, & naturali affectu diligunt; pro eo pugnant, & præ aliis pulchrum putant; Cum procedit de alueario, singulæ eius obsequio se offerunt, & ei proximæ esse volunt, ipsum diligenter circumdant, & custodiunt, & fatigatum totum ferunt.

MORALITER. B. Barbara fuit pulchra nimis & amabilis valdè, vt de ipsa exponi possit illud Esther 2. *Erat virgo decora, & incredibili pulchritudine, hominumq́; oculis gratiosa & amabilis videbatur*, quia vtilis pictor omnium pulchritudinem artifex optimus nihil in ea decoris prætermisit. Nam oculi eius sunt cunctis luminaribus cœli clariores. Ideò dicit de ipsa sponsus. Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui columbarum absq; eo, quod intrinsecus latet.* Et Cant. 5. *Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum.* Et Can. 4. *Capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Labia virginis Barbaræ gloriosæ, colore roseo sunt depicta, sermones facientes præ omnibus dulces, secundum illud Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Dentes eius super candorem niuis tanquam eburnei, non parum sunt nitentes, iuxta illud Cant 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum ouium, quæ ascenderunt de lauacro:* vt attestatur similiter illud, quod canitur Thren. 4. *Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, pulchriores sapphiro.* Vox eius more cymbalorum subtilium sonitu suauissimo perclangescit. Ideò dicit sponsus Cant. 2. O Barbara, *sonat vox tua in auribus meis, vox tua dulcis* Genæ eius fuerunt amabiles, roseo lacteoq; colore decoratæ, iuxta illud Can. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absq; illo, quod intrinsecus latet.* Collum ipsius debitè est proportionatum, dicente sponso, *Sicut turris Dauid Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis,* Can. 4. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.* Can. 5. Propter hanc eximiam pulchritudinem pater ipse Dioscorus diligenter eam in turri custodiuit, sicut canitur hodie in cantico matutinali; Ordinatam in structuris turrim fecit construi, & quadratam in figuris cui iubet imbui generosam pater rosam, plebem dolens perfrui eius forma venustatis: Sed decenter pater eam tenet in custodia. Et hoc est, quod sponsus suus in verbis dicit præassumptis; *Hortus conclusus soror mea sponsa.* In quibus verbis à duobus describitur virgo gloriosa Barbara. Quantum ad *primum*, à diligentia custodiæ virginalis, ibi; *Hortus conclusus.* Quantum ad *secundum*, ab eminentia copulæ regalis ibi; *sponsa mea.*

De PRIMO sciendum; Petrus de Crescent. lib. 8. cap. 8. de materiali commodo: Multum, inquit, delectat habere hortum bene dispositum, & industria excultum. Ideò paterfamilias hortum benè dispositum diligenter procurat, in quem transiens recreatur, cui fons, vel riuus, si fieri potest, per spacia discreta deseruiat, vt possit tempore magni caloris irrigari. Hic omnium genera florum nutriat, diuersa animalia alat, arbores quoq; & plantas.

B MYSTICE. Christus Deus Dominus noster secundum Chrysostomum super Matthæum,

thæum, eſt generalis paterfamilias, cui cœlum & terra quaſi vna domus eſt, familia ſuper cœleſtium, & terreſtrium, & inferiorum creaturarum. Iſte paterfamilias magnam habet delectationem in hortulis ſpiritualibus, hoc eſt, in mentibus ſpiritualibus, ſecundum illud Euſebii. O quàm delectabile, & iucundum apud ipſam beatiſſimam Trinitatem, dum quis corporis prætulerit venuſtatem, & virginalis tamen non amiſerit munditiæ puritatem. Cui concordat dictum Hugonis de S. Victore. Non ſolum quidem humana iucunditas, ſed & ipſa excelſa diuinitas in virginalibus geſtis delectatur. Quapropter diligenter tales hortos ſpirituales benè diſpoſitos procurauit. Quemadmodum teſtatur Eccleſ. 2. *Feci*, inquit, *mihi hortos & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus.* Christus generalis paterfamilias.

Horum hortorum primus fuit B. Virgo Maria iucundiſſima, de qua dicit B. Hieronymus in ſermone. Maria virgo eſt hortus delitiarum, in quo conſita ſunt genera florum, & odoramenta virtutum. Ab hoc ampliſſimo horto & delectabiliter ordinato, ſumens Chriſtus plantaria, hortulum pulcherrimum B. Barbaram fecit. De qua dicit in verbis aſſumptis, *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa.* Hortus concluſus verè fuit, & eſt hortus voluptuoſus, in quo Chriſtus recreari ſedulè concupiſcit. Ideò attrahit ipſum ad ſe his verbis Cant. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* C Barbara hortus concluſus & voluptatis.

In hoc hortulo amœniſſimo fluit fons aquarum viuentium ſecundum illud: O Barbara apud te eſt fons vitæ, quia audeo dicere confidenter, quemadmodum in multis eſt expertum. Quicunq; ei deuotè ſeruierit, mortem æternam non videbit, ſed vitam æternam veraciter poſſidebit. Quia legitur hoc à ſponſo ſuo impetraſſe, cum orauit; Domine Ieſu Chriſte, per ſanctiſſimi ſanguinis tui cruorem, quem, vt mundum redimeres, effudiſti, & in cruce omnia ad te trahens ſpiritum tradidiſti, in hac hora paſſionis meæ exaudi me indignam famulam tuam, & concede per inuocationem nominis tui ſanctiſſimi, per incarnationẽ tuam, Chriſte, vt quicunq; paſſionis meę memoriam egerit, peccatorũ ſuorum veniam conſequatur, & nullis in hora diſceſſionis ſuæ horroribꝰ dæmonũ tractetur, & pretioſi corporis tui particeps fiat, & perennis gloriæ præmium tecum participet ſine fine. O fructuoſa oratio huius virginis glorioſæ. Quid enim eſt melius homini, quàm habere veniam peccatorum ſuorum, quæ finaliter mergunt hominem in infernum? quid lætius, quam deterrima dæmonum monſtra non videre? quibus viſis vellet homo omnia tormenta mundi libentius ſuſtinere. Sicut de hoc refert B. Cyrillus in Epiſtola ad Auguſtinum, quendam à morte ſuſcitatum ſic dixiſſe. D Barbara eſt fons vitę. Priuilegium ei à Chriſto ſponſo datum, vt ipſi deuotus nõ moriatur ſine ſacramẽtis. Viſio dæmonum horribilis.

Veniente mortis meæ hora tanta in loco, quo migraturus eram, nefandorum affuit ſpirituum multitudo, vt præ multitudine omninò non dinumerari poſſent, quorum ſpecies talis, quod ea nihil pœnoſius, nihilué horribilius excogitari poteſt. Potius enim quilibet hominum flammis ardentibꝰ arſurum ſe exponeret, quàm eorum formam terribilem ictu oculi videret. Qui ad me venientes omnia, quæcunque perpetraui contra Deum, ad memoriam meam reuocabant, ſuadentes mihi, vt amplius de diuina miſericordia, quàm grauiter offenderam, non ſperarem. Hæc ille. Ecce à tam horribili aſpectu beatiſſima Barbara ſuos famulos famulaſq; fecit liberari. Quid etiam eſt homini ſalubrius, quàm ſalutaris corporis Chriſti participem fieri, quod E

est animæ viaticum, & à leonibus infernalibus defensiuum? Verè felicem (secundum Hilarium super acta Apostol.) æstimo obitum hominis, qui in hora mortis suæ carni & sanguini incorporatus fuerit sui saluatoris. Quidnam est beatius, quàm præmium cœlestis gloriæ, cum Christo suscipere in æternum, quod est omnium miseriarum finitiuum? Quod autem B. Barbara habet illa imperrare suis famulis, conformè probatur exemplo.

F Historia admiranda.

Fuit quidam Abbas in Frisia, qui cum aliis duobus monachis missus erat ad capitulum generale. Cum autem ad quoddam nemus pariter venissent, vbi latrones morabantur frequenter, & neces prætereuntium committebant, ecce vox horribiliter clamabat, Sancti patres propter nomen Domini nostri Iesu Christi, & propter nomẽ B. Barbaræ virginis & martyris suæ venite. Quam vocem cum audiissent exterriti plus festinabant, vt terrores huius loci effungerent; & illa vox attentius sonuit, vt prius. Cum autem Abbas audisset nomen Domini, non exterritus: ad locum iuit. Cum autem venisset, nihil vidit, nec audiuit, & intra se ait. Domine Iesu Christe, quę fuit illa vox, quam audiui? tunc apparuit sibi caput cuiusdam viri, quod per triduum amputatum iacuerat & fuerat apertis oculis, & resoluta lingua dicens: Nullus terror tibi sit; sed vade, voca alios Dominos tuos fratres, & indicabo vobis mirabilia, quæ Dominus est operatus in nobis. Qui cum venisset cum familia sua, cap. ait: Hoc ꝙ vobis dico, diligentius ad quomcunq; locum veneritis, ad honorem omnipotentis Dei, & B. Virginis ac martyris Barbaræ prædicate. Scitote, quod fui mercator diues, & cum venirem ad locum istum, incidi in manus latronum, qui me apprehendentes omnia abstulerunt, & me occiderunt, & quia multis malis repleta erat animā mea, innumerabiles dæmones venerunt, vt raperent animam meam, sed S. Barbara eripuit me, & veste sua clarissima circumdedit, quia semper dum viuerem, aliquid exhibui ei laudis, & honoris. Vnde ad euidentiam huius rei caput meum à loco isto ferte ad corpus, quod à dextris rubi frondibus iacet obrutum, & in locum pristinum adaptate, & ego vobiscum pergam, vt per confessionem puram perceptis sacramentis remissionem valeam percipere peccatorum. Quod illi audientes Deum glorificauerunt, & B. Barbaram adorauerunt, gratias agentes Deo. & fecerunt sicut audierunt, & continuò surrexit, qui occisus fuit, & cum ipsis festinauit ad quoddam oppidum, & confessione cum magna contritione, & cum lacrymis facta, & sacramentis Ecclesiasticis feliciter perceptis, ipsis cernentibus anima à corpore eius migrauit ad cœlum, & suscepta est à Domino Iesu Christo. Corpus autem cum magna reuerentia est susceptum & sepultum. Ecce iste amœnissimus hortorum, quàm salutiferum habet vnicuiq; fontem, & hunc debemus ab ea petere, ne æterna siti moriamur, & dicere cum Sapiente. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*, Prou. 5.

G In horto B. Barb. tria genera florum Deus plantauit.

In isto horto florigero cœlestis paterfamilias diuersorum genera florum plantauit, & principaliter tria scilicet, flores rosarum, violarum, & rutarum. Flores rosarum sunt albi habentes in medio colorem quasi aureum, & significant virginalem castitatem cum caritate, qua dotauit Dominus B. Barbaram, de qua dicitur in legenda: Gloriam castitatis semper optauit, & in armariolo cordis mei inclusi incorruptam castitatem, omnem viri torum, & contubernium aspernando. Sciuit n. ex instinctu Spiri-

1. Flores castitatis.

Spiritus sancti illud Hugonis dictum. Sic accedentem ad thronum, necesse est primùm castitate mentis & corporis præmuniri. Sed hoc non animaduertit Eua virgo. Ideò ex sua petulantia est prolapsa. De cuius lapsu dicit B. Hieronymus de lapsu virginis consecratæ.

Cur non rumpis in vocem, & tuæ mentis apponis ardorem? Eras virgo in paradiso Dei, vtiq; inter flores Ecclesiæ: eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti, & cum dico, toties necesse est, vt ingemiscas, quæ non es, quasi diceret fuisti. Et incedebas in Ecclesia tanquam columba, splendebas vt argẽtum, fulgebas vt aurum, eras tanquam stella in manu Domini; Quæ est ista subita mutatio? Quæ repentina conuersio? De DEI virgine facta est corruptio Sathanæ: de sponsa Christi, scortum execrabile; de templo Dei, fanum immunditiæ: de habitaculo Spiritus sancti, tugurium Diaboli. Et quæ incedebas cum fiducia, vt columba nunc lates in tenebris, vt vespertilio: quæ p̃fulgebas vt aurum, propter virginitatis decorem, nunc vilior facta es luto platearum; quæ fueras stella radians in manu Domini, velut de cœlo alto, nunc exstincta conuersa es in carbonem. Hæc Hieronym⁹. Ex quo dicto Doctoris gloriosi patet, quod B. Barbara, quæ inuiolatum seruauit florem virginitatis, virgo in paradiso nitens inter flores Ecclesiæ, vt sponsa Christi, templum Dei, habitaculum Spiritus sancti, incedit in Ecclesia cœlesti vt columba, splendet vt argentum, fulget vt aurum. H

SECVNDI flores, quos plantauit Dominus in B. Barbara, sunt flores violarum, qui quanto altius crescunt, de tanto virtutem superiorem deprimunt: & significant eius humilitatem, q̃ in magnis honoribus cõseruauit, perpendens illud Sapientis. Eccle. 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus.* Quanto magis n. à suis procuratoribus, à sua nobilitate & nimia speciositate laudaretur, tanto magis virgo Dei se deprimebat, vt impleret illud Augustini dictum in libro ad sacras virgines; Dominica virgo nec sermonibus, nec iactantia, nec diuitiis, nec nobilitate se debet extollere, sed in humilitate, & paupertate spiritus à CHRISTO accepta, quamdiu vixerit, permanere debet. *II.* Flores humilitatis.

TERTII flores, quibus ornatus fuit iste hortus, scilicet B. Barbara, sunt flores rutarum, quæ suâ amaritudine fugant extra viridaria animalia venenosa: & significant orationem, qua B. Virgo Barbara dimicauit contra Diabolum, ipsum effugando, contra proprium patrem Dioscorum constantia passionis superando, & ècontra proprii corporis libidines exstinguendo. Et quia hoc sciuit B. Augustinus dixit vbi suprà; Dominica virgo ob exstinguendas omnes libidinis flammas, ieiuniis & abstinentiis debet operam dare, orationibus die noctuq; insistere, si cupit à laqueis Diaboli insidiantis euadere, & ad promissa virginitatis peruenire. I *III.* Flores orationis.

In hunc nobilissimum hortum Christus diuersa sua genera animalium collocauit, & præcipuè tria. Lepores timiditatis, Asprioros velocitatis, & Leones audacitatis. Lepus enim est animal timidum secundum Isidorum lib. 12. Ideò data est ei membrorum velocitas, & cursus agilitas contra canes, quos formidat secundum Auicennam, & significat timorem Dei, quem habuit Barbara, vt mundum & pompas eius euitaret, & peccatum superbiæ effugeret. Quia *timor Domini expellit peccatum*, Eccli. 1. Asprioli sunt animalia velocia, & ita non vngue, non cornu, non dente, sed sola velocitate fugiunt, à canibus & venatoribus se totaliter defendunt, vt dicit Tria animalia in horto B. Barbaræ: Timor Dei.

Agilitas ad bonum. Magister 18. propriet. Et significat agilitatem ad bonum, quam habuit B. Barbara; Contra torporem negligentiæ. Quia perpendit illud Eccles. 9. *Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec est scientia apud inferos, quo tu properas.* Sed (heu) tardi sumus ad omne bonum. Et ideò contra hoc inuehitur Anselmus in oratione dicens: Anima sceleris quid agis; dies iudicii venit, quid torpes anima peccatrix? arbor infructuosa, vbi sunt fructus tui? arbor digna securi & igni, digna succidi, qui sunt fructus tui? vtiq; spinæ pungentes: imò amara peccata, & lignum aridum, & inutile æternis ignibus dignum. Quid respondebis illa die, cũ exigetur à te vsq; ad ictum oculi omne tempus viuendi tibi impensum, qualiter à te fuit expensum? Tunc quippe condemnabitur, quicquid fuerit in te inuentum operis, vel otii, sermonis. Hæc ille.


Fortitudo & audacia cõtra tyrannos. Leones sunt animalia audacia, quia secundum Plin. in spec. nat. quando persequũtur à canibus & venatoribus, se non occultant aut latitant, sed sedent in campis, vbi videri possint. Et significat audaciam, quàm habuit B. Barbara cõtra tyrannos ipsam trucidantes, & præcipuè contra patrem impudicum canem, qui cum suaderet ei, vt in thorum consentiret, & mundi delitiis frueretur, ipsa hæc audiens intremebunda, non pensans quem accusationis prætenderet colorem, sed refutans audacter hos sermones; ait: Pater, in omnibus sicut expedit tuis teneor obedire mandatis; in his tamen scias me tibi renitentem, vt dicitur in Legenda.

Deus in horto B. Barbaræ plantauit tres arbores. VLTIMÒ, in hoc hortulo speciosissimo plantauit Deus diuersas arbores aromaticas, tamen specialiter tres; plantarium fidei perfectæ, quia spretis omnibus idolis Christo militauit: Oliuam misericordiæ, iuxta illud Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo:* & palmam gloriosæ victoriæ, quia omnibus inimicis suis deuictis, nunc regnat cum sponso suo in cœlis ornata. Ad quem nos perducat, &c.

DE EODEM FESTO.

Sermo II. Ex Euangelio diei.

Simile est regnum cælorum decem virginibus. Matth. 25.



A SEcundum Isidorum lib. 14. Zizania est herba, quàm Poëtæ infelix vocant Lolium, eò quòd inutile est, & infœcundum. Nascitur autem inter triticum temporibus siccis; & quamdiu est in herba similis est tritico, & ab eo vix potest discerni, & faciliter suffocat triticum, nisi ab eo separetur, cautius tamen est, quando à tritico non cognoscitur, quod crescere permittatur, & collecto tritico tunc in igne comburetur.

SPIRITVALITER. Per zizaniam intelliguntur peccatores, qui crescunt inter triticum, immò inter bonos Christianos, quorum pauci sunt respectu malorum, secundum illud Eccles. 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Sed quia tales à bonis non possunt benè cognosci, ideò crescere cum illis permittuntur, quemadmodum docet Christus Matth. 13. dicens. *Sinite vtraq; crescere.* Super quo dicit B. Augustinus in homil. de pœnitentia. Et habetur 2. q. 1. Multi mali, inquit, sunt tolerandi, quorum peccata manifesta non sunt, ne forte eradicando zizaniam, eradicetur & triticum, sed

ſed cum bonis creſcere permittuntur, tum propter eorum exercitium, tum vt ab eis melius cognoſcantur, tum vt poſt extremum iudicium boni ad nuptias ſponſi admittantur, & mali inde excludantur, & in ignem inferni iactentur. Quod liquet de B. Virgine Barbara, & de eius tortoribus. Nam ipſa tanquam vna de numero prudentum virginum, hodie ad nuptias agni cum ſponſo ſuo Chriſto intrauit. Tortores autem eius, infernus deglutiuit, & hoc vult Euangelium, in quo ad propoſitum principaliter tria deſcribuntur. *Primò*, bonorum & malorum finalis diſtinctio, ibi; *Simile eſt regnum cœlorum.* *Secundò*, ſingulorum hominum vniuerſalis reſurrectio, ibi; *Tunc ſurrexerunt.* *Tertiò*, peccatorum, & hæreticorum æternalis condemnatio, ibi; *Neſcio vos.*

Cur mali bonis permixti.

B

Circa quod NOTANDVM. Symphoniſtæ volentes homines ad ſua carmina reddere plus attentos, præmittunt aliquot dulce & delectabile præludium, in quo illi naturaliter delectentur teſte Ariſtotele in lib. ſuæ poëtriæ. Homo, inquit, naturaliter delectatur ſymphonia: Sic Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui eſt optimus Symphoniſta, volens nos eſſe de die iudicii cautos, & vt bona opera ibidem haberemus, propoſuit nobis hanc parabolam, quæ magis mouet, & delectat. Iuxta illud Auguſtini ad Ianuarium lib. 2. dicentis. Cum aliquid muſicè, & ſimilitudinariè proponitur, plus delectatur, & plus honoratur, & plus diligitur, quàm quod verbis propriis apertiſſimè diceretur. Ideò dicit Dominus: Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. Quid hic intelligatur per regnum, exponit Gregorius in homil. dicit, quia Eccleſia præſentis temporis, aut militans Eccleſia deſignatur, ſicut ibi; *Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax ſumma, inueniri ſcandala poterunt, quæ colligantur. Et ſic dicitur præſens Eccleſia regnum. Ideò rectè ſicut in cœlo eſt ſol habens virtutem illuminatiuam, & in lumine ſuo nunquam deficit: quanquam eius lumen per terræ & lunæ interpoſitionem auferri aliquando videatur. Et hic ſol alios planetas illuminat, nec ab illis illuſtratur: Sic in Eccleſia militante ſunt ſoles ſpirituales ſancti Doctores, qui habent virtutem illuminandi inferiores, nec debent ab illis illuminari. De quibus dicit Dominus Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* In cœlo etiam eſt luna, quę caret lumine proprio, & à fontali plenitudine ſolis, eſt luminis receptiua, vt dicit Ariſtoteles in libro elementorum: & poſtquam à ſole eſt illuminata, lumen ſuum cæteris ſtellis impertitur. Sic in Eccleſia ſunt Prælati minores, qui recipiunt intelligentiæ lumen à luminarib⁹ maioribus, & aliis CHRISTI fidelibus tribuunt illud.

Regnum cœlorum quid ſit.

Sancti doctores ſunt velut Soles ſpirituales.

C

Regnum cœlorum ſimile eſt decẽ virginibus, ſecundum B. Hieronymum, h.e. vniuerſitati fidelium, qui propter integritatem fidei virgines nominantur, ſecundum illud Apoſt. 2. Corint. 11. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et dicitur *(decem)* ſignanter, propter decem Dei impletionem mandatorum. De quibus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata Dei.* Et dicit Chryſoſt. ſuper Matth. Ideò ponit hanc parabolam in virginum perſona, vt oſtendat, ꝙ licet virginitas magnum quid ſit, tamen ſi ab operibus miſericordiæ eſt deſerta, cum adulteris foras eiicietur: quare neceſſe eſt, vt habeat bona opera. Quia dicit Gregorius in homil. & ponitur in Canone. 1. q. 5. Non ſufficit mala non facere, niſi quis ſtudeat bonis operibus inſudare. Ideò ſequitur; *Quæ accipientes lampades ſuas*, id eſt, bona opera ſecundum Auguſtinum, quæ debent aliis oſtendi ſecundum illud. *Sic luceat lux ve-*

Fideles cur virgines appellantur.

Virginitas ſine operibus miſericordiæ nulla eſt.

ſtra coram hominibus. &c. Matth. 5. Et benè opera bona per lampades deſignantur, quia lampades vitreæ ſunt translucidæ, in aliis enim metallis quicquid continetur intrinſecus abſconditur, in vitro autem cuiuslibet liquoris ſpecies qualis eſt exterius declaratur. Sic de operibus bonis eſt, nam debent lucere aliis, & non ſolum ſibi, vnde ſecundum Chryſoſtomum per lampades fides, quæ animam, ſicut lampas, domũ illuminat, deſignatur, quia fides debet lucere contra hæreticos & tyrannos. Illas igitur lampades accipientes exeunt obuiam ſponſo & ſponſæ, hoc eſt Chriſto, & Eccleſiæ. Quod exponit Origen. Tunc exeunt obuiam ſponſo, quando egrediuntur de mundo, & erroribus, & veniunt obuiam Domino qui ſemper paratus eſt, vt ingrediatur cum dignis ad B. ſponſam Eccleſiam. Et in hoc, quod omnes exierunt obuiam Chriſto, intelligitur quod omnes petent ſaluari. Sicut atteſtatur Boëtius venerabilis lib. 3. proſa. 2. Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidem calle procedit, ad vnum tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Idem teſtatur in alio loco. Et omnes, inquit, homines boni pariter & mali ad ſummum finem nituntur peruenire.

Lampas, fides Catholica.

Tunc ponitur virginum differentia. *Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes.* Intelligitur, quod quinq; bonis operibus erant vacuæ, quia *fides ſine operibus mortua eſt.* Iacob. 2. Cui conſonat B. Auguſtinus. Nihil valet omnis fides, quantumcunque fuerit Chriſtiani hominis, abſque profeſſione congrua operis, & ſermonis. Quia ſecundus Hugonem de S. Victore: Homo fidelis eſt ſine fide mortuus, velut ſine anima corpus. Sed *quinq; erant prudentes,* id eſt, bona opera habentes. Super hæc verba dicit Origenes: Qui rectè credunt, & iuſtè viuunt, aſſimulantur quinq; prudentibus virginibus. Vel prudentes dicuntur contemplatiui, & religioſi, qui opera ſua bona, in finem bonum per laudem Dei ordinant: Fatuæ verò eodem ad propriam humanam laudem. Ideò ſubditur.

Homo ſine fide, corpus ſine anima.

D

Sed quinq; fatuæ acceperunt lampades, & non ſumſerunt oleum ſecum. Hic per oleum
I. poteſt. *Primò,* intelligi caritas, quia ſicut oleum natat ſuper omnes liquores, ſic caritas ſuper omnes virtutes, ſecundum q; dicit proſper de vita contemplatiua. Caritas eſt vita virtutum, ipſa eſt autem mors vitiorum, ſicut n. cera fluit à facie ignis ſic
II. vitia à facie caritatis. *Secundò,* per oleum intelligitur iucunditàs mortis, quæ oritur ex bonis operibus. Et hoc dicit Auguſtinus de verbis Domini. Per oleum, inquit, ipſam lætitiam deſignari arbitror, ſecundum illud. *Vnxit te DEVS tuus, oleo læ-*
III. *titiæ præ conſortibus tuis, &c.* *Tertiò,* per oleum intelligitur puritas conſcientiæ, ſecundum Gregorium in homil. De illo dicitur Eccleſ. 9. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Ideò dicitur. Oleum virgines fatuæ non habuerunt, id eſt, non caritatem, quia fuerunt otioſæ. Caritas autem nunquam otioſa eſt, operatur enim magna, ſi eſt, ſecundum Gregorium in iucunditate mentis, teſte Auguſtino de verbis Domini. Qui non propterea gaudet, quod Deo intrinſecus placet, non habet oleum ſecum, non puritatem conſcientiæ ſecundum illud: *Fatuæ virgines oleum ſecum non ſumunt,* quia gloriam intra conſcientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt. Sed hoc triplex habuerunt prudentes virgines, & ideò ſubditur. *Prudentes verò virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis, cum lampadibus.* Gloſſa in vaſis, id eſt in cordibus. Ideò dicit Hilarius ſuper Matth. Oleum boni operis fructus

Caritas mors vitiorum.

Prudentes virgines habent triplex oleum.

vaſa

vasa humana sunt corda & corpora, inter quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ reconditus est.

Nunc ponuntur tria præambula. PRIMVM est mundi consummatio. Ideò sequitur. *Moram autem faciente sponso dormitauerunt.* Mora illa est tale spacium, ab ascensione Domini vsq; ad finem mundi, & finis illius moræ est nobis ignotus, secundum illud Matth. 24. *De die illa nemo scit,* &c. Et incerti ex vtroq; genere hominum moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu Domini fiat resurrectio mortuorum, vt ait Augustinus de verbis Domini. Sed mortem præcedit infirmitas. Ideò dicit, *Dormitauerunt omnes,* id est, ante mortem languescebant. Vnde dicit Hieronymus, Dormire mori est; ante somnum verò dormitare, est ante mortem languescere, quia per pondus ægritudinis peruenitur ad somnum mortis. Et sunt principaliter duæ rationes, quare somnus morti comparatur. *Prima,* sicut dormientes requiescunt à labore, sic morientes à præsentis vitæ labore quiescũt, secundum illud Apoc. 14. *A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à labore suo. Secunda,* sicut dormienti nihil ad meritum, vel demeritum imputatur, sic nec post mortem est status merendi. E I. Cur somnus morti comparetur.

SECVNDVM præambulum est ad iudicium conuocatio ibi; *Media autem nocte.* Certe ex hac litera trahunt quidam, quod tempus extremi iudicii fiat de nocte, & secundum hoc dicit S. Hieronymus. Quia traditio Iudæorum designat Christum media nocte venturum. Sed alij dicunt, & melius, quod celebrabitur in die summo mane, quando sol erit in Oriente & luna in Occidente. Ad hoc est 1. Cor. 3. *Dies Domini declarabit,* & hoc est de intentione Thomæ de Aquino. Sed quod hoc dicit, vult inquere horam, & tempus esse tantum, ideò Glossat; *media nocte,* id est, nullo sperante, vel sciente, & sequitur. *Clamor factus est.* Hic clamor est sonus angelorum tubantium excitans mortuos, quem audientes resurgunt, vt rationem de factis suis reddant. Et hoc est, quod dicit, *Exite obuiam ei.* II.

TERTIVM præambulum est omnium resurrectio, ideò sequitur. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ,* secundum illud 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus,* Et ornauerunt *lampades suas,* id est, rationes operum suorum reddentes: Sic exponit Augustin[9] de verbis Domini. Sed secundum Gregor. ornant lampades suas, quando secum portant opera, pro quibus recipere æternam beatitudinem expectant. III.

Ad hoc vt lampas ornetur, tria requiruntur. *Primum est claritas vitæ,* in qua significatur puritas vitæ ad seipsum, quæ tunc magis erit necessaria, quàm marsupia plena pecuniarum, vt dicit Bernardus. & ideò consulit Sapiens. *Omni tempore vestimenta tua sint cãdida.* Eccle. 9. id est, vita pura. *Secundum* est *plenitudo olei,* in quo significatur misericordia & eleemosyna, quæ secundum Ambrosium est sola comes defunctorum. *Tertium* est *inflammatio ignis,* in quo fides cum dilectione erga Deum intelligitur. Qui tales ornatas lampades habebunt, ante iracundum iudicẽ Christum, securè apparebunt. Sed tales lampades fatuæ non habebunt, ideo dicent. *Date nobis de oleo vestro,* quasi dicerent: iustitia vestra est sufficiens glorificare, & excusare nos, excusate ergò nos, vel facite testimonium de operibus nostris, quę vidistis, quia fideles fuim[9]. Sed Gregorius planius exponit in Homil. dicens. Lampades fatuarum virginum extinguuntur, quando opera earum, quæ hominibus clara foris apparuerunt, in aduentu iudicis intus obscurantur, & à DEO retributionem non inueniunt, quia pro eis acceperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt. Rectè enim erit de operibus F Ad ornatũ lampadis requiritur. 1. 2. 3. Laus humana exstinguit lampades virginũ fatuarum.



ribus fatuarum; sicut de visu stellarum secundum naturales. Stellæ, quæ in nocte clarè lucent, veniente lumine solis & diei obscurantur, quia lumen maius, minus obfuscat. Sic veniente Christo opera, quæ hic clara videntur, obscura erunt. Quia tunc nullus potest alium iuuare, & sibi vix sufficit sua iustitia: quia *iustitia iusti super eum, & impietas impij erit super eum.* Ezech. 18. Ideo respondent prudentes, dicentes. *Ne forte non sufficiat nobis & vobis; ite potius ad vendentes.* Hoc est, secundum Hieronymum non ex inuidia, vel auaritia, sed quia vix pro se tunc potest quis respondere. Sed quod ad vendentes iubent ire, non dant consilium, sed ex obliquo commemorant crimen eorum, secundum Ambrosium quasi dicerent: videatis modo quomodo vos adiuuent, quæ vobis oleum adulationis consueuerunt vendere, quia secundum Gregor. venditores olei sunt adulatores, qui accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. De quo dicit Psal. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Communiter post iudicium examinationis, sequitur præmium retributionis, cum additur: *Cum autem irent emere venit sponsus, &c.* hoc loquitur tropicè, id est, si adhuc viuerent inuenirent adulatores, vt irent emere. Et sic patet, quod in malis manebit effectus vanitatis, & quod in eis erit pœnitentia, sed infructuosa. Sap. 5.

Venditores olei sunt adulatores.

G Et tunc *venit sponsus* cum sublimitate, *& quæ parata erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* O beati sunt illi, qui *ad Cœnam agni nuptiarum vocati sunt.* Apoc. 19. *Et clausa est ianua* Glossa: ianua eis claudetur, ianua misericordiæ ad indulgendum, quæ modo operibus misericordiæ aperitur Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequuntur:* Ianua gratiæ ad merendum, quæ solum habetur in hac vita, quia gratia hic, iustitia in futuro: Ianua gloriæ ad intrandum, quæ modo omnibus pœnitentibus referatur Matth. 3. & 4. *Pœnitentiam agite, &c.*

Ianua misericordiæ. Gratiæ. Gloriæ.

Postquam egit de retributione bonorum, agit iam de retributione malorum dicit. *Nouissimè verò veniunt*, sed tardè, sicut diues epulo Luc. 16. & dicunt. *Domine, Domine aperi nobis*, Hic dicit Chrysostomus: Nihil prodest ex necessitate repetita confessio eius, qui non ex voluntate confessus est, ideò admonet, Eccles. 5. *Ne tardes cõuerti ad dominum.* Sunt tamen (heu) multi in finem suum pœnitentiam differentes, dicentes illud Augustini: Iuuenis sum, faciam quod me delectat modo, & postea pœnitentiam agam: quemadmodum si dicat, percutiam me gladio, & postea vado ad medicum. Heu miser nescis, quia vnius horæ puncto vulnus accipitur, quod vix longo tempore ad sanitatem pristinam reuocatur, Hæc Augustinus. Audi ergo quid Dominus dicat; *Nescio vos* notitia approbationis fore dignos gloria mea, aut scriptos in libro vitæ, quia oleum misericordiæ de propriis bonis non præparastis, & concludit. Vigilate ergo, quia nescitis diem, &c.


DE EODEM FESTO.

Sermo tertius.

Hortus conclusus soror mea sponsa: Cant. 4.

Inter-

A



INter omnia mundana solatia, quæ spiritum hominis recreant dulciter & delectant, sunt magis naturalia pomaria, in quibus diuersæ herbæ ad recreamen hominis plantantur, & non solum ad recreamen, sed propter requiem. Quia secundum Aristotelē 4. Eth. Ludus & requies necessaria sunt vitæ humanæ. Et iterum. 10. eiusdem. Non potentes laborare, inquit, continuè requie indigent. Ideò legitur Cant. 5. Quia inter alia solatia sponsa Salomonis allicit ipsum ad hortum cum dicit. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt colligat fructus pomorum suorum.* Et Salomon ècontra ad sponsam. *Veni,* inquit, *in hortum meum soror mea, messui myrrham meam cum aromatibus meis.*

MYSTICE. Christus Dominus noster, homo natus ex virgine Maria, secundum illud Psal. 86. *Homo natus est in ea;* Iste homo benignissimus quærit delicias, & solatia in cordibus hominum, quemadmodum ipse testatur, Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Sed tamen inter omnia, quæ ipsum delectant, sunt horti spirituales principaliores, sunt mentes puræ virginales, secundum illud Poëtæ. Mens pura, hortus spiritualis.

Delectant Dominum puritatis pectora casta.

Cui consonat B. Gregorius, exponens illud Cant. 6. *Qui pascitur inter lilia.* Inter lilia sponsus pascitur, qui proculdubio animarum castitate delectatur; bonorum hortorum vnus fuit B. Barbara virginitatis florè exornata, & benè per paradisum voluptatis præfigurata. De qua refert Isidor. lib. 3. c. 3. dicens: Paradisus est hortus deliciarum, qui est ex omni genere ligni, & pomiferarum arborum consitus, habens in se lignum vitæ: in eo non est frigus, neq; æstus, eius aditus post peccatum primi hominis fuit præclusus humano generi; fuitq; vndiq; muro igneo circumcinctus, presidiumq; angelorum fuit à Domino ibidem ordinatum, ne alicui spiritui, vel carni peccatrici aditus pateat paradisi. Talis hortus est, & fuit B. Barbara hortus, inquā deliciarum, habens in se genera arborum, vtpote amygdalum maturi floris, & virtutis. De quibus gloriatur Eccli. 24. *Flores mei fructus honoris & honestatis.* Nardus boni odoris, de qua dicitur Cant. 1. *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Similiter balsamum humilitatis, quia fuit virgo humilis.

Insuper habet in se B. Barbara lignum vitæ æternæ, quia eius seruitores non finit morte æterna damnari, secundum illud Eccli. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* In ipsa non fuit frigus iniquitatis, quod exstinxisset ignem caritatis, nec æstus voluptatis carnalis. Quare potest dici illud Tob. 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia,* quia fuit clausa muro caritatis. Nam in tantum erat incensa in caritate Christi, quod omnes spreuit voluptates mundi, & omnem ornatum seculi contemsit. Fuit autem munita custodia angelorum, qui tamquam sorori ei astiterunt, ideò ipsam Christus horto clauso comparat cum dicit in verbis prælibatis. *Hortus conclusus soror mea sponsa.* In quibus virgo iucundissima à tribus commentatur. Quantum ad *Primum* à fructificatione virtuosa, ibi; *Hortus.* Quantum ad *Secundum,* à conclusione fructuosa, ibi; *Conclusus.* Quantum ad *Tertium,* à coniunctione amorosa, ibi; *Sponsa.* B. Barbara hortus conclusus.

De PRIMO est NOTANDVM. Reges & principes solēt habere sua pulcherrima viridaria, & hortos speciosos; floridos, variis herbis redimitos arboribusq; redolentibus complantatos, in quibus interdum cum suis Reginis, & Principissis solatiantur, & militibus conuersantur. Sicut hoc figuratum est de rege Salomone, quia omnia

gaudia mundi voluit experiri. Ideò dicit Eccleſ. 2. *Magnificaui opera mea, & feci mihi domũ & feci mihi hortos & pomaria, & conſeui ea cunctis generibus arborũ.* In hunc hortum vocat reginam ſuam filiam Pharaonis dicens. *Veni in hortũ meum ſoror mea ſponſa.* Can. 5. Ideò legitur Eſth. 1. de Aſſuero rege, qui regnauit ſup. C X X V I I. prouincias, & fecit ſibi hortum mirificũ, quem cum variis generibus aromatum decorauit. In eo fuit vitis, cuius ſtipites erant argentei, palmites aurei, & baccæ cum gemmis, & auro inſertis, vt dicit Petrus Comeſtor in hiſtor. ſchol. In hoc horto fecit conuiuium ſuis principibus, militibus, atq; ſeruis. Sic Chriſtus, qui eſt Salomon pacificus, & ſapientiſſimus, & Aſſuerus ditiſſimus rex cœlorum, & omnium ſeculorum pro ſuo ſolatio nobile viridarium, & hortulum delicatum virginem B. Barbaram, in quam diuerſos virtutum flores complantauit, ita vt ipſa illud Tulij moralis poſſit exponi.

Christus Salomon pacificus.

Hic quoniam varios parit hortulus vndiq; flores,
Ex quibus indocti poterunt excerpere mores.

Rectè enim ſicut in horto naturali variæ oriuntur herbæ, à quibus percipiuntur ſanitates, ſic in iſto hortulo ſpirituali multæ ſunt virtutes, & curationes animæ ſpirituales.

C

PRIMÒ enim videmus, quod in horto naturali creſcit fœniculus, qui eſt herba comis, multæ tamen efficaciæ, & virtutis. Quia ſecundum Iſidor. lib. 17. etymol. cap. 45. ſuccus radicis acuit viſum oculorum, ideò ſecundum quoſdam dicitur fœniculus quaſi fœnum oculorum. Et dicit Plin. in ſpec. nat. lib. 2. capit. 14. Fœniculum nobilitauerunt ſerpentes, guſtu enim eius ſenectutem exuunt, aciemq; oculorum ipſius ſucco reparando. Ex eius ſucco ſit collyrium contra caliginem oculorum valde aptum, & quomodo debeat fieri docet Petrus de Creſc. lib. 6. c. 46. Conficiatur aloë cum ſucco fœniculi, & ponatur in vaſe æneo ad ſolem per quindecim dies, deinde more collyrij oculis apponatur.

Fœniculi virtus.

Per fœniculum fides catholica intelligitur, quæ in Beata virgine Barbara creuit, quando Trinitatem perſonarum cognouit, in eo quod non duas, ſed tres feneſtras fieri impetrauit, & ſuper hoc patrem informauit, dicens. Duo enim non ſunt, ſed tres illuminantes totius orbis climata, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui licet trini ſint in perſonis, tamen vnus eſt DEVS in ſubſtantia diuinitatis, ideò canitur de ipſa. Hoc mirandum cernite, quando ſapientiæ, paruo dono floruit, dum ſigillum Trinitatis, & ſupernæ maieſtatis, cordis rumam imbuit.

Ecce quomodo fides, tanquam nobilis herba fœniculum, huius virginis illuminauit oculos interiores, intellectum vicit & affectum, vt cognoſceret Deum vnum in eſſentia, & trinum in perſonis: & non ſolum cognouit perſonarum Trinitatem, ſed etiam idolorum falſitatem, ideò cum ipſa cogeretur ea adorare ait. Cum homo ſit digniſſima creaturarum, ſummæ diuinitatis informatus ſignaculo, impoſſibile eſt tamen ipſum conuerti in ſuum creatorem, quod cum ſit impoſſibile, multò minus erit aliquod creaturæ in ſuum conuerti opificem. Quod cum in ſuum opificem conuerti non poteſt, quomodo in creatorem creaturarum omnium conuertetur, vt pro creatore adoretur, quaſi diceret, nequaquam. Quomodo ergo ò tyranne præſumes cœmentum, aut conflatile aliquod creatori omnium comparare? Quare tibi breuiter dico. Dij veſtri ſunt ſurdi, & muti, inexpertes omnis gratiæ. Et ad pro-

probandum suum intendum, proposuit illud Deut. 32. *Videte, quia ego sim solus, & non sit alius præter me.* Et sicut canitur de ipsa in historia hodierna. Dij gentium Sophistici omnes dæmoniaci, est qui trinus regnat vnus rector cœlici orbis, confundantur, qui gloriantur laudibus sculptilium, viuit pater, cui sacer seruit grex fidelium.

Hæc, inquam, fides est prima herba in hoc delectabili hortulo, scilicet beatæ Barbaræ plantata & exorta, tanquam aliarum virtutum stabile fundamentum, secundum illud Apostoli ad Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum*, id est, subiacet, & præsupponitur alijs virtutibus. Sine hac fide est cœcus omnis homo, vt dicit Apostolus vbi suprà. Sine fide nemo placet Deo, sicut scriptum de paganis, qui in cœcitate mentis adorant ligna, lapides, atque aurum, de quibus dicit Psalm. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur. &c. Et ideo similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Vtinam in eis cresceret fœniculum fidei, & oculi eorum mentales illuminarentur, & caligines abstergerentur, vt & ipsi cognoscerent Deum, sicut beata Barbara suum creatorem, & ab idolis falsis animum reuocarent Ioan. 9. *Cæcus cum essem, modo video.*

SECVNDÒ. In hortulo materiali crescit artemisia, quæ est mater herbarum nominata. Hæc dolorem capitis decocta in vino, vel aqua mitigat, atque sedat secundum Isid. lib. 17. Ideò dicunt medici si homo habet dolorem capitis, debet eam effodere, & bene lauare, & ad vnam horam in vino & aceto decoquere cum radice, & postea p pannum colata, & ex hoc caput lauare quantum calidius quis potest sustinere, & postea hunc pannum calefaciat, & circumliget capiti, & se deponat per vnam horam diei, donec sudor exeat, & sic extrahit omnem malum humorem, & hoc debet per quatuor dies continuari. D Artemisiæ operatio.

Per artemisiam caritas intelligitur, quæ creuit in B. Barbara, quando spretis mundi amatoribus soli Christo adhæsit, quam nec tormentum mortis exstinguere in ea, vel eradicare potuit. Ita; vt illud cum Apostolo dicere potuisset ad Rom. 8. *Certus sum, quia nec mors, neque vita, neque angeli, nec creatura aliqua poterit me separare à caritate Christi.* Quia per nullam passionem, aut tribulationem, virgo tenella potuit à proposito tam firmo reuocari. Et benè per artemisiam caritas intelligitur, quia sicut illa est mater omnium herbarum, sic ista mater cunctarum virtutum. Ideò dicit B. Bernardus. Bona mater caritas. Ipsa enim est mater hominum, & angelorum; non solum quæ in terris, sed etiam, quæ in cœlis sunt pacificauit. Ipsa est, quæ hominem Deo reconciliauit. Hæc ille. Hanc herbam caritatis effodere debemus cum B. Barbara de agro cordis, eamq; coquere in vino dilectionis, qua nos *perpetuò dilexit*. Ierem. 31. & aceto amaræ passionis, qua nos à morte redemit, & sic inungere, seu lauare caput nostrum; hoc est Christum, qui reconciliabitur nobis, sicut caput cum membris. Caritas mater virtutũ.

TERTIÒ, in horto materiali crescit rosa, cuius maxima virtus secundum Plin. lib. 21. est in flore fœcundior, quàm in foliis. Per rosam intelligitur virginitas, quæ secundum Cyprianum est flos Ecclesiæ, germinans decus, atque ornamentum gratiæ. Hæc creuit, & germinauit in nostro hortulo, id est, in B. Barbara, quæ fuit virgo mentis, & corporis. Hanc virginitatem primariò habuit à flore CHRISTI, qui di- Rosa designat virginitatem.

cit. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. quia non potest haberi, nisi ipse dederit, teste Salomone, qui ait, Sap. 8. *Non possum aliter esse continens, nisi Deus dederit.* Sed secundariò habuit à seipsa, quia hanc amauit, & exquisiuit à iuuentute sua, ita vt id dicere potuerit Sap. 8. *Hanc* scilicet virginitatem *exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui mihi eam assumere sponsam, & amator factus sum formæ illius.* Ita & nos, si volumus esse continentes, petamus eam à Christo, qui est dator illius. Iuxta illud Isidori in lib. Etym. A Deo datur continentia, sed petite & accipietis: tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulsatur.

Viola denotat humilitatem.

QVARTÒ in horto materiali crescit viola, de qua dicunt naturales, quantò maturescit, tantò plus ad terram crescit. Per violam intelligitur humilitas, quæ fuit in B. Barbara, quod voluit in vera humilitate libentius famulari, quàm cum fastu alicui de optimatibus seculi eam petentibus matrimonialiter copulari.

E

Ruta est oratio deuota.

QVINTÒ, in horto crescit ruta, de qua dicit Isid. lib. 17. c. 45. quia mustela pugnatura cum Basilisco comedit rutam, & eius odore minuit eius virtutem, & post esum inuadit secure, & occidit Basiliscum. Per rutam intelligitur deuota oratio, quàm B. Barbara continuè habit contra dæmonis tentamenta, qua mediante eius versutias superauit. Oratio secundum Damascenum est ascensus mentis in Deum. Et plus competit virginibus, quæ debent esse mentis eleuatæ in Deum, & ad angelicam cõuersationem, quibus sunt similes. Et præcipuè B. Barbara similis fuit Angelis propter tria.

F

B. Barbara angelis similis.

PRIMÒ, Propter pulchritudinem; quia Angeli sunt spiritus multum pulchri & decori, sic B. Barbara fuit virgo pulchra & decora, cuius facies tanta decoratione exprimebat munditiam, vt elegantiam eius omnis intuens miraretur, contextumque pulchritudines eius creator omnium sigillo signauerit castitatis, vt dicitur in Legenda. Ipsa enim præfigurata est per adolescentulam Abisag quæ quæsita fuit Dauid ex omnibus finibus Israël speciosa nimis, & iacebat continuò in sinu *calefaciens ipsum,* 3. Regum 1.

SECVNDÒ, similis est angelis, propter subtilitatem. Angeli n. sunt subtiles, ita vt descendant in terram cœlo integro remanente. Sic B. Barbara penetrauit illæsa, cum propter destructionem idolorum pater ipsam vellet gladio iugulare, ideò canitur in prosa. Murum transit, & non læditur.

TERTIÒ, propter finalem vtilitatem: angeli enim sunt custodes hominis, ministerium maximum in morte solent exhibere, secundum illud Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ:* ita B. Barbara quamuis deuotis suis seruitoribus quotidie sua intercessione suffragetur, maximè tamen in extremis, dum maior necessitas instat, impetrando eis tantam gratiam, vt sine viatico corporis Christi ab hoc seculo non discedant, sicut ostendit in mercatore, de quo supra in serm. 1. Et quam adhuc pluribus ostendet quotidie. Et quia angelis fuit similior, ideò in oratione fuit feruentior. Propter illas florigeras virtutes, quæ in B. Barbara creuerunt, à sponso Christo est horto comparata. Ad hunc hortum speciosissimum virgines, viduæ, & cæteræ coniugatæ pergite, & prædictas herbas virtutum colligite, fœniculum videlicet perfectæ fidei, & credulitatis, artemisiam caritatis, rosas castitatis, violas humilitatis, & rutam deuotæ orationis. Est enim summè necessaria mulieribus fides recta, in qua communiter plus, quàm viri occupantur,

Mulieribus valde necessaria. Fides.

tur, & etiam deuiant circa sortilegia. Quare praeceptum est Exod. 22. sicut habetur in Hebraeo Sortilegam non patieris viuere super terram. Est etiam necessaria eis caritas, quia vt frequenter sunt rixosae contra viros, secundum illud Eccli. 25. *Mulier si primatum habeat*, scilicet in domo, *contraria est viro suo*, scilicet in verbis rixosis & factis. Est etiam ipsis necessaria rosa castitatis, quia dicit Sapiens. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua*. Prouerb. 11. Sicut enim sus habens circulum aureum, & ponit in lutum, sic mulier fatua ornatum pulchritudinis ponit in luxuriae lutum, vt ait Glossa Lyrae. Est autem eis necessaria viola humilitatis, & praecipuè Virginibus. Quia secundum Augustinum; Melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Est insuper eis vtilis oratio, quia sunt debiles ad resistendum tentationibus inimici, sicut patet in Eua Gen. 3. quae de facili consensit humani generis inimico. Caritas. Castitas. Humilitas. Oratio.

Quantum ad SECVNDVM, & TERTIVM est NOTANDVM. Dicunt naturales, quod Sponsa solis, siue Sol sequium est herba, quàm frigiditas noctis claudit, & solis calor aperit, recedente enim sole clauditur, & oriente iterato aperitur. Per hanc herbam primo B. Barbara figuratur, quia est sponsa veri solis Iesu Christi, quemadmodum & ipse sponsam dignatus est hanc vocare. Dicit enim: Veni gratiosa sponsa mea, quā concupiuit anima mea. Omnis enim coelestis Ierusalem te exspectat, vt introeas thronum gloriae meae, thronum candidatum coelestium angelorum. Sicut legitur in quadam Legenda.

Haec igitur sponsa veri solis, & hortus delitiarum, B. virgo Barbara, clausa fuit à patre suo Dioscoro in caritate Dei frigido, in turri alta, vt imaginis illius intuitum cernentibus cunctis praecluderet, ita vt vultu claritatis nullus hominum frueretur. Et hoc figuratum fuit in Aseneth virgine pulcherrima, de qua refert Vincent. in speculo historico. Putiphar, qui fuit nominatus in curia Pharaonis, habuit filiam speciosissimam, ideò propter eius pulchritudinem fecit ei pater turrim mirabiliter ornatam, in quam eam cum puellis inclusit. Interim autem, vt legitur Genes. 41. Pharao vidit somnium, quod sibi Ioseph sapienter exposuit. Idcircò tulit rex annulum suum, quo literae regiae signabantur, & tradidit ipsum Ioseph in signum regiae potestatis. *Vestiuitq; eum stola byssina, & fecit eum ascendere currum suum, & praecedente praecone clamare, vt omnes ante eum genu flecterent, vocauitq; eum Saluatorem mundi. Et dedit illi in vxorem Aseneth filiam Putiphari supra dicti*. Et addit Vincent. suprà, qui de hoc latius tractat. Quia Ioseph tempore copulae veniente in curru aureo mirificè ornato, quem trahebant albi equi, & tunica aurea indutus venit, vt ipsam post promissum duceret in vxorem, quem cum illa pulcherrima virgo Aseneth de curru inspexisset, eius excellentem pulchritudinem mirabatur, interrogans, quis hic esset. Tunc dictum est ei à ministris, quod esset Ioseph totius regni sapiens procurator, & eam peteret in vxorem, quae cum audisset in copulam consensit, G

SPIRITVALITER. Hic per Pharaonem coelestis pater intelligitur, qui verum Ioseph Iesum Christum vestiuit stola alba immortalitatis, & posuit ipsum in curru sanctae Crucis, super omnesq; exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen sanctum, Iesus Saluator mundi, & clamat per praeconem Apostolum suum Paulum ad Philip. 4. *vt in nomine eius omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum*, Et duxit illam in sponsam B. virginem Barbaram; quae rectè per Aseneth intelli-

telligitur, quia ficut illa fuit filia gentilis diuitiis, & propter suam pulchritudinem turri fuit inclusa, sic ista fuit filia satrapæ ditissimi, & gentilis; qui eam quadam turri propter eius pulchritudinem inclusit, de qua respexit Christum esse procuratorem totius regni, id est, mundi, in torum eius consensit, cum illuminata à Spiritu sancto fidem orthodoxorum recepit. Ideò dicit Christus. *Hortus conclusus* est S. Barbara *sponsa mea, soror mea.*

DE SANCTO NICOLAO EPISCOPO.

Sermo primus.

Quasi oliua pullulans, & quasi cypressus in altitudinem se extollens, ita scribitur Ecclesi. 50.

A Idemus enim in naturali quantò animal est nobilius, tantò est liberalius, sicut probat Plinius in spec. natur. de aquila, quæ est regina auium: cibum, quem prædando acquirit, sola non comedit, sed aliis auibus sequentibus liberaliter diuidit. Ideò multæ aues propter hanc causam eam sequuntur.

MYSTICE. Liberalitas debet esse inter nobiles huius mundi, quia debent esse liberales & misericordes pauperibus, eos alendo, & nulli calumniam faciendo, quemadmodum B. Ioannes Baptista docuit Luc. 3. dicit *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis:* quasi diceret; sed pauperes nutriatis. Sed (heu) hic potest dici de illis hoc, quod scripsit Ezechiel. 26. *Statua nobiles in terram corruent*, hoc est, nobiles qui tanquam columnæ dicuntur debiles sustentare, in terrenam cupiditatem deuenient; & solent pauperes deprædari, vt verificetur de eis illud Ezech. 22. *Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & sectanda lucra.* Quis enim nunc inter nobiles sequitur naturam nobilis aquilæ, vt sua cum aliis egentibus diuidat? Certè pauci, immò secundum Hieronymum gloriosum, sunt latrones, pauperum mercedem violenter deprædantes, & eos deprimunt, atq; necant, vt se & filios ditent. Ideò dicit benè Hieronymus ibidem sanctissimus, vt habetur in Epistola Eusebii. Quid moramini dum viuitis congregantes filiis vestris diuitias, honores, potentias vestras, augentes nobilitatem & famam, vt & filii vestri possint, quæ fecistis, explere, quatenus, cum illis pariter in inferno ampliora patiamini tormenta. Hæc ille. Talis non fuit B. Nicolaus, qui fuit nobilis progenie, sicut canit Ecclesia: *Confessor Dei Nicolaus nobilis progenie, nobilior moribus.* Sed fuit multum liberalis more aquilæ, pauperes alendo, captiuos redimēdo. Ideò propter suam nimiam liberalitatem oliuæ comparatur in verbis præassumptis, dum dicitur. *Quasi oliua pullulans.* In quibus à duobus laudatur. Quantum ad *primum*, ab officio miserationis, ibi; *Quasi oliua.* *Secundò*, à celsitudine contemplationis, ibi; *Et quasi cypressus.*

Contra congregantes filiis diuitias & potentias.

De PRIMO est NOTANDVM secundum naturales. Lucifer inter alios planetas est benignior, quanquam alii inter eos sunt etiam benigni, quia hoc necesse est, vt dicit

dicit Albumasar, vt benignitas beneuolentis stellæ per præsentiam malæ remittatur, & ècontra malignitas maleuolæ per præsentiam beneuolæ temperetur.

SPIRITVALITER. Per Luciferum S. Nicolaum conuenit designari, de quo canit Ecclesia. *Nobilissimis siquidem natalibus ortus Lucifer Nicolaus emicuit.* Ideò more Lucifero est dignior in miserando inter alios Confessores, cum sæpius præ aliis inuocatur, quia dicit. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & ab vtero matris egressa est mecum.* Nam omnibus, qui eum in suis periculis inuocant, sine dubio auxiliando miseretur.

B

Refert enim Methodius Patriarcha, & similiter Ioannes Diaconus, quadam die dum quidam nautæ periclitarentur, ita cum lacrymis orauerunt: *Nicolae famule Dei, si vera sunt, quæ de te audimus, nunc experiamur.* Dubii enim multi erant de eius miseratione, & auxilio. Et mox vt orassent, quidam eis in eius similitudine apparuit, & dixit: Ecce adsum vocastis me (sicut etiam cantatum est hodie) & statim cessabat tempestas, & incepit tranquillitas eis remigantibus à mari. Cum autem venissent ad Ecclesiam, quam nunquam viderant, sine indice cognouerunt. Tunc DEO, & ei de eius misericordi liberatione gratias egerunt. Quod ille diuinæ misericordiæ, & eorum fidei, non suis meritis attribuere docuit. Iste namq; Lucifer benignissimus propter suam benignitatem comparatur oliuæ hic pullulanti.

S. Nicolaus oliuæ pullulanti comparetur.

PRIMO, quia vberrimè de se fundit oleum, nec indiget percussione, quia dicit Plinius in spec. natural. lib. 15. capit. 3. Quia oliua est fertilis, vberrimè de se fundens oleum, nec indiget percussione ad olei effusionem; sicut adhuc faciunt minus cauti, sed talis percussio cedit ad ruinam arboris, & in damnum subsequentis. Ista proprietas conuenit Beato Nicolao, quia ipse fuit de se oleum vberrimæ misericordiæ pauperibus, nec indiget coactione ad misericordiam faciendam, sed voluntariè dedit. Ideò de ipso potest exponi illud Ierem. 11. *Oliuam vberem, pulcherrimam, fructiferam, speciosam vocauit nomen tuum.* Certè vberrima fuit hæc oliua, & pulcherrima, quia nobile oleum de ipsa processit. De quo dicit Sapiens Eccles. 9. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Quia in annis adolescentiæ statim fudit de se oleum misericordiæ abundanter, perpendens hanc doctrinam, quam Tobias dedit filio suo, dixit. *Quantum potes esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum fuerit, ad ipsum libenter impertiri stude.* Tob. 4. Habuit autem multum B. Nicolaus: quia magnam copiam diuitiarum parentes ei reliquerunt, ideò abundanter tribuit.

C

Refert Methodius Patriarcha. Quod quidam coëtaneus satis nobilis ad tantam deuenit inopiam, vt tres filias suas Virgines ob inopiam fornicari constituisset, vt sic ab infami earum commercio aleretur; Quod cũ vir sanctus comperit, scelus abhorruit, & massam auri panno inuolutam, in domũ eius per fenestram nocte clam proiecit clamq; abscessit, manè autem surgens homo massam auri reperit, & DEO gratias agens primogenitæ, nuptias celebrauit. Non multum temporis abiit; ille secundò reuersus massam proiecit: & ille iterum immensas gratias egit, & de cætero superuigilare proposuit, vt sciret quis suæ inopiæ subuenisset. Post paucos dies duplicatam auri massam in domum proiecit, ad cuius sonitum ille excitatur, & Nicolaum fugientem insequitur, talique voce alloquitur eum; Siste parum, teque meo

meo aspectui non subtrahas, sicq; currens velocius Nicolaum esse cognouit, moxque humiliter prostratus pedes eius voluit osculari, quod ille refugiens ab eo exegit, ne eum, quamdiu viueret, publicaret.

Tales oliuæ non sunt modo in mundo, nec inter seculares, nec spirituales, qui tam abundanter funderent oleum misericordiæ, sed sunt similes oleastræ. De quo refert Isidor. lib. 17. quod in foliis similis est oliuæ, & eius folia sunt latiora, sed arbor sterilis, & amara, & talis parum vel nihil corpus nutrit. Sic sunt certi inter spirituales, qui sunt similes veris oliuis, hoc est, misericordibꝰ in diuitiis, & fortè præbendas habent latiores, sunt tamen omninò steriles, & erga pauperes amari, non animaduertentes illud Hieronymi de vita & honest. cleric. Quod omnis possessio sacerdotum eleemosyna est pauperum hominum. Et si quid vltra necessitatem vitæ possederint, nec in eleemosynam pauperum erogauerint, furtum, & sacrilegium existit, Deo teste. Ideò quod damnandi sint in via timendum est.

Possessio sacerdotũ est eleemosyna pauperum.

D

Quia refert venerabilis Episcopus Thomas Cantipratensis lib. 1. Apum. cap. 19. part. 6. de quodam Cancellario Parisiensi, nomine Philippo, qui multas habuit præbendas, & tamen de his nullas eleemosynas fecit, nec volebat illa beneficia in manus Ecclesiæ resignare. Hic enim dum agonizaret in morte monitus fuit, vt omnia beneficia præter vnum resignaret, quia plura contra salutem tenuerat: renuit ille, & defunctus est. Cum autem Episcopus Gulielmus Parisiensis, qui eum monuerat, finitis matutinis orare vellet, vidit iuxta se lumen, & vmbram nimis terram. Quod cum coniurasset, ait. Ego sum Cancellarius Philippus. Et Episcopus. Quomodo est tibi? Malè inquit, quia damnatus sum æterna morte. Et ille. Quæ est causa tuæ damnationis? Respondit: Hæc, quod recrescentes fructus annuatim contra pauperes timidè reseruaui. Et hæc dicens ab oculis eius vmbra euanuit.

E

S. Nicolaus oliua fructifera.

SECVNDÒ. B. Nicolaus oliuæ comparatur propter eius florem, qui est suauissimi odoris. Quia secundum Isidor. lib. 7. Oliua flores habet munitos, & multùm redolentes. Ideò secundum Plin. lib. 15. cap. 3. Grana oliuæ quamdiu sunt in arbore, nõ pereunt, & quantò diutius sunt in arbore, tantò meliores fiunt, semperq; nouas vires reassumunt, & difficilius cadunt. Ita B. Nicolaus quasi oliua fructifera habuit flores bonorum exemplorum, bonum exemplum aliis præbendo, ita vt de ipso verificetur illud propheticum Oseæ 13. *Erit quasi oliua gloria eius, & odor eius, vt Libani.* Et est Libanus secundum Magistrum. lib. 14. propriet. mons nimiæ redolentiæ, & summæ aromaticę. Nam ibi herbæ odiferæ crescunt, ibi herbæ arbores thuriferæ conualescunt, ibi cedri, & cypressi, palmæ & oliuæ, quæ omnes odores laudabiles administrant. Est ergo meritò odor, & fama B. Nicolai comparabilis odori Libani: quia sicut de odore Libani tàm sani, quàm infirmi recreantur; sic de bono exemplo eius, tàm sancti, qui in perpetua manent sanctitate, & sanitate, quàm homines, qui continua laborant infirmitate, sunt mirificè recreati. Et nulla arbor Libani fuit ita gloriosa in odore floris, sicut iste sanctus in odoribus exemplorum. Ideò potest dici illud Eccli. 24. *Flores mei*, id est exempla mea, *fructus honoris*, quo ad Deum, & ad sanctos, *& honestatis*, quantum ad proximum: nam de bono exemplo eius Deus honorabatur, & proximus ædificabatur.

Ab infantia autem cœpit dare bonum exemplum & vsque in finem nunquam cessauit, ita vt dicere posset cum Salomone Sap. 8. *Puer ingeniosus eram, & sortitus sum ani-*

animam bonam, Cum enim matris vbera sugeret, duob⁹ diebus in septimana, quarta & sexta feria in his semel tantum suxit, deinde per totum diem abstinuit, sicut de eo canitur. *Quarta & sexta feria semel sugebat vbera.* Et hoc est contra multos, qui volunt ieiunare, assumentes pro se illud Bernardi quod ad Cartusienses dixit. Affligendum est interdum corpus, sed non conterendum, quia modus in omnibus est habendus, putantes per hoc corpori fieri magnam violentiam. Immò dicunt, quid prodest homini multum ieiunare, non enim potest hominem sanctificare. in quo tamen falsè loquuntur. Quia ieiunium secundum Augustinum mentem subleuat, carnem spiritui subiicit, cor contritum facit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinem ardoris extinguit, & castitatis lumen accendit. Hæc ille. Effectus ieiunii.

Et certe si ieiunium ad sanctitatem non conferret, nequaquam B. Nicolaus Spiritu sancto inspiratus in infantia ieiunare incepisset. Ieiunauit namque qui adhuc nullum peccatum commiserat. O tu stulte peccator inueterate dierum multa peccata commisisti, & pro eis satisfacere non vis, duntaxat in vno die, scilicet sexta feria in hebdomata ieiunare, in qua Dominus pro te magnam sitim sustinuit, felle & aceto potatus fuit, sanguinem pretiosum fudit, mortem acerbissimam sustinuit, vt te à morte liberaret. Certe si nunquam aliquod peccatum commisisses adhuc feria sexta ieiunare deberes ad honorem Christi passionis. Quia habetur in Canone de consec. dist. 3. capit. ieiunia. Quod sexta, & quarta feriæ sunt ieiunandæ, nisi grandis necessitas fuerit, quia feria quarta Iudas tradere dominum cogitauit, & feria sexta crucifixus est Saluator. Qui ergo illis diebus non ieiunauerit, videtur cum tradente tradere Saluatorem, & cum crucifigentibus crucifigere. Glossa Hug. id est, crucifixo non compati. Nam si non ieiunat, non videtur contristari de illa traditione, & crucifixione, sed potius eam approbare. Cur ieiunandum Feria IV. & VI.

Audi enim tu vorax, qui non libenter ieiunas, quid B. Gregor. 4. dialogorum. c. 38. refert de quodam Monacho, qui magnæ æstimationis habebatur. Sed tamen cùm se cum fratribus ieiunare demonstraret, occultè manducare consueuerat, quod fratres nesciebant. Veniente autem ægritudine, omnes fratres ad se iussit congregari. Et illi magnum aliquid delectabile se ab eo crediderunt audire. Venientibus autem illis, compulsus est tremens dicere. Quando me ieiunare credebatis vobiscum, occulte comedebam, & nunc draconi datus sum ad deuorandum: qui caudæ sua genua mea, & pedes meos colligauit. Caput verò meum intra os suum mittens, spiritum meum ebibens abstrahit. Quibus dictis, subitò exspirauit. Abstinentē se fingens monachus draconi traditur deuorandus.

TERTIÒ B. Nicolaus oliuæ comparatur propter oleum, de quo referunt certi naturales. qui oleum tenuerit in ore, suffocari, aut submergi non poterit, vel si sub aqua fuerit, supernatabit, vt ait Fontinus de statu vniuersi. Ratio est: Nam oleum successiuè missum aquas diuidit, & sic ipse, qui subter aquam fuerit respirat, quod principaliter intelligitur de oleo lini, ait etiam Papias. Si quis intra aquam mersus oleum prius in ore inclusum in aquam emiserit, clariora facit quæ in fundo aquæ tenentur, & patent oculis suis facilius. Sic homo, qui fuerit in aquis tribulationum, & B. Nicolaum in ore per inuocationem tenuerit, à tribulationibus absorberi non poterit. Itaq; confidenter potest dicere illud Psalm. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Et hoc patet de tribus principibus ipsum inuocatibus, quos à morte, ad quam per Constantinum erant ad F

iudicati, liberauit. Etiam si aliquis in aquis maris fuerit, & B. Nicolaum inuocauerit submergi non poterit, sicut hodie cantatum est.


Quadam die tempestate sæuissima quassati nautæ cœperunt S. Nicolaum inuocare, & statim cessauit tempestas. Præterea si quis B. Nicolao deuotus fuerit, etiamsi iam submersus sit, viuus supernatabit. Et hoc declarat Ioannes Diaconus quodam exemplo. Vir quidam nobilis rogauit B. Nicolaum, vt sibi filium à Deo impetraret, promittens ad Ecclesiam eius filium suum reducturum, & scyphum aureum oblaturum. Filius autem nascitur, & ad ætatem adultam reducitur, scyphus fieri iubetur, qui dum sibi valde placeret, suis eum adoptauit vsibus, & alium æquiualentem fieri præcepit. Nauigantibus itaq; ad Ecclesiam Nicolai sancti, iubet pater filium, vt in illo scypho, quem primò fieri curauerat, aquam sibi afferret. Puer autem cum vellet haurire cum scypho in mare cecidit, & statim expirauit. Pater autem amare flens nihilominus votum suum perfecit. Veniens igitur ad altare secundum obtulit scyphum, sed ille tanquam proiectus cecidit de altari, cum autem leuasset ipsum, & super altare posuisset, iterum longius est proiectus, mirantibus omnibus ad tam grāde spectaculum. Ecce puer sanus, & incolumis aduenit, & primum scyphum suis gestans manibus. Narrauitq; omnibus, quod quando in mare cecidit, statim B. Nicolaus adfuit, & ipsum illæsum seruauit, sicq; pater eius lætus effectus, vtrumque scyphum B. Nicolao obtulit.

DE EODEM FESTO.

Sermo II. Ex Euangelio diei.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti. Ita scribitur Luc. 19.

A. Elephantis natura.



PLinius in spec. natur. lib. 8. c. 5. refert. Quia elephas est animal magnum in corpulentia, quod benè montibus æquaretur, & tamen respectu aliorum animalium maximi corporis, maximè est benignum, & hominem singulariter diligit. Nam si viderit ipsum errantem in solitudine, ne ipsum terreat, aliqualiter de via se subtrahit, & gradum figit, paulatimq; ipsum præcedens viam ei ostendit, & si draco ei occurrerit pro homine defensando cum eo pugnat, & viriliter se opponit.

MYSTICE per Elephantem B. Nicolaus non immeritò conuenit designari. Rectè enim sicut illud animal est magnum, & facit se facilè placabile hominibus: Ita B. Nicolaus fuit magnus secundum generationem, quia ex diuitibus, & nobilissimis parentibus processit, sicut habetur ex legenda, vbi legitur: Nicolaus itaque ex illustri prosapia est ortus, ciuis fuit Pataræ vrbis, quæ vna ex nobilissimis Lyciæ prouinciæ ciuitatibus, tantò quondam famosissima rutilabat, quantò & populoso frequentabatur accessu, parentesque eius inter cateruas procerum habebantur. Fuit magnus secundum deuotionem, quia vitam totam seruauit in puritate, vt dicere posset illud Iob. 33. *Mundus sum ego*, scilicet à vitiis carnis. *& absq; delicto*: id est, peccato omissionis. *& immaculatus*, scilicet grauibus culpis contra Deum; *& iniquitas non*

Vita S. Nicolai.

Fuit deuotus.

est in

est in me, scilicet peccatum contra proximum. Non enim se carnalibus vitiis maculauit, nec aliquid de faciendis omisit, nec contra Deum graui idololatria peccauit, sed eam eradicauit. Fuit etiam magnus per exemplorum operationem, ipse enim absens adhuc viuens notabilia fecit miracula, & in nautis à tempestate liberatis, & tribus Principibus à Constantino Cæsare incarceratis. Ideò conuenienter de eo potest exponi illud Eccli. 44. *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo,* secundum Gloss. propter sui pœnitentiam, festinam: quia adhuc infans incepit pœnitere, qui peccata non nouit committere; perpendens illud Thren. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Et non solùm studuit placere Deo, sed etiam hominibus benignum se exhibere, & amabilis fieri, sicut canitur de ipso. B. Nicolaus Pontificatus infulis decorus, talem se exhibuit, vt ab omnibus amaretur. Ipse enim paterna benignitate homines in ciuitate Myra errantes in idololatria, quam Dianæ fecerant, liberauit, & in viam veritatis reduxit: pro eis contra Draconem infernalem se opposuit. Ideò in verbis præmissis nobili homini, qui debet esse benignus, assimilatur, cum dicitur. *Homo quidam nobilis.* In quibus B. Nicolaus principaliter à tribus commendatur. *Primò,* à virtuosa operatione, ibi; *Homo quidam nobilis. Secundò,* à miraculosa reuersione, ibi; *Et reuerti. Tertiò,* à gloriosa decessione, ibi; *Abiit in regionem longinquam.*

Miraculorũ operator.

De PRIMO est NOTANDVM secundum Ambrosium in libro Hexamer. Quod apes eligunt regem mansuetudine clariorem, hic si aculeos habuerit, non vtitur ad vindictam: non enim extollitur ex hoc, quod in regem eligitur, sed est inter illas, sicut vna ex ipsis, naturali pietate pascit eas in hoc, quod in alueario circuit, & ipsas ad labores excitat, vt vnaquæque pastum sibi quærat, ne sic in vita deficiat. Et ob hoc habet circa apes lictores aculeos, quia auctoritate assidua regis, sunt inutiles punientes, vt ait Ambrosius.

B

Apum rex & natura eius.

MORALITER. Per apes possunt intelligi ciues, siue incolæ ciuitatis Myræ. Rectè enim sicut apes sine rege errant, & hinc inde deuiant, si illi errabant in fide: quia tota prædicta regio idolis deseruiuit, præ cæteris nefandæ Dianæ simulacra populus coluit, vsque ad tempus S. Nicolai. Ideò ipsum elegerunt in regem, immò in medicum animarum suarum, ita vt de ipsis exponi potuisset illud 1. Pet. 2. *Eratis sicut oues errantes, & conuersi nunc estis ad pastorem animarum vestrarum.* Et benè Beatus Nicolaus per regem apum intelligitur, quia sicut ille est mitis, & humilis, & liberalis, sic Beatus Nicolaus est mitis in vitiis remittendis, humilis in dignitatibus non appetendis, liberalis in eleemosynis tribuendis. Et illud innuitur in nomine hominis, quia homo secundum Aristotelem lib. 1. Ethic. est animal mite, & mansuetum natura: humile dicitur ab humo, quod est infirmum elementum, quia est misericors seu liberale, secundum illud Luc. 6. *Estote misericordes, sicut pater vester misericors est,*

S Nicolaus cur similis regi apum.

Dico PRIMO, quod B. Nicolaus fuit mitis in vitiis remittendis: Nam iniuriam sibi illatam ab hominibus malis, non statim sicut certi sancti vindicauit, sed tanquam homo mitis, & patiens, ita vt de ipso exponi possit illud Eccli. 45. *In fide,* inquit, *& lenitate fecit illum sanctum, & elegit eum ex omni carne,* rectè sicut apes eligunt regem mitiorem. Cuius mititatem testatur Dominus per Sapientis dictum Eccli. 45. *In pace,* inquit, *& lenitate ambulauit mecum, & auertit multos ab iniquitate.*

S. Nicolaus mitis in iniuriis remittendis.

C De eius mititate refert Ioannes Diaconus dicens. Quod quidam Iudæus vidit B. Nicolaum virtuosum & potentem in miraculis faciendis, imaginem eius sibi fieri fecit, & eam in sua domo collocauit, & cum aliquo modo longius pergeret, sibi res suas commendauit, dicens. Ecce Nicolae, omnia bona mea tibi committo, & nisi omnia benè custodieris, vltionem de te expetam verberibus & flagellis. Quadam die cum ille abesset, fures veniunt, & omnia sibi rapiunt, & solam imaginem derelinquerunt. Iudæus autem veniens, & spoliatum se videns, imaginem allo quitur, dicens. Domine Nicolae nonnè in domo mea posui te, vt res meas à latronibus seruares? Cur hoc facere noluisti. ideò pro raptoribus pœnam lues. Arripiens autem imaginem durè eam verberauit, & dirè flagellauit. Mira res, diuidentibus furibus, quod rapuerunt, spiritus Dei tanquam in se verbera excepisset apparuit dicens. Cur tam diu pro vobis flagellatus sum? Cur ita crudeliter verberatus? Ecce quomodò corpus meum luit. Ecce qualiter effusione sanguinis rubet, pergite citò, & cuncta reddite, quæ rapuistis, alioquin omnipotentis Dei ira in vos deueniet, ita vt scelus vestrum in medium publicetur, & quilibet vestrum suspendium patiatur. Ad quem illi, Quis es tu, qui nobis talia loqueris? Quibus respondit, ego sum Nicolaus seruus Iesu Christi, quem Iudæus ille pro rebus suis, quas ei abstulistis tam grauiter flagellauit. Territi ad Iudæum veniunt, miraculum referunt, ab eo quid imagini fecerat audiunt, & cuncta reddunt. Sicq; & latrones redeunt in viam rectitudinis, & Iudæus amplectitur viam salutis.

S. Nicolaus fuit humilis.

SECVNDÒ, B. Nicolaus fuit humilis in Prælaturis non appetendis. non enim ad Prælaturas, sicut non faciunt, aspirauit, quod patet ex hoc, quia inuitus est ad Episcopum electus. Nam cum fuisset ostensus esse dignus Episcopali dignitate per vocem lapsam de cœlo, sicut canitur. O pater æterne, & clemens, ô bone custos vsque dignum Episcopatu Nicolaum ostendisti tuum famulum: & ille Episcopus præ foribus Ecclesiæ excubaret, vt primum venientem eligeret. Cum venisset de nomine quæsiuit. Ille autem, vt erat humilis, & columbina simplicitate plenus, inclinato capite dixit. Nicolaus vocor sanctitatis vestræ seruus. Quem in Ecclesiam ducentes, vt in dignitate sublimarent: plurimum renitebatur, qui sciuit illud dictum B. Bernardi de regiminibus. Nunquam in honore sine dolore, in Prælatione sine tribulatione, in sublimitate, quis potest sine vanitate. Sed licet reniteretur, fuit tamen magnificè sublimatus. Quia dicitur in Canone. In scripturis. 8. q. 1. Locus regiminis negandus est desiderantibus, & offerendus est fugientibus.

S. Nicolaus fuit liberalis.

TERTIÒ, B. Nicolaus liberalis fuit in eleemosynis tribuendis. Largiter enim eleemosynas tribuit, vt habes supra sermone præcedente. Nam perpendit illud B. Hieronymi dictum, quod ponit Augustinus in Epistola de morte Hieronymi: Nemo se excusans dicat, non habeo, quid fratri pauperi tribuam. Si vestimentum, vel aliquid vltra extremam necessitatem possides & pauperi indigenti non subuenis fur es, & latro: Sumus enim dilectissimi filii in rebus temporalibus solum dispensatores, & non possessores, quod superest superfluum, fratris est indigentis. *Et subdit dicens.* Diceres fortè miser, meum est, nam mei hoc dimiserunt parentes. Sed si hoc parentes dimiserunt: quomodo potuerunt tibi dimittere, quod suum non erat, à quo habuerunt, aut quis dedit eis, quid in mundum portauerunt venientes?

tes? quid recedentes deferunt? Certè si quid pauperum possidemus in die iudicij coram oculis diuinæ iustitiæ vindictam exclamabunt. Qui habet aures audiendi audiat, qui mihi credere non vult, (heu) quam grauiter sciet, cum diuitiæ eius transierunt in egestatem. Hæc sunt verba B. Hieronymi.

Ideo B. Nicolaus diuitias à parentibus sibi derelictas, tanquam non suis parentibus est largitus. Et sic dicitur ipse quidam singularis homo, propter diuitiarum primordialem suppeditationem, hominum specialem inuocationem, suorum finalem subuentionem. Ipse in primordio ætatis suæ contra vitia triumphauit, ideò dicitur à νίκη, quod est victoria, & λαός, quod est populus: inde Nicolaus, quasi victoria populi, & vitiorum; quia plura sunt & vilia, quod tamen rarum est valde in pueris, aut adolescentibus, quia dicit Isidorus in epistolari. In periculosis semper ipsa adolescentia cannis versatur; nunc enim fluctuando diuersimodè periclitatur, nunc tumultuando ad vanitates innumeras incitatur. Etymologia nominis Nicolai.

Ipse etiam B. Nicolaus ab omnibus Christi fidelibus præ omnibus aliis Confessoribus specialiter inuocatur, & non ab illis solum, sed etiam à perfidis Iudæis. Ideo refert Methodius Patriarcha. Quidam à Iudæo summam pecuniæ mutuatus: & cum non haberet fideiussorem, super altare sancti Nicolai iurauit, quod & ille consensit, tenente illo diu pecuniam, Iudæus eam postulauit. Sed iste affirmat se ei tradidisse. Trahit eum ad iudicium, & iudicialiter fecit ei iuramentum; veniens ego baculum auro impleuit, & iurando Iudæo tradidit, dicens; quod illi plus, quàm deberet reddidisset. Facto iuramento, baculum repetiit. Rediens autem in quodam biuio, somno oppressus corruit, quem currus cum impetu necauit, & baculum fregit & aurum effudit. Iudæus autem hoc audiens perterritus venit, & fraudem vidit. Cumque à multis suaderetur, vt aurum sumeret: noluit, nisi defunctus B. Nicolai meritis ad vitam rediret; asserens, se, si hoc fieret, baptismum suscepturum. Continuè qui defunctus fuerat suscitatur, & Iudæus baptizatur. Ipse enim etiam, B. Nicolaus subuenit suis famulis, & famulabus, tuendo eos à dæmonibus, & collocando in cœlestibus. Ideo canitur de eo; B. Nicolaus iam triumpho potitus, vouit suis famulis præbere cœlestia commoda. D. S. Nicolaus præ aliis confessoribus inuocatur.

Dicitur etiam B. Nicolaus nobilis, propter fallaciæ aut mendacij euitationem, mundiciæ conseruationem, auaritiæ detestationem. Solent enim boni nobiles esse veraces in verbis, iuxta illud Prouer. 17. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.* Item B. Nicolaus fuit verus in verbis; & potest de eo exponi illud 1. Reg. 9. *Est vir Dei in ciuitate hac nobilis, omne quod loquitur absq; ambiguitate venit.* Solent enim nobiles esse mundi, quia nobilia animalia in locis mundissimis commorantur, sed porci luto delectantur. Ideò legitur in gestis Philosophorum: Cum quidam immundus coram quodam Philosopho diceret, se libentius cum mulieribus, quàm cum Philosophis commorari. Ille respondit. Et sus libentius cœno gaudet, quàm fonte sereno. Et ratione illius B. Nicolaus seruauit munditiam, quia sciuit esse scriptum Prouer. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum, habebit amicum regem.* Solent etiam nobiles esse liberales, sicut refert Suetonius de Tito Imperatore, qui fuit ita liberalis, vt dixerit: Non oportet à conspectu Principis quemquã tristem abscedere. Ideò & de Alexandro legitur, qui cuidam petenti, vrbem dari præcepisset, & ille sibi non conuenire diceret: Respondit, non consi- S. Nicolaus cur nobilis dicatur.

 dero,

stero, quid deceat accipere, sed quid me deceat dare. Ita B. Nicolaus fuit liberalis auaritiam detestando, quia aurum liberaliter expendit indigenti. Hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM commendatur à gloriosa decessione. Circa quod NOTANDVM. Quando Dominus terræ proficiscitur in regionem, remotam, accipere ipsam in suum dominium, siue potestatem, glorisè solet incedere cum magno comitatu, præcedentibus cantoribus. & tibicinibus, vt homines regionis, siue incolæ eiusdem, videntes eius gloriosum aduentum, cum gaudio suscipiant, & honorent.

MYSTICE per hanc regionem longinquam intelligitur cœlestis regio, de qua B. Bernardus in sermone de spirituali sermocinatione. O regio sublimis, & plena deliciarum, ad te suspiro de valle lacrymarum. Perambula anima spiritualem regionem oculis desideriorum, & vide regem stipatum legionibus angelorum, sanctorum agminibus ornatum, superbos deponentem, & humiles exaltantem, & dic: Beati, qui habitant in domo tua Domine. Hæc Bernardus.

India maior ac opulentior, cæteris orbis regionibus.

Ista regio gaudiosa aliquam habet conuenientiam cum India regione, quæ inter omnes regiones orbis secundum Isidorum libro 15. est maior & opulentior multos habens reges ditissimos, quorum aliqui habent quatuor millia armatorum. Ibi sunt lapides pretiosi, berylli, carbunculi, adamantes & margaritæ. Ibi secundum Plinium in specul. natur. libr. 6. Sunt homines, qui nec dolore oculorum, nec dolore dentium, nec languoribus afficiuntur, nec ab immoderato calore solis eorum corpora læduntur, sed ab ortu diei vsque ad occasum stant in calidissimis arenis, & solem immobilibus oculis intuentur. O si hoc dicitur de terrena regione, multo magis de cœlesti, quæ est omnium maxima regionum. De hoc dicit Bernardus: quod regio cœlestis est tam magna, vt si omnes homines à primo homine vsque ad vltimum iustum saluarentur, adhuc quilibet pro sua parte maiorem locum obtineret, quàm est totus mundus. Quod cognoscens Propheta Baruch eiusdem. 3. *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius?* ibi secundum Isa. 32 *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Hæc regio cœlica est omnium opulentior, quia secundum Prophetam Psal. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Et in hac regione multi sunt reges, quia omnes electi & electæ sunt reges & reginæ. Ideo clamat ad ipsos deuotus Doctor Amandus in horologio sapientiæ, libr. 1. cap. 11. dicit. O vos cœlestes Principes, ô nobilissimi reges, ô Imperatores, ô filij Dei excelsi, diuinæ consortes naturæ.

Et quamuis ibi sunt omnes reges, & reginæ, tamen ibi præ omnibus rex Christus, *in cuius femore scriptum est, Rex regum, & Dominus dominantium,* Apocal. 19. Et reginarum regina virgo MARIA, quæ secundum Bonauenturam mirabiliter omnium spirituum mentes lætificat, & miro ac ineffabili gaudio omnem beatam creaturam inebriat.

B. Virgo Regina reginarum.

Quis cogitare poterit, quantum gaudium generat illa mater misericordiæ, regina pietatis, & clementiæ: Certè nullus excogitat homo. Ibi sunt lapides pretiosi, sicut canitur. *Vrbs Ierusalem beata.* Quia ibi sunt *Berylli* purissimi, hoc est angeli puri. Ibi sunt *Chrysoprasi*, sicut Patriarchæ & Prophetæ, secundum quod dicitur.

Beryllus. Chrysoprassus.

Chry-

Chrysoprasus tenebras prodit, & lucem celat. Sic Patriarchæ fuerunt in tenebris, & veniente luce defecerunt. Ibi sunt *Carbunculi*, id est, Apostoli, qui in tenebris lux erant peccatorum suis exemplis, & doctrinis. Ibi sunt *Adamantes*, sicut Martyres, qui nullo ferro persecutionum: nec igne tribulationum frangi potuerunt, sed solo sanguine IESV CHRISTI. Ibi sunt *Margaritæ* candidissimæ, virgines, quæ omnem cœlestem exornant regionem. Ideò dicit Amandus libr. 1. horol. Sap. c. 11. in persona Sapientiæ. Ibi sancti Apostoli amici mei præcipui, cum summo honore in iudiciaria resident potestate. Ibi confessores radiant igneo fulgore. Illic virgines micant niueo candore. Cui consonat Cyprianus libr. de mortalitate. Illic, inquit, Apostolorum chorus gloriosus. Illic Prophetarum exultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus. Illic triumphantes virgines, illic remunerat misericordes. Hæc Cyprianus.

Carbunculus.
Adamas.
Margarita.

In hac regione beatitudinis nullus est languor, nec vllus dolor, ibi nec capitis sentiemus dolorem, nec corporis quantumcunque languorem, quia *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quia priora abierunt*. Apocal. 21. Ideò dicit B. Augustinus in sermone de Natiuitate Christi. Ibi nulla erit tristitia, nullus labor, nullus dolor, nulla mors, sed perpetua sanitas perseuerat. Ibi non est æstus solis, sed omnes electi quotidie respiciunt in verum solem Christum, *in quem omnes angeli desiderant prospicere*. 1. Petr. 1.

Ad propositum B. Nicolaus abiit hodie per mortem pretiosam in illam regionem gloriosam; vt acciperet eam in suam potestatem. Ideò multum honorificè processit, præcedentibus Cantoribus, & hi fuerunt sancti Angeli, qui cum cœlesti harmonia animam in eandem cum laudibus deduxerunt, iuxta Isa. 55. *Montes & colles cantabunt coram eo laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu*. Per montes intelliguntur maiores angeli, vt Cherubin & Seraphin, per colles minores Angeli. Per ligna regionis, animæ sanctorum. De quibus dicitur in Psalm. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est*, in ascensu, & in processu animæ B. Nicolai: Montes & colles cantauerunt, & ligna regionis plauserunt, & omnes angeli maiores & minores, & omnes animæ sanctorum ei in occursum venientes, ipsum cum lætitia, & laudibus exceperunt.

B. Nicolai mors pretiosa.

Ideò legitur in legenda, dum in cœlum duceretur cœlestis cantilena, à terrestribus est audita, vt impleretur illud Isa. 24. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti*. In ista regione ipse nunc accepit regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. In quo *iusti in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum*. Sap. 5. Et hoc quantum ad secundum.

Quantum ad TERTIVM, commendatur B. Nicolaus à miraculosa reuersione, cum dicitur, *& reuertit*. Circa quod SCIENDVM. Rex terrestris, qui obtinet victoriam, regnum aliquod acquirendo, solet seruis suis, & militibus dona largiflua impartiri, vt eò fortius ad sibi seruiendum animentur. Et hoc legitur in historia Alexandri Magni, qui circumiens mundum, multa regna sibi subiugauit, & quoties regnum aut ciuitatem acquisiuit, toties militibus suis rapinam tribuit, & sic ipsos ad pugnandum

Alexandri Magni in suos milites liberalitas.

dum animauit. Et vt in eadem legitur historia, cum Darius rex Persarum audiret aduentum Alexandri, scripsit illi de multitudine Persarum, quod arenæ maris æquarentur, & quod tantum auri esset in Persia, vt solis vinceret claritatem. Quod audientes milites Alexandri tristati sunt. Quibus ille. Nolite contristari nimis verbis Epistolæ huius, an nescitis, quod canes multum latrantes nullum effectum faciunt. Credamus, quod hæc epistola dicit veritatem, sed opus est nobis fortuna, & strenuè pugnandum cum illis, & non inuacuum: quia diuitiæ illorum compellunt nos pugnare.

Mystice per Alexandrum intelligere possumus B. Nicolaum. Rectè enim sicut Alexander pugnauit contra hostes suos sine terrore, quasi leo, qui non deuiat. Ita B. Nicolaus contra tres hostes pugnauit, mundum, carnem, diabolum, ipsosque absque omni terrore superauit. Ita vt de ipso exponi possit illud Prouerb. 28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit*. Et propter hanc victoriam obtinuit regnum. De quo canitur. *O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti, amicti stolis albis, & sequuntur agnum quocunque ierit*. Idcirco more Alexandri donat suis famulis non aurum, vel argentum, sed cœleste præmium, secundum quod canitur de ipso, B. Nicolaus iam triumpho potitus, voluit suis famulis præbere cœlestia commoda, qui toto corde poscunt eius petitiones. Quamuis enim regnet in hoc regno glorioso, tamen reuertitur ad suos famulos per operationem miraculosam, eis de seruitio suo faciendo recompensam.

Nicolaus pugnat contra hostes spirituales.

Ideo refert Methodius & Ioannes supradicti, quod quidam vir præ amore filij sui ad literas adipiscendum, festum sancti Nicolai solenniter annuatim celebrauit. Quadam enim vice conuiuium præparans multos clericos inuitauit. Venit igitur diabolus in statu vel habitu peregrini, eleemosynam sibi dari petiit, quod audiens pater filium misit, vt ei eleemosynam portaret. Iuit puer, sed peregrinum non inueniens, insequitur abeuntem, cumque ad quendam vicum peruenisset, apprehendens diabolus puerum strangulauit. Quod audiens pater, vehementer ingemuit, corpus tulit, & in thalamo collocauit, cœpit præ dolore, ac præ amore dicere: Fili dulcissime, quomodo est nobis? O sancte Nicolae, hæccine est merces laboris, & honoris, quem tibi diu exhibui? Et cum hæc, & alia similia dixisset; statim puer quasi de somno euigilans, oculos aperuit, & surrexit: Ecce quomodo remunerat suos seruitores. Et hoc quo ad tertium.

Dæmon strangulat puerum.

DE EODEM FESTO.

Sermo tertius.

Puer ingeniosus eram, & sortitus sum animam bonam, Sap. 8.



ARistoteles lib. 9. animalium dicit, quod aliqui pulli aquilæ adhuc iuuenes existentes limpidè solem intuentur, & nec oculi eorum lacrymantur, quod secundum eundem, & sanctum Ambrosium in Hexameron. Aquila ipsa ipsos iuuenes in vnguem suspensos radiis obiicit solis, vt sic consuescant in iuuentute solem intueri.

Mora-

MORALITER per pullos aquilæ possunt intelligi adolescentuli. Hi dicuntur in iuuentute habere respectum ad Christum verum solem iustitiæ, & vanitates mundi dimittere, quia *bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua,* Thren. 3. & habetur, 12. q. 1. c. Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est: secundum Augustinum. Ideo debent parentes more aquilæ pueros suos instruere. Et quomodo sint instruendi, docet Doctor Ægidius Romanus in libro de Regimine Principum dicens.

B. Iuuentus quomodo instituenda.

Quod à *primo* septennio instruant eos verba, scilicet bona loqui, & non turpia, quia iuuenilis ætas ad hoc inclinatur. Et vt indicent eis, vt relinquant mendacium, & adhæreant veritati, quæ est laudabilis, secundum Aristotelem 4. Ethicorum, quia dicit Poëta.

Quod noua testa capit, inueterata sapit.

In *secundo* autem septennio instruere debent illos in aliquibus artibus secundum doctrinam Catonis.

Cum tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Ne videant aut loquantur turpia.

Et in hoc septennio, sicut in primo, ne videant turpia, sunt cohibendi, quia sicut non decet eos turpia loqui, sic nec videre. Rationem ponit Aristoteles 7. Politic. Omnia prima amamus magis. Et sic quæ primo inspiciuntur, cum maiori admiratione inspiciuntur. Et hoc magis memoriæ retinent. Sed tunc à *decimoquarto* anno, cum perfectum habent vsum rationis, docendi sunt, quomodo sint prudentes, & Deo seruiant. Quia *adolescens, qui iuxta viam suam graditur, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Prouerb. 22. Talis bonus pullus siue puer fuit B. Nicolaus, quia primo die cum balnearetur, erectus stetit in pelui, in signum quod plus ad cœlestia esset inclinatus, quàm ad terrena: & cum attigisset annos discretionis, vitans lasciuias ad ecclesias properauit. Ideo figuratus fuit per Tobiam, de quo legitur Tob. 1. *Cum esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Et cum omnes irent ad vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam, rex Israel, ipse solus fugiebat consortia, & pergebat in Ierusalem ad templum, ibi adorans dominum.* Hæc & his similia seruabat puerulus valde mature. Ita fecit puerulus Nicolaus, ideo dicit: *Puer ingeniosus eram*, in quibus à duobus commendatur. *Primò*, laudatur à naturæ excellentia, ibi; *Puer ingeniosus. Secundo*, laudatur à grandi influentia, ibi; *Et sortitus sum animam bonam.*

Deo seruire addiscant.

Flores nuntii sunt fructuum.

Circa PRIMVM est sciendum, quod dicunt naturales, & videmus, quod arbores, quæ debent fructus producere, oportet primum flores emittere, & nisi florem prius emiserint, absque fructu erunt, quia flores sunt nuntij, quod fructus inde sunt peruenturi. Sic est de hominibus, qui comparantur arboribus, hi si in iuuentute non habent flores bonorum operum, nec in senio habebunt fructus eius, teste Cypriano in lib. de 12. abusionibus, qui sic inquit.

C

Fructus non reperitur in arbore, in qua flos prius non apparuit. Sic nec in senio honorem consequi potest, si in adolescentia sua alicui disciplinæ non incubuit. Quia dicit Sallustius in Iugurtino: Qualis quis in iuuentute cernitur, talis fructus in senectute perhibetur. Et hoc intelligendum est, vt frequenter, quia eius oppositum in scripturis inuenimus. Salomon enim in iuuentute fuit bonus diligens Dominum, & ambulans in præceptis patris sui, *& petiit sapientiam à Deo ad regendum populum suum,*

vt habetur 3. Reg. 3. *Sed cum senuisset, deprauatum est cor eius, & adamauit alienigenas mulieres, quarum amore idola adorabat*, 3. Reg. 5. Econtra autem Manasses in adolescentia fuit in conspectu Domini colens idola, & adorans ea, *tantum effudit sanguinem innoxium* Prophetarum, *donec implerentur Ierusalem* plateæ *vsque ad os*. 4. Reg. 21. In senio autem factus est bonus confitens peccata sua. *Peccaui*, inquit, *super numerum arenæ maris*, vt habetur 2. Paralip. 33. & in oratione Manassæ. Sic non fuit de benedicto puero sancto Nicolao, sed in iuuentute studuit floridis virtutibus exornari. & vsque ad finem voluit perseuerare, ita vt dicere audeat: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam in senectute*. Pro quo vlterius est NOTANDVM, quod in pueris sunt octo signa futuræ probitatis, quæ omnia habuit in se B. Nicolaus.

Signũ probitatis.

D

I.

Puritas mẽtis & corporis.

PRIMVM est puritas mentis & corporis, quam si puer habuerit, dignus est honore. Ideò dicit Lactantius in libro de falsa iustitia. Tunc adolescentis perpendis veraciter dignitatem, si in facie venustatem, & in mente prætulerit puritatem. Hanc dignitatem B. Nicolaus habuit, quia omnem carnalem delectationem repressit, & virginalem integritatem perfectissimè conseruauit, quia à consortio fœminarum studiosissimè declinauit. Ideò dicere potest illud Iob. 3. *Mundam seruaui animam meam, ab omni concupiscentia*, scilicet carnali. Ideò ipse figuratus est per Ioseph, qui operi nefario, ad *quod instigauit eum vxor Putipharis* noluit consentire, Genes. 39. Ipse est verus Samuel, qui erat puer bonæ indolis, *& in templo Domini in ephod lineo*, hoc est, in veste munda iugiter ministrabat, 1. Reg. 2. Sed prô dolor in tali veste puritatis, nostri iuuenes Deo non modo non ministrant, sed quod magis & dolendum, impuritati luxuriæ vacant, & seruiunt. Ideò vitam suam abbreuiant, secundum quod testatur Lexus in Physiognomia Palemonis. Adolescentes luxuriosi, & incontinentes, sunt breuis vitæ, sed pudici naturaliter diu viuunt. Et hoc patet de sancto Nicolao, qui fuit pudicus, continens, quare ad perfectam peruenit ætatem. Fuit enim non solùm purus corpore, sed & mente, quia spreuit diuitias mundi, quæ mentem hominis impuritant, & peccatis maculant secundum illud Eccles. 11. *Si fueris diues, non eris immunis à delicto*. Ideò in hoc similis est Paulo Apostolo, qui dicit ad Philip. 3. *Omnia arbitror, vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, immò habeam illum in præmium. Spreuit etiam B. Nicolaus gloriam mundanam, secundum quod canitur. Gloriam mundi spreuit cum suis oblectationibus. Et in hoc assimilatur aliis Apostolis, qui gloriam mundi, & omnia alia spreuerunt. Ideò Petrus in persona eorum dicit Matth. 19. *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*. Ideò *sedebit cum eis, & duodecim, tribus Israel iudicabit*.

II.

Honesta agilitas.

SECVNDVM signum probitatis in puero est honesta agilitas, de qua dicit Seneca: Iuuenis ad honesta agilis, signum est futuræ probitatis. Hanc B. Nicolaus habuit; quia in pueritia Ecclesias frequentauit. Similis in isto B. Petro, & Ioanni, *qui ascenderunt in templum ad horam orationis nonam*. Acto. 3. In hoc debemus ipsum imitare, quia frequentatio Ecclesiarum est euasio tribulationum corporalium, & spiritualium, quod patet Num. 16. vbi legitur, quandocunque *tribulatio oriebatur, Moyses & Aaron in tabernaculum currebant* tanquam viri Dei, & ad Dominum sanctum deuota oratione clamabant, nobis in exemplum, vt quilibet nostrum in tribulationibus nostris ad Dominum clamet.

Sed

Sed nonnulli, qui valdè pigri sunt ad Ecclesias frequentandas, imò quod plus est, diebus Dominicis, quando ex præcepto ibidem debent esse, se absentant, & negotia sua expediunt, cum tamen mandatum est in Canone in c. Missas. de consecrat. distinct. 1. vbi dicitur. Missas totas die Dominico secularibus præcipimus ita, vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat, quod si fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Glos. imò grauiter corripiatur, vel excommunicetur. Ex isto Canone elicitur, quod non visitans Ecclesias saltem die Dominico, audiendo totam missam, sed omittendo hoc ex mala consuetudine peccat mortaliter, cum nullus debeat excommunicari, nisi pro peccato mortali, vt habetur 11. q. 1. c. Nullus. Pœna in negligentes Missam integram audire diebus Dominicis.

TERTIVM signum probitatis est mansuetudo, seu mititas. Eccl. 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Mansuetudo est culcitra nobilissima in lecto conscientiæ, in quo anima cum Deo quiescit. Hanc habuit B. Nicolaus, qui à iuuentute sua fuit mitis, & mansuetus. Ideò ab omnibus est dilectus, secundum quod canitur. B. Nicolaus Pontificialibus insulis decoratus, talem se exhibuit: vt ab omnibus amaretur, significatur per Moysen, qui *fuit vir mitissimus*. Num. 12. *III.* Mansuetudo, quæ est culcitra cōscientiæ.

QVARTVM signum est sobrietas, quæ expedit pueris. Ideò dicit Apostolus ad Titum 2. *Iuuenes similiter hortare, vt sobrii sint.* Sic & B. Nicolaus cum adhuc ratione non vteretur, Spiritu sancto docente, Quarta, & Sexta Feria ieiunauit. Et hoc ideo, vt assuesceret portare iugum Domini. Quare secundum Senecam: Melius retinentur, quæ teneris ætatibus imprimuntur. Hanc virtutem etiam amare, & tenere debemus, quæ secundum Bernardum non solum est absolutio peccatorum, sed extirpatio vitiorum non solum obtinet veniam, sed meretur gloriam; non solum delet peccata præterita, quæ commisimus, sed repellit futura, quæcunque admittere poterimus. Hæc ille. *IV.* Sobrietas. Sobrietas quare amanda.

QVINTVM est verecundia, quæ tantum conuenit iuuenibus, quia Aristoteles 4. Ethic. Verecundia non conuenit omni ætati, nisi iuuenili; *Et subdit*; Iuuenem verecundum laudamus; senem verò timidum nullus laudabit. Et dicit Boëtius, Senem veritas, & iuuenem verecundia vtrumque benè decorat. Hanc B. Nicolaus habuit non in se tantum, sed in aliis: nam verecundiam Nicolaus conuicanei sui portauit in corde suo, ei in auro subueniendo, & virginum infamiam releuando. Ideò canitur de ipso. Pudore bono repletus Dei famulus, sumptibus datis, stupri nefas prohibuit. *V.* Verecūdia. Senem veritas, iuuenē verecundia decorat.

SEXTVM est obedientia, quàm consuluit Apostolus ad Ephes. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est.* Et dicit Glossa, quod debent obedire in licitis, & honestis. Et hoc elucidat Thom. de Aquino in quodlibeto suo dicens. Filij de necessitate tenentur parentibus obedire in duobus. *Primò*, in conuersatione domestica, vt si parentes miserint eos esse in aliquibus locis, sollicitos debent, adimplere. *Secundo*, in his, quæ tangunt morem disciplinæ: quia in instructione morum tenentur, quod est signum futuræ probitatis. *VI.* Obediētia. Filii tenentur obedire parentibus. 1. 2.

Et posset quis dicere. Quid est obedientia? *Respondetur*, Propriæ voluntatis abnegatio, & diuinæ voluntatis applicatio. Hanc habuit B. Nicolaus, qui cum audiret à Domino in Euangelio. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet*, &c. statim S. Nicolaus defunctis pa

rentibus bona sua distribuit.

Epiphanio patre, & Ioanna matre defunctis cœpit cogitare, qualiter diuitias expenderet ad honorem Dei. Etiam in signum futuræ obedientiæ prima die natiuitatis suæ, cum balnearetur, instinctu Spiritus sancti stetit erectus in pelui, tanquam paratus ad obediendum præceptis Dei.

VII. Dolor de parentum iniuria.

SEPTIMUM signum, si dolet de iniuria parentum, secundum quod dicit Tullius, Signum honestatis est lacryma in oculis, ad iniuriam factam parentibus suis. Hanc habuit B. Nicolaus, quia cum videret, quod iniuria irrogaretur Deo in membris suis, scilicet tribus iuuenibus ipsos liberauit.

Refert etiam Ioannes Diaconus. Quidam vir diues meritis sancti Nicolai, filium habuit, quem à Deo datum vouit Nicolao sancto Dei. Hic in domo sua capellam construens, omni anno festum eius celebrabat solenniter, & locus ille situs erat apud terram Agarenorum, ideò filius ab eis capitur, & in seruitutem regis eorum deputatur. Sequenti anno dum pater eius festum celebraret, & puer scyphum pretiosum tenens, regi ministraret, recoluit suam captiuitatem, parentum dolorem, & gaudia, quæ ea die in domo sua fiebant, cœpit altius suspirare, quorum suspiriorum causam cum Rex extorsisset, dixit. Quicquid tuus Nicolaus agat, tu hic nobiscum manebis. Hanc iniuriam noluit sustinere B. Nicolaus, sed subitò quasi ventus vehemens domum concussit, & puer cum scypho rapitur, & ante fores Ecclesiæ, vbi parentes agebant solennia, collocatur, propter quod magnum gaudium singulis generabatur.

VIII. Naturalis dilectio.

OCTAVUM signum futuræ probitatis est, si iuuenis à parentibus existens longè, angitur, quod est signũ naturalis dilectionis. Sic B. Nicolaus sciens se longè esse à Deo in regione dissimilitudinis, angebatur cum Psal. 119. dicens. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Ideò de hac anxietate hodie est liberatus, & cœli ciuibus associatus, sicut patet in Legenda.

Quodam verò tempore tota prouincia S. Nicolai fame laborabat vehementi, ita vt omnibus deficerent alimenta. Audiens autem vir Dei Nicolaus naues onustas tritico ad portum applicasse, illuc statim proficiscitur, rogans nautas, vt saltem centum modis per quamlibet nauem fame periclitantibus subuenirent. Cui illi. Non audemus Pater; quia mensuratum Alexandriæ, oportet in horrea Imperatoris nos reddere. Quibus Sanctus dixit. Facite nunc quod dico, & vobis in Dei virtute promitto, quod nullam minorationem habebitis apud Regium exactorem. Quod cum fecissent, & eandem mensuram, quam Alexandriæ acceperant, reddidissent, ministris Imperatoris miraculum referunt, & Deum in suo famulo magnifica laude extollunt. Frumentum autem secundum vniuscuiusque indigentiam vir Dei distribuit, ita vt miraculosè duobus annis non tantum ad victum sufficeret, sed etiam ad vsum seminis abundaret.

PRÆ-

PRÆMONITIO AD LECTOREM, IN TRES SEQVENTES SERMONES DE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ CONCEPTIONE.

SIxtus Papa IV. constitutione in perpetuum valitura statuit, ut omnes & singuli Christi fideles utriusq; sexus, qui Missam & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ iuxta piam ordinationem Magistri Leonhardi de Nogarolis Clerici Veronensis, quæ desuper ab eodem Sixto emanauit, Missæ, & officii huiusmodi institutionum, in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta fælicis recordationis Vrbani IV. à Concilio Viennensi approbatã, ac Martini Quinti, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum suorum constitutiones consequuntur illi, qui Missam, & horas Canonicas in festo Corporis, & sanguinis Domini Iesu Christi à primis vesperis, & per illius octauas iuxta Romanæ Ecclesiæ constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ officio, & horis huiusmodi intersunt, præsentibus perpetuis temporibus valituris.

Idem, *Sixtus Papa IV. constituit, ut nec affirmantes, nec negantes B. Virginem sine originali peccato conceptam fuisse, hæreseos, vel peccati mortalis dãnarentur; idq; Concilium Tridentinum Sess. 5. de peccato originali & Pius V. in quadam sua constitutione confirmarunt. Ceterùm doctrina dicentium, B. Virginem cum peccato originali fuisse conceptam, pietati ædificationiq; populi, minus videtur profutura. Quare quæ per tres sequentes sermones à Meffreth in hanc sententiam dicuntur, non sunt pro concione rudibus proponenda, sed Doctorum disputationi relinquenda: præsertim cum ex iis quædam admodum incerta, & falso quàm vero propiora sint.*

DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

Sermo Primus.


Onceptus hodiernus Mariæ semper Virginis næuum tergit, soluit vetustatem originis, mœstis reddit lætitiam, dat criminosis veniam. Ita canitur in officio hodierno. Ad experientiam hoc scimus, quando aliqua Domina nobilis mundi diu sterilis esset, & hæredem non haberet, ipsa & tota familia tristaretur. Si autem post longam sterilitatem conciperet: lætitiam faceret vniuersalem. Quia refert Hieronymus Angelum dixisse ad Ioachimum. Crede dilatos diu conceptus, steriles partus mirabiliores esse solere. Ideò legitur Genes. 21. quod Sara nobilis domina vxor Abrahæ Patriarchæ vsque ad nonagesimum annum sterilitatis pertulit opprobrium, quod non modicè tristabatur. Postquam autem Dominus ipsam visitasset & Isaac concepisset, dixit: *Risum fecit mihi Dominus,* secundum Glossam, materiam exultationis. *Et quicunque audierit corridebit mihi,* hoc est, congaudebit de Dei bonitate.

Ad propositum. Felix domina Anna mater Dominæ nostræ nobilissimæ diu fuit sterilis, quia secundum Hieronymum & Vincentium in speculo Historico, lib. 7. Vinginti annis cum viro suo Ioachim in coniugio sedit, & prolem habere non potuit, propter quod non modicum mœsti erant, rogantes DOMINVM, vt eis sobolem largiretur; quorum preces exaudiens annuit, vt Anna conciperet prolem benedictam. Quare ad lætandum incitat ipsam per Prophetam Zachariam. capit. 2. *Lauda & lætare, filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui.* Filia Sion est beata Anna Mater MARIÆ, quæ meritò laudare debet DOMINVM, & lætari in tanto prolis conceptu. Sed medium, in quo se dicit habitaturum secundum Iordanum est beata Virgo MARIA, in eius vtero concepta, de qua prædixit Propheta, Psalm. 73. *Operatus est salutem in medio terræ,* hoc est in beata Virgine, quæ fuit medium terræ, id est, beatæ Annæ, quæ dicitur propter fœcunditatem terra: cum fuisset sterilis naturaliter, miraculosè fuit fœcunda. MARIA autem dicitur medium hoc propter influentiam plenitudinis gratiarum, quia sicut ad medium vallis omnis pluuia se infundit, sic post sanctificationem in MARIAM statim descendit plenitudo gratiarum teste Augustino in lib. de natura & gratia. Cæteris inquit, sanctis per partes est gratia data, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo. Ideò in instanti sanctificationis angelus ad eius custodiam deputatus, dicere potuisset ad eam Luc. 1. *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.*

De hoc nobilissimæ naturæ medio benè hortatur lætari beata Anna, & non solùm ipsa immò tota cœlestis curia, & verius humanitas fragilis, quæ hodie soluta est à vinculis dæmonum, & materiam accepit gaudiorum, secundum quod canunt verba præfata. Conceptus hodiernus Mariæ, In quibus, inquam, verbis B. Virgo à duobus commendatur. *Primò,* à conceptione gloriosa, ibi: *Conceptus hodiernus. Secundo,* commendatur à subuentione operosa, cum dicitur: *Næuum tergit.*

Circa PRIMVM est NOTANDVM, quod aurifaber, qui vult aliquod clinodium pulchrum, pro retentione alicuius nobilissimæ rei facere, longè ante præconcipit in mente, qualiter illud vult disponere. Deinde fundit materiam, seu alias coadunat pro tali clinodio faciendo. Postea facit sibi formam longam vel latam. Deinde aurum exornat subtiliter, vt sic aspectibus hominum placeat, & pro pretiosa habeatur. MYSTICE omnipotens Deus est aurifaber optimus, à quo omnes alii scientias

entias acceperunt, secundùm illud Apost. 1. Cor. 4. *Quid*, inquit, *habes, quod non accepisti?* quasi diceret, nihil. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ipse est, qui secundum Psalm. 73. *Fabricatus est auroram & solem.*

A Hic inquam voluit facere nobile clinodium, & pulchrum, Virginem Mariam, in qua seruaretur nobilissimum corpus filii sui DOMINI nostri IESV CHRISTI; quod secundùm beatum Bernardum Peregrinantibus est dieta, ægrotis medicina, quod debiles confortat, valentes delectat, languores sanat, sanitatem conseruat. Idcirco longè antè præconcepit hoc in mente sua diuina, scilicet ab æterno qualiter eam pulchram faceret, & hæc dicitur præceptio æterna, de qua gloriatur ipsa benedicta, Prouerbior. 8. dicens. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio, &c.* Et sequitur. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Deinde iste perfectissimus aurifaber fudit materiam pro hoc clinodio faciendo, quando Ioachim, & Anna mater Virginis matrimonialiter & castissimè conuenerunt, non ex voluptate carnis, cum fuerint ambo senes, sed ex præcepto Dei.

Refert enim Hieronymus, Cum Ioachim in festo Encæniorum in Ierusalem cum contribulibus suis ascendit: & cum illis oblationem suam super altare posuisset, sed Isachar pontifex cum nimia indignatione eum repulit. Quare ille confusus, præ pudore domum ire noluit, sed ad pastores suos iuit. Cui post aliquot dies apparuit angelus dicens, preces eius esse exauditas, addensq; quod vxor eius paritura esset ei filiam, cuius nomen vocaret MARIAM. Ideò ex mandato angeli transiuit ad auream portam; & inuenit Annam ibidem stantem, & sic adorato Domino in templo, domum redierunt, & Anna non longè post concepit. Et hæc fuit conceptio seminis. Postea verò ex illa massa fecit formam humanam, & hoc infra triginta quinque dies in quibus communiter fœtus fœminei formantur ad speciem hominis, sicut dicunt naturales. Et hæc fuit conceptio hominis. Demum hoc nobilissimum clinodium ornauit auro puro suæ gratiæ, quando ei gratiam Spiritus sancti infudit, & in vtero sanctificauit, & hæc dicitur conceptio flaminis.

B De tribus primis conceptionibus scilicet æterna, seminis, & hominis, hoc festum non celebratur. Quod non de secunda, quia in illa nec contrahitur culpa, nec infunditur gratia; quia illa massa est animata, sola autem anima est capax culpæ & gratiæ. In tertia contrahitur originale peccatum, & hoc infusione animæ, licet enim in illa massa non sit culpa, nec in se anima sit maculosa, quia secundum Augustinum creando infunditur, & infundendo creatur, scilicet pura, & immaculata.

Est tamen in illa massa continuè morbida infectio, propter quam mox cum infunditur anima contrahit originale peccatum. Et Doctores ponunt exemplum familiare in lapide calcis, qui in se formaliter non est calidus, si tñ perfunditur aqua, quæ secundum se est frigida, resultat tunc ibi calor secundum dispositionem præexistentē in lapide. Sic est hic in quarta conceptione, Infunditur gratia habitualis, quando aliquis in vtero sanctificatur. Et ad hanc conceptionē virginis est intētio Ecclesiæ Hoc festum celebrantis. Ideò dicit Iordan⁹ in suis Postillis, ꝙ celebrantem hoc festum oportet dirigere intentionem ad conceptionē Spirit⁹, quo beata virgo in vtero

sancti-

sanctificata fuit, & non ad primam scilicet seminis, quæ fœda extitit, nec ad secundam, quia in illa contraxit Maria maculam secundum sanctos Doctores, sicut patet in sermonibus sequentibus. Et quamuis in ista conceptione traxit peccatum originale, tamen statim, etsi non in primo instanti propter naturæ repugnantiam, tamen subitò postea est sanctificata, & purgata, & hoc tricesimaquinta die post conceptionem seminis. Sed tamen voluit Maria illa die hoc festum celebrari potius quàm tricesima quinta, propter tres rationes. *Primò*, propter parentum suorum piam commemorationem, de quibus nulla memoria in Ecclesia agitur, saltem ad patrem referendo. *Secundo*, propter suæ miraculosæ conceptionis venerationem, quia ex senibus, & sterilibus parentibus concepta fuit. *Tertiò* propter matrimonialis concubitus excusationem. Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM commendatur virgo benedicta à subuentione operosa, cum dicitur *neuum*, id est peccatum *tergit nexum, soluit*. Circa quod NOTANDVM, quòd miles seruiens fideliter alicui Reginæ temporali, hoc seruitium vtique non dimittit irremuneratum: Sed si viderit ipsum in angustiis, liberat eum. Et si coram rege excesserit delinquendo, cum precibus reconciliat, & soluit vinctum.

C Ideò legitur in historiis Alexandri Magni, quòd quodam tempore venit quidam nomine Candalis filius Reginæ Candacis ad exercitum regis Alexandri, conquerens vxorem sibi ablatam à rege Ebrixarum propter suam pulchritudinem. Alexander autem in persona cuiusdam militis nocte iuit, & in ciuitatem in qua vxor eius fuit ascendit, & ipsam liberando viro suo tradidit. Ad quem ille. Rogo te veni mecum ad matrem meam, quatenus reddat tibi digna meritis tuis. Gaudens Alexander iuit cum illo ad reginam quasi ignotus. Illa autem apprehendens manum eius in cubiculum duxit, quod erat constructum ex lapidibus aureum colorem habentibus, & lucebat intus quasi sol. Miratus Alexander dixit. Ista admiratione digna essent, si apud Græcos fuissent. Irata regina veritate, dixit; Alexander. Qui audiens nomen suum expauit. Cui illa. Quare mutata est facies, quia vocaui te Alexander? Et ille. Domina, Antigonus dicor non Alexander. Ostendam tibi, ait illa, quod Alexander es, & introducens eum in cubiculum, monstrans ei imaginem suam dicens. Agnoscis illam imaginem? Ille cœpit tremere & palescere. At illa dixit. Cur mutatus est color tuus, & pauescis destructor totius Persiæ, & Indiæ? Superasti Indos, & Persas, modo sine militibus, & sine conflictu cecidisti in manum reginæ Candacis. Veruntamen non contristeris, nam seruitium in hoc mihi exhibuisti, quod vxorem filii mei de inimicis meis liberasti, Et ego te liberabo de manibus Barbarorum, quibus si notum esset de te, occiderent te, sicut tu occidisti Thorum regem Indorum. Et sic indulsit illi hoc peccatum, & vinctum liberauit, mœstumq; consolata est. Etenim eum liberè abire fecit, dans ei dona regalia, scilicet coronam de lapide adamante, & chlamidem stellatam.

MYSTICE per reginam Candacem intellige virginem MARIAM, quæ est *candor lucis, & speculum sine macula*. Sapientiæ septimo. Hæc enim candidissima regina suos deuotos famulos famulasque nunquam dimittit irrenumeratos, teste Bernardo in Epistola quadam. Si MARIÆ deuotus fueris, velis nolis expers nequaquam poteris esse eius gratiæ, & muneris & fauoris, & præcipuè remunerat illos, qui colunt festum eius Conceptionis, & diem. De quo dicit deuotus Doctor Ansel-

Anselmus in homilia hodierna. O quanta ista dies, qua nostræ reparatricis anima dignè creatur, & sanctificatur, seu consecratur, & sanctissimo corpori vnitur. Reuera non est verus amator Virginis, qui respuit colore diem eius conceptionis. Hæc Anselmus. Sed ille verè amat ipsam, qui nunc celebrat diem istam. Et ex quo amor est receptiuus, ideo diligit diligentes se, secundum illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo, & facio eis recompensam.*

PRIMÒ enim celebrantibus hunc diem conceptionis suæ impetrat deletionem peccatorum: & hoc tangitur in verbis præmissis. *Conceptus hodiernus MARIÆ semper Virginis nexum soluit.* Rectè sicut ipsa hodie in sua conceptione à peccatis originalibus est mundata & à Deo sanctificata, secundum illud Prophetæ Psalm. quadragesimoquinto. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, ita & ipsa hunc diem seruantibus, & colentibus, impetrat mundiciam peccatorum, sicut hoc primitus ostendi in exemplo. D

Legitur, quòd Canonicus in pago Gallico, cum vxore cuiusdam adulteratus est, ad oppidum redire volens suum, transeundo Sequanam solus nauem ingressus est, horas gloriosæ Virginis canere incepit. Cumq; in medio fluminis Inuitatorium *Aue Maria* diceret, subitò turba dæmonum nauem subuertit, & animam eius ad tormenta deduxit. Die autem tertia Virgo MARIA dæmonibus apparuit, & eis dixit. Vt quid mei familiaris animam iniustè affligitis? Ad quam dæmones. Eam debemus habere, quia capta est in nostro opere. Et MARIA. Si, inquit illius debet esse, cuius opera faciebat, ergò mea est, quoniam matutinas meas cum eum peremistis decantabat. Quibus dictis, dæmonibus hinc inde fugientibus, Beatissima Virgo peccatum abstersit, pro quo æternaliter damnatus fuisset, & ad corpus animam detulit, & ipsum de profundo fluminis, in quo mersus fuit, deduxit, qui statim pedibus eius prostratus dixit. O Virgo pijssima, quid tibi pro tantis beneficiis retribuam. Ad quem illa. Precor te, inquit ne amplius in reatum adulterii cadas, & Conceptionis meæ diam Sexto Idus Decembris iugiter celebres, & ad celebrandum denunties. Quo dicto, ipso vidente ad cœlum ascendit. Ille autem vitam eremiticam ducens, quid sibi acciderit, cunctis audientibus enarrauit, & quamdiu vixit hunc diem celebrauit, & ad celebrandum aliis prædicauit. E

SECVNDÒ festum hunc diem agentibus, spiritualium procurat solutionem vinculorum. Diabolus enim facit, sicut araneus, qui componit rete ad muscas capiendas, sic ipse reti peccatorum, scilicet, superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ capit (heu) totum mundum. Quia *omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Prima Ioan. secundo.

Si ergò quis benè seruierit Virgini beatæ, ab his nexibus eum absoluit, & præcipuè in hac festiuitate. Ideò dictum fuit nexum soluit conceptus hodiernus. Et sic soluit quendam adolescentem à nexu matrimonii, in quo sunt variæ solicitudines, & tribulationes secundum Apostolum, prima Corinth. septimo. Ideò legitur, quod tempore Caroli Magni regis Francorum quidam clericus, Vngariæ regis germanus, beatam Virginem diligens, cum parentum consilio nubere volens, quadam die nuptiali benedictione accepta, cum recordatus fuisset, quod horas Beatæ Virginis iuxta morem solitum non cantasset, sponsam domum cum cæteris mittens, F

ipse solus in Ecclesia permansit. Cum illam antiphonam: Pulchra es amica, & decora filia Ierusalem diceret, subitò Beata Virgo Deigenitrix apparuit dicens; si ego sum pulchra, & decora, quid ergò est, quod me dimittis, & aliam sponsam accipis? Cui ille. O Domina quid vis vt faciam? At illa. Si sponsam tuam carnalem amore mei dimiseris, & Conceptionis meæ diem sexto Idus Decembris celebraueris, me in cœlesti regno sponsam habebis, & cum vnigenito meo cum gloria laureatus eris; Quibus auditis, clericus ad quandam Abbatiam extra patriam pergens, monachi habitu decoratus est. Et post modicum temporis Episcopus Aquilegiæ factus, festum conceptionis quamdiu vixit celebrauit, & celebrandum cunctis in sua diœcesi instanter prædicauit.

Tertiò celebrantibus hunc diem dat occasionem gaudiorum, rectè sicut ab originalibus liberata, occasionem accipit gaudij. Sic illis, qui hoc festum hodie recolunt, subuenit in omnibus necessitatibus, pellendo mœstitiam & donando lætitiam. Et hoc tangitur in verbis præassumptis: Conceptus hodiernus Beatæ semper Virginis mœstis reddit lætitiam, & præcipuè imminente morte, vbi maior est mœstitia. Ideo dicit Haymo super Apocal. O quam gaudens est eius obitus, qui Mariæ dum viueret sedulus fuit & deuotus.

Refert enim Anselmus Cantuariensium Archiepiscopus. Eo tempore, quo Gulielmus Normannorum potentissimus, prostrato rege Anglorum Carolo, & ipsos Anglos bello strenuo fecerat subditos, fuit quidam Helsinus abbas in Remensi Cœnobio, qui Domino nostro Iesu Christo, & eius genitrici sedulò studiosissimè seruiebat, Contigit quod rex Dacorum audita Caroli morte ad Angliam properauit, vt eam suo Dominio subiugaret, quia hæreditario iure ad Dacos spectabat. Gulielmus hoc audito, ad defensionem se præparauit. Initio autem consilio, vt prudentissimus, cum optimatibus suis, prædictum abbatem Helsinum in Daciam misit, vt eorum in Angliam aduentum prout posset, auerteret. Præparata igitur classe, prospero vento flante, in Daciam venit, regis aspectui se præsentauit, ac salutauit, & iumenta obtulit ex parte Gulielmi noui regis Anglorum, omnia, vt sibi iussum fuerat, impleuit. Impletis autem omnibus strenuè, ꝑpter quæ conuenerat, proceres terræ illius muneribus, & promissionibus placuit, in Angliam regredi voluit. Sed rex Daciæ illum non paruo tempore retinuit: transacto tempore non modico, rex illum regredi permisit. Qui mox cum sociis suis in nauem conscendit.

Dum igitur per altum maris pergerent, contrarius eis ventus surrexit, & mare funditus commouit, omnesque, qui erant in naui formidine repleuit. Nautæ nimium perterriti preces cum lacrymis domino fundunt, & se grauiter deliquisse, gemunt miserabiliter: In tanto enim discrimine positi pericula maiora incurrunt. O Deus misericordissime digneris nos inspicere mersos pro nostro crimine, respice nos dulcissime de sede tuæ gloriæ, visites iam nos positos extremo in articulo, adsit tua benignitas, adsit tua bonitas.

Succurre nobis miseris pietas ineffabilis, ne nos absorbeat interitus nunc pro nostris criminibus. Parce nunc confitentibus, miserè gementibus & verè pœnitentibus. O sancta Maria mater Domini exora pro nobis miseris, tuo filio Domina commenda nostra flumina.

Nam

Nam mari sunt tradita nostra misera corpora tuus filius Dominus noster nostras animas in requiem suscipiat; Cumque sic desperantes clamauerunt, quendam Pontificalibus vestimentis ornatum iuxta nauem assistere viderunt, qui Helsinum proprio nomine appellans, hæc ei retulit. O Helsine surge, & mecum loquere. Tunc mirantibus omnibus, dixit ei: Si vis sanus effugere, & mortem euadere, promitte fidelissimæ matri Christi, quod diem Conceptionis eius solenniter celebrare velis, & vt celebretur prædicare. Cui ille, vt vir prudens. Quis est, inquit, dies, in quo erit hoc festum celebrandum? Cui Dei nuntius. Sexto Idus Decembris dies huius Conceptionis est, hunc diem celebres moneo, & celebrandum dicito, quibus poteris; Tunc Abbas. Et quali, inquit, officio vti iubes in hoc festo. Cui ille. Omne officium, quod in eius Natiuitate dicitur, in Conceptione eius dicatur. Sed vbi dicitur Natiuitas, dicatur ibi Conceptio in hac celebritate, donec ob virginis reuerentiam aliquis speciale officium ediderit. Dictis his disparuit.

Abbas postquam talia audiuit, lætus efficitur, & Deo gratias referens, omnia se seruaturum promisit, & statim tempestas cessauit, & serenitas rediit. Vento ergo prospere flante in Angliam alacres veniunt, moxque cuncta, qui viderant, & quæ in mari acciderant, eis, quibus potuit, in Anglia fideliter enarrauit, statimque in Remensi Cœnobio hoc festum omni anno celebrari instituit.

Sunt & aliæ vtilitates, propter quas est illud festum celebrandum; Vna vt is, qui deuotè celebrat, ab honore suo, & gradu suo nunquam deponetur. Et hoc probat Anselmus, dicens. Quisquis, inquit, Præsul, Abbas, Prælatus es, recole diligenter hanc festiuitatem, & cunctis iube eam coli; quia si eam toto corde amaueris, nunquam de gradu depositus eris, & in me ipso probaui, quod dico. G

Idem probat Iordanus in postillis suis, quod Virgo gloriosa in ipsa conceptione est singulariter honorata à Deo, & singulari modo est in vtero sanctificata dicente Bernardo. Puto, quod copiosa gratia sanctificationis in ipsam virginem descendit, quæ non solum eius ortum sanctificauit, sed deinceps à peccato custodiuit immunem, quod soli virgini fuit singulare: Hoc enim non fecit sanctificatio Ieremiæ nec Ioannis: quia igitur hæc primum suum honorem accepit singularem, congruum est, vt deuotè hoc recolentes in suo honore conseruet.

Alia vtilitas est, quod mulieres deuotè festum recolentes, securæ sunt, vt non procreent abortiuum, qui fœtus in vtero eorum custoditur, teste Orosio in Epistola ad Heliodorum, dicens. Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuotæ Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur. Et patet ex ratione; quia sicut Maria in vtero suæ matris est non solum in naturalibus illæsa custodita, sed etiam gratuitis insignita, sic omnibus mulieribus illam in hoc festo dignè colentibus, fœtus conseruat penitus illæsos, & ipsas, ne periclitentur conseruat.

Alia vtilitas est omnium potissima, quod illi, qui dignè celebrant hanc dignissimam festiuitatem Conceptionis sanctissimæ Virginis MARIÆ, nunquam deponentur, & pace, salutæque fruentur, teste Anselmo, qui ait in legenda. Huius celebratoribus solennitatis datur à filio Virginis, Domino nostro Iesu Christo, pax & lon-

ga salus, & post transitum huius vitæ requies æterna. Ad quam, &c. Legitur in miraculis B. Virginis, quod vir quidam ad limina sanctorum nauigare voluit: mulier autem eius Virgini deuota, licet grauida pariter cum eo nauigare voluit, viro eius vix annuente, cum autem nauigarent, venerunt dies pariendi, periclitante autem muliere sæuiente tempestate, ne ergò omnes submergerentur, deposita est extra nauem super tabulam, quæ implorans Virginem MARIAM pro iuuamine, promittens, si euaderet hoc periculum, magis deuotè, quàm vnquam celebrasset, eius conceptionem celebrare vellet, quæ eam liberauit, & ad littus perduxit, & officium obstetricis adimpleuit: quæ postmodum hoc prodigium, quibus potuit, dixit: & exinde laus, & honor DEO, & præconium Virgini MARIÆ detur. Hæc in Anglia facta sunt circa ciuitatem Cantuariensem.

DE EADEM.

Sermo secundus,

Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.
Prouerb. 8.

A D experientiam apparet, quando veris tempore arbores in se humiditates concipiunt, statim animalia, cæteraq; volatilia fiunt lætiora, & quæ prius in cauernis latitabant exeunt, & se incitant mutuò ad lætandum. Cum autem campi se floribus exornant magis more solito vociferantur, & se sociant pariter pullos procreando.

MYSTICE. B. Anna est arbor fructifera. ramis virtutum vndique decorata, ita vt dicere possit illud Eccli. 24. *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* Hæc igitur tempore gratiæ veniente concepit in se humidissimam Virginem MARIAM, humidam in gratiis, non in carnis concupiscentiis, quamuis non pro tunc, tamen post animæ cum corporis vnionem, quæ facta est secundum cursum naturæ tricesima quinta die à carnali conceptione, quia circa tale tempus fœtus fœminæ secundum Philosophos in vtero animatur, & tunc per diuinam gratiam fuit quasi flos pulcherrimus præordinata, vt dicere potuisset illud Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ideò nos CHRISTI fideles, debemus meritò gaudere, & conceptionem illam dignis laudibus extollere, & lœti celebrare. Ad quod hortatur deuotus Doctor, & præcipuus Beatæ Virginis amator Anselmus in Legenda sua, in hodierna homilia dicens. Sicut fratres charissimi in sancta Ecclesia Natiuitas sanctissimæ Virginis MARIÆ colitur, & veneratur, sic debet coli eius Conceptio: nisi enim conciperetur, etiam nunquam nasceretur: in sensu DEI concipitur, & nascitur: Sicut enim ad saluandum genus humanum olim necessaria fuit eius natiuitas, sic necessaria fuit eius conceptio: nisi ea conciperetur, redemptio mundi nunquam nasceretur, in sensu DEI concipitur, & nascitur; immò si diuina ratio perspicitur, spiritualis conceptionis dies eius maior fore probatur, quàm natiuitas. *Et subdit.* Erubescant omninò insensati, qui tantum diem, tanta mysteria, & sacramenta, tenebris ignorantiæ excœcati, ideò respuunt cele-

celebrare, quod viri ac mulieris copula in conceptione B. Mariæ Virginis extitit: si eius conceptionem, eò quod carnalis extitit copula stultis non placeat hodie celebrare, diem illam & noctem quamuis sit incognita, & tempus & horam, tamen spiritalem conceptionem eius hodie celebrare delectat; quia ipse animarum Creator animam sua matre dignam, & sanctissimam, corpori virginali eius Angelis ministrantibus copulauit. Hæc ille.

Quod etiam monet Sapiens. Eccl. 32. & dicit. *Præcurre autem prior in domum tuam*, scilicet mortalem, *& illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas*, scilicet propter te factas; *& super his omnibus benedicito Dominum, qui te inebriat bonis suis*. Vbi per ludum intelligit tripudium, quo lætatur anima in actu deuotionis, has recolendo conceptiones De quarum vna dicunt verba præfata: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* In quibus duo tanguntur. *Primò* electio virginis æternalis, ibi; *Nondum erant abyssi. Secundo* conceptio mirabilis virginis, ibi; Et *ego iam concepta eram.* B

Circa PRIMVM NOTANDVM, quod in ciuitatibus Regalibus, vel Imperialibus talis erat consuetudo, cum audiunt vel percipiunt Imperatorem, aut Regem eos valdè benigniter visitare, & de angustiis hostium liberare, tum longè solent sibi eligere condignam beneque ornatam mansionem, in qua decenter receptus mitior adparebit. C

SPIRITVALITER, mundus iste est ciuitas Imperialis, quam summus Imperator, & Rex regum fundauit, & creauit cœlum & terram. Ideo iure fundationis ad ipsum ciuitas ista exspectat. Sicut Psalm. 23. testatur: *Domini est terra, & plenitudo eius.* Ad hanc ciuitatem iste cœlorum Imperator varios nuncios misit aduentum suum ciuibus nuntiare, quorum vnus fuit fidelis Zacharias, qui ait c. 9. *Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator.* Alius fuit Malachias, qui nuntiauit dicens: *Veniet ad templum suum dominator Dominus, quem vos quæritis.* Malachiæ tertio. Tertius fuit Aggæus, qui retulit, *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Aggæi secundo. Audientes igitur ciues aduentum tam potentissimi regis, propter bonum eorum misericorditer venientis quia vt habetur ex Symbolo Nicæno. *Ipse propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, idcirco ex omnibus hominibus vnam sibi dignissimam elegerunt mansionem virginem MARIAM, qua excepta nemo dignus fuit suscipere talem regem, & dixerunt ad eam hoc, quod ibi canitur. O filia Sion adorna thalamum tuum, & suscipe regem Christum. Et non solum ipsi ciues sibi hanc mansionem elegerunt, immò verius ipse sibi prælegit ante mundi constitutionem, & hodie concipi voluit, quæ tamen ab æterno præuisa fuit. Rectè, sicut sapiens architectus volens domum regiam construere, diu in mente sua præconcipit, antequam ipsam erigit seu ad esse producit, vt nihil rex talis inueniat, quod oculis suis displiceat. Sic fecit cœlestis architectus sapientissimus pater volens erigere domum speciosissimam pro filio suo, qui secundum Psalmum nonagesimumquartum. *Est rex magnus super omnem terram*, qui ante concepit eam in mente diuina sua, quemadmodum gloriatur de ipsa in verbis præassumptis. *Nondum erant abyssi, &c.* vt esset thalamus. Dei ipsa virgo dignissima per domum Bori regis Indorum aptius est præfigurata, de qua legitur in historia Magni Regis Alexandri

Hæc erat, inquit, firmiter stabilita: quia in ipsa erant columnæ aureæ excisæ, & parie-

parietes domus erant vestiti laminis aureis, Vineaque aurea pendebat inter columnas, cuius folia erant aurea, & racemi crystallini, quibus impositæ erant gemmæ igniæ & Smaragdinæ. Omnes etiam mansiones, quæ erant in ea, ornatæ erant margaritis & Carbunculis, quæ ianuas habuit de ebore albo, talisque domus fuit sancta MARIA, & non solum communis, sed regalis, quia scimus, quod tempore persecutionis hostium, & tempore magnæ necessitatis refugium habent homines ad domus præcipuè regales, in quibus ab inimicis se tueantur. Sic omnis homo, qui refugium habet ad ipsam, quando est in maxima sua necessitate, scilicet in fine vitæ, dæmonibus persequentibus eius protectione ab illa liberatur. Et hoc patet per exemplum.

E Quidam monachus seruiuit DEO, & beatæ Virgini, in ordine triginta annis, & grauiter cœpit infirmari. Cumque iam vellet exspirare, venit ad eum dæmonum multitudo, quærentes animam eius. Quos cum vidisset, cœpit clamare: Væ mihi, quod vnquam natus sum, væ mihi, quod vnquam ordinem intraui melius mihi esset fuisse ranam. Fratres autem audientes clamorem coram eo orantes conuenerunt, ad quem accedens senior dixit, O Pater, quare ista dicis, cum fueris semper bonus homo: dicito ergo post me hæc verba: MARIA mater gratiæ mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Quod cum dixisset, & modicum iacuisset, cœpit dicere: Benè mihi quod vnquam natus fui, benè mihi quod vnquam ordinem intraui. Fratres verò audientes tam subitam mutationem, cœperunt quærere, quid hoc esset, quod tam blasphemè clamasset. Respondit. Ideò clamaui, quia dæmones infiniti venerunt, volentes animam meam rapere, sed cum dixissem orationem prædictam & refugium habuissem ad MARIAM, statim venit ad me mater misericordiæ, ad cuius aduentum omnis recessit multitudo dæmonum, & modo me ad suum conuiuium inuitauit, & sic spiritum emisit, & saluatus est ab hostibus suis, in gloriosa domo. Ista domus regalis ita firmiter fuit situata columnis aureis, quin etiam superabundantibus gemmis quia in vtero fuit præseruata, quod nec à vento superbiæ, nec à persecutionis tempestate deiici potuit, neque in aliquid cadere peccatum, quia in sua spirituali Conceptione tanta copiositas gratiæ ei collata fuit, quæ secundum sanctum Bernardum non solum ortum sanctificauit, sed deinceps immunem custodiuit, quæ nulli hominum in vtero est collata sanctificatio. Ieremias fuit in vtero sanctificatus. Ieremiæ cap. 1. *Antequam exires de vulua, sanctificaui te:* Sed huic datum est, quod non potuit mortaliter peccare post sanctificationem, sed benè venialiter: Ideo dicit Ieremias cap. 15. *Væ mihi mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra.* ideo legitur de Ioanne Baptista, Lucæ primo. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Attamen canitur de ipso:

Antra deserti teneris sub annis
------- Ciuium turmas fugiens, petisti.
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

MARIÆ autem vltra hoc collatum est, quod nunquam peccauit venialiter, quod fuit gratiæ magnæ signum, quod non solum vulnus naturæ sanaret, sed etiam ipsam natu-

naturam super omnem legem naturæ extolleret. Ipsa autem erat vestita laminis aureis diuinæ charitatis, teste Hieronymo in sermone. Beata, inquit, mater Dei, cuius candor virginitatis, sicut plantatio rosæ in Iericho spiritualis effulsit splendidius emicuit officio circumdata charitatis. In hac regali domo fuit vinea aurea, hoc est, cor mundissimum charitate vndique ornatum, in qua creuit vitis illa vera Christus, Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*, de qua floruit vinum nobile, quod secundum Psalmum centesimum tertium. *Lætificat cor hominis*, & à quo omnes inebriantur electi DEI. Cant. 5. *Bibite amici mei & inebriamini*. Hæc æterna Dei domus est serenata margaritis & carbunculis.

Margaritæ secundum naturales sunt albæ & paruæ, & significant virginitatem cum humilitate, quod simul habuit Virgo Maria, quia si vnam illarum non habuisset, Deum concipere non meruisset, teste Beato Gregorio in Registro. Quantumcunq; Beata Virgo fuisset casta, nunquam tamen concepisset, nisi humilitatem infimam habuisset. F

Carbunculus secundum Isidorum libro decimo sexto est lapis pretiosus, vt carbo ignitus, cuius splendor, neque in nocte vincitur, nec die obfuscatur, & significat conuersationem sanctam, & præfulgidam, qua omnes secum conuersantes illustrabat, secundum illud Matthæi quinto, quod audierat à filio suo: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. Etiam carbunculus, qui lucet in nocte, significat fidem eius, quæ in ea nunquam extincta fuit. Nam cum discipuli omnes ab ea tempore passionis recesserint, ipsa sola luxit in fide: quod testatur Ecclesia, quæ scilicet tredecim lumina accendit in matutinis tenebrarum, inter quæ solum vnum ardere remanat vltimatè, quorum duodecim significant Apostolos, qui hoc tempore in fide non luxerunt. Sed vltimum significat Mariam, in qua fides luxit, tam in prosperis, quàm in aduersis. Ecce quam speciosam sibi elegit ab æterno Rex cœlorum habitationem, cum nondum erant abyssi. Et hoc quo ad primum. G

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM secundum Isidorum, libro vigesimo primo, quidam piscis est in mari, qui de nocte exit, venitque ad littus eiusdem, ibique aliquamdiu quiescit, quousque ros descendit, descendente rore aperit os suum, & de rore suscipit quantum potest, venienteque sole, piscis concipit, & generat margaritas. H

MYSTICE. Per hunc piscem intelligi potest Beata Anna, quæ licet in mari huius mundi personaliter habitat, tamen per desiderium exibat ad littus æternæ beatitudinis dicens cum Psalmo centesimo decimo nono. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. ideò appropinquante tempore gratiæ quo DEVS humanum genus voluit redimere, concepit hodierna die ex rore cœlesti, hoc est, ex voluntate DEI, qua Virgo Maria concepta est secundum Anselmum, veniente Sole, hoc est, gratia superabundante Spiritus sancti, cum animæ infusione, quæ facta est tricesima quinta die à conceptione carnali, quæ fuit facta hodie; Concepta est igitur spiritualiter hæc speciosissima Virgo Maria, tanquam margarita alba, absque vlla macula, ita vt cœlestis sponsus ad ipsam dicere potuisset illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Quia

I Quia aiunt aliqui ob deuotionem, virginem esse conceptam absque labe peccati originalis, quibus assentit Anselm. in lib. de conceptione Virginis dicens. Iustitiæ verè fuit, & omnipotens sapientia DEI & virtus mundi, sibi ex omni tempore habitaculum condere remota omni labe conditionis humanæ; Angelis ab aliis peccantibus, à peccatis seruauit fœminam, & matrem suam futuram ab aliorum exortem peccatis seruare voluit in æternitate sui consilij fixam, statuit eam Dominatricem & Reginam Angelorum esse & fore, & tunc inferiorem gratiam aliis factam in consortium quærimus acceptam hominum peccatorum: quasi diceret, Nequaquam. *Et subdit.* Existimet hoc, quod vult argumentis suis, probet his, quæ dicimus, aduersetur ergo donec DEVS ostendet mihi aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi dico, quod scripsi non omitto. Et probat hoc exemplo Castaneæ. Attende, inquit, si DEVS Castaneæ confert, vt infra à spinis remota concipiatur, & alatur, & formetur, non potuit hoc dare corpori humano, quod ipse templum fecerat, in quo corporaliter habitaret, & de quo in vnitate suæ personæ perfectus homo fieret, licet hoc inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis expers omninò redderetur? quasi diceret. Vtique potuit. Et ne sibi aliquis obiiceret Rom. 1. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Similiter 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur.* Subdit. Cum eminentiam gratiæ & vitæ Virginis considero, sicut non te intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo, intueor: ita non lege naturæ aliorum in tua conceptione deuictam fuisse opinor, sed singulari intellectui impenetrabili diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati admixtione liberrimam. Hæc Anselmus. Cui concordat illud Virginis benedictæ, quod legitur in reuelationibus Brigittæ, quo probatur, quod Maria sine peccato est concepta: Sicuti, si volenti ieiunare, qui desiderium comedendi haberet, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à superiori, cui obediendum esset, vt per obedientiam comederet, illa comestio maiori remuneratione digna esset, quam ieiunium. Sic per talem modum coniunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui sine originali peccato, quod sicut filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit honestius illo, de quo ego processi. Et quando pater & mater conuenerunt matrimonialiter, plus fecit hæc obedientia, quèm carnalis voluptas, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes conuenerunt ex obedientia & præcepto. Sed scito, quod mea conceptio non omnibus fuit nota, quia placuit Deo, vt amici sui piè dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret in tempore ordinario. Hæc Brigitta. Ex his dictis patet, quod Maria mirabiliter vltra omnem humanam creaturam sine peccato sit concepta.

K Sed contra hoc est quasi totus cœtus sanctorum doctorum, ipsam sicut & alios homines in peccato originali conceptam asserentium, & ad hoc sonat Augustinus in summ. de pœn. Et ponitur in Cano. de conse. distinct. 4. Firmissimè, inquit, tene. & nullatenus dubites, omnem hominem per concubitum viri & mulieris cum originali peccato nasci. Quod exponens Archidiaconus Guido in Rosario dicens Natiuitas est duplex, vna in vtero alia ab vtero; In vtero nasci, est animam corpori infundi, sed ex vtero nasci, est in lucem produci siue prodire. *Et subdit.* Quod beata Virgo & Ioannes Baptista & Ieremias originali peccato nati sunt in vtero, Idem tenet

net Bonauentura super quartum sententiarum, distinct. 3. quæst. 28. Quod sanctificatio virginis subsecuta est originalis culpæ contractionem, quia nulla immunis fuit à culpa originalis peccati, nisi solus virginis filius *Et subdit.* Sufficiunt enim virgini aliæ dignitates, quas ei filius communicauit, in quibus excellit alias omnes laudes & deuotiones. Et ideo non oportet nos homines confingere ad honorem virginis, quoniam non indiget nostro mendacio, quæ tam plena est veritate. Idem tenet beatus Gregorius in moralibus, quod multi alij, quibus fortassis esset magis assentiendum, quàm primis. Quia dicit Aristoteles 3. Polit. Turba melius iudicat, quàm vnus vel duo. Et hoc etiam magis, vt æstimo, cedit in laudem Dei. Sicut in simili si esset vnus sapiens artifex, qui posset pretiosum vas facere, non solum de auro, sed etiam de vili luto eiusdem pretij & pulchritudinis, non magis laudaretur, quàm de auro, quod illam habet pulchritudinem præexistentem; Ita si Christus sapientissimus artifex potuit, & voluit matrem suam dilectissimam in luto originalis culpæ conceptam mundissimum vas facere, meritò de hoc summoperè est laudandus, & ipsa mater misericordiæ à nobis non minus, immò maximè est laudanda.

Sed quia dicit Aristoteles: Medium in omnibus est laudabile. Ne ideo videar ad vnam partem magis, quàm ad aliam declinare, volo cum Iesu per medium illorum ire, hoc enim tenens cum primis: Si beatissima virgo Maria sine originalibus est concepta, tunc benedictus sit Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui eidem Filio suo tam mundam præparauit mansionem, in qua dignatus est misericorditer nouem mensibus habitare. Et quod Dominus Deus sit propter hoc benedictus, dicit Sapiens Eccl. 32. *Age conceptiones tuas, & non in delictis, sed in his omnibus Dominum benedicito.* Quasi diceret, O homo celebra conceptiones virginis, quæ propter te factæ sunt, & non in delictis, hoc est, noli temerè defendere vnam illarum partium. vbi fortè cadere posses in peccatum, sed de hoc sufficit piè dubitare, & Dominum benedicere. Sed hoc teneo cum secundis, si, vt dicunt, Maria in originalibus est concepta, tunc statim est sanctificata, purgata, licet non in eodem instanti, quo fuit imperceptibiliter infecta, & hoc propter repugnantiam culpæ & gratiæ, tamen factum est in aliquo instanti proximo, sicut naturæ possibile fuit. Et hoc iterum apparet quàm solicitè diuina gratia beatam virginem in puritate seruauit, quia tempore imperceptibili & breuissimo ipsam in originali permisit, & quàm citissimè potuit fieri ipsam per gratiam emundauit. Et hoc quo ad secundum. L

SERMO TERTIVS

DE EADEM.

Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Psal. 45.



Ristotel. libr. 18. animalium, valde mundum (dicit) est animal, quod apis est. Nam in locis immundis habitare dedignatur, ideo stercus suum eiicit in volatu, & non alueario, quia fœtidus odor grauat ipsam, etsi aluearia efficiuntur fœtida, velociter derelinquunt ea, nam si ibi mora- A

rentur, citius ægrotarent. MYSTICE per apem intelligitur Christus: quia sicut apis est animal paruum, & dulcem facit fructum, sic Christus est paruus in humilitate secundum illud Matthæi 11. *Discite à me, quia mitis sum*, & tamen dulcem facit fructum in suis doctrinis, & præcipuè in principio suæ prædicationis cum dixit, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei*. Matthæi 4. Ideo de ipso potest exponi illud Eccl. 11. *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius*, quia fructum suæ doctrinæ incepit prædicto dulci verbo; Iste mundissimus Christus, more apis in locis mundis cordium habitare dignatur, secundum illud Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia*, hoc est, Christus, qui est sapientia Patris, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

B Et ex quo Doctores tradunt virginem Mariam in peccato originali conceptam, decens fuit, vt eam altissimus ab ipso mundaret, antequam in ea habitaret, sicut figuratum est 4. Reg. 1. Vbi legitur, quod Ioas rex Ierusalem purgauit templum, quod violauit Athalia regina, extirpans idola & aras destruens. Per Athaliam Eua intelligitur figurata, quod quodlibet hominis nascentis corpus violauit per peccatum, ita vt quilibet dicere possit cum Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*: ideo fuit necesse virginem purgari. Per Ioas regem, Dei filium à culpa originali, quod factum est post animæ infusionem secundum Bernardum. Et hoc volunt verba thematis præassumpta, in quibus principaliter tria præscribuntur. *Primo*, expiatio culpæ præcedentis ibi; *Sanctificauit*. *Secundo* inhabitatio gratiæ sequentis, ibi; *Tabernaculum suum*. *Tertio* expressio potentiæ transcendentis, ibi; *Altissimus*.

Tabernaculum sanctificans.

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Cuilibet regi decet habitationem cum solicitudine quæri, & quæsitam præparatione disponi singulari. Sic fecit Moyses DEO, qui est *Rex regum, & Dominus dominantium*, Apocal. 19. Solicitè domum quæsiuit, quæsitam & fabricatam singulari disposuit præparatione. Numer. 7. vbi legitur. *Factum est in die, qua compleuit Moyses tabernaculum, & erexit illud: vnxitq; & sanctificauit cum omnibus vasis suis*, &c.

MYSTICE. Dei filius est Rex cœlorum, & sic congruum fuit, vt ei mansio summa solicitudine quæreretur, & exquisita segregaretur, quia non est digna habitatio cum profano, quod declaratur in natura.

C Refert Plinius in speculo naturali libro 7. cap. 39. Taxus qui naturaliter præuidet tempestatem, facit sibi domunculam sub terra diuersos exitus continentem, & in hoc semper moratur. Sed hoc sciens vulpes, quæ est animal fœtidum, & corruptiuum, ita vt loca vbi habitat reddat sterilia, intrat domum Taxi, & ibi fimum suum & vrinam proiicit, & domunculam fœtidam reddit: quod sentiens Taxus ibidem diutius manere dedignatur.

Hic per Taxum intelligitur DEI filius, qui fecerat sibi habitaculum in benedicta terra, hoc est, in vtero Beatæ Annæ, de quo Psalmus 73. dicit. *Deus autem Rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ*, id est in Beata Virgine, quæ fuit medium Beatæ Annæ. In hoc medio terræ voluit ipse habitare CHRISTVS DEI Filius, secundum quod prædixerat per Psalmum 131. *Hæc requies mea in seculum seculi*. Sed hoc sciens vulpes infernalis proiecit ibi fumum originalis culpæ secundum Doctores, in qua omnes homines concipiuntur, teste Augustino lib. 1. contra Iulianum.

Omnes

Omnes homines primorum parentum peccato nascuntur obnoxij. Cui consonat Gregorius super Exod. 13. Omnes in peccatis nati sumus, & ex carnis delectatione concepti culpam originalem contraximus, excepto Domino nostro IESV CHRISTO, qui solus Spiritu sancto conceptus est, & sic liquet, quòd Maria subiecta fuit huic legi peccati originalis. Sicut & Doctores ipsam specialiter includunt. Quia dicit Anselmus libro secundo. Cur DEVS homo, capite decimo sexto. Licet ipsa hominis DEI conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt. Hæc ille. Ideo ab ea necesse fuit hunc fimum, seu maculam expurgare, ex quo præordinauit in ea Filius DEI habitare, quod potest duobus exemplis declarari. D

PRIMVM est in oculo. Videmus enim in natura, si oculus debet in se recipere lumen extrinsecum, necesse est ipsum habere lucem innatum, sicut hoc patet in oculo clauso, à quo tamen percipitur lux, & nisi lucem interiorem & puritatem haberet, exterior lux intrare non posset, & accipere exteriorem radium.

MYSTICE. Christus Dei filius est radius veri solis, quod sicut Sol naturalis de se generat radium, sic Pater generat Filium, ideo dicitur: *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sapient. 7. & *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. Sed vterus Beatæ Virginis oculo comparatur, ideo &c. Rectè enim sicut lux exterior solis sine aliqua fractione oculi ingreditur: Sic Christus absque violatione virginitatis vterum clausum est ingressus. Ideò canitur hodie. Vt vitrum non læditur sole penetrante, sic illæsa creditur post partum virgo, & ante, sicut oculum corporalem necesse est habere lucem innatam, vt recipiat extrinsecam. sic necesse fuit vterum Virginis habere lumen gratiæ, quasi innatam à principio suæ spiritualis conceptionis aut sanctificationis, vt in se reciperet lumen æternum. Ideò dicit Anselmus in oratione, quæ incipit; Primum & principale principium. animam gloriosæ Virginis Mariæ creasti in macula originali, sed consequenter eam in vtero à primæua labe purgasti, amictu munditiæ decorasti, & in sanctitatis puritate postea confirmasti.

SECVNDVM exemplum est de templo consecrando. Scimus enim secundum Gulielmum in rationali diuinorum lib. 1. quia in consecratione templi corporalis, in quo debet locari corpus Christi, necesse est; antequam consecratur, omne morticinum expelli, & postea parietibus inunctis consecrari. Sic etiam necesse fuit in Beata Virgine, quæ futurum debuit fieri templum Dei, vt omne morticinum peccati originalis expelleretur, & postea vnctione Spiritus sancti inungi, secundum quod prædixit Propheta Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, vt sic in ea corpus Christi verum requiesceret. Quia dicitur Eccl. 24. *In ciuitate sancta requieui.* Et hoc quo ad primum:

Quantum ad SECVNDVM, est NOTANDVM secundum naturales. Rex apum habet speciale habitaculum in aluear in examine apum, in quo ipse solus habitat, & nulla alia inter apes.

MYSTICE. Per regem apum Christus intelligitur, quia videmus, quod rectores apum soli extra aluearia non apparent, nisi stipati magno exercitu apum, quæ omnes

seruituti eo se offerunt. Ita CHRISTVS exiens nobilissimum aluearium, de quo canitur; AVE stillans melle aluearium, non solus apparuit, sed statim astitit ei *exercitus Angelorum* obsequium facientes. Luc. 2. Iste igitur rex angelorum habuit speciale habitaculum, de quo dicitur Psalmo 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et respondit Spiritu sancto inspiratus. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*; & ille fuit Christus, qui solus mundum sine macula est ingressus, sicut testatur Beatus Gregorius 11. moralium. Exponens illud Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* dicens: Incarnatus Domini intuitus solum, vidit immundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic immundum venit, vt nihil haberet de immunda conceptione; neque enim ex viro & fœmina, sed Spiritu sancto, & ex Maria Virgine processit. Solus qui in carne sua verè mundus extitit, quia non per carnalem delectationem venit. Hæc Gregorius. Ideo ipse solus in B. Virgine, quæ est tabernaculum benedictum, habitauit.

E Comparatur enim ipsa tabernaculo, duplici ratione, scilicet reuerentiæ, & continentiæ, quia secundum Apostolum ad Hebræos 9. duplex pars erat in templo, *Vna*, quæ sancta dicebatur, & hæc erat communis populo laico. *Alia* sancta sanctorum vocabatur, & hæc erat tantæ sanctitatis & reuerentiæ, vt nullus eam intraret nisi solus Pontifex, & tantum semel in anno. Sic Ecclesia Catholica habet duas partes, *Vna*, quæ dicitur sancta, quæ omnibus sanctis est communis: *alia* sancta sanctorum, & hæc est solum Virgo MARIA, sicut attestatur Anselmus in Homilia hodierna dicens: Dignam donationem super omnes cæteros illa debet habere, per quam omnes sancti sanctificantur. Dicitur enim CHRISTVS Sanctus sanctorum, dicitur & ipsa Sancta sanctorum. Et hanc solum summus Sacerdos Christus ingressus est, secundum quod figuratum est Ezechielis 44. vbi legitur, *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam.*

SECVNDO, beata Virgo dicitur tabernaculum continentiæ: Tabernaculum enim Moysi continebat thuribulum aureum, arcam fœderis, in qua erat virga Aaron, quæ floruit, tabulæ Testamenti, & vrna aurea habens manna: Sic Maria continebat thuribulum aureum, hoc est, sanctam conuersationem, de qua dicit Ambrosius libro secundo de Virginitate parte prima. Talis fuit Maria, vt eius vnica vita sit omnibus disciplina. *Et subdit.* Quantum in vna virgine species virtutum emicuit, secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium ostendit. Habuit in se Maria arcam Testamenti, scilicet CHRISTVM: intus est virga Aaron ratione æquitatis in regia dignitate, secundum illud Psalmi 44. *Virga directionis virga regni tui.* Erant ibi tabulæ testamenti, ratione veritatis ex duabus naturis, in personæ vnitate; & ibi vna vrna habens manna, ratione pietatis in sacramentali libertate, secundum illud Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum.* Et hoc quo ad secundum.

Quantum ad TERTIVM, sciendum, quod solennes, & maximæ Ecclesiæ & tabernacula, in quibus corpus CHRISTI debet seruari, & adorari, per maiores terræ dominos fundari consueuerunt, & ille, qui maior & potentior est, primum lapidem ponere in fundamento consueuit. Quod pulchrè figuratum est tertio

tertio Regum sexto de solenni templo Salomonis, in quo debebant seruari reliquiæ antiqui Testamenti, quod & maior in Ierusalem fundauit Salomon de auro, tabulis cedrinis & lapidibus pretiosis. Et piè credendum est, quod ipse ad deuotionem primum lapidem in fundamento collocauit.

F MYSTICE beata Virgo MARIA est tabernaculum quod multis gratiis est fabricatum & fundatum, quia in ea debebat corpus CHRISTI, & diuinitatis reliquiæ conseruari & adorari; sicut patet de Ioanne Baptista, qui adhuc *in vtero matris suæ cognouit Christum esse præsentem & exultando ipsum adorauit.* Luc. 1. Ideo Dominus altissimus & maximus inter omnes ipsam fundauit secundum illud Psalm. 86. *Ipse fundauit eam altissimus.* Et primum lapidem hoc est gratiam sanctificantem in ipsam posuit, secundum illud Ioann. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Dicunt enim naturales quando aliqua arbor est corrupta ex vetustate, illius arboris radix debet aperiri, & lapis in eam proiici vel imponi, tunc materia infructuosa effluit, & bonum nutrimentum arbor ad se trahit & fertilis efficitur, quam prius sterilitas occupauit. Per arbores significantur homines, secundum illud Matth. c. 8. *Video homines vt arbores*; illi erant ex vetusto peccato primorum parentum steriles, & corrupti, quia mortui, secundum illud 1. Cor. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Sic & Virgo MARIA secundum Doctores, ex originali fuit corrupta. Ideo necesse fuit, vt in eo poneret altissimus lapidem sanctificantem, & gratiam quę fuit maior in ea quam in aliquo sancto. Rectè enim sicut lapis, qui in fundamento ponitur, communiter est omnibus maior. Ideo dicit Bernardus in sermone: Puto quod copiosior sanctificationis benedictio in Mariam descendit, quæ non solum purgauit, sed deinceps ne peccaret conseruauit. Et hoc ad tertium.

SERMO DE SANCTA LVCIA.

Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei mirabilis super ætatem stabilem, Eccli. 26.

A Icit Dionysius cum aliis naturalibus. Lux est substantia in se sistens, à qua procedit iradiatio communis, illuminatio corporum aliorum, semper enim in se lucet lux, sed non semper illuminat, sed solum quando inuenit corpus habens naturam aptam illuminationi, vt ait Augustinus.

B MYSTICO. Per lucem beata Lucia, quæ à luce nomen habet, merito designatur. De qua dicitur illud Sap. 7. *Luci comparata inuenitur prior.* Rectè sicut lux habet pulchritudinem in aspectione secundum illud Ambrosij: Lux est pulchritudo omnis creaturæ visibilis, cuius gloria maximè est in aspectu, quæ cuncta mundi membra laudibus facit digna. Habet etiam lux diffusionem sine inquinatione, quia per quæcunq; immunda diffunditur, non conquinabitur. Habet & longissimam lineam sine moræ dilatione. Ita beata Lucia habuit pulchritudinem virginitatis, sine aliqua corruptione, quia nec mentali, ergo nec corporali. Quare dicit Gratianus, & habe-

Corpus siue mentis consensum non iniquitatur.

tur 32. quæst. 5. can. Reuera. Non iniquinatur corpus, nisi des consensum mentis. Cui sonat Ambrosius in lib. de Virginitate, dicens: Caro non potest corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta; & hoc est, quod dicit sancta Lucia Paschasio: Si me inuitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Habuit etiam diffusionem Caritatis sine aliquo immundo amore. Habuit longissimam lineam diuturnæ operationis sine tarditate, vt impleret illud Eccles. 11. *Mane semina sementuum, & vespere ne cesset manus tua.*

Hæc igitur iucundissima lux beata Lucia fuit manens in se, hoc est, in suo proposito firmo, quando nec per minas, nec per verbera potuit à CHRISTO separari, sed dixit: Ecce corpus meum, ô Domine, ad supplicium est paratum. Ideo processit ab ea illuminatio fidei in alios infideles, qui sunt ab ea fide illustrati, ideo in verbis præassumptis dicitur lucerna splendens, &c. Lucerna, inquam, ardens per Caritatem, lucens per virginalem puritatem. In quibus verbis à quatuor beata Lucia principaliter commendatur. *Primò*, à clara luminositate, ibi; *Lucerna splendens. Secundò*, à lata famositate, ibi; *Super candelabrum sanctum. Tertiò*, à mira speciositate, ibi; *Et species facici mirabilis. Quartò*, à sancta virtuositate, ibi; *super ætatem stabilem.*

De PRIMO est sciendum, experientia constare, quod lucerna, quæ vndique repletur splendentibus luminibus, est luminosa & à parte superiori, & inferiori: illuminat enim superiora scilicet aërem: ideo dicunt naturales, grandi incendio facto, rubere cœlum: illuminat inferiora, quia vias monstrat, ne homo in tenebris corruat: Est etiam luminosa interius propter hominum conductionem: Est illuminosa à parte anteriori, & posteriori; illuminat enim ante se & post se transeuntes. Est deniq; illuminosa à dextris & sinistris, vt sic vndiq; illuminet & illustret.

C MYSTICE per hanc lucernam à luce dictam beata Lucia signatur, quæ fuit lucerna ardens, rectè sicut lucerna lucendo alijs se consumit, sic beata Lucia omnia bona sua consumpsit, & pauperibus ministrauit, vt verificetur de ipsa illud Psalm. 111. *Dispersit dedit pauperibus, &c.* Quia dixit ad matrem suam, quicquid mihi datura es pro dote, pauperibus elargire. Fuit lucerna lucens per veritatem, per quam omnes exemplo bonorum operum illustrauit.

Ideo exponi potest de ipsa illud Tob. 13. *Luce splendida, fulgebis:* Fulsit enim omni tempore tàm prosperitatis quàm aduersitatis, secundum illud Prouerb. 31. *Non extinguetur in nocte* scilicet tribulationis *lucerna eius* scilicet per errorem. Nec abscondita fuit ob timorem, quia morti se tradidit imperterrita, quando dixit ad Paschasium. Quid moraris? Incipe fili diaboli, desideria tuarum pœnarum in me exercere. Ideo de ipsa est illud Luc. vndecimo. *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.*

D Hæc splendidissima lucerna beata Lucia instar lucernæ materialis fuit circumquaque luminosa. PRIMÒ à parte superiori & inferiori. A superiori; per diuinæ gratiæ refulgentiam, secundum illud Iob. 29. *Splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.* De hac luce superiori dicitur Actor. 9. *Subito circumfulsit eum lux.* A parte inferiori, per virginalem munditiam, iuxta illud Cant. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate:* propter hanc lucem dixit ei

beata

beata Agatha: Soror mea Lucia, virgo Deo deuota. In hoc, quod vocat eam deuotam, ostendit quod habuit lucem superiorem, sed quod vocat eam virginem, notatur quod habuit inferiorem.

SECVNDO, fuit beata virgo Lucia luminosa à parte interiori, per mundam conscientiam, ita vt dicere possit cum Apost. 1. Corint. 4. *Nihil mihi conscius sum:* A parte exteriori per conuersationem sanctam. Et propter hanc secundam lucem, vocat se templum Dei dicens: Qui caste viuunt, templum Spiritus sancti sunt. Ipsa enim erat templum fulgidum interius, vt de illa exponi possit illud 3. Reg. 6. *Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur*, per quod intelligitur lux interioris conscientiæ; Ipsa etiam erat templum ornatum exterius, secundum illud Machab. lib. 1. cap. 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis*, per quod intelligitur lux conuersationis honestæ. O felix est igitur iste homo, cuius cum beata Lucia luminosa & clara est conscientia quia dicit Beatus Bernardus ad Rupertum Monachum: Veniet tempus, quo plus valent pura corda, quàm astuta verba, magis conscientia bona, quàm marsupia plena. D II.

TERTIO, Beata Lucia fuit illuminosa à parte anteriori, & posteriori, Dei beneficia memorando. Ab interiori futura præcauendo & præsentia ordinando. Iste est triplex actus prudentiæ, sicut dicit Seneca in lib. de quatuor virtutibus cardinalibus; Si, inquit prudens fueris, animus tuus tribus disponetur temporibus. Præterita recole; futura præcaue, præsentia ordina. De his tribus dicitur Deut. 32. *Vtinam saperent*, præterita recolendo, *& intelligerent* præsentia ordinando, *ac nouissima prouiderent*, futura præcauendo. Ita beata Lucia beneficia Dei cognouit, quando Paschasio dixit. Ista non sunt maleficia, sed Christi beneficia. Præsentia ordinauit: quando suas diuitias pauperibus tribuit. Futura præuidit, quando pacem Ecclesiæ redditam nuntiauit, vt in Legenda. III. Actus prudentiæ triplex.

QVARTO fuit luminosa à dextris & à sinistris. A dextris, quando inter prospera seruauit temperantiam; Licet enim haberet multas diuitias, tamen inter illas pauper fuit, secundum illud Prouerb. 13. *Est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit*, In sinistris, quia in aduersis seruauit patientiam, sicut canitur de ipsa; In tua patientia possedisti animam tuam, Lucia Christi sponsa; Sed nunc patet illud Psalm 90. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* Quia in aduersitate à Deo multi recedunt, plures tamen in prosperitate. IV.

Quantum ad SECVNDVM NOTANDVM secundum naturales, aliqua animalia sunt famosa propter suam sapientiam, sicut elephantes, in quibus secundum Isidorum lib. 12. intellectus & memoria præ cæteris animalibus vigent. Et secundum Plinium lib. 8. capit. 1. quando ægrotant herbas siluestres sibi congregant, & nunquam eis vtuntur nisi supino capite ad cœlum leuato, & quadam religione à Numinibus sibi adiutorium postulant: Illo modo Lucia est famosa, propter suam sapientiam, quæ maximè patet in responsis secundum illud Eccles. 8. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Nonne illa est sapiens respõsio, quando dixit. Non inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Certè vtique. Ideo in canone est locata, vt in Arenga vbi supra. In ipsa enim Lucia præ cæteris gentilibus viguit intellectus & prudentia, ita vt de ipsa possit exponi illud Prouerb. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam* scilicet in cœlis. De qua dicit psal 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Sic sapientia E

appa-

apparuit in hoc, quod matre sua ægrotante non iuit ad sortilegas, auxilium ab eis postulando, sed è cœlo, cum ad sepulchrum B. Agathæ Virginis perrexit dicens: Si eius sepulchrum credens tetigeris, perfecta continuò sanitate gaudebis, quia vt sapiens virgo sciuit, quod illi qui consulunt sortilegas, quinq; annorum regula puniuntur, vt habetur in Canon. Qui diuinationes. 26. q. 5.

F SECVNDO aliqua animalia sunt famosa propter potentiam, quam ostendunt, sicut Leo qui ostendit suam potentiam in hoc, sicut dicit Plin. in spec. nat. quod in periculis apparet maximè gloriosus, quando persequuntur eum canes & venatores, nō se occultans, sed sedet in campis, vt ab omnibus videatur. Eius potentia non solum manifesta est in hoc, sed etiam in illo, quod sanat infirmitates, quia eius adeps contrariatur venenis; Si quis illo perunctus fuerit, aliorum morsus animalium non timebit: Etiam Adeps cum oleo roseo mixtus cutem faciei custodiet à vitiis; oculorum sanat humores: Fel eius aquæ additum oculorum acuit claritatem: Cor eius cibo sumptum, solam quartanam febrem expellit. Ecce quantæ potentiæ est leo.

Virtus adipis Leonis.

Isto modo B. Virgo Lucia est famosa, propter suam potentiam aut fortitudinem: tantę enim fuit potentiæ & fortitudinis, vt in periculis passionum & persecutionum se ab impudicis canibus non absconderit, quamuis esset in iuuenili adhuc ætate, sed ipsos vicit, secundum quod canitur de ipsa: Odisti quæ in mundo sunt. Ideo potuit dicere, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* ad Gal. 6. diabolum in hoc, cum sanguine proprio inimicum subegit, quia fuit valde mirabile, quod fragilis virgo vicit inimicum tam robustum. Sed DOMINVS omnipotens tradidit illum in manus fœminæ, & confudit. Iudith. 16. Vicit etiam per suam potentiam sæuiciem tormētorum, quod violentia hominum & boum amiserunt virtutem trahendi ignis virtutem comburendi, ferrum & gladius virtutem secandi, quia Spiritus sanctus tanto eam fixit pondere, vt mille homines, nec plura paria boum eam trahere possent ad lupanar: etiam in igne posita non fuit læsa, vt dicere posset illud Eccli. 51. *in medio ignis non sum æstuata:* Percussa etiam in gutture gladio interfici non potuit. Ipsa enim B. Lucia ostendit potentiam in miraculorum operatione; nam & sanauit matrem & copiosum exstinxit ignem; ideo de ea potest exponi illud Prou. 31. *Manum suam misit ad fortia.* Quare autem fuit tam potens? Ecce ideo, quia sæpè habuit angelicam consolationem & confortationem, qui eam confortauerat dicens: Forti animo esto filia, scilicet Dei, Dominus cœli dedit tibi gaudium.

G TERTIO aliqua animalia sunt propter pulchritudinem suam famosa, sicut Panthera, de qua dicit physiologus.

Est animal Panther, quo non est pulchrior alter.

Quia secundum Plinium in specul. nat. maxima colorum & macularum varietate decoratur, scilicet albarum, nigrarum, flauarum, vt tota eius pellis exterius maculata videatur. Isto modo etiam B. Lucia fuit famosa ratione pulchritudinis, quia erat ornata corpore albo virginitatis mentis & corporis. Ideo dixit ad Paschasium. Corruptores mentis & corporis nunquam sciui. Et merito potest de ipsa exponi illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato,* quo ad pulchritudinem corporis: *circundata varietate*, propter pulchritudinem mentis. Erat etiam decorata colore nigro humilitatis, in eo quod spreuit sponsum terrenum, diuitias, & mundi gloriam,


ita

ita vt dicere possit: Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi. Fuit etiam fulta colore flauo constantiæ, quia constans fuit vsque ad mortem. Et ex illo patet eius speciositas, & virtuositas, seu fortitudo. Et hoc quantum ad tertium & ad quartum.

DE SANCTO THOMA APOSTOLO.

Sermo Primus.

Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt. Ioann. 20.



AMbrosius in Hexam. lib. 5. c. 43. dicit. Phœnix est vnica auis trecentis ac quingentis viuens annis, cum finem vitæ suæ senserit imminere, facit sibi nidum de thure, myrrha, & cæteris lignis odoriferis, quibus accensis per flatum venti, intrat & ibi moritur, denuoq; viuificatur. A

MYSTICE per Phœnicem intelligitur B. Thomas Apostolus: rectè enim sicut Phœnix est auis singularis, carens pari, & apud Arabes nascitur, vocatur Phœnix, id est, singularis, vti dicit Isidorus. Ita B. Apostolus Thomas inter omnes Apostolos indubitatione fuit singularis, secundum quod legitur Ioan. 20. *Post resurrectionem venit Iesus ad discipulos suos ianuis clausis, stans in medio discipulorum, dixit: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Videntes autem eum, gauisi sunt gaudio magno valde & crediderunt.* Et cum hoc agebatur, *Thomas non erat cum eis*, cui venienti alij dixerunt: *Vidimus Dominum*, sed ille credere noluit. Hoc verò non est factum sine causa. Ideo super hæc gesta dicit S. Gregorius in Homil. hodierna. Quid, inquit, fratres charissimi inter hæc animaduertitis: anne casu gestum creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione factum est. Egit namq; miro modo diuina clementia, vt discipulus dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet, in nobis vulnera infidelitatis sanaret? Plus enim infidelitas Thomę ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille palpando ad fidem reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. Hæc Gregorius.

Item sicut Phœnix sua recreatione naturali docet nos credere resurrectionem cõmunem mortuorum, ita B. Thomas Apostolus docet nos credere eandem sua singulari dubitatione. Quis enim, vt ait B. Gregorius 14. moralium, credere eam facilè potuisset, cum spiritus carne soluitur, caro in putredinem vertitur, putredo in puluerem redigitur, & puluis in elementa soluitur. Sed hæc Thomas sine demonstratione firmiter demonstrat, dicendo *Dominus meus, & Deus meus.* Dicit B. Greg. in Homil. de ascensione Domini. Minus mihi Maria Magdalena præstitit, quæ citiꝰ credidit, quàm Thomas qui diu dubitauit. Hic inquam S. Apostolus, licet dubius de resurrectione Christi, tamen in illo dubio non permansit, sed more Phœnicis fecit sibi nidum externæ diuinitatis, & miræ humanitatis, quando dixit Ioan. 20. *Domi-*

nus meus & Deus meus, & sic igne charitatis succensus, & de vetustate dubietatis incineratus, surrexit homo nouus in credendo, & hoc attestatur Dominus in verbis assumptis. *Quia vidisti me Thoma &c.* In quibus duo principaliter describuntur. *Primò*, orthodoxæ fidei præmium & profectus, ibi; *Quia vidisti me Thoma. Secundò*, summæ felicitatis meritum, & affectus, ibi; *Beati qui non viderunt.*

De PRIMO est NOTANDVM. Fur & paterfamilias habent operationes contrarias; Fur enim veniens ad domum alienum & inueniens lumen ardens, exstinguit, quia dicitur in communi prouerbio: Fur odit lucem, & si inuenit thesaurum, accipit, & homines lætos, per furtum facit mœstos & tristes. Sed econtrà, paterfamilias inueniens tenebras in domo, lumen accendit & hospites lætos facit, secundum illud sapientis Tullij. *Hospitibus lætum debes ostendere vultum,*
Vultus enim lætus dandi tibi duplicat cultum.

B MYSTICE per furum intelligitur diabolus, de quo Ioann. 10. dicit Dominus. *Fur* odit lucem; & *non venit nisi vt furetur, mactet, & perdat.* Ideò bene figuratur per coruum, de quo dicunt naturales, quia coruus est auis dolosa, res furtiuè abstrahens, & in locis abscondens abditis, & reponens; & principaliter cupit oculos eruere, sicut videmus hoc in suspensis, quibus primitus à coruis oculi eruuntur.

Coruus odit asinum.

Item dicit Aristoteles in lib. de animalibus, quod coruus odit asinum, ideo volat super ipsum, & tentat eruere oculos ejus rostro suo. Ita diabolus fur fuit ab initio, & multas animas Deo subtraxit, quas in tenebras inferni posuit, & abscondit, quærit tamen principaliter oculos eruere, hoc est, lumen rationis, & fidem, sine qua impossibile est hominem placere Deo Heb. 11. Vnde legitur 1. Reg. 11. quia Naas voluit habere pactum cum viris Iabes in hoc, quod quæreret omnium oculos dextros eruere; Naas interpretatur serpens, significans diabolum, de quo Genes. 3. *Serpens erat omnibus callidior animantibus,* qui vult habere pactum cum omnibus hominibus, vt eruat oculos dextros, id est fidem; Rectè sicut Naas voluit viros reddere Iabes inutiles ad bellum, quia sinister oculus clypeo tegitur, & carens oculo dextro non potest videre aduersarium, & ei resistere. Sic diabolus vellet omnes reddere inutiles sibi ad resistendum quando amitterent fidem, quæ significatur per dextrum oculum, quo tamen est ei resistendum, secundum illud 1. Pet. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens* &c. & sequitur. *Cui resistite fortes in fide.* Quod autem diabolus nititur exstinguere lumen intellectus, quod Deus infundit animæ secundum Aristotelem 3. Rhet. & etiam fidem, patet in primis parentibus. Dicunt Doctores, quod Dominus dotauit Adam lumine intellectus & fidei super omnes puros homines, vt post eum nullus ei similis haberetur, nec etiam Salomon, qui tamen sapientissimus dicebatur, vt habetur 3. Reg. 4. Sed hoc lumen intellectus exstinxit in eo diabolus, vt postea bestijs æquaretur, secundum illud Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Similiter lumen fidei in eo exstinxit. Quod legitur Gen. 2. Quia Dominus dixit ad ipsum: *Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, quia morte morieris.* Serpens autem diabolus veniens ad Euam dixit: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de ligno paradisi? Respondit mulier: De fructu lignorum, quæ in paradiso sunt, vescimur: de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus: ne forte moriamur. Diabolus dixit: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus in* que-

Diabolus nititur exstinguere lumen intellectus.

quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Illis verbis crediderunt & comederunt, & sic fidem Dei perdiderunt.

Illo igitur lumine fidei exstincto, accepit ab eis thesauros pretiosissimos, qui secundum Bernardum; fuerunt iustitia, misericordia, pax & veritas, quæ omnes præcellunt thesauros huius mundi. Et quòd abstulit ab eis thesaurum, testatur B. Augustinus & habetur de pœnit. dist. 2. Princeps enim omnium vitiorum videns Adam de limo terræ formatum, ad imaginem Dei factum, pudicitia decoratum, temperantia compositum, caritate splendidum, primos parentis illis donis ac tantis bonis spoliauit, ac pariter peremit. Querulosè dicere potuit illud Iob. 19 *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Fecit eam tristem, postquam spoliauit eum his thesauris, quia eiectus fuit de loco voluptatis, scilicet paradisi, in locum miseriæ: secundum quod dicitur Gen. 3. *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis,* scilicet paradisi, *in locum miseriæ,* id est, in terram, *vt operaretur eam de qua sumptus est.* Ideò potuit dicere illud Psal. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Ecce quomodo fur ille diabolus in primo parente nostro Adam, lumen fidei & rationis extinxit, ipsumq; mœstum fecit.

Sic fuit in dilectissimo Apostolo Thoma, in quo lumen intellectus, fideiq; exstinxit. Dominus enim eum dotauit lumine intellectus, vt cum alijs Apostolis duodecim intelligeret Deum & hominem, quando in eorum omnium persona dixit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16. Meruit etiam penetrare profunditatem diuinitatis, quando Dominus ad suam interrogationem, quam fecit dicens; *Nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* sic respondit: *Ego sum via, veritas & vita.* Sed qui hoc intellexit & credidit Christo, noluit credere, ipso post mortem absente. Si enim post mortem Christum verum Deum credidisset, de resurrectione nullo modo dubitasset. Sed æstimo quod diabolus exstinxit sibi lumen intellectus & fidei, ne hoc credens in incredulitate deperiret. Et hoc patet ex nomine. Dicitur n. Thomas, quasi abyssus, quod vno modo dicitur ab à quod est sine, & byssus quod est, claritas, quasi sine claritate; quia amisso lumine intellectus, tenebras intelligentiæ incurrit, ita vt de ipso exponi possit illud Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Vel dicitur ab à, quod est sine & base, quasi sine fundamento, quia ipse basim fidei perdidit, & in multa fluctuatione permansit. Sed Christus verus paterfamilias, de quo dicitur illud Matth. 20. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias,* noluit enim mittere in tenebras dubitationis, teste Greg. in hom. 16. dicente. Discipulum suum Dominus post resurrectionem suam sic dubitare permisit, nec tamē in dubitatione deseruit; sicut ante Natiuitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus est discipulus dubitans & palpans, testis veræ Resurrectionis: sicut sponsus Matris fuerat custos integerrimæ Virginitatis. Hæc ille.

C

Etymologia nominis Thomæ.

Accendit igitur fidem Christus in B. Apostolo Thoma, quando eum latus suum palpare permisit, dicens. *Infer digitum tuum huc, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis* Ioan. 20. Fecit eum lætum cum iubilanter clamauit: *Deus meus & Dominus meus.* Ideò potest exponi illud Abacuc. 3. *Abyssus dedit vocem suam,* hoc est. Thomas qui interpretatur abyssus, dedit vocem exultationis & credulitatis. Et hoc innuit ex visione Christi, sicut dicit. *Quia vidisti me Thoma credidisti.*

Sed diceret quis. Quare dicit Dominus notanter hic. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*, cum secundum Gregorium non est fides vbi aliquid videtur. Quia dicit in homil. Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum; Si quis enim in die videt rem, & credit, iam potius est cognitio, quàm fides. Quia *fides*, secundum Apostolum ad Hebræos 11. *est sperandarum rerum substantia*, *Argumentum*, id est, firma adhæsio, *rerum non apparentium*. Ideò potius dixisse debuisset. Quia tetigisti.

Ad hoc respondet Augustinus de peccato originali. Quia fortè Thomas non tetigit Christi vulnera, licet offerebat se ad tangendum, quia non fuit ausus tangere. *Sed oppositum* illius dicit B. Thomas de Aquino tertia parte suæ summæ. Quia Thomas super visu suo etiam vulnerum tetigit cicatrices, qui alludit auctoritas Ecclesiæ, quæ etiam canit. O Thoma Didime, per Christum quem meruisti tangere.

Thomas vidit hominē, & credidit Deum.

Sed adhoc, cum dicitur; Quæ videntur non habent fidem; *Respondet* B. Greg. in hom. hodierna dicens. Thomas aliud vidit, aliud credidit. Vidit hominem, credidit esse Deum. Ideò benè dicitur. *Quia vidisti me Thoma*, hominem, *credidisti*, me esse Deum. Ideò concludit Greg. Videndo ergò, quia considerando verum hominem hunc Deum, quem videre non potuit, exclamauit. Et hoc quo ad primum.

D Quantum ad SECVNDVM NOTANDVM. Illos beatiores esse, qui non viderunt & crediderunt, ostendi potest in grosso exemplo naturali. Radix enim herbæ in terra absconditur, nec solem immediatè respicit, neque ab eo videtur. Sed herba quæ est super terram, solem immediatè respicit, & tamen radix plus remuneratur à natura, quàm herba, quia maioris communiter est virtutis. Nam omnem succum & virtutem, quàm habet herba, recipit à radice: Et hanc è contra tēpore hyemis, dirigit ad radicem. Ideò dicit Philaretus in tractatu de crescentibus, ꝙ radices sunt maioris efficaciæ in hyeme, quàm in æstate. Idem dicit Galenus in Antidotario veteri. Sic à simili, nos Christiani, qui non Christum in persona propria vidimus, nec eius passionem, resurrectionem, aut alia sua opera: Sed si illa firmiter credimus, magis remuneramur, cæteris paribus, quàm Apostoli, qui illa fieri conspexerunt, & præsentes fuerunt. Ideò dicit Gregorius in homilia, quod in isto verbo nos specialiter significauit, cum dixit. *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Qui cum carne non vidimus, mente retinemus, si tamen fidem nostram, per opera consequimur. Ille enim verè credit qui exercet operando, quod credit, quia aliàs *Fides sine operibus mortua est*. Iacob. 2.

Radicum vit in hyeme maior quàm in æstate.

Fides comprobatur operibus.

E Sed diceres; Quare Dominus Luc. 10. dixit. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, & hic dicit; *Beati qui non viderunt*, videre & non videre contradicunt. *Ad hoc respondetur*, quod duplex est beatitudo; Vna rei; Alia spei. PRIMA, secundum Venerabilem Boë. lib. 3. prosa 2. Est status omnium bonorum congregatione, id est, cumulatione, perfectus. Et illa consistit principaliter in fruitione & aspectu diuinitatis, & communiter in visione Humanitatis Christi, motu dilectionis ad ipsum. Et hac beatitudine ex meritis propriis nullus potest esse dignus. Quia dicit Origenes de ritu Ecclesiæ: Si quis bona cunctorum perpetrasset, atq; totius mundi tormēta pertulisset, nondū tamen æterna beatitudine dignus esset, nisi eam nobis Christi fidelissima passio meruisset. Et de hac beatitudine intelligitur illud verbum Christi. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*. Quia Apostoli vìderūt eius humanitatē. Et verè summè bea-

Beatitudo duplex.

I.

Christi passio promeruit nobis beatitudinem.

mè beatus erit ille homo, qui ad hanc beatitudinem meruit peruenire, vbi Christum non solum in humanitate, sed in purissima videbit Deitate. Ad quem peruenit B. Thomas, vbi sine fine Dei fruitur visione. Et iam non dicit illud verbum futurum Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, sed præteritum saciatus sum gloria tua. SECVNDA beatitudo est spei, quæ solum habetur in præsenti, & illa consistit in merito futuræ beatitudinis. Et ideò beatior est hoc modo, qui plus meretur, plus autem meretur non videns, quàm videns. Et de hac præsens verbum intelligitur. Beati qui non vident & crediderunt. II.

Sed diceret laicus. Quid de articulis fidei credere debeo, vt à Domino beatificer? *Respondet* B. Thomas 2. 2. q. 2. art. 6. Laici tenentur scire principaliter septem articulos fidei. *Primus* est, quòd Christus natus est ex Maria Virgine. *Secundus* est, quod baptizatus à Ioanne in Iordane. *Tertius* est, quod passus est in Cruce. *Quartus*, quòd descendit ad inferna. *Quintus*, quòd resurrexit à mortuis. *Sextus*, quòd ascendit in cœlos. *Septimus*, quod nouissimo die venturus est iudicare viuos & mortuos. Hos articulos tenentur scire omnes Christiani, scilicet implicitè secundum nominationem. Sacerdotes verò tenentur eos scire explicitè, vulgariter mit Außlegungen/quomodo natus &c. & hoc debent Laicis explicare. Rectè, sicut ait Dionysius in cœlesti Hierarchia, superiores Angeli solent infimis Dei voluntatem, & illi vlterius hominibus solent reuelare; sic superiores, vt sacerdotes, debent clarè infimis intimare. F

Qualiter Sacerdotes & Laici tenentur scire articulos fidei.

DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Domine probasti me, & cognouisti me; tu cognouisti sessionem meam Psal. 138.



SECVNDVM Naturales, res, quæ debent benè cognosci, tangi debet, audiri & videri. Hoc patet in peritis medicis, qui volunt discernere inter passionem. *Primò* volunt videre vultum & colorem, quia si color est glaucus, & facies indisposita, iudicant in stomacho materiam peccantem. Si autem albus & rubedine permixtus, eliciunt sanitatem. *Deinde* volunt infirmum audire loquentem; quia si habet vocem continuè raucam, tendit ad lepram. *Vltimò* etiam tactum adhibent, palpantes pulsum, quia si fuerit fortis, scit medicus euenire ex forti calore & virtute. Si tardus, scit contingere ex defectu virtutis, & minoratione caloris. Si autem est medius, iudicat sanguinem laudabilem & bonum, vt Constantius libr. 7. cap. 3. dicit. Quod autem ad perfectam rerum cognitionem hæc tria requiruntur, habemus figuram Genes. 27. vbi legitur, quòd Isaac volens perfectam notitiam habere de Iacob, num esset primogenitus, vt asseruit, voluit tactu probare: ideò dixit. *Accede huc, fili mi, vt tangam te, & probem vtrum tu sis Esau filius meus, an non.* Et quia ipse pellibus hædorum manus & collum circundederat, non cognouit eum, nam pilosæ manus similitudinem Esau expresserant. Videns autem quod de eo plenam certitudinem non haberet, adhibuit auditum, & quæsiuit ab eo. *Quis es tu, fili mi? tu es filius meus Esau? Et ille*, inquit, *Ego sum. Cui pater, Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* A

Ad rerum perfectam cognitionē tria requiruntur.

Moraliter. B. Thomas futurus erat medicus animarum, ita vt conuenienter ei competat illud Eccl. 38. *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creauit Altissimus.* Ipse autem volens perfectam notitiam habere de Christo, tanquam peritus medicus ipsum tangere, audire, & videre voluit, sicut patet in historia Ioan. 20. Quia viderat ipsum infirmum ante passionem, secundum illud. *Vidimus eum non habentem speciem, virum dolorum, & scientem infirmitates,* ideò non credidit, nisi quando probauit. Et hoc testatur Dominus verbis præassumptis. *Probasti me, & cognouisti me, &c.* In quibus tria tanguntur. *Primò,* habuit solicitudinem in inquirendo, ibi; *Probasti me. Secundò,* habuit certitudinem in adhærendo, ibi; *Cognouisti me. Tertiò,* habuit promptitudinem in discernendo, ibi; *Tu cognouisti.*

Primò est Notandum, quòd homo volens transire per fluuium de vno portu ad alium, si non videt fundum, consueuit esse solicitus de scienda fluuij profunditate, ne sibi periculum immineat submersionis. Quia dicit Cato.

Quod flumen est placidum, forsan latet altior vnda.

Ideò legitur Ezechielis 47. *quod Angelus mensurauit aquam funiculo, quam debebat transire Ezechiel, qui primo attingebat vsque ad talos, deinde vsque ad genua, postea vsque ad renes, & tandem aqua intumuit, quòd pertransire non potuit.* Ideò valde incautum est transire aquas nisi prius solicitè de eius periculo inquiratur.

B Legitur enim in historia Magni Alexandri, quòd quodam tempore cum exercitu venit ad fluuium, in cuius medio erat ciuitas comperta, & in circuitu ciuitatis erat aqua quasi stadiis quatuor. Quidam autem ex iuuenibus numero viginti septem exuti, inde fluuium intrauerunt, sed surgentes ex eo bestiæ quæ dicuntur Hippopotami ipsos occiderunt. Ideò alij milites fundum inquirentes fluuij ex alia parte salui transierunt.

Spiritualiter. Sacra scriptura in multis locis Christum vocat fluuium, sicut dicit Psal. 49. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et comparat se fluuio Eccl. 24. *Ego quasi fluuio Dioryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso.* Hic fluuius secundum Isidorum lib. 14 in Armenia oritur ex quodam monte, quasi fluuius Euphrates, qui exit de paradiso, & cum magna violentia postea in Caspium fluit mare. Sic Christus ab altissimo monte, de quo Psal. 14. *Quis requiescet in monte sancto tuo?* ortum habuit, sed cum velocitate in mare huius mundi venit. Per istum fluuium, Christum, oportet nos pertrãsire, de portu miseriæ ad portum salutis. Quia ipse est via, per quam itur ad cœlum, secundum illud Ioan. 14. *Ego sum via, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Hoc etiam prædixit Psal. 65. *In flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.*

Iste igitur nobilissimus fluuius Christus habet profundam diuinitatem, quæ, vt ait Prosper, verius cogitatur, quàm dicatur, verius est quàm cogitari possit. Sed habet pro exteriori superficie aquam decurrentem, labilem humanitatem, & hanc Apostoli decem videntes, nec fundum diuinitatis inuestigantes, statim in aquam humanitatis saltare voluerunt, & Thomæ dixerunt. *Vidimus Dominum.* Ioan. 20. Thomas autem cautior illis, quamuis vellet tanquam electus ad gloriam ire, & istum fluuium transire, non statim credidit, nec transiuit, quia de fundo Deitatis nihil sibi dicebatur, ideò fuit solicitus ad inuestigandum; si fluuius ille esset securus ad fundum; si esset ibi Deitas, in qua pedem firmare posset.

Pede

Rectè enim fecit, ſicut vulpes, de qua recitant Naturales, quando debet tranſire fluuium, aut aquam congelatam, non ſtatim pertranſit. Sed diligenter aure ſuper glacie poſita probat; an aqua ſubtus currat: ſi audierit aquam, non conſueuit pertranſire, ſi autem firmam conſiderat, ſecura percurrit. Ideo B. Thomas audita aqua fluxibili ſcilicet humanitate noluit tranſire, neq; credere, ſed facta probatione, & firma percepta Deitate, in fluuio Chriſto, credidit & tranſiuit, ac dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Ideò de ipſo exponi poteſt illud Eccl. 31. *Quis probatus eſt in illo, & perfectus eſt & erit illi gloria æterna,* Probatus enim eſt ſicut equi probantur. C

Dicunt naturales & experti, quod bonus equus ita probatur. Ducitur ad fluuium, ſi bibendo benè & fortiter immergit roſtrum, & caput vſq; ad fundum, optimus iudicatur. Si autem ſolum aquam bibit in ſuperficie, tunc eſt ſignum non boni equi. Ita oſtenditur perfectus eſſe, & fuiſſe B. Thomas Apoſtolus in ſua probatione, quia cæteri Apoſtoli miſerunt tantum caput in fluuium, Chriſtum in ſuperficie cognoſcentes, hoc eſt, in humanitate, quando dixerunt. *Vidimus Dominum*, nec immiſerunt ſe vſq; ad fundum Diuinitatis; ſed B. Thomas os, pedes, manus & aures, & ſe totum immiſit, & vſque ad Deitatem penetrauit. Ideo de ipſo verificatum eſt illud Eccl. 1. *Altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profundum abyſſi hic dimenſus eſt.* Per altitudinem cœli poteſt intelligi ſublimitas diuinitatis. Nam ipſum cœlum eſt ſublime, eo quod perfectius eſt aliis corporibus. Ita Chriſtus, quoad Deitatem, dicitur altitudo cœli, propter ſummam perfectionem, quam habet, & eſt altior eo. Ideo eius veſtigia comprehendere non poſſumus Iob atteſtante, qui ait c. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelſior cœlo eſt, ſublimior omni creatura.* Quaſi dicat, qualiter poteſt Deum cognoſcere, cum ſit excelſior cœlo, & ſublimior omni creatura? Sed ſanctus Thomas ad hanc altitudinem peruenit, ideo nunc valde eſt exaltatus, ſecundum illud Iſa. 52. *Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.* D

Per latitudinem verò terræ intelligitur humilitas Chriſti humanitatis, quia terra eſt ſtabilis & quieta, ſecundum illud Eccl 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.* Sic humanitas Chriſti fuit ſtabilis, quia nunquam inclinauit ſe ad peccandum atteſtante Petro, qui ait; Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius,* Et Pſal. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, &c.* Et hanc humanitatem cum diuinitate ſecutus eſt B. Thomas, cum dixit, *Deus meus*, quoad diuinitatem; *& Dominus meus*, quoad humanitatem. Ideo interpretatur *Geminus*, quia in Chriſto geminam naturam intellexit. Vel ideo, quia reſurrectionem Chriſti quaſi geminatè, & quaſi in duplo plus quàm alij diſcipuli cognouit. Iſti cognouerunt ſolum videndo, iſte videndo, & palpando. Interpretatur etiam *Abyſſus.* Ipſe enim fuit non ſolum aliis Apoſtolis ſimilis in illo, imo etiam Ezechiele perfectior qui aquas inueniens vſq; ad renes, & poſtea quia intumuerunt tranſire non potuit; Sed Thomas inuenit probauit, penetrauit, & perfectus inuentus fuit. Ideo ipſe dicere potuit illud 3. Reg. 10. Quod dixit Regina Saba. *Non credebam narrantibus mihi, donec veni, probaui & vidi, quod media pars mihi nunciata non eſſet.* Certè non media pars reſpectu diuinitatis, quam B. Thomas quærendo adinuenit.

Pro doctrina eſt nobis NOTANDVM, Hic S. Thomas in hoc, quod voluit probare antequam crederet, dat nobis doctrinam ſalutarem, in qua debemus ipſum imitari;

imitari; Vt prius omnia probemus, & bonis adhæreamus, & mala fugiamus: sicut & consuluit Apostolus 1. ad Thessal. 5. *Omnia probate, & quod bonum est, tenete.* Ad hoc exemplo naturali de coruo instruimur, cuius natura est, quod hamo sibi cooperto carnibus, non statim vt eam inuenit, deuorat, & transglutit, sed rostro diligenter probat, & examinat, voluit & reuoluit, paulatim carpendo carnem de hamo extrahit & comedit, & vacuum hamum relinquit. Sic quando nobis præponuntur diuitiæ aut deliciæ, &c. frequenter in se hamum mortalis culpæ continentes, non debemus voraciter appetere & amplecti, secundum illud Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,* sed solicite debemus examinare, quid ibi sit gratum Deo, aut displicens, & illa recipere, quæ sunt ad sustentationem vitæ necessaria, & Deo placentia; Ea verò, in quibus est hamus, culpa & offensa diuina, relinquere. Et hoc est omnia approbare, bonumque tenere. Et hoc est quod docet Apostolos ad Philip. 1. *Probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.*

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI NOSTRI.

Sermo primus.

Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Saluator mundi. Lucæ 2.



QVANDO regi, vel alicui alij Domino seculari filius nascitur, hæc natiuitas est speciale gaudium genitoris, & non solum illorum, verum etiam cognatorum; à quibus principalia insignia tripudij demonstrantur. Et hoc fit principaliter, si accidit partus mirabiliter. Figura illius habetur Genes. 21. vbi legitur, quòd Sara, quæ fuit annosa & sterilis, concepit & peperit Isaac in sua senectute, sicut prædixerat ei Dominus. *Et quicunque audierit corridebit,* id est, gaudebit. Similiter eius pater Abraham lætus effectus fuit, qui *fecit conuiuium grande in die ablactationis suæ.* Itemq; legitur Lucæ 1. Cum Elisabeth Ioannem peperisset, *audientes vicini & cognati, congratulabantur ei.* MYSTICE. Cœlestis Pater Rex regum, & Dominus dominantium, *magnus & laudabilis super omnem terram,* vt ait Psalmista. Huic inquam, regi magno hodie natus est filius, secundum illud Psal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.*

A. Ideo illa beata Natiuitas gaudium fuit eidem cœlesti Patri Regi & toti supernæ curiæ; qui hodie lætanter cantarunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Et non solum lætitia facta est Patri cœlesti, sed & Mariæ Matri quæ conuenienter dicere potuit illud, quod dixit Sara. *Risum fecit mihi Dominus,* id est, gaudium. Et similiter quod dixit Anna genito Samule 1. Regum 2. *Exultauit cor meum in Domino: & exultatum est cor meum,* id est, potestas mea, *in Deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos,* id est, dæmones; *quia lætata sum in salutari tuo.* Cum hac lætissima matre hodie lætari debemus, quia admonet nos in Cantico hodierno per beatum Gregorium: Congratulamini mihi, inquit, omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem paruula, placui altissimo, & de meis visceribus genui

Deum.

Deum & hominem. Et hoc gaudium, quod hodie factum est vniuersis, nuntiauit regalis nuntius Gabriel dicens. *Annuntio vobis, &c.* In quibus verbis tria describuntur. *Primò*, ingentis tripudij proclamatio, ibi; *Annuntio vobis. Secundò*, communis gaudij diuulgatio, ibi; *Quod erit omni populo. Tertio*, hominis perditi restauratio, ibi; *Quia natus est nobis.*

De PRIMO est sciendum secundum naturales, sole oriente materiali, multa mira in his inferioribus fieri consueuerunt. PRIMÒ namque illuminantur omnia, quæ prius sunt ex noctis tenebris obumbrata, quod secundum Isidorum: Sol est fons totius luminis, cuius radiatione superiora, & inferiora cuncta illustrantur. SECVNDO illa, quæ noctis frigiditate sunt indurata, fluere incipiunt sole oriente, sicut signanter videmus in hyeme de glacie, & de niue. TERTIÒ, omnia venenosa animalia, sicut draco & basiliscus se occultant in cauernis, secundum illud Psal. 103. *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* QVARTÒ, cuncta volatilia, vt philomelænæ, & alaudæ in vere lætius vociferantur, quando sol oritur, & comiter cuncta animalia gaudendo clamant, & vultum versus solem ferunt. Infirmi etiam, qui ex humiditate noctis, quæ auget infirmitatem, sunt grauati, habent alleuiamen, & communiter gaudent sole oriente.

B Solis orientis effectus varii. I. II. III. IV.

MYSTICE per solem Christus Dei æterni filius intelligitur apertissimè. Rectè enim sicut sine sole nihil proficit, atq; crescit, sicut patet de terra nascentibus, quæ sine sole non crescunt, nec homines caperent incrementum, quia homo generat hominem, & sol, vt dicit Aristoteles 2. Physic. Ita sine Christo nihil possumus implere, sicut ipse testatur Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Cui consonat Poëta.

Proficit absque Deo nullus in orbe labor.

Hic iustitiæ sol clarissimus diu à sanctis Patribus oriri est prædictus. Præsertim à Malachia Propheta ca. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ.* Sed qui longè antè erat prophetatus, hodie est ortus, & de virgine natus, sicut canendo testatur S. Ecclesia: Hodie nobis cœlestis rex de virgine nasci dignatus est, vt hominem perditum ad regna cœlestia reuocaret. Gaudete igitur omnes Deum timentes, quia natus est nobis, & ortus est verus sol, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. Exultate & vos perditi peccatores, quia natus est puer mitissimus, qui per suam clementiam nos à fauce Leuiathan liberabit, & ad cœlestia regna reuocabit.

Idcirco ad gaudendum inuitat quemlibet hominem Leo Papa in sermone hodierno dicens: Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus: neque enim fas est locum tristitiæ habere, vbi natalis est lætitiæ vitæ, quæ consumpto mortalitatis timore ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nullus ab hac alacritatis participatione secernitur, vbi communis est lætitia. Ratio: Quia Saluator Dominus noster peccati, & mortis destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator; quia inuitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitã. Hæc Leo. C

Et est NOTANDVM quod illa prædicta, quæ contingunt in ortu solis naturalis, illa etiam hodie in natiuitate Christi contigerunt. PRIMÒ: quia sicut in ortu solis tàm inferiora, quàm superiora illustrantur, sic hodie Christo nato in nocte, ipsa obscuritas versa est in diei clarissimãm lucem. Sicut de hoc refert Iacobus in lib. de in-

In Christi natiuitate quæ contigerunt. I.

fantia Saluatoris, & Vincentius in spec. hist. lib. 6. Cum Maria cum Ioseph iret in Bethleem, *vt Ioseph profiteretur, quia erat de domo, & familia Dauid*, iussit ipsam Mariam grauidam quandam intrare speluncam, quæ lucem diei penitus non habebat, sed in ingressu Mariæ cœpit tota splendere, quasi ibi esset hora diei sexta, nec defecit lux illa nocte. Refert etiam Petrus Comestor in schol. Historia. Quia hora natiuitatis Christi tres soles apparuerunt, qui paulatim in vnum corpus solare sunt redacti, & non solum ista die, seu hora eius, sed ante aliquod tempus post mortem Iulij Cæsaris. Quod etiam Eusebius in Chronica testatur.

Tres Soles in Natiuitate apparuerunt.

D Et hoc fuit euidens signum, quod ille venerat, qui omnia illuminaret, secundum illud Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris sedent, & in vmbra mortis.* O vtinam nostra corda illuminarentur, vt possemus dicere, quod canit Ecclesia: Fulsit hodie lux super nos. Sed sunt (prô dolor) timendum multi, quorum ex multis peccatis sunt obscura corda, qui in præsentia huius clarissimæ lucis Christi nati sunt vitiis deturpati: Vitiis quidem cuiusdam bestiæ, de qua refert Isidorus lib. 12. Hæc in luce plena est deformis, & obscura, sed in tenebris lucet, vt candela. Ita & ipsi in hac dilectissima die, id est, qua venit Christus omnia illustrare, sunt totaliter deformes & obscuri. Illis quidem Christus nondum est natus, quia dicit Hieronymus in epistola ad Eustochium virginem. Hoc enim requirit Christi natiuitas, vt ipse nascatur in nobis gratia & virtute sua, quæ nos illuminet, nosq; in ipso renascamur spiritus nouitate, scilicet peccata per pœnitentiam expellendo: aliàs in Christi natiuitate nullam haberemus societatem, teste Apostolo, qui dicit 2. Cor. 6. *Quæ societas luci ad tenebras*, quasi diceret, nulla.

E SECVNDÒ, Sicut oriente sole dura fluere incipiunt, sic in felicissima Christi veri solis natiuitate duo facta sunt fluida. Nam cœli, qui tam duri fuerunt, quod per quinq; millia annorum, & ducentos annos nullam gratiam distillauerunt, hodie autem per totum mundum melliflui facti sunt, sicut canit Ecclesia. Hodie montes fluidi facti sunt secundum illud Ioel. 3. *In illa die* scilicet natiuitatis Christi *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Hodie vineæ Engaddi floruerunt, quamuis esset in hyeme, & fructum protulerunt balsami, quæ liquorem abundanter effuderunt, vt dicit Bartholomæus in sua compilatione. Hodie fons aquæ in ciuitate Romana in liquorem versus est olei, erumpens vsq; ad Tyberim, largissimè profluxit, vt Chrysostomus dicit, & Papa Innocentius III. Et hoc manifestum erat signum, quod natus erat ille, qui largifluam suam gratiam omnibus peccatoribus vellet dare, quàm per tot annorum curricula voluit denegare. Ideo dicit Haimon super Apoc. Tantumque Christi natiuitas, quantum & eius passio nostram operabatur, meruitq; salutem, & gloriam per immensam. Idcirco nos peccatores, qui in multis offendimus omnes, si timemus districtum iudicem respiciamus, & petimus gratiosum natum infantem. Quia secundum Bernardum. Puer dat multa bona pro modico, & per modicum placari potest. Et hoc patet in exemplo.

F Legitur de quadam muliere, quę erat in quodam ordine monialis, sed reiecto habitu publica meretrix est effecta. Post multos igitur annos rediens ad claustrum, ibidem pœnitentiam peractura. Sed cum de iudicio Dei cogitaret, & de pœnis inferni se consequi veniam diffidebat. Similiter quando de paradiso cogitabat, de quo Adam propter vnum inobedientiæ peccatum reiectus fuit, de regno cœlorum Luciferum

ſerum deſcenſum perpendens propter ſuperbiam, ſe illic aſcendere propter multitudinem peccatorum iterum deſperabat. Cum vero cogitabat de paſſione Chriſti, qui ſanctus ſanctorum dicitur, & quod tanta innocens pertuliſſet, & ipſa turpiter tam magna, multipliciaq; peccata commiſiſſet, denuo ſe gratiam inuenire diffidebat. Igitur his dimiſſis cœpit cogitare de illis, quæ circa ipſum facta erant in eius natiuitate, quomodo puer, & Saluator natus eſt nobis, ſicut aliquãdo audierat ex Euangelio, Lucæ 2. dicente Angelo: *Natus eſt nobis Saluator mundi in ciuitate Dauid*, & cœpit cogitare, quomodo pueri per modicum placantur. Proſtrata igitur coram imagine B. Virginis meditabatur de infantia Saluatoris & tot perfuſa eſt lacrymis ex dulcedine pueri, vt ferè mortua fuerit, adiurans puerum per benignitatem infantiæ, & ab eo indulgentiam accepit peccatorum. Audiſtis enim dilectiſſimi, quod hodie melliflui facti ſunt cœli per totum mundum.

Sed quid intelligitur per cœlos? Certè animæ iuſtorum hominum, & fidelium Chriſtianorum. Rectè enim, ſicut omnia inferiora reguntur per cœleſtia, ſic corpus regitur ab anima. Quia dicit Ariſtoteles 1. Polit. Inutile eſt corpus abſque anima. Et ſicut cœlum eſt ornatum Sole & Luna, & cæteris ſideribus, ſic anima ſecundum Bernardum eſt ornata ratione, & virtutibus. De illis canit Eccleſia: Hi ſunt cœli, in quibus Chriſte habitas, & illi debent hodie fieri melliflui per dulcem laudem, & gratiarum actionem, eo quod filius Dei hodie dignatus eſt incarnari, & nos à poteſtate dæmonum liberare, ſecundum quod monet nos B. Gregorius in proſa. Grates nunc omnes reddamus Domino Deo: & quod hoc facere oportet, docemur in figura Exodi. 15. vbi legitur. — Cœli deſignant animas iuſtorum.

G. Poſtquam Moyſes liberauit filios à poteſtate Pharaonis, ipſum cum curribus ſuis, & equitibus in mari rubro ſubmergendo. Maria ſoror Moyſis ſumpſit tympanum in manu ſua, & egreſſæ ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*, &c. MYSTICE per Mariam intelligere poſſumus quamlibet fidelem animam, pro incolatu præſentis vitæ amaram. Sed per tympanum intelligere debemus Dei filium incarnatum. Quia ſicut in tympano eſt forma ſphærica, pellis extenſa, & melodia: ſic in Dei filio eſt forma ſphærica, hoc eſt, Deitas, quæ non habet principium, neque finem, ſecundum illud Michææ 5. *Egreſſus eius à diebus æternitatis*. In ipſo etiam eſt pellis, id eſt humanitas, ſeu caro, quæ poſtea fuit in cruce extenſa, iuxta illud Pſal. 103. *Extendens cœlum, ſicut pellem*. In ipſo fuit melodia, id eſt, anima omni dulcedine plena. Hoc tympanum, id eſt, Chriſtum, debet ſumere hodie fidelis anima cœlo comparata: & mellifluas laudes, deuotiones & gratiarum actiones, debet præcinere cum Maria, iubente hoc Pſal. 97. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit*. Debent montes contemplatiui ſtillare dulcedinem deuotionis, & colles, ſcilicet humiles actiui, debent fluere lac & mel, id eſt, laudare eius natiuitatem, & Deitatem, vt impleatur illud Iſaiæ 55. *Montes & colles cantabunt coram Deo laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu*. Et verè hæc eſt dies boni nuntij: ſi tacuerimus, ſcilicet à laude & noluerimus nuntiare, ſteriles arguemur, vt habetur 4. Reg. 7. — Tympanũ deſignat filium Dei.

H. Ideo legitur de quodam Monacho, qui cum audiret legere illa verba, *Verbum caro factum eſt*, non flexit genua, nec aliquod ſignum reuerentiæ oſtendebat. Tunc venit diabolus, & dedit ei alapam dicens: Si hoc Verbum prodeſſet nobis, ſicut

profuit vobis, nunquam flectere cessaremus. Ideo Papa Clemens V. dedit vnum annum, & quadraginta dies indulgentiarum omnibus, qui genua flexerint, laudantes Deum cum legere audierint. *Verbum caro factum est.*

I III. TERTIÒ, Sicut sole oriente omnia ad latibula sua fugiunt animalia venenosa, & non audent Orientem expectare; Ita Christo nato, omnes immundi, & contra naturam peccantes sunt extincti, & mortui in orbe vniuerso, secundum quod prophetauerat Psalm. 100. in persona Christi. ***In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem*:** quia secundum beatum Hieronymum, qui dicit super illud Psalm. 96. *Lux orta est iusto.* Tanta fuit illa lux, vt omnes laborantes in peccato Sodomitico extincti sint, & hoc fecit Christus, vt omnes huiusmodi peccatores eradicaret, ne in natura, quam assumpserat, tanta de cætero immunditia inueniretur. Illud etiam nefandissimum peccatum fuit causa maxima, quare Deus tamdiu post peccatum Adæ distulit incarnari, teste Beato Augustino, qui dicit: Videns Deus tantum vitium contra naturam in humana natura desiit incarnari, secundum illud Genes. 6. *Pœnitet me fecisse hominem.* Sunt enim illi pessimi peccatores indigni Christi felicissima natiuitate: multum reuera timere hodie deberent, ne se terra protinus aperiret, & eos sine mora æternaliter deglutiret. Sicut factum est Sodomitis, super quos Dominus sulphur pluit, & in infernum hos omnes demersit. Gen. 19.

Cur incarnatio longius dilata.

Etiam in hoc iucundissimo ortu solis iustitiæ Christi, non solum immundi peccatores, verum etiam idola immunda sunt deleta. Quia legitur, quod hora natiuitatis Christi statuæ Romuli Dei Romanorum ceciderunt, & contritæ sunt. *Aliæ item* statuæ idolorum in omnibus locis ceciderunt, ad denotandum, quod ille natus esset, qui omnium Deorum Deus esset. Ideò etiam legitur, quod Ieremias Propheta multò ante natiuitatem in Ægyptum descendit, post mortem Regis Godoliæ, Regibus sequentibus signum dedit. Quod eorum idola corruerent, quando filium virgo pareret. Idcirco statuerunt sacerdotes idolorum imaginem virginis, puerum in gremio portantis, in secreto loco templi, & omnes illam adorauerunt. Postea autem à Ptolomæo rege interrogati, quid hoc esset, dixerunt paternæ traditionis est hoc mysterium, quod de facto Prophetarum maiores acceperunt. Et postquam Christus natus fuit, euenit, sicut Propheta dixit.

Statua Romuli contrita.

K IV. QVARTO sole oriente gaudent communiter munda animalia vniuersa, sic Christo nato omnes fideles non solum in mundo, verum etiam in limbo lætabantur, teste Augustino in Epistola contra Faustum. Scio inæstimabile gaudium Angelis, & hominibus, sanctisque Patribus in Christi natiuitate fœlicissima fore natum: Nec mirum, quod homines lætati sunt: quia dicit Hilarius super Matthæum: Sustulit namq; naturam humanam Deus omnipotens super Angelicam celsitudinem, & naturam, per ipsam salutiferam Christi natiuitatem, & beatam.

Et quamuis ad vitam æternam prædestinati, de CHRISTI natiuitate sunt lætati, tamen mali sunt tristati. Rectè, sicut sole oriente certa gaudent animalia carminibus, & vix ortum exspectant: alia autem tristantur, & fugiunt, & se occultant. Sic iusti longè antè de hac natiuitate gaudebant, & eam desiderabant, & desideranter vix illam exspectabant, sicut Isaias dicit. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes*, cap. sexagesimo quarto. Sed mali econtra. Et hoc ostensum fuit Mariæ sicut

ſicut refert Iacobus de infantia Saluatoris, cum MARIA & Ioſeph irent in Bethlehem, vt profiterentur, dixit MARIA. Video duos populos ante me, vnum gaudentem & alium flentem. Et cum Ioſeph hæc verba putaret inania, Angelus in perſona iuuenis apparuit ei dicens: Certè MARIA rectè locuta eſt, vidit enim populum Iudæorum flentem, & pŏpulum gentilium gaudentem. Sic (prô dolor) adhuc multi ſunt, qui non cum gaudio ſuſcipiunt CHRISTI natiuitatem. Sed dicunt ſecundum Auguſtinum in libro de agone Chriſtiano. Quare non potuit hominem aliter liberare, niſi ſuſciperet carnem, & naſceretur de fœmina, & à peccatoribus omnia mala pateretur? *Et ſubdit declarando*, quod non cuilibet natiuitas Chriſti eſt grata dicens: Diſplicet enim auaro, quia non aureum corpus habuit: Diſplicet impudicis, quia ex fœmina natus eſt. Multum enim odiunt Impudici, quod concipiunt, & pariunt fœminæ: Diſplicet ſuperbis, quia patientiſſimè contumelias tolerauit: Diſplicet delicatis, quia crucifixus eſt: Diſplicet timidis, quia mortuus eſt. Hæc ille. Nos autem ò chariſſimi non ſic, ſed grati ſimus de ipſius incarnatione dicentes gaudiosè. Gloria tibi DOMINE, vt ſic per hoc ſpirituale gaudium veniamus ad cœlum. Quibus natiuitas Chriſti diſplicet.

DE EODEM FESTO.

Sermo ſecundus

Natus eſt nobis Saluator mundi. Luc. 2.



SECVNDVM naturales ver præmittit varios nuntios. Aliqui ſunt violæ, quæ interdum longè ante ver apparent, ſi ſaltem tempus fuerit calidum, quæ ſunt primi flores veris: *Aliqui ſunt* hirundines, & non ſolum vna ſed plures, quia dicit Ariſtot. 1. Ethic. Vna hirundo non facit ver, nec vna dies calida æſtatem: quaſi diceret, ſed plures. *Alij nuntij* ſunt coturnices: *Alij ſunt* ciconiæ, quæ ſecundum Ambroſium in Hexameron ſunt veris nuntij. *Vltimi nuntij* ſunt flores terræ, de quibus dicitur Canticor. 2. *Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit flores apparuerunt in terra noſtra.* A Varii prænuntii veris. Violæ. Hirundines Coturnices. Flores.

SPIRITVALITER per ver intelligitur tēpus gratiæ. Rectè ſicut in vere omnia renouantur, ita in tēpore gratię oĩa ꝑdita fuerunt reſtaurata. Hoc tēpus gratiæ habuit varios nuntios, aliqui à longè illud futurũ prædixerunt. Et hoc recoluit Eccleſia in 1. Dominica Aduent, cũ cecinit. Aſpiciens à longe, ecce potētiam Dei video veniētē & nebulam totam terram tegentem. Alij autem citò fore cecinerunt. Ideo cantauit Eccleſia in ſecundo Dominica. Ieruſalem cito veniet ſalus tua, quid mœrore conſumeris? ſanabo te, & liberabo te noli timere. Aliqui nuntij fuerunt de prope. & hoc prophetizauit ſolennis nuntius Iſaias, qui dicit cap. 14. *Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.* Et iterum c. 62. *Dicite filia Sion: Ecce Saluator tuus veniet, ecce merces eius cum ipſo.* Alia autem de præterito fuerunt, & illa portauit regalis regula beati Pauli, qui ait ad Galatas 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum ex muliere factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.* Hic nobiliſſimus flos, qui hodie in terra noſtra apparuit, præſignat tempus diu adoptatum. Et hunc

hunc florem ortum esse prædixit cœlicus nuntius Gabriel, cum dixit. *Natus est nobis Saluator mundi:* in quibus verbis duo principaliter describuntur. *Primo,* generationis fructus, ibi; *Natus est vobis. Secundo,* Saluatoris natiuitas, ibi; *Saluator mundi.*

B De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt naturales quando sol oritur, multiplex oritur nobis gaudium, seu generatur, quæ etiam in ortu veri solis Christi, scilicet in eius natiuitate fuerunt.

Cur sol oriens maior appareat.

PRIMO. Sol vt dicit Commentator in libro de impressionibus, semper in ortu suo cernitur maioris quantitatis. Cuius ratio est secundum Aristotelem & Alexandrum super 3. Metheor. Quanto stella remotior fuerit, tanto maior apparebit. Et quia oriens est vna de partibus remotis cœli ideo multus vapor interponitur, qui facit maiorem apparere solent. Dicit etiam Calcidius super Timæum Platonis. Quod specialior influxus virtutis luminis solaris est in ortu regionibus vniuersis. Ita Christus in ortu suæ natiuitatis maioris semper clementiæ cernitur, & amoris, & specialem influit nobis gratiam & fauorem, teste Gratiano in iuris apparatu. Nemo inquit, ambigit, quin nascente Domino speciali influxus gratiæ pateat toti mundo, Cui alludit Eusebius in sermone. In ortu quidem Saluatoris, aspectus super nos clementior est semper conditoris. Et hoc patet in exemplo.

C Legitur quod quædam mulier deuotæ infantiæ Christi inhiabat. Veniente igitur tempore Natiuitatis eius, rogat ipsum, vt ostenderet sibi imaginem suam in faciem, & cum recessum aliorum hominum in Ecclesiæ exspectaret, venit formosus puer stans ante eam. Videns igitur illa puerum tam formosum, interrogauit eum, si sciret Aue Maria. qui respondit: Etiam. Illa: Dic, inquit, mihi. Puer autem prædixit. Et cum peruenisset illuc: *Et benedictus fructus ventris tui.* Dixit puer. Ego sum idem fructus, & euanuit, & mulieri specialem gratiam infudit. At illa iubilando clamauit: Reuertere tu charissime puer, decorus, & delectabilis: & alijs similibus verbis non cessauit per triginta dies, & in tricesimo die venit Iesus dicens. Ecce reuocatus ad te venio, & tu venias ad me in regnum meum. Et illa sic gaudendo fœliciter migrauit ad cœlum.

Sol oriens minuit infirmitates.

SECVNDO. Sol in ortu suo minuit infirmitates, cuius ratio est. Dicunt naturales medici, quia infirmitas consurgit ex malis humoribus, & hi in nocte magis augmentantur, ideo infirmi fortius in nocte patiuntur. Sole autem oriente illi humores grassi ex virtute caloris solis minuuntur, vt sic infirmitates alleuientur. MYSTICE. Ante incarnationem filium DEI homo patiebatur, quinque infirmitates, quas tamen in ortu suo versus sol iustitiæ minuit afferendo medicinas.

Infirmitates hominis quinq;.

E
1. PRIMA infirmitas, est tumor superbiæ: iste morbus erat valde generalis: habuit enim ortum in cœlo in Lucifero, qui ait: *Ascendam in cœlum, & ero similis altissimo,* Isai. 14. Et quia est naturæ cœlestis, ideo etiam viros cœlestes inuadit. Sicut patet in Dauide rege, qui ex superbia iussit numerari populum suum dicens ad Ioab. *Vade numera populum Israel, & Iuda.* 2. Reg. 24. Deinde hæc superbia de cœlo cecidit, & ortum habuit in paradiso, cum ad suggestionem dæmonis homo superbiuit Genes. 3. Deinde sparsa est per totum mundum: modo regnat etiam in inferno. Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Sed contra istum tumorem Christus attulit primum medicamentum suam carnem, ex qua emplastrum fecit, & tumorē

Superbia.

sana-

ſanauit, & confregit. Fit autem emplaſtrum ſecundum medicos ex herbis, & floribus, quando illa ſuo tempore abſcinduntur, & in mortario conteruntur. Caro autē Chriſti in quantum habuit veritatem humanæ naturæ, ſicut atteſtatur Auguſtinus in lib. de fide ad Petrum dicens. Firmiſſime crede, & nullatenus dubites, Chriſtum verum corpus, & animam aſſumpſiſſe; tunc fuit herba, Iſai. 40. *Omnis caro fœnum.* In quantum autem fuit de rore innocentiæ decorata, fuit lilium, ſecundum illud Canticorum 2. *Ego flos campi & lilium conuallium.* In quantum humanitate fuit prædita, fuit viola. In quantum autem fuit ſanguine rubricata, fuit roſa, iſta herba & iſti flores fuerunt ſimul attriti ſecundum illud Iſai. 53. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra*, & ex illis fecit emplaſtrum quo tumorem ſuperbiæ noſtræ ſanauit. Chriſti emplaſtrum contra ſuperbiam.

SECVNDA infirmitas facit cœcitas ignorantiæ: Homo enim non habuit oculum amoris, quo cœleſtia deſideraret, nec habebat oculum timoris, quo malum vitaret, & pœnas æternas timeret. Et quamuis eſſet cœcus, non habuit ductorem: quia angelus ipſum propter peccata reliquerat, ſecundum illud Ieremiæ 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*, & non habebit diuinæ gratiæ præſidium. Contra iſtum morbum Chriſtus attulit ſanguinem ſuum, de quo fecit collyrium, quo ſanauit oculos noſtros. Sicut collyrium confectum eſt ex ſaliua, & terra, Ioan. 9. hoc eſt de diuinitate ſanauit. Confectum eſt de melle, & cera, id eſt, Deitate melliflua, & carne incorrupta, quo illuminati ſunt oculi Ionathæ 1. Reg. 14. *II.* Cœcitas ignorantiæ. Collyrium contra cœcitatem.

TERTIA infirmitas erat mors culpæ, & gehennæ. Homo quidem moriebatur corpore, & pœnæ morte, ſecundum illud Gen. 2. *In quacunq; die comederitis morte moriemini*, & in anima morte culpæ, iuxta illud Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur morte*. Et in vtraq; morte gehennæ: Contra illum morbum attulit Chriſtus tertium medicamentum ſpiritum humanam Deitate coniunctum, qui quidem viuificat à morte pœnæ per reſurrectionem teſte Apoſtolo, qui ait ad Rom. 8. *Si ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum Ieſum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora veſtra.* Viuificat à morte culpæ per gratiæ infuſionem. Et Ioan. 6. *Eſt ſpiritus, qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam.* Viuificat à morte gehennæ per gloriæ collationem, ſecundum illud Pſalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* *III.* Mors culpæ. Medicamentum quo viuificamur à morte pœnæ.

QVARTA infirmitas fuit duritia peruerſæ obſtinationis, quia homo non poterat frangi per contritionem, nec mollificari per paſſionem. Contra iſtum morbum attulit quartum medicamentum, ſcilicet animam, quæ fuit quaſi vas vngnentarium, in quo poſuit Deus vnguenta omnium ſanitatum, in ipſa fuit vnguentum medicatiuum, ſcilicet dolor eius, quando dixit Matt. 26. *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem* quòd debet frangere vſque ad contritionem, ſecundum illud Ioel. 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra:* in ipſa fuit vnguentum dulcoratum, ſcilicet amor eius, qui debet dulcorari ad compaſſionem. ſicut ipſe iubet dicens: Recordare paupertatis meæ tranſgreſſionis, abſinthij, & fellis. *IV.* Duritia obſtinationis. Remedium contra obſtinationē.

QVINTA infirmitas fuit fœtor immunditiæ: Quædam enim peccata ſunt, quæ fœtent, ſicut luxuria, de quibus dicitur Ioel. 2. *De cadaueribus eorum aſcendit fœtor.* Similiter inuidia. Prou. 14. *Putredo oſſium inuidia.* Contra iſtum morbū Chriſtus attulit quintum medicamentum, ſcilicet Deitatem ſuam, ſicut balſamū p̄tioſum, quo fœto *V.* Fœtor immunditiæ. Medicina contra morbū dictum.

bant, sed muta & surda idola adorabant. Gentiles verò odiebant Iudæos ex eo, quod vniuerso mundo idola colente, ipsi soli contemnebant. Sed istam discordiam Christus sedauit, quando vtrumq; populum in vna fide vniuit, secundum illud Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.*

inter hominem & hominem.

QVINTA discordia fuit inter iustos, & peccatores. Iusti enim despiciebant peccatores. Luc. 18. vbi *dicit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant:* Peccatores autem Dei misericordiam non considerabant, sed ab ipsa se despici putabant. Sed hanc discordiam pacificauit, quando vtrisque se communicare voluit, tàm iustis, quàm peccatoribus. A iustis enim parentibus nasci voluit secundum Hierôn. & cum *peccatoribus manducare.* Matt. 9. Et sic Christus in ortu suo tanquam Saluator omnia pacificauit.

V. Discordia inter iustos & peccatores.

DE EODEM FESTO.

Sermo tertius.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Cant. 3.

SCribit Guido Camer. Episcopus dicens: quoddam castrum pulchrum ædificatum fuit super fluuium magnum, vbi plures conueniebant nobiles ad solatia exercenda. Contigit quadã vice, vt essent pariter, viderunt Cygnum album descendere per alueum riui, habentẽ catenam argenteam in collo, per quam traxit nauiculam, in qua sedebat Gigas iuuenis pulchræ formæ, robustissimi corporis, & elegantissimæ complexionis. Cygnus igitur iuxta castrum applicuit, & Gigas de naui in terram prosiluit, quod nobiles videntes eum cum reuerentia, & admiratione magna susceperunt. Gigas ergo ad preces nobilium ibi mansit, & electus in regem, creuitq; in gentem magnam.

MYSTICE. Per castrum illud mundus intelligitur, qui respectu magnitudinis cœli est, quoddam castellum, *in quod Christus intrauit.* Luc. 10. Hoc castrum situm est super fluuium, quia secundum naturales terra est vndiq; aquis circundata. Sicut & hoc per regem Alexandrum Magnum est probatum.

Legitur in historia ipsius, quod ipse modum excogitauit quomodo posset ascendere in cœlum, quod videmus. Fecit ergo sedem excogitare, & apprehendens duos gryphos colligauit eos catenis, & posuit ante eos in summitate cibaria illorum. Cœperunt ergo sursum tendere, donec terra tota videbatur sub se quasi area, & mare, sicut draco magnus girans eam circumquaq;. Sed diuina virtus obumbrauit eos, & gryphos deiecit in terram, in loco campestri longè ab exercitu itineris decem dierum, nullam tamen sustinuit læsionem Alexander, & ipse forti angustia vix à militibus est inuentus. Ex hac patet historia, quia castrum huius mundi est circundatum aquis, ad hoc castrum venit albus cygnus, hoc est, Gabriel Angelus, qui dicitur cygnus ratione protectionis. Rectè sicut dicitur secundum naturales, & præcipuè ait Martianus, quod cygnus pullos suos sollicitè protegit, & custodit, & appropinquantibus pullis, fortiter se opponit.

A

lis Deum natum cognouerunt, & ei reuerentiam exhibuerunt. Sicut legitur, quod Ioseph *proficiscens in Bethleem cũ Maria prægnante*, duxit secum bouem, vt fortè eum venderent, & censum pro se, & Virgine solueret, de residuo viuerent, & vnum asinum, vt super eum Virgo veheretur. Bos igitur, & asinus miraculosè Dominum cognouerunt, & flexerunt genua coram Domino quasi adorarent. Et hæc ante prædixerat Isa. 1. *Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Item legitur de infideli, & pagano Octauiano, qui DOMINVM CHRISTVM veneratus est.

Refert Innocentius Papa III. Cum Octauianus vniuersum orbem ditioni Romanæ subiugasset, in tantum Senatui placuit, vt ipsum pro Deo colore vellent. Prudens enim Imperator mortalem se intelligens, immortalitatis nomẽ sibi vsurpare noluit. Ad illorum verò importunam instantiam Sybillam Prophetissam aduocauit, scire volens per eius oracula, an etiam in mundo aliquando eo maior nasceretur. Cum ergo in die Natiuitatis Domini consilium super hanc rem conuocasset: Et Sybilla in camera Imperatoris oraculo insisteret, in aëris medio circulus aureus apparuit, quod & testatur Orosius dicens. Octauiani tempore horâ tertia repente liquidoque aëre circulus aureus circa solem apparuit, & totum orbem ambiuit; quia natus esset, qui ipsum solem solus, mundumq; totum fecisset, & regeret. Et dicit Innocentius; Quòd in medio circuli Virgo pulcherrima, puerum in gremio gestans, apparuit. Hunc Sybillæ Cæsari ostendit. Cumq; ad prædictam visionem miraretur, audiuit vocem dicentem. Hæc est ara Dei. Dixitq; Sybilla: Hic puer maior te est, ideo ipsum adora, quod Imperator fecit; & hæc camera eius in honorem sanctæ MARIÆ dedicata fuit. Intelligens igitur Imperator, quod ille puer natus maior se erat; thura obtulit, & Deus de cætero vocari recusauit.

Octauiano apparet Virgo cum puero in gremio.

Ideò non solum irrationabilia animalia, verum etiam creaturæ rationabiles Christo nato obuiam venerunt. Angeli enim in Christi Natiuitate tanta dulcedine sunt repleti, vt cœlum relinquentes, ad Christi cunabula cucurrerint. Quia Luc. 2. legitur. *Cum impleti essent dies Mariæ, vt pareret, peperit filium suum vnigenitum, & pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit.* Statim apparuit Angelus suscipiens natum regem cum gaudio. Et ad hoc gaudium incitans pastores ait, *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, & subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus laudantium & dicentium, Gloria in Excelsis Deo.* Et hæc prædixit Propheta Ioel. 3. dicens. *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Vbi per montes intelligit magnos angelos; per colles verò minores, qui omnes hodie mansiones relinquentes, regem suum natum laudantes, vt ruinas suas repararet cum iubiloso cantico susceperunt. Quem hodie virgo digna cum gratiarum actione suscepit: quia canitur de ipsa: Quod Virgo concepit; Virgo peperit; & post partum Virgo permansit, ipsum, quem genuit, adorauit. Existimo sine omni dubio, quod cum tanta exultatione, & amore Maria filium suum hodie susceperit, vt omninò lacrymas continere non potuerit: quia simile legitur Tob. 10.

Cum Tobias filium suum peregrinari permisisset, mater Anna nullo modo consolari poterat, sed quotidiè circumspiciebat, *& circuibat vias omnes*, per quas spes remeandi videbatur. Et vt dicitur, ca. 11. *sedebat quotidie secus viam, & in supercilio montis.*

montis. Et cum cognouisset venientem filium suum, currens nunciauit viro suo dicens, Ecce venit filius tuus. Et exurgens pater obuiam filio suo iuit. Suscipiens osculatus est eum cũ vxore, & cœperunt ambo flere præ gaudio. Hic potest fieri mysticatio, si tempus patitur, quomodo cœlestis Pater misit filium suum æternaliter à se genitum quasi peregrinum in hunc mundum, quem MARIA cum gaudio vix exspectauit genitum, &c. Hodie etiam Magi de longinquis egressi sunt regionibus, ad videndum regem natum, sicut refert Chrysostomus super Matthæum. Quia ipsa die Natiuitatis super quendam montem stella apparuit, quæ formam pueri pulcherrimi habebat, & in eius capite crux splendebat, qui Magos alloquens dixit, vt in Iudæam pergerent, & ibi natum regem inuenirent. Ipsi autem huic voci obtemperantes, de regionibus suis exierunt, & ad Christum vsque videndum deuenerunt. Idcirco nos, qui hic intelligimur per filias Sion, non debemus brutis animalibus esse viliores, nec infidelibus segniores, sed cum sanctis Angelis exire, & Christo nato exemplo Mariæ, & Maiorum obuiare.

E Et est NOTANDVM, quod illi, qui volunt regi terrestri dignè obuiare, solent se vestibus, vt possunt decenter ornare, & multa alia, quæ regi displicent amouere. Ita & nos debemus exornare mentes nostras per virtutes, secundum illud, quod canitur: Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum. Quia dicit B. Augustinus in lib. retractationum. Frustra tibi CHRISTVS in carne nascitur, nisi etiam in mente spiritualiter, mysticeque nascatur. Etiam debemus fugere ea, & egredi de illis, quæ illi displicent.

Quænam fugienda, vt Christo placeamus.

I. Et PRIMÒ de terra ad cœlum, vt nobis solum cœlestia sapiant, non terrena, secundum illud Apostoli ad Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et subdit. *Mortificate membra vestra, quæ super terram sunt, fornicationem immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* De his oportet nos egredi, quæ DEO & CHRISTO nato displicent. Ipse enim de munda Virgine nasci voluit, vt mundi omnem concupiscentiam à se amoueret. Pauper nasci voluit, vt mundi omnem auaritiam, & concupiscentiam excluderet.

II. SECVNDÒ, egredi debemus de carne ad spiritum, vt non sequamur carnales concupiscentias, sed solum spiritualiter secundum illud Apostoli ad Galat. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis nolite perficere: caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.*

III. TERTIO, egredi oportet de spiritu in Deum, vt perfectionem adeptam in spiritu, nobis non arroganter asscribamus, nec nobis de illa placeamus, sed omnia in Deum transmittamus, vt sic spiritu per feruidam dilectionem, & internam deuotionem in ipsum Deum in omnibus desideriis transformemur, & dicamus cum Apostolo. *Viuo ego iam non ego: viuit autem in me Christus.* Ad Gal. 2. Et hæ tres salubres egressiones figuratæ sunt in Abraham, cui dixit Dominus Gen. 12. *Egredere de terra tua*, quantum ad primum. *& de cognatione tua*, quantum ad secundum: *& de domo patris tui*, quantum ad tertium, *& faciam te in gentem magnam.*

IV. QVARTO, egredi debemus per maximam meditationem, quia tantum beneficium, quod Christus hodie fecit, cum dignatus est pro nobis incarnari, semper oportet deuotè meditari. Ad hoc hortamur Deut. 6. *Meditaberis*, scilicet hoc beneficium hodie factum, *sedens in domo tua & ambulans in itinere, consurgensq́ atque dormiens.*

miens. Et ponitur triplex situs corporis; sedere, stare & iacere. In *stando* totum corpus laborat, per quod intelligitur labor actionis. In *iacendo* totum corpus quiescit, per quod intelligitur quies contemplationis; In *sedendo*, partim laborat, & partim quiescit, per quod intelligitur completa vita ex vtroque, ex labore actionis, & otio contemplationis; Et vult dicere, quod istud tantum beneficium meditari debent actiui, & contemplatiui, & omnes viri perfecti. Triplex corporis situs.

QVINTÒ, egredi nos oportet per magnam gratiarum actionem. Quia dicit B. Ambrosius in præfatione. Qui ingratus fuerit Christi natiuitati, indignus erit omni fructu eius passionis, & merito. Ideo sancta Ecclesia, ne cum filiis suis fidelibus ingrata esse videatur, genua flectendo humiliter canit. *Grates nunc omnes reddamus Domino.* Et NOTANTER canit; *Qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica potestate:* Quia secundum Originem super Cantica. In puncto quidem, & instanti Christi natiuitatis; tota renouata fuit inducta vetustas, conditionis generisq; humani. Et hoc quo ad Primum. V.

Quantum ad SECVNDVM tangitur decorata Christi nati coronatio, cum dicitur. *In diademate, qua coronauit eum mater sua.* Pro quo sciendum secundum naturales. Inter omnia tempora anni ver præ aliis exornat fructus suos. Videmus enim, quod flores suos decenter exornat, & coronat, nunc albis foliis, nunc rubris, nunc flauis, &c. Lilia coronat foliis albis, rosas rubris, solsequium flauis. F

MYSTICE per ver intelligi potest communiter Virgo Maria mater Dei benedicta. Rectè namq; sicut flores non nascuntur, nisi vere adueniente. Sic Christus verus flos campi, & lilium conuallium nasci noluit, nisi hoc ver Beata Virgo Maria aduenerit: quia ea nondum nata, distulit suam incarnationem per multos centenarios annorum, quos enumerat Poeta. Vnde versus.

Anno ducenteno minus vno millia quinque.

Quia nulla mulierum fuit digna de se gignere, & producere talem florem delicatum, qualem hodie de se Maria produxit. Hunc nobilissimum coronauit ipsa diademate humanitatis, quam habuit ex ea. Et sicut diadema secundum Isid. 1. Etym. est corona regalis, multos habens in se ornatus de auro, & gemmis, & potest in se continere plures coronas; sic diadema humanitatis, qua coronauit Maria Christum, fructum suum benedictum, continet in se multas alias coronas. Coronæ variæ, quibus B. Virgo Christum coronauit.

PRIMA corona, & dignitas fuit, quod concepit, & peperit eum Virgo, non virili semine, sed Spiritus sancti virtute; Quod potest multis exemplis declarari, ad confundendam Iudaicam prauitatem, quæ perfidè negauit Mariam concepisse Virginem. I.

Primum exemplum est naturale. Refert Albertus in libro gemmarum, quod ostrea vernali tempore ad litus maris exit de nocte, & descendente rore cœli os aperit, & de rore cœli quantum potest capit, de quo impinguatur, & impregnatur, & tandem virtute solis pretiosas generat margaritas. Per ostream, quæ est piscis marinus, intelligitur Maria, que interpretatur amarum mare; Ipsa enim tempore gratiæ veniente, exiuit mare huius mundi, & solitaria sedens in cella, legens secundum Doctores, Isaiæ caput 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, Cum autem descendit super eam ros Spiritus sancti, secundum quod dixit angelus Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te,* &c. Ipsa aperiet os suum, quando dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi* 1. Ostrea designat B. Virginem.

secundum verbum tuum: & sic virtute Spiritus sancti concepit ex suo purissimo sanguine cœlestem margaritam Christum, quem hodie per natiuitatem in mare huius mundi proiecit, ita vt dicere possit illud Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: tempestas scilicet tribulationum, quia natus fuit cum fletu, secundum illud Sap. 7. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Positus etiam fuit in arcto præsepio, & *circumcisus octauo die*, cultro lapideo, Luc. 2.

2. *Secundum* exemplum, quod Virgo Christum peperit, scribit Albamazar sapiens Astronomus dicens. Quoddam signum in cœlo fuit visum, sicut Virgo quædam puerum in vlnis gestans, & iuxta eam senex quidam consistens, sed eam minimè tangens. Legitur etiam in Euangelio Nazaræorum, quod quidam splendor mirabilis de ipsius facie procedebat, & ille significabat splendorem de ipsius virginitate.

3. *Tertium* exemplum est de rubo, quem vidit Moyses *ardere, & illum non comburi*. Exod. 3. Et de tribus pueris *in camino ignis*. Dan. 3. Super quo dicit B. Gregorius in homil. Sicut quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat, & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis; vel quemadmodum Danieli in lacu leonum incluso, claustris non apertis, allatum est prandium ab Hibacuc. Dan. 14. Si hæc sancta Virgo genuit Deum, & intacta permansit.

4. *Quartum* signum fuit in porta clausa, quam vidit Ezechiel, *per quam vir non transiuit*. Ezechiel. 44. Quod exponens Augustinus ait; Quid est porta hæc quæ erat clausa, nisi quia Virgo Maria semper erat intacta. Quid est, vir non transiuit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam.

II. SECVNDA corona, qua coronauit eum mater sua, fuit, quia corpus eius in primo instanti perfectè organizatum est. Quia dicit Petrus Comestor in scholastica historia. Postquam Maria protulit hæc verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, statim conceptus est Iesus de Virgine plenus homo, & perfectus in anima, & in carne, ita tamen, vt lineamenta membrorum in humanis visceribus discerni non possent. Ideo dixit Ierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Illud figuratum fuit, Num. 17. in virga Aaron, quæ subitò floruit, & nuces produxit; Virga Aaron est Virgo Maria, de qua dicitur Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse.* Hæc virga subitò floruit, & nucem produxit. Quod exponens S. Augustinus in serm. de Natiuitate Domini, dicens: Nux habet trinam in suo corpore substantiam, scilicet corticem, testam, & nucleum. In testa anima: in cortice caro: in nucleo interiori diuinitas designatur. In testa anima Christi, quæ habuit patiendi firmitatem. In cortice nucis, caro designatur Saluatoris, quæ habet in se amaritudinem passionis. In nucleo interiori declarat dulcedinem diuinitatis. Ista subitò in vtero B. Virginis sunt simul coniuncta perfectè, & confirmata.

III. TERTIA corona est, quod matris integritatem non violauit, nec in conceptu nec in partu. Et hoc probat B. Augustinus in sermone de Mariæ Virginitate dicens. Solis radius speculum penetrat, nec cum ingreditur, violat, nec cum egreditur, dissipat, sed in ingressu, & egressu eius speculum integrum perseuerat. Speculũ ergo non rumpit radius; integritatem igitur Virginis ingressus, aut egressus vitare vnquam potuit Deitatis? quasi diceret, certè non. Idem testatur Bernardus in sermone: Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ideo Christus:

stus signatur per florem campi, qui, vt aiunt naturales, crescit in partibus vltramarinis habens stipitem asperum, & quinque folia rubea, & sine apertione terræ nascitur, ita quod in eius exitu terra non aperitur, quod de nullo alio flore contingit. Sic Christus egressus est de B. terra Virgine Maria, quam benedixit secundum Ps. sed tamen sine ipsius violatione; Iste flos pertulit postea asperitatem crucis, in qua habuit quinq; vulnera passionis: ideo dicitur Cantic. 2. *Ego flos campi*, &c. Christus flos campi.

QVARTA corona, quod Christus in instanti conceptionis habuit omnem scientiam omnium rerum, & hoc secundum Deitatem, licet secundum humanitatem, *puer Iesus proficiebat sapientia & ætate*. Lucæ 2. Et hoc de nullo puero homine dicitur. Quia secundum Aristotelem lib. de anima. Anima in principio suæ creationis habet se tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, aptum tamen depingi. Nobiscum enim scientia non nascitur, nisi cum longo studio, & vsu, vix tamen pauca acquiruntur. Ideo dicit Aristoteles, ea, quæ scimus, sunt minima horum, quæ ignoramus: sic autem non fuit de Christo, quia omnia in instanti conceptionis præ oculis habuit. Ideò dicit Augustinus in libro de natura, & gratia. In ipso namq; instanti, quod Christus conceptus, natusq; fuit, ipsam suam passionem, ac si iam pateretur, semper in meditatione mentis habuit. G IV. Anima est velut tabula rasa.

QVINTA corona, quod ipse solus sine peccatis conceptus fuit, & natus, nunquam peccauit secundum illud 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Sed quis modo potest dicere illud Prouerb. 20. *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*, certè nullus, sed benè potest dicere sine mendacio cum Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. V.

SEXTA corona fuit, quod habuit potentiam omnium creaturarum, id est, morbos sanando, cœcos illuminãdo, mortuos suscitando, nouos cœlos creando, &c. quia statim post natiuitatem suam potuisset illud dicere, Matth. vltimo. *Data est mihi omnis potestas in cœlo atq; in terra*. MORALITER de illis, quantum possumus participare debemus, vt dici possit de quolibet illud Ps. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine*. VI. Fructus ex his sex coronis eliciendus.

De PRIMA corona hoc possumus accipere, vt quilibet virginitatem suam, seu munditiam pro statu suo custodiat illibatam, quia secundum Ambrosium in libro de virginitate: Virginitas est amica Diuinitatis, exemplum Trinitatis, speculum puritatis, ornamentum mirificæ venustatis, riuus perpetuæ voluptatis. 1. Virginitas amica Diuinitatis.

De SECVNDA corona hoc accipere possumus, si non in instanti perfecti fieri possumus, tamen in quantum valeamus ad perfectionem tendamus, secundum illud documentum Christi: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*. Matthæi 5. Et ideo perit Psalm. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea*. 2. Studiũ perfectionis.

De TERTIA corona illud accipere studeamus, quod sanctam matrem Ecclesiam, in qua sumus spiritualiter geniti per baptismum, non violemus, secundum illud Sapientis Catonis: 3. Honor Ecclesiæ.

Ne matrem, scilicet Ecclesiam, *offendas, si vis bonus esse parenti*, id est, Christo, qui est vir, & caput Ecclesiæ. Hic potest dici. Quidam rumpunt ventrem matris, vt sunt pulli viperarum.

De QVARTA corona illud accipere debemus, si non omnem scientiam habere valeamus, saltem ad acquirendas scientias pietatis per studium, & auditionem verbi 4. Acquisitio pietatis.

verbi Dei, quantum possumus diligentius insistamus, & hoc exemplo Philosophorum.

H Refert enim Agellinus in chronicis de Philosopho nomine Democritus, cuius pater Obderides adeò diues fuit, vt exercitui Xerxis regium epulum facilè dare posset. Ille autem diuitias relinquens, parua retenta summa ob causam studij, Ahenas est profectus, ibique, vt ait quidam, oculos sibi legitur eruisse, vt eo vegetiores haberet cogitationes ad discendum.

5. Cauere à peccatis. De QVINTA corona illud legitur, si non omninò immunes esse possumus à peccatis iuxta illud Augustini lib. 1. Confessionum, & Iob. *Nemo mundus à peccato, nec infans vnius noctis* saltem, tamen in quantum possumus nobis ab illis caueamus, secundum illud Isa. 1. *Quiescite peruersè agere, discite bene facere.* Etsi tamen aliquando per fragilitatem in peccatum nos labi contigerit, mox per pœnitentiam abstergamus, secundum dictum Catonis.

Cum quid peccàris castiga te ipse subinde, scilicet per pœnitentiam.

6. Carnē subiicere spiritui. De SEXTA corona accipere oportet, vt spiritus noster dominetur carni nostræ, & omnibus naturis, & creaturis, in quantum nos instigant ad illicita contra Deum.

DE SANCTO STEPHANO PROTOMARTYRE.

Sermo primus.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas. Matth. 23.

A DICVNT naturales, quod vinea infructuosa sanguine aliquorum animalium, & etiam hominum aspersa, fit fructuosa: quia talis sanguis habet efficaciam arbores confortandi. Aiunt enim, si lignum fuerit arefactum, optimum est remedium, vt statim in principio arefactionis, radici sanguis humanus calidus instilletur; Figuratur de Loth, qui vitem, vt quidam aiunt, rectificauit sanguine Simiæ mediante. Refert etiam Herinus Ægyptius, quod rosarium plantatum in terra, mixtum sanguine, ad modicum ignis calore apposito, produxit flores.

MYSTICE. Pater cœlestis habuit plantatam vineam, scilicet sanctam Ecclesiam, sed erat infructuosa, & hoc conquæritur per Prophetam Isa. 5. *Vineam plantaui electā, & ædificaui turrim in medio eius, & torcular exstruxi, & exspectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Wilde Weinrebe. Idcirco pius pater, & agricola ad hanc vineam fœcundandam, permisit sanguinem fundi Martyrum innocentium, quorum primus in veteri Testamento fuit Abel, quem *occidit frater eius Cain in campo.* Genes. 4. *Denique* fuit tanta effusio sanguinis Prophetarum tempore Manasses Regis, vt Ierusalem vsq; ad os impleretur. 4. Regum 21. Et hoc sanguine innoxio permisit Ecclesiam suam fœcundari. Sed cùm hoc non sufficeret, permiserit effundi sanguinem vnigeniti Filij sui: *Primò* in *Circumcisione,* Luc. 2. *Secundo,* in monte Oliueti, quando *factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. *Tertio in flagellatione.* Ioan. 19.

Vltimò

Vltimò, abundantiſſimè *in cruce* Matth. 27. *Quartò* poſt Chriſtum multorum martyrum ſanguis eſt effuſus teſte Auguſtino ſuper Pſal. 118. *Multi qui perſequuntur me*, dicit. Purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine martyrum, fulget cœlum coronis martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ reliquiis martyrum. Inter illos præcipuus fuit beatus Stephanus, ſicut dicit ibidem beatus Auguſtinus de feſto ipſius. Si quid inter martyres diſtare poteſt, præcipuus videtur eſſe, qui primus eſt; *Et ſubdit*. Nam cum S. Stephanus Diaconus ab Apoſtolis fuiſſet electus, vel ordinatus Apoſtolus cum beata morte, ac triumphali præceſſit, & ſi inferior erat ordine, primus tamen factus eſt à paſſione. Hæc ille. Huius ſiquidem ſanguine Eccleſia facta eſt fructuoſa, qua ipſum Iudæi lapidibus obruerunt, vt recitat præſens Euangelium, in quo tria pertractantur. *Primò*, Iudæorum inuidia venenoſa, ibi; *Ecce ego*. *Secundo*, animarum durities lacrymoſa, ibi; *Quoties*. *Tertiò*, tormentorum miſeria doloroſa, ibi; *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*.

Sanguine Stephani Eccleſia facta eſt fructuoſa.

B

De PRIMO eſt ſciendum ſecundum naturales, ſunt quædam aues, quæ naturaliter diligunt lumen ſolis, & in aſpectu ſplendoris eius nimium delectantur, vt aquilæ, de quibus dicit Ambroſius in lib. Hexamer. lib. 5. cap. 37. Quia ſolem irreuerberatis oculis intuentur, & pullos ſuos idem facere compellunt: ſed aliæ ſunt, quæ oderunt lumen ſolis diei, vt eſt noctua, nycticorax, atque bubo; quæ tempore diei latitant in tenebris & obſcuris locis, à quibus ſi aliquis vellet eas abſtrahere, vngulis ipſum lacerarent.

SPIRITVALITER. Quidam ſunt homines etiam aquilæ ſimiles, qui quotidie delectantur in lumine ſcripturarum, & ſuaue eſt his vti ſecundum illud Pſal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine*. Talis fuit beatus Stephanus magiſter legis, meditatione roboratus tanquam lignum fructiferum; fructum in tempore martyrij dedit primus. Ipſe etiam oculos ſuos vertit ad verum ſolem Chriſtum, ſicut habetur Actu. 7. *Cum autem eſſet Stephanus plenus gratia, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei*. Vidit enim in cœlum, quia ibi vidit theſaurum ſuum ſecundum illud Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*, Vidit amicum ſuum Ieſum, qui ſecundum Bernardum eſt dulcis amicus, & omnes volens ſaluari; Vidit auxilium ſuum, ſcilicet Ieſum ſtantem: ſtare enim adiuuantis eſt. Ideò ſecundum Ambroſium ſtabat, vt brauium luctatori tanti certaminis redderet.

Sed contra ſunt quidam homines, vt dicit venerabilis Boetius in libro 4. de conſolatione, proſa 4. qui nequeunt oculos tenebris aſſuetos ad lucem perſpicuæ veritatis attollere; ſimiles auibus, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat. Et ſi illos aliquis prædicatorum vellet educere de tenebris vitiorum ad lumen virtutum, ipſum verbis detractoriis dilaniarent; Et ſi forraſſis locus adeſſet, ipſum afficerent plagis, & punirent. Et hoc prædixit Sapiens Prouerb. 9. *Argue ſapientem, & diliget te. Argue ſtultum, & odio habebit te*. Cui conſonat Chryſoſtomus ſuper Matth. dicens.

Differentia inter ſapientem & ſtultum.

Incurrit odium, qui arguit criminoſos. Et illud manifeſtè patet de beato Stephano, qui cum argueret criminoſos Iudæos, veneno inuidiæ ſtimulati, ipſum morte affecerunt. Sed de hoc dicit beatus Auguſtinus in ſermone hodierno. Inuidia magna obcæcat Iudæos ob religionis & profeſſionis cauſam. Videbant enim beatum Stephanum in medio ciuitatis Metropolitanæ, in medio parentum ſuorum diſputantem

C

tem contra sacramenta eorum, contra legem circumcisionis, & Sabbatha; exurgentes in iracundiam, & concipientes venenata, loquentes ad eum talia verba. Quid sibi vult iste homo iuuenis pulcher, & eloquentissimus, signa & miracula facit. Venite concilium faciamus in vnum, & confirmemus falsum testimonium, sicut fecimus contra Dominum, exterminemus eum de terra viuentium, & nomen eius non memorabitur vltra. *Et infra.* Cur hic stamus? quare tardamus? Stephanum nostræ confusionis demonstratorem publicè capiamus, & concilium faciemus discipulo, sicut fecimus magistro. Si non dubitauimus magistrum cruciare, ne dubitemus Stephanum lapidare. Hæc ille.

Et hoc non fecerunt solum Stephano, sed etiam Prophetis, & Apostolis, Quod Dominus testatur in Euangelio dicens: *Ecce ego mitto ad vos,* inuidiæ veneno plenos, *Prophetas*, quod dupliciter exponitur. *Vno modo*, de Prophetis Veteris Testamenti, quorum vnus fuit Isaias, quem misit Deus principaliter ad Manassen regem corrigendum, qui fuit idololatra pessimus. Sed cum eum argueret, fecit eum serrari serra lignea, vt pœnam diutius pateretur, tertio Regum vigesimo primo. Idem patet de Ezechiele, qui missus fuit ad Iudæos, sed propter veritatem ligatus fuit ad caudam equi, & tamdiu tractus fuit, donec spiritum exhalaret, vt patet in suo libello. Idem patet de Ieremia, qui *missus fuit in sterquilinium à Iudæis.* Ieremiæ octauo. Et si sic exponitur, oportet dicere. Ecce misi ad nos, &c. *Alio modo*, exponit hoc Hilarius super Matthæum: De Apostolis, & Martyribus noui Testamenti & melius; propter hoc verbum, *mitto*, quod respicit tempus præsens. Dicit enim Hilarius, quod Apostoli fuerunt Prophetæ de præsenti relatione, sapientes de Christi agnitione, sicut Petrus, qui dixit ex parte omnium. *Tu es Christus filius Dei viui*, Matth. 16. De legis autem intelligentia fuerunt scribæ. Huic alludit Hieronymus dicens. Hos obserua iuxta Apostolum scribentem, 1. ad Cor. 12. & ad Ephes. 4. varia esse dona Apostolorum discipulorum Christi, hos Prophetas, qui futura prædicant, alios sapientes, qui nouerunt, vnde proferre debuerunt scientiam, & sermones, alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est beatus Stephanus, Paulus occisus Petrus crucifixus, flagellati in Actibus Apostolorum discipuli, & persecuti sunt eos de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad populum gentium, transmigrarent. Hæc ille.

Prophetæ, quibus pœnis affecti.

Illud manifestum est de Paulo & Barnaba Actor. 13. Qui cum seminarent verbum Dei per totam regionem Iudææ, Iudæi mulieres religiosas & honestas, quę Apostolis ministrabant, concitauerunt, & excitauerunt persecutionem in illos, & eiecerunt illos de finibus suis. Tunc secundum Chrysost. super Matth. ostendit, quod non impunè faciunt hoc, quia secundum Boetium lib. 4. prosa. 3. Sicut bonis nunquam sua præmia, si nec desunt malis supplicia. Ideò timorem eis incutit dicens: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, id est, omnis debita vltio pro effuso sanguine iustorum sic glossat Rabanus.

D Sed diceres; Quomodo veniat sanguis omnium iustorum super Iudæos, qui effusus est ab Abel, cum tamen ipsi, ad quos dixit Dominus, non fecerunt, sed patres eorum, & antecessores. Et dicit Propheta Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, nec pater iniquitatem filii portabit.*

Ad hæc respondent Hieronymus & Chrysostomus super Matth. quia generatio est

est duplex. *Prima* est bona, de qua Psal. 111. *Generatio rectorum benedicetur. Secunda* est malorum, de qua idem: Generatio praua & exasperans. De hoc etiam Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Ideò dicitur secundum Chrysostomum: sicut omnia opera bona, quæ in singulis generationibus, & à constitutione mundi iusti meruerunt, sunt etiam data, & concessa nouissimis, qui Christum receperunt vsque in finem mundi: quia participes erunt omnium bonorũ, cum sint membra capitis Christi, quia membra corporis, dummodo sunt in corpore, fiunt participes omnis corporalis nutrimenti vt dicunt naturales. Sic è conuerso omnia mala, quæ facta sunt à primo iniquo homine vsque ad vltimum, veniunt super malos. Rectè enim sicut radix malitiam suam non solum retinet in se, sed etiam ad ramos exteriores arboris extendit, & illud quod meruit pati radix, patiuntur & rami. Sic omnia, quæ singuli iniqui à constitutione mundi pati meruerunt, super iniquissimos Iudæos veniunt, quia sanctum sanctorum repulerunt.

Sed ad auctoritatem dicunt Doctores, quod intelligitur, quando filius non imitatur patrem, sceleris iniquitatem non portabit. Ideò præcepit Dominus Deut. 24. *Non occidentur patres pro filiis, neq; filii pro patribus, sed vnusquisq; pro peccato suo morietur.* Iudæi autem fuerunt imitatores sceleris parentum, vt habetur Matth. 23.

Sed diceres. Quare hic Christus tantum duorum meminit, cum tamen plures interfecti sint per Iudæos? *Ad hoc respondet* Remigius super Matthæum: Abel pastor fuit, & in campo vt laicus occisus, & Zacharias fuit sacerdos, & filius sacerdotis: hic cum argueret Ioab regem, eò quod assumeret diuinum honorem, *de mandato ipsius in templo fuit lapidatus,* vt habetur 2. Paralip. 24. Ideo Dominus hos duos commemorat, quia per illos omnes Martyres laicalis ordinis designantur, & sacerdotalis, quorum omnium sanguis super Iudæos venit. Sicut & iuramento Dominus firmat dicens. *Amen dico vobis, venient omnia ista super generationem istam.* Super quo dicit Chrysostomus: Sicut omnis iustitia parentum iustorum, imò omnium sanctorum tantum mereri non potuit, quantum data est gratia omnibus in CHRISTO. Sic omnia peccata impiorum tantum mereri non potuerunt, quantum super Iudæos venit, vt talia paterentur, qualia passi sunt à Romanis, & postea omnes generationes eorum; quia vsq; ad finem seculorum patientur, & ludibrium erunt gentibus vniuersis. Quid enim peius fieri potest, quàm filium Dei cum misericordia, & humilitate venientem non suscipere, sed ita turpiter interficere: quasi diceret, certè nihil est peius.

Ex isto dicto Chrysostomi videtur, quod nec diluuium vniuersale, nec aliqua pœna corporalis, Iudæis, vel gentibus in veteri lege inflicta, fuerat similis huic pœnæ, quam à Romanis pertulerunt. Sed quia fidelis Dominus est, & misericors, cuius misericordiæ, secundum Psalmum non est numerus, non *delectabitur in perditionibus nostris,* Tobiæ 3. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas,* hæc duplicatio secundum Chrysostomum est miserantis valde, & dolentis, quasi diceret secundum eundem. Misi ad te Isaiam, & serrasti eum, misi ad te Ieremiam, & lapidasti eum, misi ad te Ezechielem, & tractum per lapides excerebrasti eum. Quomodo ergo saluaberis, quæ nullum medicum ad te venientem permittis? Quomodo curaberis ab infirmitate, quæ omnem conculcas medicinam? quasi diceret nequaquam. Sanctis meis non pepercisti, nec tibi parcam, eorum vitam neglexisti, ne tuam mortem

viderem, omnes medici spirituales in te defecerunt, & curata non es, insanabilis est passio tua; Si de morte tua gauisus fuissem, nunquam ad te Prophetas misissem, ego tibi quid faciam, si tu ipse venire non vis. Hæc Chrysostomus in persona Domini. Et sequitur.

Lapidas eos, quos ad te misi, sicut fecerunt in B. Stephano, quem proiicientes extra ciuitatem, lapidabant. Actor. 7. Et illa B. Stephani lapidatio figurata est 3. Reg. 12. vbi legitur, quia Roboam filius Salomonis *misit Aduram Adoniam ad filios Israel*, quia ipse erat collector tributorum, quem videntes, *populi omnes ipsum in conspectu Domini lapidabant*. Roboam interpretatur dilatans populum, & significat Christum, qui populum suum dilatauit, quando pro eo mortuus fuit, sicut hoc ostendit in parabola Ioan. 12. dicens; *Nisi granum frumenti*, &c. vsq; ibi; *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hic Roboam Christus misit Aduram, id est, B. Stephanum, qui excelsus fuit in munditia castitatis, & decore sanctitatis. Quia de ipso dicitur Act. 6. *Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat signa magna in populo*, Eius etiam decus patet ex hoc; quod cum Iudæi sedebant in Concilio, intuentes in eum *viderunt faciem eius tanquam vultum angeli stantis inter eos.*

F Miracula, quibus clanuit S. Stephanus.

Fuit etiam B. Stephanus excelsus in miraculorum operatione; quia dicit B. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, quod innumeris miraculis claruerit sex mortuos suscitauit. Dicit etiam, quod flores super altare positi, & inde sumpti, super infirmos locati, hos curabant. Idem faciunt panni eiusdem altaris.

Refert B. Augustin. vbi suprà, cum quidam vir primarius ciuitatis nomine Martialis infirmus esset, & nequaquam cõmunicare vellet, licet plurimum infirmaretur, gener eius valde fidelis ad Ecclesiam S. Stephani venit, & de ipsius florib. qui super altare erant, accipiens; ad caput soceri flores ipsos latenter posuit, super quos, dum ille obdormuisset, protinus ante diluculum clamauit, vt ad Episcopum mitteretur. Cum autem Episcopus abesset, sacerdos ad eum venit, & eum, cum se credere diceret, baptizauit; Hic quamdiu vixit, hoc verbum semper in ore habuit; Christe accipe spiritum meum, cum tamen vltima verba Stephani nesciret.

Idem refert in eodem libro, Quædam matrona nomine, Patronia cum diu infirmitate grauissima torqueretur, & multa adhibens remedia, nullum sentiret liberationis remedium, tandem consuluit Iudæum, qui ei annulum cum quodam lapide tribuit, vt ipso annulo cum corda cingeretur, vt ex virtute lapidis beneficium reciperet sanitatis. Sed cum hoc nihil sibi valere conspiceret, ad Ecclesiam sancti Stephani Martyris properauit, & pro sua sanitate instantius orauit, tunc subitò irresoluta chorda, & ill[illegible]sa omnino remanente, cingulum in terram prosiliuit, & continuè sanitatem perfectam sensit. Tantis, pluribusq; miraculis excelsum fecit Dominus beatum Stephanum, quem misit, vt colligeret tributa bonorum operum à Iudæis, vel verius, vt eos colligeret in horreum æternæ felicitatis, sed illi ipsum lapidabant.

G Quantum ad SECVNDVM ponitur animorum duritia lacrymosa, cum additur; *Quoties volui congregare te, &c.* Circa quod NOTANDVM, quod si alicui ciuitati immineret aliquod periculum, & hoc sciret aliquis vir expertus, vellet eam tueri, & ab illo periculo liberare, illi autem in ciuitate essent tam duri animi, vt nollent huic viro obedire, nec consentire, sed potius in miseria deperire, hoc vtique esset

esset lacrymosum. Talis ciuitas fuit Ierusalem, cui grauissimum periculum imminebat, quia erat funditus destruenda secundum illud Mich. 3. *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit*: quam prophetiam ipsi Scribæ benè sciuerunt, & legerunt damnum esse venturum; sed erant tam duri cordis, vt minimè perpenderint, quia eorum *cor induratum erat, quasi lapis*. Iob. 41. quod nec Christus virorum expertissimus ipsos potuit emolire, neq; in veritatem fidei congregare.

Ideò conqueritur hic lacrymosè dicens. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* In quo NOTATVR eius immensa pietas, quamuis ab eis esset multoties persecutus, tamen immemor illius, cum eis adhuc misericorditer egit, sicut gallina cum pullis suis, volens eos in vnitatem caritatis congregare, secundum quod prædixerat Psalm. 146. *Dispersos Israel congregabit.* Sed ipsi noluerunt, & ei frequenter restiterunt. Et illud obiecit B. Stephanus, Act. 7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & patres vestri.* Ita & vobis continget, sicut & eis: & sicut pullis gallinæ, qui vocem matris paruipendunt, vt reuerunt Naturales, quia gallina est auis valde pia, & pullos suos sub alis fouet, & contra miluum tuetur, quem si viderit in aëre volantem, vel audierit clamantem, clamat & pullos dispersos congregat, ne à miluo lacerentur. Qui si vocem matris audierint, & ad eam volauerint sub alis suscipit, & defendit. Si autem venire contempserint, à miluo rapientur. Sic Christus magnam pietatem principaliter ad Iudæos habuit, quia propter ipsos aduenerat Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Fouit eos sub alis suæ protectionis, defendens ab inimicis, pauci tamen vocem eius audierunt, præter Dauidem, qui ait: *Sub vmbra alarum tuarum protege me*: Ideo dati fuerunt in potestatem duorum miluorum Titi, & Vespasiani, qui eos nimis crudeliter lacerabant, in quadragesimo secundo anno post recessum Domini. Et nunc dati sunt in potestatem miluorum infernalium, qui de die in diem illos capiunt ad inferna. Et hoc quantum ad secundum.

Quantum ad TERTIVM, subditur tormentorum miseria dolorosa, cum annectitur. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Sed sapiens pater non semper punit pueros, cum viderit eos in aliquo excedere, vel nolle obedire, sed interdum exspectat, & dissimulat, an velint se ipsos emendare. Si autem non viderit meliorationem, tunc congruum venit tempus corrigendi. Sic Dominus, vt ait Chrysostomus super Matth. Ciuitatem Ierusalem, vel gentem non statim puniuit, cum peccauit, quia fuerunt pueri secundum generationem, licet non secundum imitationem, sed exspectauit per multos annos, & generationes, quando autem ei placuit perdere gentem illam, aut ciuitatem, tunc videbatur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis, & quæ omnes merebantur hæc sola. Hæc Chrysostomus: Ideo dicit. *Ecce relinquetur vobis domus*, &c. Post quadraginta duos annos domus vestra deserta fiet, tam diu enim distulit correctionem. Et hic per domum principaliter intelligit templum, de quo Matth. 21. *Domus mea domus orationis est.* Et licet illa domus sua sit, vt quando in ea sibi seruimus, efficitur tamen per vsum non sua, quando in ea non cultus diuinus, sed quæstus, & ambitio exercetur; & sic templum dicebatur domus eorum, quia fecerunt eam *domum negociationis*. Ioan. 2. Consimile dixit Dominus Exod. 32. *Descende peccauit populus tuus*, quamuis suus esset per creationem, non tamen per gratiam. Hinc est, quod in finali

nali iudicio diabolus sibi adiudicari petet omnes peccatores dicens, vt ait Augustinus: Æquissime iudex, iudica hunc meum esse per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam. Tunc concludit dicens. *Amen dico vobis, non videbitis me ammodo*, &c. quasi diceret, secundum Hieronymum, nisi pœnitentiam egeritis, & confessi fueritis, me esse ipsum, de quo Prophetæ prædixerunt, filium omnipotentis Patris faciem meam non videbitis in æternum. Ecce grauis punitio, cum non in rebus corporalibus, sed etiam in animabus puniuntur. A qua nos Deus, &c.

DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apocalyp. 2.

A Leo habet paruum cor, & ideo fortis.



PLinius in speculo naturali lib. 8. cap. 17. dicit. Leo est animal fortissimum. Ideò in periculis apparet maximè gloriosus. Cum enim persequitur à canibus non latitat in siluis, nec se occultat. Sed sedet in campis, vbi videri potest, & ad defensionem se præparat. Et ratio huius audaciæ est. Quia, vt dicit auctor de causis. XVII, propositione, quod virtus vnita, est fortior seipsa dispersa. Sed quia Leo habet paruum cor, vbi calor naturalis plus vnitur, ideo est audacior.

MYSTICE per Leonem B. Stephanus non immeritò designatur. Rectè enim sicut Leo est animal robustissimum, & ad nullius hominis, vel animalis timet occursum, sicut testatur Sapiens prou. 30. *Leo fortissimus ad nullius pauet occursum.* Ita B. Stephanus, qui fuit plenus calore caritatis, scilicet, *plenus gratia, & fortitudine*; Actor. 6. non timebat occursum Iudæorum contra eum frementium, sed in aduersitate sua maximè fuit gloriosus, quia stetit in medio eorum quasi inter lupos, eos durè arguendo dicens. *Dura ceruice & in circumcisis cordibus; vos semper Spiritui sancto resistitis* Actor.7. Fuit etiam B. Stephanus in aggrediendo ardua fortis, in patiendo aduersa fortior, fortissimus in finali perseuerantia. Sicut enim de ipso legitur, quod in iussione, & monitu angeli veniens in Asiam, Ciliciam, & Alexandriam viriliter opus prædicationis aggressus est, & postea electus ab Apostolis, in Israël imperterritè prædicauit. Vt habetur. Act.7. *Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt*, quasi diceret reseruando eis ad pœnam æternam; sed da eis pœnitentiam. Et hoc quantum ad *secundum.* Et in his omnibus persecutionibus vsq; ad mortem perseuerauit. Et hoc quo ad *tertium.* Et ideò signatus est in Iuda Machabæo, qui pro lege patrum suorum certauit vsq; ad mortem. De quo legitur. 1. Machab. 3. *Factus est sicut leo in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venationibus suis.* Sic Beatus Stephanus certauit vsq; ad mortem prædicando contra aliquos malos Iudæos, & mortem propter veritatem sustinendo, ita vt impleuerit iussum Dominicum. *Esto fidelis*, id est, firmus &c. In quibus verbis duo describuntur. *Primò*, Dominica exhortatio ad certamen, ibi; *Esto fidelis*, *Secundo*, cœlica coronatio ad solamen, ibi; *Dabo tibi coronam.*

De

De PRIMO est NOTANDVM. Seculares reges solent milites suos exhortari ad pugnam contra inimicos suos, & vt eò fortius animentur, promittunt eis donaria magna, etsi post promissum viderint aliquem esse animosum, admittunt ipsum ad videndum secreta regis, à quibus interdum alij excluduntur. Introducunt ipsum ante alios ad regia palatia, & ipsum instituunt super pinguiora officia.

De exhortatione, & promissione præmij legitur. 1. Machab. 2. Mathathias, qui erat princeps filiorum Israël, ait illis, ad pugnam exhortando, & dona promittendo. *Nunc ergo, ô filij, æmulatores legis estote, animas vestras date pro testamento patrum, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.*

Idem legitur in historia Regis Alexandri, quod Darius rex Persarum cum Alexandro pugnaturus, conuocauit milites suos, & dixit: Estote animosi, & si quis occiderit Alexandrum, dabo illi filiam meam in coniugē, & regiones & prouincias. Hoc audientes milites cum Alexandro acriter pugnauerunt. Vnus autem ex eis animo acri se induit veste & armis Macedonijs, & abijt occidere Alexandrum, iunxitq; se militibus Alexandri, tam fortiter percussit caput eius post tergum euaginato gladio, vt galeam eius transuerberarit & grauiter caput eius vulnerauerit. Statimque apprehenderunt ipsum milites Alexandri, & duxerunt ante eum; & ait Alexander.

O strenue vir, quid est hoc, quod agis? Et ille, Non scis me non esse Macedonem, sed Persam. Promisi enim Dario auferre caput tuum, & ille spopondit mihi dare filiam suam in coniugem, & regales dignitates. Tunc Alexander ostendit eum militibus suis dicens; Viri Macedones virum inspicite, conuenit enim omnibus militibus talis fortitudo, & continuò illum abire permisit.

MYSTICE. Rex Christus, qui est *Rex fortis & potens in prælio*, secundum Ps. 23. exhortatus est milites suos sanctos Martyres, vt fortes sint in prælio contra mundanos tyrannos, & dæmones, & promisit eis magnas donationes, cum dicit, *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum,* sicut canit Ecclesia. Idem præconizare præcepit B. Iacobus in Canonica sua Epistola capit. 1. dicens: *Beatus vir, qui suffert tentationes, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus &c.* Quod audiens B. miles Stephanus, miles strenuus, animosior in bello est factus. Eius animositas patet in multis. Stephanus magnanimus.

C

PRIMÒ, quia primus regem suum Christum per pericula transeuntem est secutus, teste Augustino in sermone hodierno. Mortem inquam Saluator pro omnibus dignatus est pati, hanc Stephanus primus reddidit Saluatori; Experientia scimus, quod ille miles est animosus, qui sequitur Dominum suum in magnis aduersitatibus bellorum. Illo modo noscitur armiger Ionathæ filij Saul fuisse animosus, de quo legitur 1. Regum. 14. Cum Philistijm venerunt ad populum, quem Saul circa montem quendam occupauerat, dixit Ionathas ad armigerum suum adolescentem *Veni ascendamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte Dominus faciet pro nobis, quia non est Domino difficile saluare in multis, vel in paucis. Dixit ei armiger suus, Fac omnia, quæ placent animo tuo, perge quò cupis, ego ero tecum vbicunq; volueris. Ascendit ergo Ionathas reptans manibus, & pedibus, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum.*

Spi-

SPIRITVALITER, interpretatum Ionathas columba, & significat Christum, de quo dicitur Gen. 8. *Columba venit ad arcam ferens ramum oliua virentibus folijs.* Ipse enim tanquam mitis columba, & simplex, huc venit in arcam huius mundi portans ramum humanitatis, virentia folia incarnationis, quod reconciliauit genus humanum. Quia secundum Anselmum: Nemo tantam plagam, & offensam placare potuit, nisi Christus, qui in quantum homo debuit, & in quantum Deus potuit, quia offensa fuit infinita. Sed per armigerum B. Stephanus designatur quem Dominus armauit armis spiritualibus, ita de ipso cantari possit illud: *Induit eum Dominus lorica fidei, & armauit eum.*

De his armis dicit B. Fulgentius in sermone hodierno. Quod est tam magnum, & insugerabile genus armorum, quo munitus Stephanus mētes argueret lapidantium, non repercutiens superaret, & occisus insuper aulam cœlestis regni viuus, & coronatus feliciter lætusque intraret. Et respondet. Procul dubio munimine regio nullatenus est ab aduersarijs superatus: quoniam rex noster cum sit altissimus, pro nobis humilis venit. Sed absq; munere venire non potuit, magnum donationum suis militibus attulit, quod eos non solum copiosè ditauit, sed etiam ad certamen inuictissimè confortauit. Attulit namq; donum charitatis, quo perduceret homines ad consortium Deitatis. Hæc ille. Huic inuictissimo armigero B. Stephano, caritate armato, dixit Christus verus Ionathas: Veni post me per passionem, ascendamus in montem Dei. De quo Psalm. 67. *Mons pinguis* scilicet abundantia gaudiorum. Cui Stephanus, Perge, inquit, Domine, quò cupis, & ero tecum: & hoc fecerunt arma caritatis.

Et ideò dicit Fulgentius vbi supra: Charitas, quæ de cœlo deposuit Christum, ipsa sublimauit Stephanum de terris in cœlum, charitas quæ præcessit in rege, ipsa consequenter fulsit in milite.

SECVNDO, animositas B. Stephani talis apparet ex hoc, quod primus castrum cœli per violentiam martyri obtinuit. Quando enim rex terrestris per alienam procederet regionem ad regnum sibi acquirendum, & si per quatuor lucrandum esset castrum forte, si tunc inueniretur aliquis miles, qui primò ascenderet, & aliis exemplum sequendi daret, ille vtiq; ab omnibus diceretur animosus.

MORALITER. Christus rex cœlorum heri venit in mundi huius regionem, accipere sibi renum per passionem, secundum illud, Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* In huius exercitu inuentus est miles animosus B. Stephanus, qui primò hoc castrum altissimum cœli ascendit hodie præ omnibus alijs, quod est illi multum gloriosum. Non est enim multum laudabile aliquod forte castrum post alios intrare, sed qui primus ingreditur, multum laudis meretur sic B. Stephanus. Ideò dixit B. Fulgentius in sermone hodierno: Heri rex noster trabea carnea indutus, de aula virginalis vteri egrediens, visitare dignatus est mundum, hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphat, & migrat ad cœlum. Ille sempiterna maiestate Deitatis seruata, seruile cinctorium carnis assumens, huius seculi campum pugnaturus intrauit. Ille depositis corruptibilibus corporis indumentis, cœli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille ascendit carne velatus; Iste ascendit sanguine laureatus; Ascendit iste lapidantibus Iudæis, quia ille descendit lætantibus angelis, Gloria in excelsis heri angeli cantauerunt, hodie contantes Stepha-

phanum in sui consortium receperunt. Heri exiuit Dominus ex vtero virginis, hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis est pannis inuolutus, hodie Stephanus ab eo stola immortalitatis est indutus. Heri præsepis angustia Christum portauit infantem, hodie immensitas cœli Stephanum suscepit triumphantem. Hæc Fulgentius.

D Cur festum S. Stephani hoc die celebretur.

Hic dicit Gulielmus in rationali diuinorum lib. 7. quòd B. Stephanus hoc die passus non est, sed ea, qua eius inuentio celebratur, vt in Augusto. Sed festa per Ecclesiam translata, sunt duplici ratione.

I. Martyrium Sanctorum est natale.

Primò, quia S. Stephanus est protomartyr: & cum martyrium sanctorum sit natale eorum in cœlis; ideo meritò statim post natalem Domini natale S. Stephani celebratur.

II.

Secundò, propter dignitatem, quia dignus est festum, quod fit de morte, quam aliud, ideò competenter tanquam dignius, statim post natalem Domini est transactum.

III.

Tertiò, animositas lucet ex hoc, quod aduersarium fortiter ferire nouit, dicens, *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus &c.* Super quo dicit Venerabilis Beda: Veri martyris mira virtus, quæ sic Zelo feruebat, vt eis, à quibus tenebatur, palam suæ perfidiæ culpas exprobraret.

IV.

Quartò, eius animositas illuxit ex isto, quod timore mortis equi sui, scilicet corporis, de bello non fugit, sicut milites nostri, qui videntes aduersarios timent offendi equos, & fugiunt. Sed B. Stephanus equum suum in campo martyrum derelinquens, ab hostibus vinci non potuit, sed liber euasit. Nam si mortem equi timuisset, & equum amisisset & captus ipse fuisset, secundum illud Matth. 16. *Qui voluerit animam saluam facere perdet eam.*

E

Et quia beatus miles Stephanus fuit in bello martyr tam animosus, idcirco Christus rex cœlorum admisit ipsum ad videndum secreta regalia. Quia Actuum 7. legitur, quod ipse *intendens in cœlum vidit gloriam Dei.* Ideò dixit. *Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* In hoc enim excellit B. Stephanus patres veteris testamenti. Iacob enim Patriarcha dixit, Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Dicit Glossa Lyræ, quod solum vidit angelum in specie corporali. De Moyse legitur Exod. 3. quod *pascebat oues Iethro soceri sui: cumq; minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb. Apparuit ei Dominus in flamma ignis*, quod iterū exponit Glossa de angelo, qui apparens loquebatur in persona Dei. Et Dominus interdum Angelus nominatur, vt dicit Greg. super illud Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, quia dicitur Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet, dicit Dominus.* Sed B. Stephanus propter suam fortem pugnam excedit in hoc etiam sanctos patres noui Testamenti: Nam B. Paulus fatetur se *raptum in tertium cœlum & ibi audiuisse arcana Dei.* Sed an hoc fuit in corpore, siue extra corpus nescit, nec se dicit vidisse gloriam Dei 2. Cor. 12. Sed B. Stephanus adhuc in mortali corpore dicit se vidisse gloriam Dei. Sancti etiam Apostoli, & principes mundi Petrus, Iacobus & Ioannes in monte Thabor viderunt partem claritatis DEI, *quod facies eius resplenduit, sicut sol, & vestimenta eius sicut nix alba.* Matt. 17. Sed B. Stephanus vidit gloriam Dei, nam illi viderunt Christum transfiguratum, cum adhuc fuit mortalis, ille autem vidit ipsum glorificatum, & regnantem iam in cœlis.

Stephanus excellit Patres veteris Testamenti.

S. Stephanus super Patres noui testamenti.

Introduxit etiam CHRISTVS Beatum Stephanum ante alios Martyres, Confessores, & Virgines ad sua regalia palatia consumpto certamine martyrii, secundum illud Genes. quadragesimo nono. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* Ruben interpretatur videns filium, significans Beatum Stephanum, qui vidit filium Dei ad dextram ipsius, scilicet Dei Patris, qui & primogenitus fuit in cœlesti hæreditate. Ita potest dicere illud Cant. I. *Introduxit me rex ad cellaria sua.* Ibi nunc bibit vinum dulce Deitatis, cum alijs sanctis, secundum illud Cantic. 5. *Bibite & inebriamini charissimi.* Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM. In verbis præmissis adiungitur ad solamen cœlica coronatio, quia dicit: *Et dabo tibi coronam vitæ*; vbi dicit Seneca in libro de moribus: Spes præmij solatium est laboris; quando aliquis sperat præmium consequi ex labore, sustinet illum, & videtur ei paucus; Quod figuratum est Gen. vigesimo nono, vbi legitur. Iacob *seruiuit Laban, pro filia sua Rachel* in magnis laboribus septem annis. Sed quia habebat spem de præmio, videbantur sibi dies illi pauci. Et dicit Hieronymus: Quod hic dies accipiuntur pro labore dierum. Sic ad propositum; Dominus videns, quod magnus esset labor in tolerantia passionis, ne igitur Sancti deficerent, promisit eis præmium post laborem dicens. *Dabo tibi coronam.*

F

I. Stephanus corona florum coronatur.

Circa, quod breuiter est NOTANDVM, Christus Beato Stephano, non solum vnam coronam promisit, sed triplicem: PRIMO, coronauit eum corona florea, quæ debetur virginibus propter nitorem puritatis. Et quia Beatus Stephanus virgo purus permansit, cum non oppositum huius inuenitur, Ergo est corona virginum coronatus, quæ dicitur aureola: & illa, vt aiunt Doctores, solum datur illis virginibus, quæ propositum virginitatis perpetuæ habuerunt, licet tale propositum fit, quandoq; voluntate interruptum, quia virginitas mentis, non autem corporis, vel carnis potest reparari. Hæc corona habet in se verum florem, quo mediante diabolo repugnatur: Legitur enim in Poëtis de Prouone: Hæc quadam die pastorem vidit coronatum corona florum, & herbarum & eum basilisco dimicare, nec ipsum flatu nec sibilo draconis posse deperire. Cogitauit, quod hoc fieret per virtutem alicuius floris in corona, ideò coronam cum lancea longa de capite pastoris subtraxit, & statim pastor mortuus cecidit. Cum ergo Basiliscus recessisset statim flores mortui Pastoris ori apposuit. Et sic in corona florem inuenit, virtute cuius mortuus surrexit. Ista est corona virginum, sed flos iste est CHRISTVS, qui dicit; *Ego flos campi.* Cantic. 2. Cuius virginitas conseruatur; quia dicit Sapiens. 8. *Non possum esse continens, nisi DEVS dederit mihi*; Vel iste flos est castitas, quam CHRISTVS dat, cuius castitatis virtute diabolo resistitur, & ab obsessis expellitur, teste Damasceno libro contra errores Græcorum.

Eudoxia tactu corporis S. Stephani à dæmone liberatur.

Compertum est, quod dæmones, qui vna virtute eijciuntur, excelsa virginitate præsente, nimium se cruciari clamentes, protinus exierunt. Refert enim Ianuensis. Contigit Eudoxiam filiam Theodosij Imperatoris à dæmone grauiter cruciari, quod cum patri Constantinopoli constituto intimatum fuisset, iussit filiam Constantinopolim adduci, vt sancti protomartyris Stephani corpus tangeret. Dæmon autem in ea clamabat, nisi Stephanus Romam veniat non exibo, quoniam sic est voluntas

Apo-

Apostolorum; Quod cum Imperator audisset, & à populo Constantinopolitano obtinuisset, vt corpus S. Stephani darent, & ipsi corpus S. Laurentij acciperent. Cum autem corpus Sancti Stephani Romam esset delatum, ad eius tactum puella statim est liberata.

SECVNDÒ, CHRISTVS coronauit B. Stephanum corona stella, quæ debetur Doctoribus propter splendorem veritatis: nam & ipse fuit prædicator veritatis, prædicans in Asia, Cilicia, & Alexandria. De hac corona legitur Apocal. duodecimo. *In capite eius corona stellarum duodecim.* Et has stellas enumerat Bernardus, dicens: In corona sunt duodecim stellæ. II. Stephanus corona stellarum coronatur.

Prima est, memoria sine obliuione. *Secunda*, ratio sine errore. *Tertia*, voluntas sine perturbatione. *Quarta*, impassibilitas sine corruptione. *Quinta*, claritas sine obscuritate. *Sexta*, agilitas sine tarditate. *Septima*, subtilitas, vt omne solidum sit penetrabile. *Octaua*, proximum diligere in omni veritate, sicut seipsum. *Nona*, videre proximum in omni pulchritudine diligentem, sicut seipsum diligit. *Decima* est, Deum perfectè diligere plus quàm seipsum. *Vndecima* est, diligere tantum propter Deum. *Duodecima* est, videre Dominum diligentem se facie ad faciem. Hæc Bernardus. G

TERTIÒ coronauit eum corona aurea, quæ debetur Martyribus, propter valorem firmitatis. Sicut enim aurum in igne non minuitur, sed purgatur, sic & Martyres in tormentis purgantur. Quia igitur B. Stephanus fuit princeps in noua lege, ideò martyri corona est coronatus secundum illud, quod canitur: Corona aurea super caput eius, expressâ signo sanctitatis. III. Stephanus corona aurea coronatur.

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA.

Sermo Primus.

Dixit Dominus Petro sequere me. Ioann. vltimo.

DIcunt naturales, quod omne animal pullum, quem præ alijs diligit, magis à nociuis custodit, & hoc probat Plinius in spec. nat. libro octauo, capit. 49. de cane, cuius catuli si de cubili deportantur hunc, quem plus amat, primò fert in cubile ne lædatur. Idem refert Isidorus libro duodecimo. De simia, quæ duos habet filios, & quando persequitur à canibus chariorem in brachio capit, & fugit. Ideò refert Rabbi Salomon de aquila, quæ pullos suos plus amat, qui radios solis acutius intuentur, & quando timet eos lædi in dorso suo portat eos de loco ad locum, vt euadant sagittæ læsionem. A

MYSTICE. Christus magis dilexit B. Ioannem Euangelistam, qui præ cæteris more aquilæ solem diuinitatis hic inspexit, & oculorum mentalium claritate lumen angelicæ veritatis apprehendit, sic vt etiam paucissimos de filijs suis habuit, qui propter profunditatem mysteriorum suorum, quæ in Euangelio suo, & Apocalypsi con-

psi continentur, tamen claritatem valeant intueri, sicut probat Augustinus super Ioannem. Ideò Christus ipsum præ cæteris Apostolis à multis nociuis præseruauit; nam à nuptijs, in quibus sunt multæ pœnalitates, ipsum vocauit, vt virgo permaneret, teste Hieronymo in prologo super Ioannem: Venit inquam Christus ad nuptias Ioannis, vt eum de nuptijs vocaret, & in virginitate perpetua permaneret. Etiam à pœna mortis per passionem gladij tanquam filium charissimum custodiuit, dicens ad Petrum. *Sic eum volo manere*, scilicet illæsum, *donec veniam*, & ipsum ad me summam. Sicut de hoc tradit præsens Euangelium, in quo principaliter tria describuntur. *Primò*, CHRISTI sequela de mandato, ibi; *Dixit Dominus Petro. Secundò*, Petri de Ioanne interrogatio, ibi; *Hic autem quid? Tertiò*, Apostolorum corrigibilis opinatio, ibi; *Exijt ergo sermo.*

Ioannes virgo permansit.

De PRIMO NOTANDVM est, solent ad negotia Domini seculares magis ardua, vbi mortes incumbunt, sumere milites fortiores. Et pœnas ferre potentes, quia dicit Constantinus in libro de natura febrium. Constat, quod robusta, & fortiora corpora fortiores patientur labores, & languores, quos non possunt ferre delicati. Ideò tales ad ardua negotia non permittunt. Ideò legitur Iudicum 7. de Gedeone volens contra inimicos pugnare iussu Domini, duxit ad aquas populum, vt probaret, qui essent ad prælium aptiores, & qui biberunt aquam se ad terram sternendo, vel reclinando, apti non erant ad pugnandum. Sed *qui stando aquam in ora proiecerunt, hi essent conuenientes, vt ipsum ad bellum sequerentur.*

B SPIRITVALITER. CHRISTVS est Dominus non solum cœli, sed & terræ dicente Psalmo vigesimo secundo, *Domini est terra, & plenitudo eius.* Hic DOMINVS habet se omninò cum militibus suis Petro & Ioanne, sicut Domini terrestres cum suis se habent militibus: quia Ioannem, quem sciuit magis delicatum, & speciosissimum iuuenem, qui & aquam sapientiæ, non iacendo, sed stando hausit de largifluo fonte pectoris CHRISTI in cœna, secundum illud Ambrosij super *Beati immaculati.* Ioannes dum caput super pectus DOMINI IESV reclinauit, profunda secreta diuinæ sapientiæ hauriebat; noluit eum sumere ad illud strenuum acerbæ passionis negotium, ad quod tamen alios vndecim Apostolos assumpsit. Quod figuratum est Genesis quadragesimo secundo, vbi legitur, quod audiens Iacob Patriarcha, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filijs: *Quare negligitis? Audiui quod triticum venundetur in Ægypto, descendite & emite necessaria nobis.* Igitur descendentes, noluit pater, vt Beniamin filius minor cum eis iret, sed retinuit ipsum apud se, ne fortè in itinere aliquid mali pateretur. Alij autem fratres multas tribulationes in Ægypto pertulerunt, nunc verba iniuriosa, quasi essent exploratores, nunc incarcerationes, & alia opprobria. Et quamuis Beniamin postea pertulit iniuriam, nihil tamen respectu aliorum legitur pertulisse.

SPIRITVALITER. Per Iacob, qui interpretatur supplantator, Christus designatur; quia omnia vitia ita supplantauit, vt nullum peccatum fecerit, *nec inuentus sit dolus in ore eius.* prima Petri secundo. Per triticum, quod est melius, & pinguius inter frumenta, possunt animæ intelligi, quæ sunt nobiliores respectu corporum. Igitur audiens Iacob, id est, CHRISTVS, quod tales cibi, de quibus dicitur Ioann. quarto. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*, venundantur in Ægy-

Ægypto, hoc eſt, in mundo tenebroſo, quia homines peccatis ſuis dæmonibus ſe vendebant: aliàs enim eos poſſidere non valebant, teſte Ambroſio, qui ait. Neminem iugo ſeruitutis diabolus aſtrictum poſſidet, niſi ſe ei prius ære peccatorum vendiderit. Et habetur 15. q. 1. Can. Non eſt. Idcirco miſit filios ſuos Apoſtolos, vt emerent, promittendo eis præmia cœleſtia. Illi autem ab eis multa ſunt perpeſſi, aliqui crucem, vt Petrus; alij gladium, vt Paulus, & Iacobus. Actor. 11. Ita, vt benè de illis poſſit dici illud ad Hebr. 12. *Alii ludibria, & verbera experti ſunt, & vincti, & macerati, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt*. Sed Beniamin adoleſcentulus, hoc eſt, S. Ioannes, quamuis cum aliis carceres ſuſtinuit, vt patet Act. 5. & in oleo feruenti elixus fuit, illud tamen non reputatur reſpectu pœnæ aliorum Apoſtolorum, quia non vocauit eum Dominus ad paſſionem gladij, ſicut Paulum, nec ad martyrium crucis, ſicut Petrum, cui dixit: *ſequere me*, ſcilicet mortem crucis ſuſtinendo, ſicut ego, quia vidit eum tolerabiliorem circa paſſionem, & magis ſtrenuum, quia & ante paſſionem dixit. *Domine paratus ſum tecum in mortem & carcerem ire*. Et hoc quantum ad primum.

Ad SECVNDVM autem NOTANDVM, quando aliquæ perſonæ ſe mutuo diligunt, ſe etiam frequenter inſpiciunt, quia dicitur in communi prouerbio: Ibi oculus, vbi amor. Et hoc probat Auctor Troianæ hiſtoriæ lib. 14. de Paride filio Priami, & Helena vxore Menelai. Hic Paris quodam tempore à Troia perrexit in Græciam, & venit in Inſulam nomine Cytherea, in qua fuit templum Veneris miræ pulchritudinis, & plenum diuitiis, in quod Paris pulcherrimus cum Helena, quam intimè diligebat, conuenerat, defixitq; in eam intuitum, & gaudebat ſuos radios viſuales Helenæ commiſcere. Et ex hoc apparet maximus amor inter illos. Vbi amor, ibi oculus.

Sic ad propoſitum fuit cum Petro, & Ioanne. Auertit igitur Petrus vultum ſuum à Chriſto, qui *eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*. Sap. 7. Et in eius *vultum angeli proſpicere delectantur*, 1. Petr. 1. *Et conuerſus*, vt dicit Euangelium, *vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus*, quod fuit magnum ſignum dilectionis B. Petri ad Ioannem, quem ſocium in vita habuit Actor. 3. vbi legitur; *Petrus & Ioannes aſcenderunt in templum ad horam*, &c. Hunc etiam in morte ſocium habuit, ideò dixit: *Hic autem quid?* quaſi diceret, Ego ſequor te martyrium ſuſtinendo, ſed hic quomodo morietur? nunquid paſſionem ſuſtinebit mecum? vel ſaltem ipſum ſocium habebo in miniſterio prædicationis?

Et dicit NOTANTER Euangeliſta, *Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus*. C
Vbi NOTANDVM, quod inter cæteros Apoſtolos Ieſus dilecto ſuo Ioanni multa ſigna dilectionis demonſtrauit. Dilectionis ſigna.

PRIMVM, quod ipſum in virginitate conſeruauit, ſicut patuit in Arenga. Ex qua triplicem prærogatiuam meruit in Chriſto, Summam dilectionem, ſicut hic in textu: ideò dicit Petan. Io. Quia carnis ſibi amputauit illecebras; cœleſtium epularum delicias fruebatur. Matris recommendationem. Ioan. 19. cum dixit: *Ecce mater tua*. Hieronymus contra Iouinianum. In breui ſermone multa comprehendam. Docebo cuius priuilegij fuit Ioannes, cui à Domino Virgini mater Virgo commendatur. Profundæ ſapientiæ infuſionem, teſte Hieronymo, vbi ſupra. Ioannes namque quaſi aquila ad ſumma volauit, & ad ipſum Patrem peruenit, dicens: *In principio erat Verbum*, expoſuit Virginitas, quod nuptiæ non poterant. I. Triplex prærogatiua Ioannis.

II. SECVNDVM signum, quod Christus ipsum matri suæ dilectissimæ commendauit, dicens; Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Super quo dicit Petan. Io. Sicut Dominus dixit matri: Hic est filius tuus, ita dixit discipulis. *Hoc est corpus meum.* Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illico panis ille Dominicum corpus fieret. Quadam igitur similitudine dicere audemus: Beatum Ioannem non verum filium Mariæ, sed potius nomine: Sed propter illa Dominica verba quoddam maioris necessitatis sacramentum apud B. Mariam Virginem meruit obtinere. Ex hoc B. Ioannes factus est filius Virginis, Christi frater adoptiuus, eius thesaurarius, necnon Archangeli Gabrielis consocius in custodiendo Virginem.

III. TERTIVM signum dilectionis est, quod ipsum super pectus suum recumbere permisit; & tangitur hoc in Euangelio, *qui & recubuit super pectus eius.* Vbi dicit Glos. Pectus Christi est mensa cœlestis, in qua sunt delitiæ Angelorum. De hac mensa dicitur Luc. 22. *Vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo:* & est gazophylacium, in quo sunt sapientiæ & scientiæ Dei absconditæ. Est etiam fons diuinus, in quo est plenitudo omnis gratiæ, & virtutis, secundum illud Psalm. 35. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Si ergo famelicus sedeat ad mensam deliciarum, valde satiabitur. Si egenus intrat in Gazophylacium, valde thesauris ditabitur. Si sitibundus venit ad fontem amænum; maximè extinguit sitim. Et quia B. Ioannes erat famelicus, ideò hodie ad mensam Angelorum euolauit, teste Beda in homilia hodierna: Hodie, inquit, mirabilis aquila ad vineam Angelorum, & hominum escam feliciter euolauit. Erat egenus, ideò intrauit in gazophylacium omnium thesaurorum, & omnium scientiarum, secundum illud Ioannis Damasceni, qui dicit, Hanc supereminentem scientiæ gratiam, ex illo cœlesti gazophylacio, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, traxit. Fuit etiam B. Ioannes sitibundus, ideo stetit ad fontem gratiarum, ad quem Propheta suspirans dicit, Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Ista tria tanguntur Eccl. 15. *Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Iucunditatem & exultationem thesaurizat super eum.*

IV. QVARTVM signum dilectionis est, quod arcana cordis eum non celauit, sicut enim habetur hoc in Euangelio. Interrogauit Ioannes dicens; *Quis est, qui te tradet?* quasi diceret, rogo, vt meis coapostolis, & mihi digneris reuelare. IESVS autem reuelauit dicens: *Ille est, cui intinctum panem porrexero.* Ioan. 13. Super his dicit Petrus Damianus in quodam sermone. Tacet Petrus cœli clauiger, silet Andreas, non potuit os aperire Philippus, omnes tacent, omnes dubitant, & latenter requirunt, non prolatione verborum, sed nutibus oculorum, patrocinium quæritur: & ad rei notitiam peruenitur. *Et subdit.* Considerandum est fratres, quanta deuotionis instantia Beati Ioannis auxilium debemus implorare, quem sibimet interuentorem & ipsi Apostoli petierunt. Quomodo enim apud iustum Iudicem peccatoribus prodesse non poterit, qui etiam pro ipsis cœlestis curiæ senatoribus interuenit? Hæc ille.

Christus Ioanni arcana cordis reuelat.

V. QVINTVM signum dilectionis est, quod omnium sanctorum perfectionem dedit; ipse enim fuit Apostolus & Euangelista, &c. Et hoc declarat Petrus Damianus dicens. Ioannes namq; Apostolus est in Epistolis, Euangelista in Euangelio, Propheta in Apocalypsi: Martyr vtique fuit, quia cæteris Apostolis in carne prolixius mansit,

Sanctorum perfectione donatur Ioannes.

mansit, eò diutius martyrij tormenta sustinuit. Cui alludit Hieronymus dicens: quod fuit Propheta, Apostolus & Euangelista. Propheta, quia vidit in Pathmos Insula secreta multa. Apostolus, quia scripsit ad Ecclesias, vt Magister. Euangelista, quia librum Euangeliorum condidit, quod, excepto Matthæo, alij Apostoli non fecerunt.

D
SEXTVM signum est, quod Christus specialem curam de ipso habuit, cum dixit Petro: *Quid ad te? Sic eum volo manere donec veniam*, quasi diceret, secundum Bedam in homil. Nolo eum consumere per mortem crucis sicut te. Nolo gladio ferientes ipsum finire vitam præsentem, sed tamdiu volo eum manere in præsenti seculo, donec longo confectus senio, me vocante transeat in pace in vitam æternam. Ex hoc voluerunt quidam, quod B. Ioannes cum corpore & anima sit in cœlum assumptus, vt B. Thomas in 4. scripto. dist. 43. art. 3. in solutione ad secundum. Et dicunt hoc esse ex liberalitate. Deus enim valde liberalis fuit corpori B. Ioannis in mundo, corpus eius custodiendo, ne corruptioni subiaceret, ne oleum adureret feruens, ne venenum sibi noceret, ne gladius in ipsum transiret, ne dolorem mortis sentiret, ideò non minus liberalis ei debet esse in cœlo.

VI. Specialem curam habuit Christus de Ioanne.

Sed è contra est opinio aliorum dicentium, lege communi esse defunctum, & animam cum aliis Apostolis in cœlesti gloria gaudere cum Christo. Corpus verò eius in loco hominibus ignoto, Deo autem cognito reseruari, sicut de Moysi corpore est credendum. *Alii dicunt*, ipsum adhuc viuere, & in paradisum terrestrem esse translatum, tempore autem Antichristi inde educetur, & fideles confirmans & prædicans, ab ipso Antichristo occidetur. Et secundum hoc dicit Theophilus. Christus non negauit Ioannem moriturum; quia quicquid oritur, moritur. *Sed volo*, inquit, *eum manere* vsque ad finem mundi, tunc patietur pro me martyrium. *Sed contra hos* dicit B. Augustinus: Hoc quod hic dicitur, est priuilegium Ioannis, seu beneficium speciale ei concessum, quod secundum dictum eorum esset detrimentum eius, & non beneficium, si diu retardaretur à fruitione diuina, aliis Apostolis in gloria existentibus. *Quarti* dicunt ipsum adhuc viuere, sed dormire, & ostendunt ex illo, quod in eius sepulchro nihil est inuentum, nisi manna, quod adhuc in profundo foueæ asserunt scaturire, sicut in fontibus fieri consueuit, quod accidere asserunt quodam flatu, & anhelitu quiescentis.

Varia opinio de morte S. Ioannis.

Sed huic dicto obuiat B. Augustinus dicens. Cur Christus suo discipulo, quem diligebat, præ cæteris pro magno munere donauit longum corpori somnum, cum peccatorem Petrum per ingentem martyrij gloriam ab onere carnis absoluit, quasi diceret: non vtique esset conueniens. Et dicit de manna ibi scaturiente, quod fortè propter hoc fuit, vt mors eius pretiosa per hoc commendaretur, quoniam mors martyrium non commendat; Vel propter aliam causam, quæ nos latet: ideò verius tenendum est, quod est in cœlo, sicut patet in hoc, cum Christus vocaret eum, ait. Veni dilecti mi, tempus enim est, vt epuleris cum fratribus tuis. Si adhuc sub terra dormiret, vel in paradiso esset, vtiq; cum aliis Apostolis non epularetur in cœlo; Sed an ibi sit corporaliter ignoratur.

SEPTIMVM signum dilectionis est, quia maiori eum caritate repleuit: quod triplici signo ostendi potest. PRIMÒ, quia ad monumentum eius prius cucurrit, secundum illud Iohan. 20. *Currebant duo simul*, quod exponens Gregorius ait. Qui amat ardentius,

VII. Christus Ioannem ma-

ardentius

iore caritate repleuit. ardentius, currit velocius, & peruenit citius. SECVNDÒ, quia præ cæteris de caritate locutus fuit, vt patet in eius Epistolis; Ideò dicit Chrysostomus in libro de compunctione cordis. Mos est amantium, vt amorem suum silentio tegere nequeant. TERTIÒ, quia vsque ad ætatem decrepitam docuit caritatem, sicut de hoc refert Hieron. ad Galatas dicens, quod B. Ioannes Euangelista cum Ephesi moraretur vsq; ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset plana voce verba concipere, nihil ad singulas solebat proferre collectas, nisi: Filioli mei, filioli mei, diligite. Tandem discipuli, qui aderant tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt. Magister, quare hæc semper loqueris? Respondit, quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.

VIII. Christus Ioanni morienti adfuit. OCTAVVM signum dilectionis, quia Christus ad ipsum morientem venit, ad cæteros quidem angelos sanctos misit, ad Ioannem personaliter venit secundum illud; *Sic eum volo manere, donec veniam.* Super quæ dicit Petrus Damianus in persona Christi. Per meipsum veniam, ipsum egredientem in gloriæ claritate suscipiam. In quanta igitur reuerentia habendus est B. Ioannes ab hominibus, quem ipse auctor vitæ honorauit in carne viuendo, honorauit à seculo recedendo. Iste igitur fuit felix aduentus, & propter aspectum, quia apparuit illi Iesus; & propter consortium, quia cum discipulis suis; & propter promissum, cum dixit, Veni dilecte mi, tempus est, vt epuleris mecum.

E. Quare Christus Ioannẽ præ aliis discipulis dilexit. Sed diceres. Quæ sunt causæ, quod Christus præ cæteris Apostolis Ioannem plus dilexit? *Ad hoc dicendum*, quod plus dilexit, tres causæ sunt.

I. PRIMA est, munditia virginalis, quam Ioannes habuit, sicut testatur Ecclesia; Virgo Ioannes electus à Domino; ideò ab ipso fuit magis dilectus. Rectè enim sicut in naturalibus refert Isidorus libr. 12. Quod vnicornis est animal ferox, & à nullo se tangi permittit; munditiam tamen virginalem diligit, ideò cum à venatore capi non possit, à virgine tractari & tangi se permittit. Quare Christus nobilissimus vnicornis, se tangi permisit à B. Ioanne, qui fuit mundissima Virgo, & hoc quando recubuit super pectus eius, quod de nullo alio Apostolo legitur. Ideò dicit Sapiens, Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem.*

II. SECVNDA causa fuit perspicacitatis intellectus. Nam Ioannes omnibus aliis Euangelistis altius intellexit, & scripsit. Illi enim plurimum de Christi humanitate scripserunt. Ioannes de diuinitate incipiens Euangelium. *In principio erat verbum.* Idcireò alij per animalia terrestria: Ioannes verò per cœleste, scilicet aquilam figuratur, quod præcellit alios teste Augustino in prologo super Euangelium Ioannis dicens; Quod lex, & Prophetæ prædixerunt, hoc completum dicit Ioannis Euangelium. Inter ipsos autem Euangelistas; eminet Ioannes in mysteriorum diuinorum profunditate, ideò dilectus fuit à Deo, iuxta illud Prouerb. 14. *Acceptus est regi minister intelligens.*

III. Ab adolescentia Deo seruiendũ. TERTIA causa fuit teneritatis infantia. Pueri enim ceteris magis dilecti sunt, secundum illud Oseæ 11. *Puer Israel dilexi te*: & maximè illi pueri, qui in iuuentute Deo seruire conantur. Et quia Ioannes ab adolescentia Deo seruiuit, ideò præ cæteris ipsum dilexit non tamen, quod alios non dilexisset. Dicit tamen Beda in homilia. Diligebat autem eum Iesus, non exceptis cæteris, sed præ cæteris, quos diligebat, familia-


miliarius ipsum quem specialis prærogatiua castitatis, ampliore dilectione fecerat dignum, omnes quippe diligere probat, quibus ante passionem loquitur: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos;* sed hunc præ omnibus dilexit, quia virgo electus ab eo, virgo in æuum permansit. Hæc Beda. Et hoc quo ad secundum.

Quantum ad TERTIVM, ponitur Apostolorum corrigibilis opinionis fama, cum dicitur: *Exiit sermo.* Occasionem illius opinionis traxerunt ex illo, quod Christus dixit. *Sic eum volo manere.* Sed illam opinionem cum aliis euacuat Dominus: *Et non dixit Iesus, quia non moritur;* quia mortuus est Ioannes; sicut & alij discipuli, & cœlesti potitur gloria; quia secundum Psal. 88. *Quis est homo, qui viuit, & non videbit mortem?* quasi diceret, Nullus. Sed dixit. *Sic ego eum volo manere, donec veniam,* scilicet in hac carne, ad prædicandum, sicut exponit Chrysostomus, quia vsq; ad tempus Vespasiani in illis locis dicitur remansisse. Tunc concludit dicens. *Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his,* scilicet quæ vidit, secundum illud Ioan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus hoc testamur.* Et hoc quo ad tertium.

DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Quartum animal simile est aquilæ. Ita scribitur Apocal. 4.



DICIT Isidorus libr. 14. quod mons Libani inter omnes montes mundi gignit cedrum arborem altissimam, quæ secundum Rabanum est omnium arborum regina. Et dicunt alij naturales, quod aquila volens nidificare, volitat super omnes huius montis arbores, & quam videns altiorem super hanc volat, & nidum suum in ea ponit. A Cedrus arborum regina.

MYSTICE, per montem Libani intelligitur mons cœlestis regni, ideo dicit Hieronymus, quod mons Libani est mons confidentiæ, & securitatis. Quia ibi tutè quiescitur à venenosis serpentibus, quos mons ille sua aromatitate viuere non permittit. Est etiam mons pulchritudinis, & amœnitatis, propter cedrorum & aliarum arborum proceritatem, & auium siluestrium sedulitatem. Ita mons cœli est mons magnæ securitatis, ad quem qui semel ascendit, deiici non poterit. Est mons omnis pulchritudinis, & miræ amœnitatis. De his, qui possident hunc montem, dicit Isaias 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta:* In isto monte amœnissimo, est cedrus altissima; Christus Iesus Dominus noster, qui altus est per maiestatis potentiam, secundum illud Psalm. 96. *Tu solus altissimus super omnem terram, exaltatus es super omnes Deos,* qui etiam est Rex regum, & Dominus dominantium Apoc. 19. Ad hanc cedrum volauit etiam B. Ioannes aquila, & tulit medullam eius, id est, diuinitatem, quando dixit. *In principio erat Verbum.* Ioan. 1. Et hoc figuratum est Ezech. 17. vbi legitur, quod *aquila grandis & magnarum alarum plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Per aquilam grandem intelligitur B. Ioannes, de quo canit Ecclesia. Aquilam Ezechielis sponsæ, scilicet Ecclesiæ, mittentes de cœlis mysterium, quod vidit, scilicet de diuinitate, quam altius cæteris prospexit, ideo similatur in verbis præmissis aquilæ volanti. In quibus, inquã, Montis cœlestis commoda.

verbis, duo describuntur. *Primò*, B. Ioannis vltra alios dignificatio, ibi; *Quartum animal. Secundo*, ipsius alta contemplatio, ibi; *Volanti*.

B Circa quod Notandum, secundum Naturales; sicut aquila inter omnes volucres est magis digna, quia est inter illas velut regina, vt dicit Isidorus libr. 14. Ita B. Ioannes est dignior inter alios Euangelistas, ideò attribuitur ei similitudo nobilior secundum illud Apoc. 4. *Vidi ostium apertum in cœlo, & ecce posita est sedes in ea, & in medio sedis, & in circuitu eius quatuor animalia plena oculis ante & retrò, & animal primum simile leoni*, quod significabat B. Marcum; & secundum animal simile vitulo significans B. Lucam; tertium animal habens faciem, quasi hominis, per quod intelligitur S. Matthæus: quartum animal simile aquilæ volanti, per quod B. Ioannes figurabatur. Et hoc propter multa notabilia, quæ in aquila inueniuntur.

Cur Ioannes aquilæ assimiletur.

C Primum est secundum Gregorium super Ioannem, quod aquila ad altissima se eleuat, vt præ nimia eleuatione à terra vix humanis intuitibus pateat, sed tamen pastus gratia ad infima descendit, quia cum in sublimi vidit lepusculum in terra, aut piscem in mari, ad instar lapidis mox descendit, & leporem, seu piscem rapit. Ita B. Ioannes altissimè volauit. Paulus quidem volauit, vsque ad tertium cœlum, sicut habetur 2. Cor. 12. sed Ioannes super omne cœlum, vsque ad ipsum Deum, teste B. Augustino super Ioannem. Transcendit Ioannes beatus super omnia cacumina, omnes campos aëris, omnes altitudines siderum, omnes choros Angelorum, & legiones. Nisi enim transcenderet omnia creata, non perueniret ad Deum, per quem omnia facta sunt. Cui applaudit Doctor Origenes. Beatus, inquit, Ioannes aquila vltima superuolat, non solum, quæ audiri, aut intelligi possunt, verumetiam, quæ omnem intellectum, & omnem sensum excedunt. Ideò canitur de eo. *Volat auis sine meta, quo nec vates, nec Propheta, euolauit altius*. Et quod ipse tam altè volauit, signum fuit leuitatis, puritatis, & subtilitatis, quod dicit B. Augustinus in libr. sermon. Volare non potest nisi quod est purum, leue, & subtile. B. igitur Ioannes fuit purus sine admixtione terrenæ auaritiæ, quia reliquit omnia, scilicet patrem & rete, *& secutus est Dominum*, Matth. 4. Fuit leuis sine ponderositate, quia perpetuus virgo, & à Deo dilectus. Fuit & subtilis sine tumore superbiæ; quia fuit humilis, quod patet ex eo, quod Dominus non sub ratione humilitatis expromere voluit, Ioan. vltimo, cum dixit Petrus; *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus*, ideò dicit de ipso Christus, Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*; Candidus propter puritatem, rubicundus propter caritatem, electus ex millibus propter profundam humilitatem. Et quia habuit illa tria in se, ideò transcendit omnia, & tam altè volauit, vt vix inueniatur aliquis, qui eius volatum possit acutius intueri. Et licet tam altè volauerit, tamen interdum ad ima descendit, & se cum creaturis occupando recreauit.

D Sicut legitur in historia Ecclesiastica, cum perdix viua B. Ioanni oblata fuisset à quodam, & ille eam quasi demulcendo tangeret, & contrectaret, quidam adolescens hoc videns ad socios suos ridendo dixit. Videte quomodo ille senex cum auicula ludit, sicut puer. Quod B. Ioannes per spiritum recognoscens, iuuenem ad se vocauit, & quid in manu teneret quæsiuit. Cui cum se arcum tenere diceret; Ait. Quid inde facis? Et iuuenis. Aues & bestias inde sagittamus. Cui Apostolus. Quomodo? Tunc ille cœpit arcum tendere, & tensum in manu erigere. Sed cum Apostolus nihil ei diceret, arcum distendit. Cui Ioannes. Quare fili mi arcum distendisti? Et ille: Si diutius

tius

tius teneretur tensus, ad iacienda iacula infirmior inueniretur. Et Apostolus. Sic & humana fragilitas ad contemplationes minus valida fieret, si semper in suo vigore, & rigore persistens, fragilitati suæ interdum condescendere recusaret. Et ponit exemplum, dicens: Nam & aquila cunctis auibus celsius volat, & solem clarius conspicit, & tamen naturæ necessitate ad ima descendit. Sic & humanus animus, cum se modicum à contemplatione retrahit, crebra innouatione ardentius ad cœlestia tendit. In hoc nos docuit B. Ioannes, ne continuè in contemplatione eleuemur, sed interdum gaudiis licitis mundi recreemur. Secundum illud Sapientis Catonis.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Vt possis animo quemuis sufferre laborem.

Quia dicit Aristoteles 4. Ethic. requies, & ludus videntur homini necessaria in vita sua.

SECVNDVM notabile est in aquila, quod ponit iterum B. Gregorius super Iob dicens: Quando pulli aquilæ recenter nati ad capiendum cibum grossiorem sunt inualidi, tunc sanguinem, & liquidiorem humorem siue liquorem ex pede suo in os suum attrahit, & attractum sanguinem in ora pullorum vomit, & ita reficit eos cibo leuiori, quousque ad cibum sumendum grossiorem conualescunt, & sic consequenter cibat cibo molli, & ad vltimum duro; Ita & B. Ioannes, nobilis aquila, cibauit filios spirituales, quia recenter natos in fide cibauit cibo leni, scribens eis benigniter 1. Ioan. 2. *Filioli mei hoc scribo vobis, vt non peccetis, quia si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Christum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris.* Filios autem mediocres cibauit cibo grossiori, docens eos relinquere mundum: 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Dei in eo. Quia omne quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ.* Filios autem adultos, & in fide perfectos cibauit cibo durissimo dicens 1. Ioan. 3. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos* scilicet perfecti *debemus pro fratribus nostris animas ponere.* In hoc B. Ioannes docet prædicatores, vt secundum capacitatem gentium moderentur sermones prædicationum. Ideò docet B. Petrus, & habetur 8. quæst. 1. Oportet eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.

Conciones moderandæ ad captum auditorum.

TERTIVM notabile in aquila est, quod pro salute filiorum morti se exponit, sicut refert Rabbi Salomon. Quando portat pullos de loco ad locum in dorso eos baiulat, vt si sagitta contra eos dirigatur, ipsa recipiat ictus, vt sic pullos defendat. Ita beatus Ioannes pro salute filiorum suorum morti se exposuit, cum venenum pro eorum salute bibit, sicut canit Ecclesia. *Haurit virus hic lethale.* Ideò potest dicere cum Apostolo 2. Cor. 12. *Ego libentissime impendam,* scilicet corpus exponendo morti. *& super impendar pro animabus vestris,* scil. reddendo rationem, & passiones sustinendo.

Et hoc relinquet in exemplo, quod refert Clemens in tertio libro Ecclesiasticæ historiæ, quia quodam tempore Apostolus quendam iuuenem pulchrum, & ferocem conuertit, & cuidam Episcopo sub deposito nomine commendauit. Post aliquod tempus iuuenis Episcopum derelinquit, & factus est princeps latronũ. Veniens igitur Apostolus ad Episcopum, depositum suum requisiuit. Cum ille de iuuene non intelligeret, & plurimum stuperet: Dixit ei Apostolus: Iuuenem istum à te

S. Ioannes iuuenem latronem factum, ad pœnitentiam reuocat.

repeto, quem tibi tam studiosè commendaui. Cui ille; Pater sancte in anima mortuus est, & in tali loco cum latronibus degit. Quod Apostolus audiens, vestem scidit, & ait: Bonum custodem animæ fratris te reliqui. Confestim igitur sibi equum parari iussit, & ad montem illum intrepidus cucurrit. Quem cum iuuenis inspexisset, præ pudore nimio equum ascendit, & velocius aufugit. Apostolus autem ætatis oblitus, equum vrget calcaribus, & post tergum clamitat fugientis. Vt quid, fili dulcissime, fugis patrem inermem & senem? Non timeas fili, quia pro te Christo reddam rationem, & certè pro te libenter moriar; sicut pro nobis Christus mortuus est. Reuertere fili, reuertere, quia Deus me misit. Audiens iuuenis compunctus, & rediens amarissimè fleuit. Apostolus autem ad pedes eius procidit, & manum eius per pœnitentiam illam purgatam osculari cœpit. Ieiunante igitur & orante pro eo Apostolo, veniam ei impetrauit. Et postea eum in Episcopum ordinauit.

Echides lapides pretiosi.

QVARTVM notabile est aquilæ secundum Plinium in spec. natur. quod duos lapides pretiosos nomine Echides, quorum vnus est masculus, & alter fœmineus, in nido suo reponit, vt pullos suos custodiant à morsu reptilium venenosorum.

E

Ita B. Ioannes in nido suo, id est, Euangelio, de quo dicit Iob. 39. in arduis ponit nidum suum, lapides posuit contra serpentes, id est contra hæreticos. *Vnus lapis fuit*, cum dixit. *In principio*, id est, in æternitate *erat verbum*, & iste lapis est contra Nestorium, qui dicit filium habuisse principium. *Alius lapis fuit*. Et *Verbum erat apud Deum*, & iste lapis fugauit serpentem Sabellium, qui dixit, quod nulla erat dinstinctio personarum. *Alius lapis fuit*, cum dixit: *Et Deus erat verbum*. Iste lapis fugauit serpentem Arrium, qui dixit Filium minorem Patre. *Alius fuit lapis*, quando dixit; *Omnia per ipsum facta sunt*, & iste lapis fugauit serpentem Manichæum, qui dixit, omnia visibilia à DEO non esse creata. *Alius lapis fuit*, cum dixit; *Verbum caro factum est*. Et iste lapis fugauit Manichæum, qui dixit, ipsum non habuisse corpus humanum, sed phantasticum: Quod si esset, *Verbum caro factum* non fuisset, sed apparuisset. Iste etiam lapis Antidicomarianitas serpentes fugauit, qui posuerunt Christum habere corpus verum, non tamen de Virgine sumptum, sed de cœlo apportatum. Quod si esset verum, corpus illud caro dici non posset, cum caro dicat aliquid compositum ex quatuor Elementis.

F

QVINTVM notabile in aquila est, quod quando venatur non facit hoc circa nidum suum, sed longè à nido vult venari, vt ait Plinius in spec. nat. prædam non accipit, nisi fame arceatur. Sola non comedit, imò auibus se sequentibus quasi communem exponit. Ideò eam etiam semper multitudo auium sequitur, sperantes sibi de ipsius præda aliquid impartiri, ita B. Ioannes in locis vicinis, scilicet in mundo non venatus fuit. Ideò dicitur tulisse medullam cedri, scilicet Deitatem de Libano, id est, de cœlo, vt notatur in themate. MARCVS enim venatus est in locis vicinis, qui dicta Matthæi collegit, & in suo Euangelio posuit. MATTHÆVS venatus est in locis vicinis, quia infantiam Christi describit. IOANNES autem in locis vicinis venari noluit, nec dicta aliorum Euangelistarum replicauit, sed sua propria nobis exhibuit, nec texuit Christi natiuitatem carnalem, sed cœlestem. Ideò dicit B. Augustin. super Ioan. Designantur, siue leo, siue vitulus, siue homo, & illa tria in terra gradiuntur, quia tres Euangelistæ in his maximè sunt occupati, quæ Christus in carne est operatus. At verò Ioannes sub nubilo infirmitatis humanæ, velut aquila volat, lucem incommutabilis veritatis

veritatis acutissimis, & firmissimis oculis intuetur. Etiam B. Ioannes prædam, quam in cœlo cepit, solus non comedit. Paulus namq; prædam, quam rapuit solus manducauit, quia eam *homini loqui non licuit*. 2. Corinth. 12. Sed Ioannes prædam, quam super omne cœlum rapuit, solus non manducauit, quia eam prædam in scriptis reliquit. Ideò dicit Origenes: Paulus audiuit verba, quæ non licuit hominibus loqui. Ioannes intimæ veritatis inspector in paradiso: paradisus, id est, causa omnium, audiuit vnicum verbum, per quod omnia facta sunt, & licuit loqui, quantum potest hominibus prædicari.

SEXTVM notabile in aquila est (vt ait Ambrosius super illo verbo, Prouerb. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro*) quod est inimica serpentum, quia eos sursum ad calorem solis trahit. Rostro, vnguibusque suis lacerat, ac distinguit. Ita Beatus Ioannes fuit inimicus hæreticorum latentium serpentum, ita vt cum eis noluerit balneare, nec in præsentia eorum conuersari, sicut habetur in Glossa super secundam Canonicam Ioannis: Cum Apostolus Ioannes Ephesi balneum lauandi causa introisset, & ibidem Cherintum hæreticum vidisset, protinus exsilijt, dicens. Fugiamus hinc, ne balnea super nos corruant, in quibus lauatur Cherintus veritatis inimicus.

Ioannes inimicus hæreticorum latentium.


Ipse etiam velut aquila lacerauit eorum falsa documenta, sicut canitur in prosa. Obstruit, quod Ebion. Cherintus, & Martion per fidem latrauit. Et rectè, sicut aquila comedit venenum, non sentit acerbitatem eius, sed calore interiori consumit, & distinguit. Ita B. Ioannes quamuis mortis venenum bibit, pœnam tamen euasit, quia de hoc ipso dictum fuit Iob. 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*. Et quamuis mortem seu acerbitatem pœnæ non sustinuit, ideò non desijt esse martyr: imò martyr fuit, secundum, quod dicit B. Augustinus in sermone de Apostolis Petri & Pauli, quia voluntatem patiendi promptam habuit. Igitur coronam meruit. Quia sicut tres pueri in camino ignis proiecti, & parati erant pati, coronati sunt: Ita & illi sunt coronati, de quibus in historia, vel Legenda S. Episcopi Vdalrici. Contra cuius ciuitatem expugnandam venit quidam Dux Hunnorum nomine Attila, quod videns Episcopus accepta militia Imperatoris Othonis, ad resistendum his, hortatur eos ad audaciam pugnæ, promittens de victoria præmia æterna. Adueniente verò die pugnæ, rogauit Dominum, vt sibi dignaretur ostendere, qui in ea essent morituri, & ipsum Dominus exaudiuit. Motus igitur pietate illos ab alijs segregauit, & in Ecclesia recludebat, seruans ipse claues quousq; pugna finiretur. Qua peracta lætus Episcopus reuertitur transiens ad inclusos in Ecclesia, volens eos de victoria consolari, sed inuenit omnes mortuos, nullos tamen vulneribus sauciatos, quod cum ille vidit, cognouit voluntatem Dei, & eos honorificè sepeliuit, & inter commune sanctorum martyrum consortium prædicauit: Et sicut illi ex sola voluntate & promptitudine patiendi sunt coronati, ita & B. Ioannes. Ideò dicit B. Augustinus in libro de nuptijs, & concupiscentia: Non est impar meritum patientiæ in Ioanne, qui passus non est, & in Petro, qui martyrium sustinuit. Et sic dicitur martyr voluntate, quamuis non passione.

Historia de S. Vdalrico Episcopo.

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM.

Sermo Primus.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Matth. 2.



HVgo in didascalicon lib. 4. dicit. Fumus, qui egreditur ex lignis humidis oculos amaricat, lacrymas prouocat, & sensibiliter visum lædit humanum, & non solum lædit homines, sed volatilia, sicut apes, & accipitres, quos maximè lædit secundum Bedam. Ideò eorum nidificatoria à locis fumosis debent esse remota, ne eorum corpora ex fumi amaritudine lædantur.

A SPIRITVALITER. Per fumum lignorum madidorum ira potentum, & diuitum designatur. Quia rectè, sicut talis fumus citò ascendit in altum, & subitò euanescit sic ira potentum, quam contra bonos exercent, non diu durabit, quia de illis dicitur Sap. 5. *Hi sunt quasi fumus, qui à vento diffusus*, id est dissolutus est. Quod figuratum est de Nicanore, de quo legitur. 2. Machab. 15. Quia in ira voluit compellere filios Israël, vt derelinquerent Sabbatha. Et cum illi dicerent. *Deus potens est in cælo, qui iussit diem Sabbathi celebrari: Respondit proteruè in ira sua: Et ego potens sum in terra, qui iubeo sumi arma.* Ecce qualiter fumigauit, sed non diu durauit, quia, vt habetur in eodem capite quasi circa finem. Iudas Machabæus exhortatus est populum, & contra ipsum iuit pugnaturus, cumque Deum in cordibus suis inuocassent, triginta quinque millia ex hostibus prostrauerunt, inter quos Nicanor succubuit cum armis suis, & *præcepit Iudas caput eius & manum cum humero abscindi, & in Ierusalem deferri.*

Fumo iræ designatur.

Ira Nicanoris.

Nicanoris interitus.

Quamuis enim tales potentes, non diu durant in ira sua, interim tamen, dum viuunt amaricant oculos, id est bonos homines, & deuotos, qui sunt oculi cæcorum, sicut Iob, qui dicit. 29. *capite. Oculus fui cæco.* & multoties prouocauit eos ad fletum, sicut patet in Antiocho scelerato, qui tanta mala intulit Iudæis, qui tunc fuerunt populus Dei peculiaris, vt ipsi dicerent. Quid nobis prodest adhuc viuere super terram. Et Machabæus, & filij eius sciderunt vestimenta sua, & planxerunt, quia mulieres, quæ circumciderunt pueros suos, trucidabant, & suspenderunt pueros à ceruicibus per vniuersas domos earum.

Item legitur hoc de Herode Ascolonita, qui tantam amaritudinem intulit pueris innocentibus, vt ad fletum matres omnes concitaret, quatenus impleretur illud Ierem. 31. *Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus.* Et non solum contristauit illos pueros innocentes, sed etiam nobilissimum accipitrem Christum nouum natum puerum, quem principaliter quærebat, interficere, ideò iussit Angelus, vt habitatio eius remotè poneretur cum dixit ad Ioseph. *Surge accipe puerum*, in quo tria tanguntur. *Primò*, Angelica admonitio, ibi; *Angelus Domini. Secundò*, admonitionis prosecutio, ibi; *Qui consurgens. Tertiò*, tyrannica persecutio, ibi; *Tunc Herodes.*

Herodis Ascolonitę tyrannis.

B Circa PRIMVM est NOTANDVM secundum Isidorum lib. 14. Est quædam bestiola nomine Sania, id est, lacertula modica, quæ solet hominem in somnis præ-

præmonere. Quidam enim serpentes sunt, qui insidiantur dormientibus, & cum viderint opportunitatem in eos insiliunt, & occidunt. Sed Sania sentiens præsentiam serpentis, saltat super faciem dormientis, scalpens pedibus, vt eum excitet, & præmoneat contra anguem.

MYSTICE. Per serpentem intelligitur Herodes, quia sicut serpens latitat in occultis, & improuisè saltat super homines, & occidit: ita Herodes occultè acuebat gladium in mente sua contra Christum, & sub specie pietatis misit Magos in Bethlehem dicens, *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis eum, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Ecce simulat se adorare eum, quem occultè nitebatur iugulare. Ideò Angelus tanquam fidelis Sania, in somnis apparuit Ioseph: & eum præmonuit, ne ille latens serpens in puerum, insiliret, & occideret, vt dicit præsens Euangelium, *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, &c.* Herodes serpens.

Ad cuius maiorem euidentiam est sciendum. Refert Petrus Comestor in scholast. historia, quod Idumæus Antipater neptem regis Abrami duxit in vxorem, ex qua filium habuit, quem Herodem vocauit, qui postmodum Ascolanita dictus est. Hic à Cæsare Augusto regnum Iudæorum accepit. Et tunc primitus *ablatum est sceptrum de Iuda*, sicut prophetauerat Iacob Genes. 49. Huic septem filij nati sunt, Antipater, Alexander, Aristobulus, Archelaus, Herocles, Antipas, & Philippus. Alexandrum enim, & Aristobulum, ex eadem matre Iudæa genitos, misit Romam liberalibus artibus imbuendos. Post hoc à studijs redierunt, & erat Alexander Grammaticus, Aristobulus autem acutissimus perorator. Iamq; liberi licentius de susceptione regni cum patre disceptabant. Ob hoc pater offensus, Antipatrem illis præferre satagebat. Cumq; illi de morte patris tractassent, & ob hoc à patre reiecti fuissent, Cæsarem adeunt, de patris iniuria conquesturi.

Interea vt habetur Matth. 2. Magi Ierosolymam venerunt, & de ortu noui regis diligenter sciscitabantur. Herodes autem audiens turbatus est, timens ne de Iudæorum genere aliquis rex natus esset, qui eum repelleret. Rogauit ergo Magos, vt eo inuento sibi renunciarent. Sed illi *præmoniti in somnis per aliam viam reuersi sunt.* Illis autem ad se non venientibus, visione stellæ eos deceptos, ad se venire erubescere credidit, & ideò animum ab inquisitione pueri reuocauit. Sed cum audisset, quæ pastores dixerant, & quæ Simeon, & Anna prophetauerunt Luc. 2. vehementer timuit, & se à Magis delusum putauit. Et exinde de morte puerorum, qui erant in Bethleem, tractare cœpit, vt cum eis ille, quem ignorabat, necaretur. Admonitionem autem angeli, Ioseph cum puero, & matre eius in Ægyptum, in ciuitatem Hermopolim fugit, ibiq; septem annis vsq; ad obitum regis Herodis permansit. Et hoc est, quod dicit Euangelium. *Et angelus ait: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*, super quo dicit Chrysostomus in persona Ioseph ad Angelum. O Angele Dei, nónne tu retulisti mihi, quod nasceretur ex ea de Spiritu sancto: & quomodo iubes nos fugere? quô filius Dei ante hominem fugiet? Aut quis de inimicis liberet se, ipse inimicos timens? Et respondens Chrysost. ait. Ideò fugit, vt regulam humanæ naturæ conseruaret, quàm suscepit, quasi diceret: Fugit propter offensionem suæ humanæ naturæ, vt ex hoc vera eius humanitas monstraretur. Hinc est, quod cum sponsa Christi Ecclesia natiuitatem eius petijsset, dicens Cant. 8. *Quis mihi det, vt te fratrem meum*, scilicet ratione humanitatis assumptæ, *sugentem vbera matris*

Christus fugit in Ægyptum, & quare.

1.

meæ,

mea, scilicet Mariæ, quæ dicitur mater totius Ecclesiæ statim subiungit. *Dilecte mi fuge, & assimilare hinnulo, capreæ, ceruorum.*

II. SECVNDO fugit, propter victoriam suæ sapientiæ: Fugiendo enim Herodem vicit, & milites acquisiuit; Ideò dicit Petrus Rauen. Bellicosus, si in bello fugit, artis est, non timoris: Hoc genere pugnæ vicerunt filij Israël, de quibus legitur Iudic. 20. Qui prius simulauerunt fugam, sed versa facie fortius resistebant.

III. TERTIO propter exemplum, vt nobis daret exemplum fugiendi, secundum illud Matth. 10. *Cum persecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugite in aliam*; Ideò dicit Chrysostomus super Matt. In puerili ætate consueuit fugere potestatem minantem, ideò, vt cæteri Christiani, cum necessitas persecutionis aduenerit, fugere non erubescant.

D Cur Christus in AEgyptum fugerit.

Sed diceret quis; Quare potius fugit in Ægyptum quam in aliam terram? *Ad hoc respondetur*, quod hoc fecit propter certas causas. PRIMO in Ægypto maximè simulacra increuerant; & hoc longe prædixerat Isaias 19. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Quia legitur, quod ea nocte Ægyptum intrauit, qua populus Israël inde exiuit: & sicut non fuit domus, in qua non iaceret primogenitus mortuus, ita non fuit templum, in quo non corruisset idolum. Quia Domino ingrediente templum in Hermopoli omnia idola corruerunt. SECVNDO propter Ægypti sanationem iuxta illud vaticinium Isai. 19. *Percutiet Dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam.* Nam sicut Chrysostomus super Matth. dicit: recordatus Deus quanta mala fecit Ægyptus, super Ægyptum, filium suum mittit, vt decem plagas Ægypti sanaret medicina. Ad idem Augustinus in sermone. Aliquando Moyses in Ægypto perfidis lumen clausit, illuc Christus veniens sedentibus in tenebris, reddidit clarissimam lucem. Fugit, vt illuminaret, non fugit, vt timeret: fugit non formidine sed pietate.

E Quantum ad SECVNDVM. NOTANDVM quod Ioseph quasi obediens, statim adhuc nocte surgens secessit in Ægyptum. Sed quare hoc, cum tamen de Ægypto rediret in Iudæam, non ponuntur tenebræ fuisse, aut nox. *Ad hoc respondet* Chrysostomus super Matth. Omnis persecutio nox est, aut dies, aut refrigerium, quasi diceret. In nocte persecutionis iuit in Ægyptum. In die cessante persecutione rediit.

F Et est NOTANDVM, quod euntibus illis in Ægyptum varia mirabilia creuerunt. Refert Cassiodorus in historia tripartita, Martinus in Cronica, Vincentius in spec. hist. lib. 7. Quid in Hermopoli dicatur esse arbor, quæ à perfidis vocatur valens in salutem multorum, si fructus, aut folium, siue pars corticis collo ægrotantium alligetur. Cum igitur beata Maria virgo in Ægyptum fugeret, hæc arbor vsq; ad terram inclinata CHRISTVM humiliter adorauit. *Aliud referunt*: Dum Maria & Ioseph sub altissima palma quiescerent, dixit Virgo. Vtinam ex fructibus istis me reficere possem. Cui Ioseph. Tu ex fructibus palmæ cogitas, ego de aquis, quæ nobis in valle deficiunt. Tunc infantulus in sinu matris clamans ait. Flecte te arbor, & refice matrem meam de fructibus tuis. Tunc statim inclinauit cacumen suum vsq; ad plantas Mariæ. Et colligentes fructus sunt refecti. Nec arbor surrexit, quousq; diceret Christus. Erige te, & aperi ex radicibus fontem occultum, quod & factum est, & potati sunt cum iumentis. In hoc Christus ostendit suam bonitatem; Deinde dixit Ioseph ad puerum. Domine nimius æstus exurit nos, vis transeamus viam maris vt possi-

Fugiente Christo in AEgyptum, quænam acciderint.

possimus transire quiescendo. Ad quem ille, Noli timere, ego vobis mansionem abbreuiabo ita, vt quo ad triginta dies properandum erat, in hac vna die mansionem illam pertingetis. Adhuc eo loquente perspicientes viderunt montes Ægypti, & gaudentes in vnam ciuitatem nomine Syrenem intrauerunt. Ingressi sunt in templum, in quo trecenta & sexaginta quinq; idola erant, quæ omnia corruerunt. Quod cum nuntiatum esset Eufrodosio, ingressus in templum cum omni exercitu Deum adorauerunt.

Aliud referunt. Cum ipsi irent in Ægyptum inciderunt in latrones, qui asellum rapere voluerunt, vnus autem in puerum respiciens tantam venustatem & faciei splendorem admirans, dixit sociis suis: Verè dico vobis, quod si possibile esset Deum hominem fieri, dicerem quod iste puer esset Deus incarnatus, ideò si aliquis vel asellum abstulerit, aut ipse auferet vitam meam vel ego auferam ipsi suam, sic post multam altercationem tandem eos defendit. Tunc Virgo MARIA latronem ad se vocauit dicens. Scias, quod iste puer, quem defendisti, tibi adhuc mercedem retribuet. Hic autem dicitur latro, qui cum Christo crucifixus est à dextris, cui dixit Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Aliud referunt, quod in via venissent latrones, & puerum adorantes abijssent. Similiter Leones, & Pardi comitabantur eos, & interdum antecedebant viam eis ostendentes in deserto, inclinantes capita sua obsequium exhibuerunt.

Et est NOTANDVM, quod CHRISTVS septem annis mansit in Ægypto, ad designandum, quod toto tempore vitæ præsentis manet cum bonis & malis, per beneficiorum participationem, de qua mansione dicitur Matt. 28. *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi*, communicãdo vobis septem beneficia, aut septemplicem misericordiam, de quibus Bernardus in sermone dicit. G

Septem in me video misericordias Domini. *Prima*, cum adhuc essem seculo deditus à multis me peccatis custodiuit: quis non videat, quod sicut in multa cecidi, sic in alia poteram incidere, nisi me Dei pietas conseruasset. *Secunda* est, quod conuersionem meam exspectauit. Prolongaui ego longo tempore iniquitatem meam, & Dominus prolongauit misericordiam suam. *Tertia* contritionis collatio. Nam qui lætabar cum male feceram, & exultabam in rebus pessimis, incepi demum cogitare omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Quarta* est, quod me pœnitentem misericorditer suscepit. Multi enim pœnitẽtia ducti sunt, sed infructuosa: quoniam pœnitentia eorum reprobata est, ita hic miseratio magna fuit, quod me pœnitentem misericorditer suscepit. *Quinta* est, quod mihi perseuerandi virtutem contulit, ne recidiuum paterer, & error nouissimus peior fieret priore. *Sexta*, quod mihi gratiam contulit promerendi gloriam. *Septima*, quod mihi spem dedit obtinendi gloriam. Hæc Bernardus. Tunc Euangelista confirmat dictum suum per Prophetam Oseæ. 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Ista auctoritas ad literam intelligitur de filijs Israël, perfectius tamen de Christo, qui secundum Chrysostomum est naturalis filius Dei. Et tantum de secundo. H Septem misericordiæ Domini.

Quantum ad TERTIVM, ponitur Herodis tyrannica persecutio, cum dicitur, *Tunc Herodes videns, quod illusus esset à Magis, iratus est valde.* Vbi NOTANDVM dicit Plinius in specul. histor. lib. 3. cap. 39. Vulpes naturaliter odit taxum, & ipsum persequitur; quia propter eius pellem hispidam non potest ei nocumentum inferre. I

ferre. Ideò fugam simulat, & tentat superare astutia, quem non potest superare potentia.

SPIRITVALITER per vulpem intelligitur Herodes, qui persecutus est, & odiuit verum taxum Christum, quem cum non posset potentia superare, simulat ipsum velle callidè adorare. Matth. 2.

K Herodes cur Magis iratus. Sed cum videret se illusum à Magis, iratus est valde, propter tria. *Primò*, propter regni dolum teste Chrysostomo, qui ait. Si ex alia causa irascantur reges, cito placantur. Illa ira inexstinguibilis est, quam regni Zelus accendit. *Secundò*, propter sui contemptum. Dicit enim Chrysostomus Magi contemnentes Herodem addiderunt causas doli, quia quibus ille sedens in throno suo suadere non poterat consilio, his Iesus iacens in præsepio, & pannis inuolutus imperat. *Tertiò*, propter Cæsaris metum, qui præcepit, vt nullus sine suo imperio rex diceretur, sic igitur iratus mittens occidit omnes pueros.

L Herodes similis lupo. Fecit Herodes sicut lupus. De hoc refert Isidorus lib. 12. & Homerus. Cum esurit, quærit ouem ad comedendum; Etsi ad ouile venerit, non solum vnam, sed omnes studet iugulare, vt sic suam ingluuiem possit satiare. Sic Herodes quærens illum agnum mitissimum, qui venerat *mundi tollere peccatum*. Ioan. 1. Sed quia ipsum ignorauit, propterea omnes innocentes pueros iugulauit, teste Augustino in sermone III. huius festiuitatis. Iste, qui agnum tentauit, ipse per Herodem agnos omnes iugulauit. quod & testatur Euangelista dicens. *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem Iuda, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra.*

Circa quod NOTANDVM. Refert Petrus Comestor in Schol. hist dum Herodes de nece puerorum disponeret, à Cæsare citatus est accusationibus responsurus, qui cum compareret, & per tharsum iter faceret, intellexit, quod naues Tharsensium Magos transuexissent. Ideò omnes in spiritu vehementi comburi iussit, vt impleretur illud Psal. 47. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Cumq; pater cum filijs coram Cæsare disceptaret, definitum est, vt filij patri in omnibus obedirent, & ipse, cui vellet, regnum dimitteret. Rediens autem Herodes, & ex confirmatione audacior factus, mittens tunc primò *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, à bimatu, & infra*, id est, ab infantibus duorum annorum secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

M A bimatu & infra, quomodo intelligendum. Et hoc dupliciter potest exponi. Vno modo, vt infra dicat ordinem temporis, & est sensus, à bimatu, & infra, id est, ab infantibus duorum annorum vsque ad pueros vnius noctis: Didicerat enim Herodes à Magis ea die, qua stella apparuit eis, dominum natum esse. Et quia iam annus effluxerat, eò quod Romam transierat, & redierat, Dominum anniculum, & insuper aliquot dierum esse credidit. Ideò vsque *à bimatu, & infra*, id est, vsq; ad vnius noctis infantes deleuit pueros, timens, ne puer, cui sidera famulabantur, super ætatem veniret, & super eum dominaretur. Et hæc expositio verior reputabitur.

Expositio Chrysostomi. Alio modo exponit Chrysostomus vt *infra* dicat ordinem numeri, & est sensus *à bimatu, & infra*, id est, à pueris duorum annorum, & vltrà, vsq; ad pueros quinque annorum. Didicit enim stellam ortam Magis per annum, antequam ad DOMINVM venirent, apparuisse. Herodes autem postquam hoc à Magis didicit Romam vadens, distulit per annum. Credebat enim tunc Dominum natum fuisse, quan-

quando Magis stella apparuerat, & ideò duorum annorum Dominum esse credidit. Ideò pueros biennes occidit. Deinde vsq; ad quinq; annos, & non minores, & huic dicto Chrysostomi fidem facere videtur, quod quædam ossa innocentium habentur adeò grandia, vt binorum esse non possint. Prima tamen expositio est vsitatior, vt prædictum est, & potest dici, quod longè quantitatis maioris fuerunt pro tunc homines, quàm modo. Ideò non mirum, quod maiora cernuntur ossa puerorum.

Sed quia dicitur, Deus malum inultum abire non patitur, ideò Herodes statim ibidem punitus est, sicut refert Macrobius in quadam chronica, quod vnus paruulus Herodis ibidem Bethleem ad nutriendum fuit datus, qui cum alijs innocentibus occisus est: Tunc impletum est illud, quod prædictum erat per Prophetam Ier. 31. *Vox in Rama audita est*, id est, in excelso, *ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*, scilicet in vita, per Rachel intelligitur Betthleem, in qua Rachel fuit sepulta. Ideò ratione sepulturæ ipsa dicitur mater filiorum, & non ratione genituræ: quia filij Bethleem venerunt de Lia, vt habetur Genes. tricesimo & non de Rachel. Vel dicitur flere filios suos similitudinariè, quasi diceret.

Tantus fuit dolor, & luctus, vt etiam mortui compati deberent, & flere. Et sic non fuit mirum, quod Rachel, quæ fuit mortua plusquàm ante mille annos, filios sic innocentes occisos defleuisset, dicit, si mirum hoc non fuisset, minus mirum fuisset, quod piæ matres mortem innocentum puerorum, defleuerunt. Ideò dicit August. in Serm. 1. de festiuitate diei huius. Cum paruuli victimabantur, matres miseræ lamentabantur, vlulabant matres, qui agnos perdunt sine voce balantes. Mater crines capitum dissipabat, quæ ornamenta capitis amittebat. Quantis modis volebat infantem abscondere, & ipse se infantulus publicabat. Nesciebat tacere, quia non didicerat formidare. Pugnabat mater, & carnifex; ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat: Quid separas à me, quem genui ex me? Vterus meus genuit, vbera mea lactauerunt, & tu crudelis interimis. Modo effunderunt eum viscera mea, & tu elidis in terram. Alia mater dicebat: Simul occide matrem cum puero, vt quid dimittis me inanem? Si culpa est, mea est. Alia dicebat. Quid quæritis? Vnum quæritis, & multos occiditis, & ad vnum, qui vnus est, attingere non potestis. Alia contrà clamabat: Veni iam veni Saluator mundi, quamdiu quæreris? Nullum times: Videat te miles, & nostras non occidat infantes. Hæc Augustinus. Sed quare matres sic flebant? Certè ideò, quia filios nutrierant, secundum illud Bar. 4. *Nutriui illos cum iucunditate; dimisi autem eos cum fletu, & luctu.* Ideò poterant dicere illud Threnor. 1. *Facti sunt, filij nostri perditi; quoniam præualuit inimicus.* N

Sed quare leguntur fleuisse matres, & non patres? *Dicitur*, quod ideò. *Primò* quia matres, sunt natura magis passibiles, & molles, ideò sunt magis dolorum susceptibiles. Quamuis enim pater, & mater de bono filiorum lætentur, & de malo ipsorum tristentur, tamen mater plus dolet de malo filij, quam pater. Et pater plus gaudet de bono, iuxta illud Prouerb. 10. *Filius sapiens lætificat patrem, filius autem stultus mœstitia est matris suæ*; Pater enim de malo, & stulto filio habet iram, sed mater dolorem, teste Sapiente, Prou. 17. *Ira patris filius stultus, & dolor matris, qui genuit eum. Secundo*, quia magis communicant de sub- O

Cur matres & non patres fleuerint.

ſtantia filij. Ideò etiam vehemens amor amori comparatur matris ſecundo, Regum 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Et propter hunc vehementem amorem plus flent de perditis filijs ſuis. Sed tanta matrum lamentatio non permanſit inaudita; Quia dicit Chryſoſtomus ſuper Matth. aſſumens dictum Sapientis. Sic vox pauperis penetrat nubes, vt non deſcendat donec audiatur. Sic & pauper, quando violentiam patitur à potente, etſi non auſus eſt vociferari, ſed latenter clamare, tamen clamor eius in excelſo auditur.

P Ideò iuſtiſſimus iudex, qui hunc clamorem audiuit, Herodis nequitiam inultam non permiſit. Nam legitur in Scholaſtica hiſtoria. Diuino iudicio factum eſt, vt qui multos orbauerat filijs, orbaretur miſerabiliter, & ipſe ſuis. Nam Ariſtobulus, & Alexander habiti ſunt ei ſuſpecti: quia confeſſus eſt ei vnus, quod ſibi multa donaria promiſiſſent, ſi patri venenum propinaret. Ideò iratus eos occidi fecit, & Antipatrem futurum regem inſtituit, qui poſtea concepit odium contra patrem, & veneno ipſum occidere attentauit. Quod Herodes percipiens, ipſum in carcerem poſuit. Auguſtus Cæſar hoc audito, quod Herodes filios occidiſſet, ait. Mallem eſſe Herodis porcus, quàm filius eius, quia cum ſit proſelytus, porcis parcit, & filios occidit.

Herodes vitione diuina percuſſus miserè interiit.

Refert etiam quidam Doctor ſanctus Rabanus in ſermone de innocentibus. Plus quàm triginta tribus annis Herodes multa mala Iudæis intulerat, Dominum Ieſum perſequi non deſijt. Vnde diuina vltione percuſſus, exterius quidem lento igne vrebatur, interius amplo incendio cremabatur, in tantum, vt omnia viſcera eius in cœnum defluerent, paulatim, verendáque illius vermibus ſcaturirent. Hydropiſis totum corpus eius arripuerat; inflatio pedum vehemens, anhelitus fœtitus, ita, vt aliquis medicorum vix medendi gratia accedere poſſet: nec ei medicinæ proderant, ſed magis deteriorabatur, ideò iuſſum eſt à medicis, vt cauſa leuaminis in dolium plenum oleum mitteretur. Quod cum factum fuiſſet, ita penè diſſolutus eſt, vt etiam oculi ipſi à ſuis ſedibus euellerentur? Quare ira commotus aliquos medicos coram ſe interfici iuſſit. Super hæc omnia famem, & ſitim intolerabiliter ſuſtinuit. Tantam etiam phantaſiam in ſomno habuit, vt dormiuiſſe ſe pœniteret. In ipſa quoq; anguſtia duos filios in carcere poſitos, occidi iuſſit, vt qui extraneis fuit homicida, in proprijs fieret filicida. Sciens verò Iudæos de morte ſua gauiſuros, vocauit ſororem ſuam Salome, & virum eius, & ait: Noui Iudæos de morte mea gauiſuros, ſed vt honorabiles exequias habere poſſim ex luctu plangentium, ſi meis volueritis parere præceptis, mox vt ſpiritum exhalauero, omnes Iudæos, quos in cuſtodia poſui, interficite, vt qui nolunt ex mea morte flere, ſaltem morte parentum cogantur flere. Cum igitur non poſſet tantorum tormentorum ſuſtinere pœnas, quodam die iuſſit ſibi balneum præparari, quod cum ingreſſus eſſet propter intolerabilem famem, quam ſuſtinebat, pomum afferri præcepit. Quo allato, iuſſit ſibi dari cultrum, quem cum accepiſſet, circumſpectis omnibus, ne quis eum prohibere poſſit, ictu proprio vibrauit in pectore, & ita vitam miſerrimam finiuit. Et ſtatim ad iuſſionem eius proceres interfecti ſunt, iudicio iuſto Dei exigente, vt qui in mortem Saluatoris conſenſerant, ideò etiam cum eo vitæ terminum darent. Hæc ille. Idem etiam dicit Remigius & Origenes ſuper Matthæum, quod Herodes cultello, quo pomum purgauit, ſe interemit, & quod Salome ſoror

Herodes ſe cultro interficit.


ipſius

ipsius omnes vinctos, prout cum fratre ordinauerat, interfecit. Dicit tamen Legenda, quod ipsa omnes absoluerit, quos rex occidi iusserat. Sed primum credibilius; Et tantum de tertio.

DE EADEM SOLENNITATE.

Sermo secundus.

Innocentes & recti adhæserunt mihi. Psal. 24.



DICVNT naturales, & præcipuè Magister libr. 12. proprietatum. Miluus habet hanc naturam, quod non inuadit gallinas senes, sed pullos innocentes; Rapaces enim sunt milui in minimis sed timidi in magnis; Volucres non audent inuadere, domesticis insidiari non timent, vt pullos, quos cum viderint incautos, rapiunt & occidunt, quia se contra ipsos non defendunt. A

SPIRITVALITER per miluos intelliguntur tyranni. Rectè enim secundum Aristotelem in libro animalium, valdè impij sunt milui circa pullos, dolent enim quando vident eos impinguari, & vt marcescant, rostro eos percutiunt, & eis cibum subtrahunt. Ita mali, tyranni, & domini impij sunt circa subditos suos, & dolent de bono eorum, & profectu, sique viderint eos ditari, auferunt eis per vim, non attendentes illud Eccl. 34. Qui *aufert in sudore*, scilicet acquisitum, *panem, quasi, qui occidit proximum suum*, quia aufert eius victum: Hi tyranni innocentes pauperes opprimunt, qui se defendere nesciunt, dicentes ad suos complices illud Sapientiæ 2. *Venite opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ nec veterano: quod enim infirmum est, inutile inuenitur.* Talis fuit Nemrod. Genes. 10. *Qui cœpit potens esse in terra, & erat robustus venator*, secundum Glossam, id est, oppressor innocentum, & propter hoc exiuit de eo commune prouerbium. *Quasi Nemrod robustus venator.* Quia quando post hac videbatur aliquis oppressor pauperum, alter Nemrod dicebatur. B Tyrãni miluis similes.

Talis etiam fuit impius, & crudelis Herodes, qui pueros innocentes occidi mandauit, sicut testatur B. Augustinus in sermone hodierno. Ad sinus, inquit, matrum militum cogit castra, inter vbera arcem pietatis oppugnat, lac fundit hostis antequam sanguinem, dat ante mortem sentire, quàm vitam. Sic agit Magister mali, minister doli, iræ artifex, inuentor sceleris, impietatis auctor, prædo pietatis, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, suis peior, sibi pessimus. Hæc ille. Et hoc figuratum est Exod. 1. quod Pharao iussit occidi omnes masculos de pueris Iudæorum, ne populus Israel multiplicaretur. Pharao interpretatur dissipans virum, & significat Herodem, qui voluit interficere virum Christum. De quo Ierem. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Sed quia illum ignorabat, omnes innocentes propter ipsum necabat: & quia pro ipso mortem sustinebant, ideò ei adhæserunt, secundum quod dicunt verba proposita, *Innocentes, & recti adhæserunt mihi.* In quibus quidem verbis duo tanguntur. *Primò*, paruulorum innocentia, ibi; *Innocentes recti. Secundò*, ipsorum adhærentia, ibi; *Adhæserunt mihi.*

Circa PRIMVM NOTANDVM, secundum naturales. Violæ sunt primi flores, quia ante omnes flores de terra oriuntur, & per homines pro refrigerio colliguntur, C I.

etiam aliquando à scrofis conculcantur, & euelluntur. MYSTICE, Per tempus veris intelligitur gratiarum tempus, in quo misit Deus filium suum *factum ex muliere*, vt dicit Apostolus ad Galat 4. Sed per violas sancti Martyres designantur innocentes, propter certas causas. PRIMO ideo. Rectè enim sicut violæ sunt primi flores anni, ita ipsi fuerunt primi flores nascentes Ecclesiæ, & ab ipsis primus fructus maturus processit, sicut prædixerat Isaias. *Manè semen tuum florebit*, vbi dicit Glossa, Manè quidem in eis semen floruit, quia adhuc in pueritia diuina gratia in eis germinauit. Ad videndum hos flores Christus sponsus Ecclesiæ præmonet sponsam suam Ecclesiam dicens, Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra*; Et iterum. *Capite nobis vulpes*, inquit, *paruulas, quæ demoliuntur vineas*: nam vinea nostra floruit.

Violæ designant martyres.

D Vinea significat Ecclesiam, vel congregationem fidelium, secundum illud Isa. 5. Tunc florebant vineæ quando Martyres innocentes produxit, sed Plinius in speculo naturali dicit; Odor florentis vineæ omni venenoso contrariatur, ideo ipsa florente fugiunt colubri, & bufones, quia eius fragrantiam non possunt sustinere. Ita in simili, cum Ecclesia sancta in his sanctis Martyribus innocentibus floruit, coluber infernalis fugatus fuit. Iam enim ipsis pro nobis intercedentibus, à dæmonibus protegimur, vim nobis inferre volentibus. Sed per vulpem intelligitur Herodes, de quo dicitur Lucæ 13. *Ite, & dicite vulpi illi*. Etiam Herodes, intelligitur pellibus glorians: Rectè enim, sicut vulpes in pellibus suis gloriatur, & vulpes paruula non à malitia, quam multam habet, sed à sensu, de quo dicitur Eccl. 25. *Tres species odiuit anima mea*. Et enumeratur, *pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum*. Qualis fuit Herodes fatuus in sensu. Contra quod dicit Apostolus 1. Cor. 14. *Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote*. Ista vulpes callida vineam sanctam Ecclesiam in suis floribus fuit demolita, quando hos Martyres innocentes per mortem extinxit, & euulsit. Et licet isti sanctissimi flores per ipsam sint demoliti, non tamen suo odore sunt priuati, sed sicut flos euulsus, quanto magis conteritur, tanto maiorem spirat odorem; Sic & isti paruuli quantò magis fuerunt martyrio crudelitatis attriti, tanto maiorem odorem sui martyrij Domino reddiderunt, secundum illud Cantic. 2. *Vineæ florentes odorem dederunt*. Hinc est, quod etiam prima petit ornari floribus martyrum paruulorum, & postea floribus martyrum singulorum, vt ex talibus floribus, & fructibus animati fideles, in Dei amore amplius accendantur. Ideo dicitur Cantic. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*.

Vinea est Ecclesia, vel congregatio fideliũ.

E II. SECVNDO violæ sunt frigidæ naturæ. Ideò secundum Petrum de Crescen. in lib. 6. valent contra dolorem capitis ex calida causa factum. Si tempora ex eius oleo, & frons dolentis liniantur, quia habent virtutem refrigerandi. Valent etiam febri tertianæ, & contra distemperantiam hepatis ex calore. Valent etiam contritæ, & super calidum apostema positæ, quia calorem solent mitigare. Hæc omnia Petrus lib. 6. Ita nostræ violæ redolentes frigidæ fuerunt ab omni carnali calore, & amore, secundum quod habetur de ipsis Apocal 14. *Cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt*, ideo valent, seu auxilium præstant nobis contra capitalia peccata.

Violæ naturę frigidæ.

F Et PRIMO contra luxuriam, quæ ex calore procedit quam repellunt à nobis per mundissimam vitam, quasi dicerent cum Gloss. Hieronymi: Fugite luxuriam,

gnaz-

nam sicut virginitas hominis in carne pura, amica est angelis, imò plus valet angelis: ita luxuria hominem bestificat, & facit multo peiorem bestia; Luxuria corpus debilitat, & quasi semper illud morti destinat, famam denigrat, marsupia euacuat, furta instruit, homicidia causatur, memoriam hebetat, cor aufert, oculos vtriusque hominis excœcat, & præ cæteris iram prouocat. Luxuriæ mala, quæ?

SECVNDÒ præstant nobis remedium contra æstum febris, hoc est, auaritiæ: quia ipsi tanquam paruuli nihil terreni concupierunt, quare dicuntur innocentes, quia nulli per fraudem auaritiæ nocuerunt, & quid aliud in hoc fecerunt, nisi quod in nobis auaritiam sanauerunt, quasi dicerent cum Salustio in Iugurtino; Dimitte auaritiam, quæ est inimica charitatis, omnisque virtutis æmula, & salutis, quæ regna dissipat gentes conturbat, corrumpit mores, aufert pariter & honores. Auaritia inimica charitatis.

G

TERTIÒ. Violæ istæ nobilissimæ nobis conferunt remedium contra tumorem apostematis, scilicet superbiæ in hoc, quod fuerunt paruuli superbiam ignorantes, quasi dicerent ad nos illud Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis* ab ambitione vestra, *& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum Dei*, quia superbia clarissimum Angelum *deiecit ad infernum* Isaię 14. Adam protoplastum *de paradiso expulit* in hunc mundum Genes. 3. Superbia *abiecit Saul* de regno. 1. Regum 15. Cui dictum fuit. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis caput in Israel factus es?* Superbia regem Nabuchodonosor de regno eiecit, & in bestiam mutauit. Dan. 4. Superbia quæ homini mala adsferat.

H

QVARTÒ violæ in magna multitudine simul oriuntur. Nam raró inuenitur vna sola, vel paucæ simul. Ita hi sancti martyres innocentes multi sunt in numero, ita vt à nobis numerus eorum ignoretur, & licet à nobis non sciatur, Ecclesia tamen eos sub magno honore honorat, cum canit, *Centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra*: & sumpsit hunc numerum de Apoc. 14. Vbi dicitur: *Audiui vocem Citharædorum citharizantium Citharis suis, & cantabant canticum nouum ante sedem Dei, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt sanguine Christi de terra.* Et quia illa beata puerorum societas est tam innumerosa, igitur maiori veneratione est digna. Si enim miles vnus alicuius regis honorandus est, multo fortius militum multitudo, & maximè quando familiares essent, & secretarij regis, & induti essent vestibus, & armis regis & essent de cognatione regis. Tales sunt isti martyres innocentes, quia sunt familiares, & secretarij regis cœlestis Christi. De ipsis dicitur Apocal. 14. *Hi sunt, qui sequuntur agnum quocunque ierit.* quasi diceret, Ipsi in omnibus secretis Dei sunt, ipsi induti vestibus Christi, secundum illud Apocal. 3. *Hi sunt qui non coinquinauerunt vestimenta sua, & ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Ipsi etiam sunt de cognatione Christi, & eiusdem patriæ, quia fuerunt de Bethleem Iuda Matt. 2. vbi legitur: *Mittens Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem Iudæ,* Et Christus de tribu Iuda in Bethleem est natus, secundum illud vaticinium Michææ 5. *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. Quia homines vnius patriæ solent se plus diligere, ideo Christus dilexit eos, plus aliis, & exaudit eos orantes pro nobis, tum quia sunt secum eiusdem gentis, tum quia sunt in numero multi. Si enim preces vnius sancti de facili audit, multo magis multorum innocentium. Et hoc quoad primum.

I

Quantum ad SECVNDVM, subiungitur puerorum innocentium adhærentia, cum dicitur: *Adhæserunt mihi.* Circa quod SCIENDVM, quod domini terrestres, si sunt

sunt boni, & Deo deuoti, habent circa se bonos famulos, & morigeratos, & sic ex bonitate serui nascitur bonitas sui domini, nec etiam boni, & innocentes serui vellent adhærere malis dominis. Quia secundum Aristotelem in Oeconomicis, dissimilitudines morum raró sunt amandæ.

Mystice. Deus fuit bonus & est in æuum, secundum illud Psal. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me*, quia nemo bonus scilicet essentialiter, *nisi solus Deus*, Matth. 19. Ideo voluit habere ministros immaculatos, sicut testatur Psalm. 100. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*. Et sequitur. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniquitatem, non direxit in conspectu oculorum meorum*. Idcirco ipse, vt ait Hieronymus ad Eustochium. Statim quando ingressus est in mundum nouam sibi familiam instituit, & specialiter istos bonos pueros sibi voluit sociari. Et ratio huius est duplex.

Cur Christus innocentes pueros sibi associant.

I. Prima, quia dicitur Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile, & omnis homo proximum sibi*. Et quia filius ipse Dei dignatus est esse puer, & virgo de pura virgine, ideo congruum fuit, vt sibi pueros virgines associaret, de quibus dicitur Apoc. 14. *Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit*. Nec mirum, si pueri virgines, puerum virginem sequuntur; quia solet naturalis conuenientiæ facere similitudo, vt res rem sibi sociat similem, & abhorret dissimilem, vt dicitur 8. Ethicor. Simile diligit sibi simile. Idem etiam 9. Ethic. Simili amico est similis amicus.

II. Secunda causa est, quia filius Dei venit ad reparandum innocentiam in primis parentibus perditam, & per consequens in nobis, ideo congruum fuit vt sibi milites innocentes associaret. Circa quod Notandum vlterius. Innocentia secundum Doctores dicit recessum à peccato, & accessum ad bonum, & hoc tangit Iob. 1. cum dicit ad dæmonem. *Nunquid considerasti seruum meum Iob*. In eo, quia dicit *seruum meum*, tangit accessum ad summum bonum. Sed in illo, quod dicit, *& recedens à malo*, tangit recessum à peccato, & iste status dicitur innocentiæ, in quo primi parentes sine peccato erant, & sine peccato viuere poterant, cuius innocentiæ cum homo dominium habuit in cæteris creaturis Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ sunt super terram*. Et similiter Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues*, scilicet in statu innocentiæ. Sed homo cum in honore esset, non intellexit, sed insaniuit, & rebellauit, ideo perdidit innocentiam, & proiectus est tanquam malefactor in huius mundi miseriam. O quàm infelix mutatio, cui prius subiiciebantur vniuersæ creaturæ, nunc ei quasi omnes resistunt. Et accidit ideo, quia primi parentes per peccatũ perdiderunt dominium, sed hoc Christus suo sanguine reparauit, secundum illud 1. Petr. 1. *Non corruptilibus auro, & argento emti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati*.

K Si ergo volumus seruare innocentiam, quam Christus nobis reparauit, videamus qualiter primi parentes eam perdiderunt, vt per contrarium perpendamus qualiter à nobis seruanda est. Quia secundum Aristotelem 2. Ethic. Medicinæ fiunt per contraria.

L Interroga ergo parentem tuum, & maiores tuos, & inuenies eos innocentiam specialiter per tria perdidisse. I. Primò, per negligentiam sensuum externorum, quorum diligentem custodiam habeamus, si innocentiam seruare desideramus. Et Primo visum, vt nihil videre velimus, quod non licitè appetere possumus. Quia legitur

Visus custodiendus.

Gen

Gen. 3. Quod Eua incautè pomum aspexit: *quia vidit, quod esset bonum lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq́; delectabile, & tulit de fructu illius, comedit*, & innocentiam perdidit, & dominium, quod super creaturas accepit. Sic legitur de Dina, quæ volens inspicere mulieres regionis exiuit de domo patris, *& corrupta fuit per Sichem*, Genes. 34. Sic etiam legitur de Dauid 2. Reg. 11. quod *videns Bethsabee* per centum passus, concupiuit eam, & adulterium perpetrauit. Ideò dicit B. Gregorius: Pensandum est, quantum debemus visum restringere, si inter viuentium oculos peruenit. Non licet intueri, quod non licet concupiscere. Si vis ergo seruare innocentiam oculos custodi, nisi videant illud, quod sit ad salutem tuam. Sicut fecit Dauid Psalm. 100. qui ait: *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam*. Et Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine*.

Quantum Dinæ nocuerit curiosus aspectus.

De negligentia patet sic. Nam ita est de nobis, sicut de vno castro à fortibus aduersariis, & subtilibus sagittariis obsesso, in quo licet fenestræ vtiles sint ad aliquid, periculosæ tamen sunt, nisi benè custodiantur: quia per eas frequenter intrant sagittæ ignitæ, quibus totum castrum dissipatur. Sic oculi sunt tanquam fenestræ corporis nostri vndique & continuè obsessæ ab hostibus scilicet dæmonibus, nisi solicitè custodiantur, ne intrent species periculosæ, tentationes venenosæ, quibus destruitur totum regimen animæ. Aperi ergo fenestras, vt videas, quod est mortiferum secundum illud, quod dicit Hieronymus ad Eustochium: Habeto apertas fenestras, de quibus dicitur Ierem. 9. *Mors intrauit per fenestras nostras*.

Nec blandatur sibi aliquis dicens; Ego sum armatus virtutibus, nec timeo sagittas hostis. Exemplum recipe de homine armato, de quo non remanet inarmatum, nisi oculi, & tamen sæpe à subtili sagittario vulneratur, & necatur, sicut vulneratus fuit Dauid 2. Regum 11. de quo dicitur Actor. 13. *Inueni Dauid filium Iesse, virum, secundum cor meum*. Nunquid tu melior es armato Dauid? Certè non. Ergo valde custodiendi sunt oculi; Quia refert Eudoxius in gestis Philosophorum, quod plurimi sibi oculos eruerunt, vt vitæ puritatem sibi conseruarent. Ideò etiam Dominus Matt. 18. dicit; *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te*, id est, custodi eum semper, *ne videat vanitatem*, secundum Psal. 118.

M

SECVNDO, custodi gustum, nam gulæ vitium esse detestandum natura suadet, ratio dictat, scriptura docet, quia inter omnia animalia magna, nulli dedit natura tam paruum gustum, secundum corporis quantitatem, quàm homini: & hoc factum est, ad recordationem temperantiæ, & detestationem gulæ. Scriptura docet Luc. 21. *Cauete, ne grauentur corpora vestra crapula, & ebrietate*. Ratio hoc dictat. Corpus enim nostrum est valde rudis conditionis, sicut rusticus, qui nescit vti delitiis. Nam si semel fuerit in hebdomada in conuiuio, inebriatur, infatuatur, & rebellat. Sic etiam de corpore. Ideò dicit Sapiens Prouerb. 29. *Qui delicatè nutrit carnem*, id est, corpus suum, quod debuerat rationi subiugare tanquam Domino suo, *postea sentiet eam contumacem*, & indomabilem, & lasciuam. Vnde Ambrosius in quodam sermone: Ebrius cum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominabitur à Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hostibus. Ebrius confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & incurrit damnationem æternam. Ergo refrena gulam, si vis seruare innocentiam Genes. 3.

2. Gustus custodiendus.

Ebrietatis incommoda.


3. Tactus conseruandus. TERTIO. Si vis seruare innocentiam, serua sensum tactus, parentes nostri fructum viderunt, tetigerunt, & gustauerunt, & sic eam perdiderunt, de monte Domini deciderunt, Ergo innocenter viue, & reascendas. Ideò Deus volens nos attentos reddere, dicit per Psalm. 23. *Quis ascendit in montem Domini?* subdit *Innocens manibus, & mundo corde,* &c. Ex hoc dicto patet, quod munditia cordis, & Innocentia faciunt hominem reascendere in montem cœlestis habitationis.

N Colloquia praua quantum noceat. SECVNDO, perdiderunt parentes nostri innocentiam propter periculosæ societatis consortium. Eua enim habuit consortium cum serpente, qui dixit ad eam: *Quare præcepit vobis Deus, ne comederetis de ligno vetito.* Respondit illa. *Ne forte moriamur.* Gen. 3. Ex illo colloquio prauo cecidit à statu innocentiæ, & virum suum cadere fecit. Ideò Adam dixit ad Dominum: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi.* Et Eua inquit: *Serpens decepit me.* Ecce per prauum socium lucratus est homo primus caput ægrum, & sic ambo innocentiam perdiderunt. Fuge ergo malum consortium, & consilium peruersorum. Quia dicit Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris.* Adam & Eua si contempsissent serpentis consilium non amisissent innocentiæ dominium, ideo nō acquiescas aliorum malo consilio. Quia dicit Bernardus. Vocat te de contemptu mundi, magni consilij angelus. Opus est, vt aliorum consilia abstuleris; quis enim fidelior, quis enim sapientior est illo, qui sapientia Dei potitur? In quo secundum Apostolum ad Colos. 2. *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Ipse enim est via, veritas, & vita.* Ioan. 14. Via, vt ait Augustin. per quam imus, veritas, qua dirigimur, vita, ad quam pergimus. TERTIO, perdiderunt innocentiam propter præuaricationem mandatorum cœlestium, quia plus obedierunt serpenti, quàm Deo; qui inhibuit eis dicens: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedatis.* Gen. 2. Si vis ergo seruare innocentiam, ad *vitamq; ingredi, serua mādata Dei,* Matth. 19.

DE CIRCVMCISIONE DOMINI.

Sermo primus.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Genes. 17.

A ST commune prouerbium. Vlula cum lupis, cum quibus esse cupis. Hoc prouerbium tantum innuit, quod quilibet homo debet se confirmare his, cum quibus viuit. Quia dicit Canon. distin. 41. c. Quisquis rebus prætereuntibus strictius vtitur, quàm sese habeant mores eorum cum quibus viuit; aut intemperans est, aut superstitiosus. Glossa, id est, inanis gloriæ cupidus. Idcirco legitur in libris trium. Regum. 41. c. Quod olim in oriente fuerunt homines, qui hanc doctrinam, & prouerbium impleuerunt, quôcunque venerunt, semper enim se hominibus conformauerunt, si flebant, & ipsi fleuerunt, si ridebant, & ipsi riserunt. Quando etiam ad terras Christianorum veniebant; cum illis communicabant Eucharistiæ sacramentum, & paruulos suos more illorum baptizabant, & cum eis se sepeliri permiserunt. Cum enim venissent ad Iudæos

deos secundum circumcisionem illorum circumcidebantur, & alia legalia faciebant, & ceremonias illorum seruabant.

MYSTICE. Dei filius veniens in hunc mundum volens se per omnia his incolis conformare. Et quia hic fuit consuetudo plorandi, cum eis plorauit. Sapientiæ 7. *Primam vocem omnibus similem emisi plorans.* Voluit etiam cum eis circumcidi, & cum eis vlulare in effusione pretiosissimi sanguinis, cum tamen peccatum originale minimè contraxit, pro quibus dolendis circumcisio fieret, vt dicit Magist. 4. sentent. distinct. 1. Ideo miratur B. Bernardus in huius festi sermone, dicens: O bone Iesu, ad quid tibi circumcisio fuit vtilis, qui peccatum non fecisti? nec contraxeras? Quod non feceras, ipsa ætas manifestauit. Quod non contraxeras, probat patris æternitas, & matris integritas. Est enim Pater ab æterno, scilicet Deus, in quem peccatum non cadit; Et est mater in tempore sed Virgo, cui fœcunditas sic accidit, vt flos virginitatis non ceciderit. Hæc Bernardus. Idem etiam Christus in noua lege Christianorum voluit baptizari à Ioanne in Iordane, vt baptizaretur ab eo. Quod autem circumcisus à Iudæis est, patet in verbis præassumptis, quæ ante longa tempora Moyses prædixerat de Christo infantulo dicens, *infans octo dierum* existens circumcidetur. In quibus principaliter duo describuntur. *Primò*, enim describitur circumcisionis aptitudo, ibi; *Infans octo dierum. Secundo*, eiusdem circumcisionis necessitas; ibi; *Circumcidetur ex vobis.*

De PRIMO est NOTANDUM, quod refert Plinius in spec. nat. quod aquila pullos adhuc tenellos & molles in tantum diligit, vt nullo modo vulnerari hos permittat. Si autem fortitudinem ipsius contempserint, per se ipsam rostro illos & alis vulnerat. Amor aquilæ in suos pullos.

SPIRITVALITER. Per aquilam intelligitur Pater cœlestis, rectè enim, sicut aquila inter omnes alias volucres est regina, ita Pater cœlestis est Rex magnus super omnes Deos. Nam est ille, in cuius fœmore scriptum est Apocal. 19. *Rex regum, & Dominus dominantium.* Etiam, sicut aquila inter omnes volucres est maximè liberalis: Ipse est enim, vt ait Psalm. 167. *qui dat escam iumentis ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Iste liberalissimus aquila, adeò diligit suos filios creatione, pueros Iudæorum, vt voluerit eos permittere vulnerari, cum adhuc essent teneri, hoc est, ante octauum diem circumcidi, quia vix sine periculo sustinere potuissent. Aquila volucrum maximè liberalis.

B

Quia dicit Rabbi Moyses maximus Philosophus, & Theologus; Puer autem ante octauum diem tantæ adhuc teneritatis est, quantæ adhuc in vtero matris existens, ita tunc minus aptus esset circumcidendus; In octauo autem die magis fortificantur, & solidantur, & aptiores fiunt tunc infantes ad suscipiendam pœnam circumcisionis. Ideo noluit Dominus ante octauum diem infantes circumcidi, ne ob nimiam teneritudinē nimium læderentur. Hæc ille. Ita etiam filium suum vnigenitū cœlestis Pater, quem ab æterno dilexit noluit adhuc tenellum vulnerari circumcisione, sed vsq; ad octauum diem exspectauit. Sed quia tales infantes non poterant exire per se de nido originalis peccati, ideo permisit per circumcisionem vulnerari, saltem pueros Iudæorum, vt sic tali vulneratione originale peccatum deleretur; Sed quia secundum præfatum Doctorem in circumcisione maximus dolor fit, voluit eos Dominus circumcidi, dum adhuc paruam imaginationem haberent, vt minorem Cur infantes primùm octauo die circumcisi fuerint.

ibi dolorem sentirent; Ita etiam de Christo, qui postea debuit maximum dolorem in cruce sustinere. Attamen benè potuisset Christus dicere ad Patrem illud Psal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

C Sed diceres: Quare Christus voluit circumcidi, cum tamen non indiguit, quia peccatum non fecit, nec contraxit. Ad hoc dicunt Doctores, quod multiplici ratione hoc fecit.

Cur Christus circumcidi voluerit.

PRIMÒ, propter hæreticæ prauitatis confutationem, quia secundum sanctum Thomam 2. 2. suæ summæ, varij erant errores de incarnatione futuri, quos Christus benè præsciuit. Manichæus enim hæreticus dixit eum corpus assumpsisse phantasticum, sumens occasionem sui erroris ex verbis Apostoli ad Philip. 2. vbi dicit; *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* Sed in hoc hæreticus ille perfidus falsum dixit, quia Apostolus intellexit dictum suum, quod Christus factus est in similitudinem hominum, quantum ad naturam passibilem, quia omnes passibilitates assumpsit, teste Damasceno dicente: Omnia, quæ in nostra plantauit natura, Dei filius assumpsit. Ideò dicit Magister lib. 3. sentent. Non sunt audiendi, qui Christum dicunt non veram carnem, sed falsam imaginem assumpsisse, cum caro phantastica non valeat vulnerari. Sed caro Christi circumcisa, & læsa, vera caro probatur fuisse in sanguinis effusione, nec carnem grossam, & ossa habet corpus phantasticum, secundum illud Lucæ vltimò, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ad idem dicit Bernardus in sermone. Circumcisio veræ humanitatis signum est.

Apollinaris. Alij autem, vt Apollinaris, & sui sequaces dixerunt, ipsum carnem cœlestem secundum corpus diuinitati consubstantialem assumpsisse, sumentes errorem suum ex illo dicto Apostoli, quod scribit 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, sed secundus homo cœlestis de cœlo.* Sed contra hoc dicit Aristoteles in libris de cœlo, quod natura cœlestis incorruptibilis est, corpus autem Christi mortuum fuit, ideo patet, quod cœleste non fuit. Ideo dicunt Augustinus & Hilarius: Cœlestem dico Christum, quia non ex humano conceptus est semine. Istum errorem etiam tenuit Valentinus. Idcircò ad remouendos illos errores futuros, Christus voluit circumcidi.

Valentini.

II. SECVNDÒ fecit hoc propter legis impletionem, vt satisfaceret Iudæis, & inexcusabiles essent. Si enim circumcisus non fuisset, tunc potuissent se Iudæi excusare, & dicere: Ideo te non recipimus, quia es dissimilis patribus nostris. Contra hoc ipse dixit Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed implere.* Et Apostolus ad Galatas 4. *Misit Deus,* inquit, *filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.*

III. TERTIÒ, propter dæmonum euasionem: Refert enim Isidorus lib. 12. Quod Castor cum præsenserit venatorem, ipse se castrat, & morsibus virilia amputat, vt eo melius venatorem euadat. Ita Christus se fecit circumcidi vt venator infernalis mysterium incarnationis non perciperet. Quia igitur circumcisio fiebat contra originale peccatum, credidit diabolus Christum, qui circumcidebatur, esse similiter peccatorem, qui circumcisionis remedio indigeret.

D *IV.* QVARTÒ, circumcisus fuit propter maiorem mitigationem. Refert enim Plinius in spec. nat. Bos castratus magis mitigatur in corpore, & in cornibus augmentum magis recipit, in robore magis proficit, & virtute, & efficitur domitus, quietus, &

patiens

patiens laboris. Et illa castratio debet fieri in iuuentute ante triennium: quia castratio post tempus illud est nimis sæua. Sic Christus post circumcisionem factus est adeò mitis, & pius, vt iam dicat per Amandum in horologio sapientiæ lib. 1. c. 4. Ego sum frater tuus, sponsus tuus, paratus misereri, & tegere peccata tua, & proijcere ea in profundum maris, & sic remittere, quasi nunquam fuissent. Ideò etiam dixit Dominus Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Etiam magis proficit in augmento gratiarum, sicut dicitur Luc. 2. *Iesus autem proficiebat sapientia, & gratia, apud Deum, & homines.* Ipse etiam factus est patientior ad omnem laborem pro nobis sustinendum, secundum illud ad Philip. 2. *Et factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.*

QVINTÒ, circumcidi voluit propter nostram saluationem: Videmus enim, quod medici cauterizant vnum membrum, vt totum corpus saluetur. Sic Christus, qui fuit *medicus malè habentibus.* Matt. 9. voluit portare cauterium circumcisionis, vt sic totum corpus mysticum saluaretur. Ideò dicit Apostolus ad Coloss. 2 *Circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione carnis sed circumcisione Christi.*

Sed diceres. Quare circumcisus est Christus octauo die? *Ratio huius* patere potest ex prædictis: quia tale tempus fuit aptissimum circumcisioni. *Dicunt tamen* Doctores, quod hoc fiebat, vt daretur intelligi, vt in octaua die resurrectionis ab omni peccato, & miseria boni circumciderentur. Secundum hunc intellectum, hic per octo dies intelliguntur octo ætates: quarum *prima* fuit ab Adam vsque ad Noë: *secunda* à Noë vsq; ad Abraam: *tertia* ab Abraam vsq; ad Moysen: *quarta* à Moyse vsq; ad Dauid: *quinta* à Dauide vsq; ad Christum: *sexta* à Christo vsq; ad finem mundi: *septima* erit morientium: *octaua* resurgentium, in qua tunc ab omni miseria præscindemur: quia tunc *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* Apoc. 21. In hac ætate, secundum Augustinum erit vita, salus, gloria, virtus, copia, pax, honor, & omne bonum. E Cur Christus octauo die circumcisus.

Alio modo hic per octo dies designantur MORALITER illa, quæ concurrunt ad iustificationem peccatoris. PRIMVS dies est cognitio peccati, quando enim peccat homo multa incurrit, quia interius obtenebratur, secundum Augustinum dicentem: Peccatum est tenebra, qua obscuratur intellectus, & totus homo interior obtenebratur: peccatum spoliat omnib' gratuitis donis, quod fit per dæmones. Quod figuratum est Isai. 47. per Chaldæos, & finaliter priuat regno cœlesti 2. Paralip. 27. vbi legitur, quod Ozias, qui erat leprosus, dormiuit cum patribus suis, & sepelierũt eum in agro regalium sepulchrorum, & non in sepulchris Regum. Per quod significabatur, vt ait Lyra, quia moriens in peccato saltem mortali, quod est spiritualis lepra, non recipietur in quiete beatorum, qui cum Christo regnant in æternum. Et hoc necesse est ante omnia cognoscere, & illa cognitio dicitur primus dies. F Ad iustificationem peccatoris quęnam concurrant. 1. Cognitio peccati. Peccatum mortale excludit à regno Dei.

SECVNDA dies debet esse peccati contritio, quæ debet sequi cognitionem peccatorum. Quando enim homo cognoscit peccati vilitatem, & damnum quod infert, tunc super illo conteritur, quæ contritio multum valet apud Deum, vt habetur de pœnit. dist. 1. c. Mensuram: Non enim apud Deum tantum valet mensura temporis, quantum contritionis & doloris. Ideò dixit rex Ezechias Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* 2. Peccati contritio.

3. Propositum declinandi à malo. TERTIVS dies est propositum malum deserendi, & bonum faciendi, iuxta illud Isai. 1. *Quiescite peruerse agere, discite bene facere.* Sic fecit filius Prodigus Luc. 15. qui surgens à malo ad bonum, dixit. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, pater peccaui in cœlum, & coram te, &c.*

4. Pudor de peccato. QVARTVS dies est pudor de peccato; Et hæc est maxima pars pœnitentiæ teste Augustino libro de pœnitentia, & ponitur de pœnit. distinct. 1. capit. Quem pœnitet. *Subdit.* Laborat mens patiendo erubescentiam. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, dignus est misericordia; *Et dicit ibidem.* Qui per vos peccastis, per vos erubescatis; erubescentia enim partem habet remissionis.

5. Timor futuri iudicii. QVINTVS dies est timor de futuro iudicio, qui etiam constringit à peccatis, secundum illud Eccli. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis; Memento iudicij Creatoris tui:* & hoc finale iudicium timuit gloriosus Hieronymus, qui dixit: Siue comedam, siue bibam, siue aliud quid faciam, semper mihi videtur illa vox in auribus meis insonare: Surgite mortui, venite ad iudicium.

6. Confessio peccati. SEXTVS dies est peccati confessio, quę multum placet Deo, sicut testatur Hugo de sancto Victore. Nihil, inquit, Deo magis placabile, quàm confessio in homine suę culpæ. Ideò dixit Ezechias rex Isa. 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, &c.* Et Psal. 31. *Dixi confitebor aduersum me. &c.*

7. Spes veniæ. SEPTIMVS dies est spes veniæ. Hæc est necessaria, quia legitur Matth. 27. Iudas confessus fuit, peccatum dicens. *Peccaui tradens sanguinem iustum,* sed hoc non fecit in spe veniæ, ideò non est misericordiam consecutus.

8. Satisfactio pro peccatis. OCTAVVS dies est satisfactio, & illa tunc fit, quandò peccator pœnam iudicis Ecclesiæ, aut sacerdotis arbitrio impositam, facto exsecutus est, vt habetur de pœn. dist. 1. in c. Perfecta. Confirmatur hoc idem, & in hac die homo non solum circumciditur à culpa, sed ab omni pœna, quàm deberet in purgatorio sustinere. Et ad illud denotandum voluit Dominus infans die 8. circumcidi. *Vel aliter.* Duo primi dies sunt dolor dè perpetratione peccatorum, & desiderium emendandi. Alij duo confitendi peccata mala, quæ fecimus, & faciendi bona, quæ neglexim. Alij quatuor sunt oratio, effusio, lacrymarum, corporis afflictio, eleemosynarum largitio.

Per octo dies quid intelligendū. Vel per octo dies possunt intelligi octo, quæ si diligenter considerentur, omnem vilitatem à nobis circumcidunt, quorum septem Bernardus enumerat dicens: Septē sunt de essentia hominis, quæ si homo considerauerit, in æternum non peccabit, & enumerat ea sic; Materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, & de precatio detestabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis; Et octauum potest esse consideratio gloriæ ineffabilis.

Dies pro annis sumi possunt. Vel aliter, & melius quo ad propositum secundum Nicol. de Lyra in Gloss. super verba thematis. Per dies mysticè annus designatur, secundum illud Ezech. 4. *Diem pro anno dedi tibi.* Debet igitur infans octo dierum spiritualiter circumcidi; hoc est, à turpibus restringi. & inhonestis; quia tunc incipit habere vsum rationis; quia dicit Aristoteles. 2. Ethic. quod non parum facit ad virtutem à pueritia assuefieri ad virtutis opera. Hanc doctrinam de circumcisione puerorum spirituali potest quis secundum placitum prolongare.

DE

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo secundus.

Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Genes. 17.

DIcunt naturales à vite procedunt quædam plantæ infructuosæ, & innaturales, & principaliter à radice vitis & tales plantæ degeneres sunt, nõ fructificant, sed vitem onerant, & fructum impediunt, & retardant: Nam humorem attrahunt, qui debuit transire ad fructum ipsum nutriendo, & augmentando. Ideò debent citius à radice extirpari, & incidi, ne diutius crescentes diminuant fructum. A

MYSTICE per vitem Adam noster, & primus parens designatur, quem DEVS plantauit, & ad paradisum voluptatis, id est, hortum amœnum collocauit, vt botros virtutum, & vinum dilectionis ferret. Secundum hoc, quod memorauit legislator Moyses Gen. 2. dicens: *Plantauit autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, & posuit in eã hominem, quem formauerat, vt operaretur*, scilicet fructum bonum. Sed à radice huius vitis processerunt degeneres plantæ orginalium peccatorum, quæ in omnes posteros suos sunt propagatæ & transfusæ. Dicunt enim sancti Doctores. Licet transgressio ab Eua incepit, quæ habuit *sua colloquia cum serpente* Gen. 3. tamen causa originalis peccati non fuit ipsa, sed Adam, qui si non peccasset, originale in posteros transfusum non fuisset. Ideò dicit Apostolus ad Romanor. 5. *per vnum hominem*, scilicet Adam, *peccatum intrauit in mundum.* Et hæ plantæ originalium peccatorum impediebant fructum bonorum operum, & retardabant homines à regno cœlorum per quinq; millia annorum, & ducentos, & triginta quatuor, nullus potuit intrare in regnum cœlorum; ideò necesse fuit, vt tales plantæ originalium eradicarentur, & circumciderentur; quia non fuerint plantatæ à Deo, sed à Diabolo. Ideò dixit Christus Matth. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, & hæc eradicatio facta est per circumcisionem, quæ data fuit ad culpam delendam. Et quia vir commisit culpam, ideò data fuit circumcisio viris & non fœminis, sicut, innuunt verba prælibata. *Circumcidetur ex vobis omne masculinũ*, in quibus duo tanguntur. *Primò*, circumcisionis necessitas, ibi; *Circumcidetur ex vobis. Secundo*, illius habilitas, ibi; *Omne masculinum.*

Transgressio Adę plus nocuit quã Euæ.

De PRIMO sciendum, Petrus de Crescent. lib. 5. dicit. Quædam sunt arbores vt pyrus vel pomus; quæ trahunt infirmitatem quandam, quam dicitur causare serpens, & arefacit omnes ramos, quos attigit; & cognoscitur in arbore hoc modo; quia cortex aret, & nigrescit. Sed hanc infirmitatem volens repellere, necesse est; vt cultello præacuto corticem nigrescentem, & arescentem præscindat, vt de eã nihil remaneat; & posteà fimo cum cespite foramen alligabis, & saluabitur arbor. B

MORALITER per arborem gens iudaica rectè signatur, quę originem à radice, scilicet

licet Adam traxit. A quo infirmitatem contagiosam, scilicet peccatum originale habuit, de qua dicitur. 15.q.1. cap. quod aiunt. Fames carnis animæ dicitur infirmitas, quæ accidit animæ ex carnis corruptione; Et illa infirmitas in tantum arefacit ramos, hoc est, filios Iudæorum, vt omnes de regno Dei præscinderentur, secundum illud Genes. 17. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo meo*, vt probat Magister in 4. dist. 1. Qui ante octauum diem moriebantur, antequam fiebat circumcisio, hos omnes constabat perire, sicut sentitur de paruulis ante baptismum defunctis. Et probat hoc Magister per dictum venerabilis Bedæ dicentis, qui nunc per Euangelium suum terribiliter & salubriter clamat Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei*; Ipse dudum clamauit per legem diuinam: *Anima cuius præputij caro*, &c.

C Idcircò summè necessarium fuit, vt hæc infirmitas originalis culpæ præscinderetur in cortice, hoc est, in extremitate membri, quia in illa parte magis apparuit teste Magistro in 4. dist. vbi suprà dicit. In carne præputij iussa est fieri circumcisio, quia in remedium originalis culpæ instituta est, quàm à parentibus trahimus, quæ in illo magis dominatur membro, quod in parte illa primus homo primò culpam inobedientiæ sensit, decuit, vt ibi signum obedientiæ acciperet. Hæc Magister. Et hæc circumcisio fiebat cultro non ferreo, aut calibeo, *sed lapideo*, vt dicitur Genes. decimo septimo. Et hoc facto infantes ab infirmitate originalis peccati sanabantur: Sicut probat Augustinus in Epistola ad Valerium, & Iulianum, & allegatur à Magistro, vbi suprà, dicens: Ex quo instituta est nunc circumcisio in populo DEI, quæ erat tunc signaculum fidei iustitiæ, ad purgationem valebat magnis & paruulis originali peccato maculatis, sicut baptismus ex illo tempore valere incepit ad innouationem hominis, ex quo est institutus. Idem dicit Beda super Euangelium: Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelante tempore gratiæ consueuit. Excepto, quod ianuam regni cœlestis nec dum intrare poterant; Tamen in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati, supernæ pacis ingressum spe felici exspectabant.

D
An circumcisio fuerit necessaria.

Sed diceres. Quare circumcisio fuit necessaria? *Dicitur* ad salutem, & absq; ea nullus saluabatur, sicut nunc sine baptismo. Quid tunc de viris, qui fuerunt ante circumcisionem, quod remedium illi habuerunt. *Ad hoc respondet* Magister in 4 dist. 1. Quamuis quidam dicant sacrificium, & oblationes eis valuisse ad remissionem peccatorum, melius est tamen dicere, quod ante circumcisionem salui fuerunt paruuli in fide parentum; parentes verò per virtutem sacrificij. Idem tenet Gregorius 3. lib. moralium dicens. Quod aqua baptismi circa nos agit, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij. Et dicit Magister, vbi supra, quod mulieres, per fidem, bonamq; operationem, si adultæ erant, vel parentum, si paruulæ. Et sic patet, quod circumcisio fuit necessaria.

E Pro doctrina morali est NOTANDVM, quod CHRISTVS voluit realiter circumcidi, vt nos spiritualiter circumcideremur: quoniam circumcisione cordis delectatur. Ideò si volumus saluari, necesse est nobis omnia peccata excidere, & extirpare.

PRIMÒ, enim circumcidere debemus oculos nostros, si sint tenebris vitiorum obsu-

obfuscati. Rectè sicut faciunt hirundines, de quibus refert Aristotel. lib. 6. animalium, & Macrob. Si quis excœcauerit oculos hirundinum, possunt eorum oculi renasci: quærit enim mater herbam, quæ dicitur cælidonia, cuius virtute oculos linit pullorum, & sic eorum pristinæ restituuntur sanitati. Sic nos, si per inuidiam, vel iram sumus excœcati, quod bonum quærere, vel videre non possumus proximorum secundum Psal. 57. *Super cecidit ignis, & non viderunt solem.* Circumcidere debemus hanc cœcitatem per herbam cœlidoniam, id est, pœnitentiam, quæ secundum Augustinum in libro de pœnitentia, languores curat, gratiam conseruat, & cœcis visum reparat. Circumcidendi oculi.

Et si oculi nostri sunt proni ad videndum illicita, scilicet fæminarum formas, incircumcisi sunt secundum Gregorium: Debemus ergò circumcidere eos, & refrenare, secundum illud Prouerb. quarto. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Gloss. id est, opera tua. Quia dicit Beatus Augustinus de fide Christiana. Et ponitur. 32. quæst. 5. Nec solo. Non, inquit, dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.

SECVNDÒ, circumcidere debemus aures ab adulationibus, vel detractionibus audiendis, Rectè sicut faciunt serpentes, de quibus dicunt naturales: Quando audiunt incantatores verba bona proferentes, aut eos se coniurantes, vnam aurem in terram inclinant, aliam caudæ tegunt, ne vlterius verba eorum audiant. Sic & nos facere oportet, quando audimus adulationes, & laudationes declinemus, & aurem vnam ad terram, audiendo, quod dicit Dominus Genes. 3. *Terra es, & in terram reuerteris.* Vel illud Isai. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Et sic adulationes non curemus. Si audimus detractiones, tegamus cauda alteram aurem, cogitando de diuina iustitia, quam exercebit in finali iudicio, quia ibi præmiabuntur, qui aures suas à detractionibus circumciderunt, secundum illud Isai. 33. *Qui obdurat aures suas, ne audiat sanguinem*, id est, peccatum detractionis, *in excelso habitabit.* Etiam circumcidere debemus aures à surda obduratione, quibus aliqui nolunt audire veritatem, nec præceptis Ecclesiæ obedire. Similes sunt Iudæis, qui aures suas obdurauerunt nolentes audire Stephanum Act. 7. quibus dixit: *Dura ceruice, & incircumcisis auribus, quamdiu Spiritui sancto resistitis.* Aures circumcidendæ.

Sed cum quo debemus aures circumcidere, & audire nolentes veritatem? Certè cum illo dicto Sapientis. Prouerbior. vigesimo primo. *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum*, scilicet prædicantium, *ipse clamabit, & non exaudietur.* Refert Iacobus de Vitriaco, quod fuit quidam laicus, qui non potuit audire verbum Dei, (sicut adhuc heu multi inueniuntur) Hic cum obijsset, venerunt presbyteri, & scholares, vt vigilias decantarent, & pro illa anima deprecantes. Christus in imagine sua soluit brachia, & aures suas obdurauit ad preces orantium, & sic non completis vigilijs recesserunt. F Aures quomodo circumcidendæ.

TERTIÒ, circumcidere oportet nos, & os linguamq; à mendacijs, vt vera, & recta loquamur, si prius erat curuum ad verba inania, & detractoria eloquendum. Rectè, sicut facit aquila, de qua refert Plinius in spec. nat. cum senuerit incuruatur eius nostrum, vt non possit sumere cibum, sed contra hoc incommodum inuenit remedium, quia petram sibi quærit, contra quam fortius suum nostrum percutit, & sic Lingua circumcidendæ.

& sic onus rostri deponit, & cibum capiens reassumptis viribus iuuenescit, & nos ita, si in peccatis senuimus, vt etiam cibum sine verbis detractorijs non valeamus comedere, contra illud B. Augustini dictum, quod ponitur 44. dist. capit. Conuiuia in Gloss.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Ideò contra incommodum necesse est quærere petram, id est, Christum, & percutere os contra ipsum, legendo illud Matthæi. duodecimo, qui dixit. *Dico vobis, quod de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die iudicij. Quia ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Si ergo nos hæc verba Saluatoris aduerteremus fortassis os nostrum, & labia nostra circumcideremus.

Labia incircumcisa.

Qui autem sint illi, qui habent labia incircumcisa, ostendit Origenes homilia 3. super Genes. dicens. Ego puto, quod incircumcisus sit labijs, qui non cessauit à stultiloquio, scurrilitate, qui bonis derogat, qui criminatur proximos, qui instigat lites, qui caluminas mouet, qui fratres inter se discordes facit, qui vana, inepta, secularia, impudica, turpia, iniuriosa, proterua, blasphema, & alia, quæ indigna sunt Christiano ore, proloquitur. *Et subdit* ostendendo, qui sunt labijs circumcisi dicens. Si quis verò ab his omnibus continet os suum, & disposuit sermones suos in iudicio, verbositatem reprimit, linguam temperat, verba moderatur, iste meritò circumcisus labijs dicitur. Qui verò iniquitatem in excelso loquuntur, & extendunt in cœlum linguam suam, sicut faciunt hæretici, incircumcisi labijs dicendi sunt, & immundi. Circumcisus vero est, & mundus est, qui semper verba Dei loquitur. Hæc ille.

Hæretici habent labia incircumcisa.

G

Prauæ cupiditates circumcidendæ.

Qvartò, circumcidere necesse est cor nostrum à prauis cupiditatibus, de quibus sunt multi adhuc in corde valde incircumcisi: quia dicit Origenes, vbi suprà. Si quis obscœnis desiderijs, & vanis cupiditatibus æstuat, & qui mœchatur, hic incircumcisus est corde: quia dicit Dominus Matth. quinto. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Tales fœdas cogitationes, & fœda ac mala desideria circumcidere debemus, à corde per pœnitentiam expellendo.

Rectè sicut facit Ciconia, de qua refert Magister. 12. proprietatum, quando se sentit interius ex ciborum multitudine grauatam, aquam marinam intra os recolligit, quam in interiora ad anum fundit, & hac remollit sibi duritiam, & mordendo intestina superflua, & peccantia eijcit & expellit. Sic & nos, si sentimus cor nostrum grauatum luxuriosis cogitationibus, quæ, vt communiter, ex superfluis cibarijs proueniunt, & vini potibus, & ab illis vomitum recipiamus, vt dicit Prosper: & ponitur in Canone dist. 35. c. Luxuriosa. Quare debemus intrare aquam marinam pœnitentiæ, & per eam expellere, & circumcidere hac lubricas cogitationes, cogitando, quod scriptum est. Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et econtrà possunt dici infelices immundo corde, quoniam vita æterna priuabuntur. Quare dicitur Apocal. 21. *Nullum inquinatum intrabit in eam,* scilicet vitam æternam ad videndum Deum.

Qvintò, circumcidere oportet manus, & pedes, secundum mandatum Domini, Matth.

ni, Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proyce abs te.* Sed à quo abscindendæ sint hæc duo, ostendit Origenes in homilia 3. super Genes. dicens. Manus quidem à rapinis, & furtis, & illicitis tactibus, & ad sola opera DEI impendenda. Sed circumcidendi sunt pedes, ne veloces sint ad effudendum sanguinem, & ne intrent in malignantium conuentum. Hæc ille. Ad idem dicit Sapiens, Prou. 1. *Fili mi, si dixerint peccatores insidiemur sanguini, ne ambules cum eis, pedes enim illorum ad malum currunt.*

Manus & pedes circumcidendi.

SEXTÒ, circumcidere oportet luxuriam illicitam, tàm in matrimonijs, quàm extra, quod docent animalia irrationalia, quæ secundum Ambrosium in Hexameron, non omni tempore ad coitum mouentur, sed solum tempore sibi deputato, vt in vere. Sic & secundum Origenem sunt quidam coniugati, qui statutos non supergrediuntur terminos à legibus, nec aliam fœminam, quàm coniugem legitimam nouerunt. Et cum ea tantum gratia prolis, & causa, certis & legitimis temporibus agunt: & isti circumcisi præputio carnis suæ sunt dicendi. Sed econtrà, secundum eundem Doctorem, sunt nonnulli, qui in omnem lasciuiam prorumpunt, & per diuersos & illicitos passim tendunt amplexus, & in omnem libidinis gurgitem feruntur infrænes; isti incircumcisi, sunt in præputio carnis suæ. Hæc Origenes. Et talibus necesse est volentibus saluari, vt carnem suam circumcidant, quia secundum Augustinum CHRISTI circumcisio nihil aliud est, quàm castitas nostra, qua DEVS in nouissimis temporibus delectatur. Tales incircumcisi audiunt Apostolum primo Corinth. sexto. *Nolite errare, quia neque fornicarij, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Idem ad Hebræos decimo tertio. *Fornicatores, & adulteros iudicabit*, id est, condemnabit *Dominus.* Cum his cultris asperis abscindat quilibet à se malam fornicationem, & adulterium pessimum, ne à DOMINO condemnetur.

H

Luxuria illicita circūcidenda.

Lasciui volentes saluari carnē suā circumcidant.

SEPTIMÒ, circumcidere debemus totum corpus à sordida peccati, pollutione, quæ multum nos grauat, secundum illud Psal. 37. *Quoniam iniquitates meæ super gressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*, &c. Quam grauedinem, si volumus à nobis circumcidere, debemus facere exemplo aquilæ, de qua refert Plin. in spec. nat. Quod cum in senectute sentit grauedinem in alijs suis, contra quod incommodum instruitur à natura sua, vt fontem aquæ scaturientis quærat, deinde ascendat quantumcunq; potest per aëra, donec ex calore aëris, & volatus labore stomachus fortius calescat. Et tunc ex calore poris apertis, & pennis relaxatis subitò descendens in fontem ruit, depositis plumis grauantibus renouatur. Ita homo peccatis inueteratus, quando sentit grauedinem peccatorum, debet quærere fontem lacrymarum, & per desiderium ascendere ad Deum, & per orationem, quæ nubes penetrat, & non descendat, *donec exaudiat altissimus:* sicut dicitur Eccli. 35. Et homo sic caritate solidatus, debet ruere in fontem lacrymarum, totaliter se immergendo, & tunc potest circumcidi, & à peccatis omnibus renouari. Et dicere tunc cum Psalm. 102. *Renouabitur, vt aquila iuuentus tua.* Et hoc patet de Maria Magdalena, quæ toto corpore & membris peccauit. Ideò more aquilæ quæsiuit fontem gratiæ, Christum & lacrymarum, & totaliter igne caritatis accensa, misit se in fontem largissimum lacrymarum quibus in toto corpore fuit renouata, & omnibus vitijs circumcisa, vt habetur Luc 7.

I

Corpus à pollutione circumcidendum.

Peccator aquilam imitari debet.

K OCTAVO & VLTIMO, circumcidere nos oportet malas consuetudines, & nociuas, quarum principalis est vna, quæ istis sacris diebus ab hominibus vanis exercetur, qui induunt laruas bestiales in quibus se demonstrant, quod sint bestijs coæquales. Contra quos inuehitur B. Augustinus in sermone de ritu quarundam terrarum dicens: In istis diebus miseri homines formas assumunt monstruosas: alij vestiuntur pellibus pecudum; alij mulierum tunicis, alij sumunt capita bestiarum; ex quo indicant tàm habitum habere se belluarum, quàm bestiarum. Nam quamuis similitudinem diuersorum animalium exprimere in se volunt, certum est tamen, in his magis cor pecudum esse, quàm forma. *Et subdit* Augustinus. Qui de hac consuetudine paganorum aliquid obseruare voluerit, timendum est ei, ne nomen Christianum sibi prodesse non possit. *Et de his*, qui talibus laruis auxilium impendunt, dicit. Qui etiam stultis hominibus ludentibus aliquam humanitatem impendunt, peccatis eorum participes se esse non dubitent, magis enim cum lilis debent flere, quàm de illis infelicem risum relaxare. *Et subdit*, vertendo stylum ad rectores Ecclesiarum, vt studeant corrigere hos errores dicens: Vobis autem, ô fratres, non sufficiat, quod hoc malum non faciatis. Sed vbicunq; videritis fieri, corrigite, corripite & castigate. Huc vsq; sunt verba Augustini. Ideò in omnibus Ecclesijs, vbi tales ludi laruales exercentur, strictius argui deberent, vt talis malitia, & paganica posset à finibus Christianorum extirpari consuetudo.

Malæ consuetudines circumcidendæ, Laruati bestiis similes.

Notent Rectores Ecclesiarum.

Obiectio. Sed dicunt tales laruati. Tamen illa est antiqua consuetudo, nam ad multos annos facta sunt à patribus nostris & antiquis. Quare nunc nos non facere debemus, aut talem ludum causa lætitiæ exercere? *Ad hoc dicendum*; secundum Augustinum: Credo, quod illa est consuetudo Antiqua etiam apud paganos, qui credebant Ianum quendam ducem, & eum in his diebus multum venerabantur, & ei duas imagines figurabant, & vnam post se, & aliam ante se. In signum, quod talis mensis Ianuarius erat terminus anni præteriti, & principium sequentis. Ex hoc nunc, vt opinor, talis processit consuetudo, quod homines vani figurant duas facies vnam ad currentem, aliam similitudinariè post equitantem cum caballo.

Et quamuis illa mala consuetudo sit & antiqua, & diu exercitata, tamen non minus est peccatum, quàm quod esset noua, sed multo magis. Quia dicit regula iuris; Diuturnitas non minuit peccatum, sed plus auget. Cui concordat illud Extra de Simon. lib. 5. Cum in Ecclesiæ corpore. Tanto, inquit, grauiora sunt peccata, quando diutius infelicem animam detinent alligatam. Ecce miser, quod longa consuetudo te plus aggrauat, quàm excusat. O stultæ & vanæ mentis homo, qualis ibi apparebis ante districtum iudicem, cum taliter te deformas, faciem dæmonis assumendo; quando enim requirit iudex te taliter deformatum, *Cuius est hæc imago?* Matt. 22. & Mar 12. Si tu ei non respondes, respondebunt Angeli dicentes: Eius imago est Cæsaris, id est, diaboli, qui est rex & imperator super *omnes filios superbiæ, & inobedientiæ*, Iob. 41. Tunc iudex definiet dicens: Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt, id est, tradite eum dæmonibus in potestatem; à quo nos custodiat pater &c.

Consuetudo antiqua non excusat à peccato.

IN DIE

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

Sermo primus.

Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum cum muneribus. Matth. 2.



DICIT Plinius in spec. nat. Aquila velut regina inter volucres obtinet principatum, & inter omnes est maximè liberalis: quia prædam, quam capit, non solum comedit, sed aliis auibus communem exponit, ideò continuè ad eam volant aues & sequuntur, sperantes sibi partem prædæ impartiri. A Aquila volucrum regina.

MYSTICE. Per aquilam Christus intelligitur, secundum illud Deut. 31. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Ita Christus expandit manus suas, & assumpsit eos, scilicet peccatores, atque portauit in humeris suis. Ipse enim omnium est Rex & Dominus; Et quamuis, vt paruulus in cunis iacebat, tamen, vt rex potens in cœlo imperabat. Ideò dicit B. Augustinus in sermone hodierno. Iste rex, qui portatur, vt paruulus, adoratur vt Deus, paruus in præsepio, immensus in cœlis, vilis in pannis, pretiosus in stellis. Iste rex est multum liberalis, quod ostendit statim in sua natiuitate, in qua per totum mundum mellifluі facti sunt cœli. In qua & vineæ Engaddi floruerunt, & balsamum abundanter fuderunt. Christus rex liberalis.

Ecce quanta liberalitas huius regis Christi. Ipse namque prædam humanitatis, quam rapuit, nobis liberaliter impendit, vt patuit in eius circumcisione, in qua partem carnis huius humanitatis circumcidi voluit, nobisq; subsidium dedit. De qua aiunt quidam, quod Angelus eam primo regi Carolo præsentauit, qui eam Aquisgranum in Ecclesia sanctæ Mariæ honorificè collocauit. Nunc autem dicitur esse Romæ in Ecclesia, quæ dicitur sancta sanctorum. Ideò propter suam largitatem multi ad ipsum confluxerunt pastores Luc. 2. *Qui loquebantur ad inuicem, transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum*, &c.

Idem patet de tribus Regibus, qui hodie cum magno comitatu venerunt de partibus Orientis adorare Christum. Sicut hoc prædixerat Psalm. 85. *Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt coram te vestigia pedum tuorum.* Et hoc patet in verbis propositis, cum venientes interrogauerunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* In quibus tria præcipuè describuntur. *Primò*, gentium ad fidem tractio, ibi; *Vbi est, qui natus est. Secundo*, Christi prouida cognitio, ibi; *Vidimus. Tertiò*, bonæ voluntatis oblatio, ibi; *Et venimus adorare eum.*

De PRIMO est NOTANDVM. Secundum Naturales Sol mirabiles effectus habet. Nam illud, quod sibi est propinquum, reiicit à se, vt pluuiam, grandinem, niuem & pruinam, quod autem sibi est remotum ad se trahit; sicut videmus, quod calore suo attrahit fumos, & vapores, quos condensat in pluuias & in nubes. Ita Christus Sol iustitiæ, repellit à se multoties proximos scilicet iustos, in hoc, quod eorum demeritis exigentibus, eis gratiam suam abstrahit, & peccatores, qui longè sunt à Deo, in regione dissimilitudinis, ad se per gratiã suam trahit. Quod hoc verum sit, intueamur scripturam. Legitur enim 1. Reg. 9. quod Saul in adolescentia fuit bonus, quia B

non erat vir de filiis Israel melior eo, erat enim bonus & electus; Postea autem peccatis eius exigentibus, Christus ei gratiam suam abstulit, & ipsum reiecit à regno, & fortassis nunc à regno cælorum, quia dicitur 1. Paralip. 10. quod mortuus est *propter iniquitates suas*. Sed Manasses, qui in adolescentia fuit malus, purpurando plateas Ierusalem sanguine martyrum, vt habetur 4. Regum 21. fuit attractus per gratiam in senectute & saluatus est 2. Paralip. 33. & de Paulo Actor. 9. & hoc facit Dominus, vt dicit Chrysostomus super Matth. vt homines sibi mutuo compatiantur, boni malos non reiiciendo; quia qui hodie stat in gratia, videat ne cras cadat in culpam, & qui hodie malus est, cras potest fieri bonus Domino largiente.

C Sic etiam ad propositum. Christus nouus sol nouiter ortus abiecit à se Iudæos literatos in scripturis Prophetarum, qui ad eum venire noluerunt, quamuis apud eos natus esset, sed gentiles ad se misericorditer traxit, sicut hodiernos tres Reges: de quibus Chrysostomus super Matth. vocat hos Magos primitias gentium, dum illuminati sunt, Iudæis excæcatis. Magi venerunt ad iudicium Iudæorum, illorum prophetantes fidem futuram, & istorum damnantes incredulitatem. O beati Magi, qui ex omnibus gentibus primitiæ fidelium meruerunt fieri. Isti enim Magi futuræ Ecclesiæ formam portabant. *Et subdit*. Sicut illi regem non videntes, quærentes credebant, sic & nos, qui sumus ex gentibus, Dominum, quem nunquam vidimus, credentes quotidie quæramus: & confiteamur eius potestatem. Hæc Chrysostomus.

D Quomodo Magi ad cognitionem veritatis peruenerint.

Sed diceres. Per quod sol iustitiæ attraxit Magos ad cognitionem veritatis? *Ad hoc dicunt* Doctores, & Euangelium, quod per stellam, sicut hodie canitur. Hodie stella Magos duxit ad præsepium. Et de hac stella prophetauerat eis Balaam Propheta Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel, & dominabitur cunctis gentibus*. Audita namq; prophetia hac, vt refert Chrysostomus in Originali suo super Matth. 2. Et Vincentius in speculo historico lib. 7. statim elegerunt de seipsis duodecim secretorum inspectores, quos super montem victorialem statuerunt, vt tempus stellæ exspectarent. Et si vnus ex illis moriebatur, filius eius, aut aliquis propinquorum constituebatur in locum ipsius. Hi ergo per singulos annos post mensem montem ascenderunt tribus diebus Deum adorantes, vt eis illam stellam, quam Balaam prædixerat, demonstraret. Quadam igitur vice scilicet, in Natali Domini, dum ibidem exspectarent, viderunt stellam super montem, quæ habebat formam pulcherrimi pueri, in cuius capite crux splendebat, quæ Magos allocuta est dicens? Ite velocius in terram Iuda, & ibidem Regem, quem quæritis, natum inuenietis. Quod illi audientes, venire continuè cœperunt, quilibet de suo regione & vnumquemque regem stella præcedebat. Ipsi enim in nocte non quiescebant, nec ipse nec animalia comedebant, aut bibebant, & decimatertia die à Natiuitate Domini orto sole ad Hierusalem peruenerunt. Quod aduertens Remigius super Matth. dicit: Hoc studio Magorum condemnatur pigritia Iudæorum; nam illi vni Prophetæ crediderunt, isti pluribus credere noluerunt: illi quærunt regem alienum: isti non quærunt propinquum: illi venerunt à longinquo: isti manserunt in vicino.

Quãto tempore Magi in itinere fuerint.

E Sed diceres. Quomodo in tam paruo tempore, scilicet in tredecim diebus, per tantum terrarum spacium venire potuerunt? *Ad hoc dicitur* breuiter secundum Remigium, Quod puer, ad quem properabant, eos in tam breui spacio perducere potuit, rectè; sicut Abacuc ab Angelo per centum dietas in Babylonem in lacum leonum.

num in momento ad Danielem Prophetam est perductus. Dan. 14. Hieronymus autem dicit, quod Magi per Dromedarios equitassent. Isaiæ 60. *Operient te Dromedarii Madian & Epha, prouinciarum.* Et dromedarij secundum Aristotelem libro de animalibus, sunt velocissimi cursus, tum propter amplum passum, quia latissimum habent passum, tum propter intensam caliditatem, quia calidissimum animal ex natura est, qui calor consumit pinguedinem, ne cursu impediatur, & dicit Isidorus libro 12. Centum milliaria & vltra currunt in vno die. Et, vt legitur in libro horum trium Regum, cum quilibet à suo itinere ad duo milliaria ab Ierusalem venisset, nebulæ densæ terram operuerunt, vt impleretur illud Isaiæ 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos*, & in his tenebris stellam amiserunt.

Melchior autem rex Arabiæ primus iuxta Ierusalem venit, & circa montem Caluariæ consedit, & cum ibi paululum resedisset, venit Balthasar rex Saba via speciali, & circa montem Oliueti resedit, vbi cum parum pausassent, paulatim nebula abscessit, sed stella eis nondum apparuit, videntes autem se prope ciuitatem vnusquisq; viam arripuit. Sed cum venissent ad triuium Gaspar rex Tharsis superuenit; & sic, cum ex inopinato conuenissent (licet se antea non nouissent) in oscula tamen & amplexus ruentes se inuicem cognouerunt, & quilibet idioma alterius intellexit. Ablata igitur taliter caligine, orto iam sole ciuitatem intrauerunt. Et ad Herodem intrantes dixerunt. *Vbi est qui natus est rex Iudaeorum?* super quo dicit Chrysostomus. Quando Magi conuenerint.

F Nunquid nesciebatis, quod in Ierusalem regnabat Herodes? Nunquid non intelligebatis iustitiam regis? quod quicumque viuente rege, alterum regem pronunciat, & adorat, quasi minister tyranni punitur sanguine; Sed cum considerabatis futurum, non timebatis regem præsentem: Nunquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, qui talem rem illatam vsurpabant? Sed non curabant de sanguine; si enim curassent de morte, nunquam ad hoc ausi venire fuissent, adhuc non viderant Christum, & iam parati erant pati pro eo. O beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi regis antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores. Hæc ille.

Hæc fuit causa quare Herodes audita huiusmodi interrogatione de nouo rege nato, dolosè & clam vocauit Magos, vt Christum proderent dum inuenirent, quia terrore eos vincere nullatenus potuisset. Sicut testatur Chrysostomus super Matth. dicens: Videns Herodes magnam deuotionem Magorum circa Christum, qui non poterat eos blandimentis flectere, nec terrere, nec minis corrumpere, vt consentirent ei in interfectione futuri regis, ideo illos decipere cogitauit. Nec enim poterat fieri, vt blandimentis seducti proderent illum, propter quem labores tanti itineris susceperunt. Neque expauescere poterant aliquem, vt traderent illum, qui non aspexerat Herodem, nec Cæsarem. Sed in medio regionis illorum ingressi sunt, regem alium nuntiantes, neque aliquid amplius poterant desiderare, nisi Christum, cui de tam longinqua prouincia, tam pretiosa munera offerebant, ideò non interrogabant, vbi est Imperator Romanorum, sed, *vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Hoc quantum ad primum. Herodes dolosè agit cum Magis.

G Quantum ad SECVNDVM. Dicunt naturales, quod Sol ad manifestationem sui ortus, habet vnum signum stellam matutinam, quæ cum super nostrũ hemisphærium oritur, seu apparet, tunc in proximo signo est ortus solis. Ita ortus veri solis Christi osten-

ostensus est per stellam, quæ Magis in Oriente apparuit fulgidè radians, de qua dicit Fulgentius in sermone hodierno; Hæc stella Dominicæ incarnationis fuit nuntia. Sed numquam prius apparuit, quia eam tunc puer iste creauit, & ipsis Magis ad se venientibus præsentiam deputauit. Iste puer quidem in præsepio paruulus collocatur, sed magnus in cœlo mirabilia operatur, permittit se in terra manibus portari, sed præcepit sibi cœlestia famulari. Cui alludit Augustinus in sermone hodierno. Ipse nouam stellam declarauit natus, qui antiquum solem obscurauit occisus. Illa luce inchoata est fides gentium, illis in tenebris accusata est perfidia Iudæorum. Quid erat stella cœli nisi viuifica lingua cœli, quæ narrat gloriam Dei, quæ inusitatum virginis partum inusitato fulgore clamaret.

Stella, quæ Magis apparuit, fuit de nouo creata.

H Et est SCIENDVM, quod isti tres Reges multiplicem stellam viderunt. *Primò*, materialem, & hanc viderunt in Oriente, quæ ab aliis in tribus differebat. PRIMÒ in situ. Aliæ enim stellæ in firmamento ponuntur, ista autem in medio aeris proxima terræ dependebat, secundum Fulgent. in sermone.

I In signum, quod ille esset natus, qui foret mediator inter Deum & hominem. Illa stella non fuit sita in cœlo, quia Christus non fuit natus pro angelis, naturam angelicam assumendo, secundum illud Apostoli Hebr. 2. *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Nec fuit simpliciter in terra, quia non accepit culpam, sed innocentiam, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. 1. Petr. 2. Ista stella non fuit totaliter super terram, sed terræ vicina, in signum, quod Christus accepit nostram pœnalitatem, & miseriam secundum illud ad Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum.*

SECVNDÒ, differebat ab aliis in luce, quia cæteris erat lucidior, quamuis enim secundum naturales aliæ stellæ in die splendeant, sicut in nocte, tamen splendor talis percipi non potest, propter maius lumen Solis obscurans; imò in meridie sicut in nocte lucidè apparent. Sed splendorem huius stellæ non poterat splendor solis obfuscare, immò in meridie lucidissima apparebat. Et in hoc MYSTICE signabatur, quod aliquando erat tantum lux diuinitatis tanquam lux solis, quæ mundum illuminat. Iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Quæ hodie se mundo manifestauit, sicut prædixerat Malach. vltimò. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ.* Hodie prodiit alia lux humanitatis in Christo tanquam lux stellæ secundum illud Apoc. 22. *Ego sum radix & genus Dauid stella matutina splendida.* Et hæc coniuncta est luci solis, quia natura humana assumpta est à natura diuina, & factum est vnum lumen.

Lux humanitatis in Christo.

K TERTIÒ, differebat in motu ab aliis. Aliæ enim stellæ mouentur ab Oriente in Occidentem, è contra in Orientem redeundo, ista autem ab Oriente in meridiem. Aliæ stellæ mouentur motu naturali & proprio, sic à Deo creatæ, illa autem motu innaturali & violento, in signum, quod Deus modo duplici motu agit, scilicet miserationis, & motu punitionis, qui est sibi innaturalis & violentus, quia inuitus & coactus punit peccatores. Iuxta illud Isaiæ 1. *Heu consolabor super hostibus meis: & vindicabor de inimicis meis.* Ideò dicit Hieronymus: Christus Deus inuitus, & cum magno dolore compellitur peccatores condemnare. *Secundus* est motus miserationis, & est motus proprius, & est naturalis. Iuxta Gregorium in Collecta: Deus, cui proprium est misereri semper & parcere. Cui alludit quædam Glossa super Ioan. 2. Dominus Deus

Motus Dei duplex: Miserationis & punitionis. I. II.

Deus est misericors, ex natura paratus est, vt saluet per clementiam, quos saluare non potest per iustitiam. Ante incarnationem mouebatur Deus motu violento, scilicet per iustitiam, quia exercere suam iustitiam magis, quàm misericordiam videbatur, vt patet ex hoc, quod statim peccantes puniuit, hominem statim de paradiso eiiciendo pro vno inobedientiæ peccato. Genes. 3. Luciferum clarissimum angelum de cœlo in infernum trudendo, Isa. 14. Pro reatu vituli adorati XXXIII. millia hominum per Moysen occidendo. Exod. 32. Et in tanto puniuit genus humanum, pro peccato Adę quod nulli pateret introitus regni cœlorum per multa millia annorum. Sed post incarnationem cœpit moueri motu naturali, scilicet misericordię, sicut patet in multis peccatoribus: In Matthæo, Matth. 9. In Maria Magdalena, Lucæ 7. in Zachæo, Lucæ 19. In Petro, Matth. 26. In Paulo, Actor. 9.

SECVNDA stella fuit spiritualis, quæ est fides, & hanc viderunt in corde: nisi enim hæc stella in cordibus primitus eorum radiasset, nequaquam ad visionem primæ stellæ peruenissent. Ideò dicit Chrysostomus super Matthæum. Inuenta est in Magis fides acutior, quàm aspectus. Viderunt humilia & intellexerunt altissima, Deum magnum in homine paruo. Habuerunt etiam fidem de eius humanitate, cum dixerunt: *Vbi est, qui natus est?* Habuerunt fidem de eius regali dignitate, quando dicebant: *Rex Iudæorum.* Habuerunt fidem de eius diuinitate, ibi; *Et venimus adorare eum.* — Fides stella spiritualis.

TERTIA stella fuit rationalis, quæ fuit B. Virgo Maria, quam viderunt in diuersorio. Hæc est stella matutina secundum Nicolaum de Lyra in Glossa morali super Matth. Et quæ apparet quotidiè famulantibus, & ducit per huius mundi mare turbulentum ad portum salutis æternæ, & ad aspectum filij sui. — Beata Virgo stella rationalis.

QVARTA stella fuit supersubstantialis, & hæc fuit Christus, quem viderunt in præsepio, vel verius in sinu materno. Et hoc ad secundum. — Christus stella supersubstantialis.

Quantum ad TERTIVM, NOTANDVM quando magni reges se visitant ad faciendum amicitias non veniunt sine muneribus, sicut legitur 2. Paralip. 9. *quod reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis,* & secum amicitias contrahere, ideò non venerunt vacui, *sed munera pretiosa, vasa argentea, vestes, arma, & aromata multa nimis detulerunt.* — L

MYSTICE reges Orientales Gaspar, Balthasar, & Melchior, volentes contrahere amicitias cum rege cœlesti Christo nouiter nato: ideò noluerunt venire vacui: Nam legerunt illud Exodi 23. *Non apparebis ante conspectum meum vacuus;* sed portarunt ei tria munera pretiosa, myrrham, aurum, & thus, secundum quod prædixerat Psal. 71. *Reges Tharsis, & insulæ, munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.* Et non solum munera obtulerunt, sed ipsum deuotè adorauerunt. Quod & miratur Bernardus, dicens: Quid facitis ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, & vilibus pannis inuolutum? Ergóne Deus est iste? Quid facitis, quod aurum offertis? Ergo rex est ipse? Et vbi aula regia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Ioseph & Maria? Sed isti insipientes facti sunt, vt fierent sapientes. De hoc etiam miratur B. Augustinus in sermone huius festiuitatis dicens: O stupenda infantia, cui & astra subduntur. Cuius est iste magnitudinis & supernæ gloriæ, ad cuius pannos & angeli excubant, & sidera obsecundant, Reges tripudiant, & sectatores sapientiæ geniculan-

culantur? O beatum tugurium, O sedes Dei secunda post cœlum, vbi non lucerna, sed stella lucet. O cœleste palatium, in quo habitat rex non gemmatus, sed Deus incorruptus; cui erant pro mollibus thoris, dura præsepia, pro laquearibus fumida tecta, sed sideris obsequio decorata. Quis est iste, talis, & tantus? O mundi natura confer mecum, quis est iste, cui exhibes obsequium, & non habet tectum. Stupeo, cum video pannos, & intueor cœlum, æstuo cum aspicio in præsepio mendicum, & super astra præclarum. Hæc Augustinus.

Reges igitur illi adorato Domino secundum Glossam moniti sunt à Deo, ne redirent ad Herodem, *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam*, in qua secundum Chrysostomum manserunt colentes, & magnificantes Magi Deum Christum, & prædicauerunt omnes omnia in gente sua, & multos erudierunt. Deniq; cum post resurrectionem Domini Thomas venisset in prouinciam illam, adiuncti sunt ei illi, & baptizati sunt. Facti sunt ei adiutores prædicationis ipsius. Horum corpora Mediolani in Ecclesia, quæ nunc est Fratrum Prædicatorũ, quiescebant, sed nunc Coloniæ quiescunt. Nam primò eorum corpora per Helenam Constantini matrẽ reperta, & Constantinopolim translata. Postea per S. Eustachium Episcopum Mediolanum perducta. Vltimo per Fridericum Imperatorem cum Mediolanum cœpit, in Coloniam Teutoniæ sunt delata, vbi est magna populi frequentia, & deuotissimè venerantur, & coruscant multis miraculis. Rogemus, &c.

Tres Magi à Thoma Apostolo baptizati.

Corporum trium Magorum varia translatio.

IN EADEM SOLENNITATE.

Sermo secundus.

Cum natus est Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis regis. Matth. 2.



ALPHORABIVS in libro de duodecim regionibus dicit: Sole oriente versus nostram superficiem regionis, tunc in Orientalibus partibus strepitus audiuntur. Quod confirmans Plinius in spec. natur. dicit: Aduenīens sol in Oriente strepitus horridos aeris suscitat, & fragores. Causam ponit in libro de septem miraculis mundi dicens.

A Regio Orientis humida est multis stagnis, ideò est frigida, veniente autem celeriter sole calido, ipsum humidum & frigidum in calidum transmutat; ex qua transmutatione strepitus audiuntur. Et ponit Plinius simile de ferro ignito, quod si in aquam frigidam immergitur, sonus generatur.

Sol oriens cur excitet fragores.

SPIRITVALITER. Quando sol iustitiæ Christus oriebatur per suam natiuitatem, statim miri strepitus laudis sunt auditi. Nam Angelus apparuit in claritate magna, stans iuxta pastores, dicens: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; Et subitò est cum illo facta multitudo cœlestis clamantium & dicentium: Gloria in excelsis Deo.* Lucæ 2. Similiter pastores cum magno strepitu venerunt in Bethleem, videntes puerum natum, & reuertentes puerum glorificabant, & laudabant ipsum, vt dicitur ibidem.

In partibus istis Orientalibus, in quibus illi tres Magi habitabant, trahentes Origenem ex Balaam sacerdote, auditi sunt strepitus, quia nato Domino, eadem hora noctis apparuit stella in monte victoriali, habens formam pueri secundum Chrysost.

super

ſuper Matth. in originalibus, & ſignum Crucis in fronte, & immobilis tota die; Et audita eſt vox de ſtella dicens: Natus eſt nobis Rex Iudæorum, qui eſt exſpectatio gentium, ite ad inquirendum & adorandum eum. Ipſi igitur reges per Aſtrologos & Aſtronomos, qui habitabant in monte prædicto, edocti ſe ad iter cum ornamentis variis præparabant, ad regem natum inquirendum. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda*, &c. In quibus tria tanguntur. *Primò*, Magorum diligens inquiſitio, ſiue indagatio, ibi; *Cum natus eſſet. Secundò*, peruerſorum ingens perturbatio, ibi; *Audiens autem Herodes*, &c. *Tertiò*, deuotorum feruens adoratio, ibi; *Et intrantes domum.*

De PRIMO eſt NOTANDVM. Bernardus in ſermone huius feſtiuitatis dicit ſic. Cum Creator omnium, fratres chariſſimi, formam ſerui accipiens, venit in hunc mundum, voluit ſe tribus oſtendere ſignis. Hodie enim Magi Chriſtum adorant: Ioannes baptizat: Chriſtus aquam in vinum mutat. Chriſtus in mundum veniens ſe tribus ſignis oſtendit.

PRIMÒ enim oſtendit ſe in apparitione, cum eſſet tredecim dierum, Magi ad eum ſtella duce venerunt. Et dicitur Epiphania, ab ἐπὶ, quod eſt, ſuprà, & φανὲς, apparitio, quia de ſurſum ſtella apparuit. SECVNDÒ, oſtendit ſe in baptiſmo, cum erat triginta annorum & vnius diei: & dicitur Theophania, à Θεὸς, quod eſt, Deus, & φανὲς apparitio, quia tunc Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus ſanctus *in ſpecie columbæ*. Matth. 3. vbi legitur: *Poſtquam baptizatus eſt Ieſus, deſcendit de aqua, & cœli aperti ſunt, & vidit Spiritum ſanctum deſcendentem, ſicut columbam; Et ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt filius meus dilectus*, &c. B

TERTIÒ in mutatione aquæ in vinum, quod eodem die reuoluto anno vno, cum eſſet XXXI. annorum, & quatuordecim dierum, *aquam in vinum mutauit*. Et hoc dicitur Bethphania, à Beth, quod eſt domus; quia miraculo facto in domo verus Deus apparuit.

De his tribus miraculis ſic canit Eccleſia: *Tribus miraculis ornatum diem feſtum colimus; hodie ſtella Magos perduxit ad præſepium; hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias; hodie Chriſtus à Ioanne baptizari voluit, vt ſaluaret nos.* Sed prima apparitio hodie principaliter celebratur, de qua dicit Euangelium. *Cum natus eſſet Ieſus*, ſcilicet, temporaliter de Virgine Maria ſecundum humanitatem, quod à Deo Patre æternaliter genitus ſecundum diuinitatem. *Natus eſt*, inquit, *in Bethleem Iudæ*, vt impleretur illud Micheæ 5. *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c.

In diebus Herodis regis Iudæorum, ſcil. Aſcolonitæ: tres enim erant Herodes in Iudæa, vt dicit Nicolaus de Lyra ſuper Matth. *Primus* fuit inſtitutus rex à Romanis, cuius pater fuit Idumæus, & iſte vocatus fuit Herodes Aſcalonita, cuius tempore natus eſt Chriſtus, ſicut dicit Euangelium, propter quem occidit innocentes. *Secundus* fuit Herodes Antipas filius Herodis Aſcalonitæ, & iſte nunquam fuit rex, ſed tetracha Galileæ Lucæ 3. Et iſte decollauit Ioannem Baptiſtam: tandem accuſatus apud Imperatorem, miſſus fuit in exilium. *Tertius* fuit Herodes Agrippa, filius Ariſtobuli filij Herodis Aſcalonitæ. Et de iſtis dicitur in feſto cathedræ Petri. C Tres Herodes in Iudæa.

Aſcalonita necat pueros: Antipa Ioannem.
Agrippa Iacobum; claudens in carcere Petrum.

Et ecce Magi, hoc eſt, ſapientes, quaſi ſapientia magni, quia olim ſapientes populum, & Rempublicam rexerunt, &c. Vbi ait Seneca in Epiſtola 44. ſeculum dicebatur tunc aureum.

De hoc dicit Hugo de S. Victore. O felicia antiquorum tempora, cum Imperatores mundum regentes, se studio Philosophiæ dederunt. Tunc enim cuiuslibet regni gloria creuit per immensum, quamdiu in ipsis studia artium liberalium viguerunt. Et tales fuerunt isti tres Reges, Gaspar, Balthasar, Melchior, Philosophiæ amatores: hi venerunt ab Oriente in Ierusalem. Quid autem mouerit eos ad veniendum. vide supra sermone præcedente, membro primo, quia stella quam viderant.

D Sed quidam Doctor nomine Germanus dicit quemlibet ipsorum speciale signum habuisse. Refert enim, quod vnius Regis vxor peperit filium eadem nocte & hora, qua Christus nascebatur, qui puer statim, vt fuit natus, erectus stetit, & dixit: Ista nocte in Iudæa natus est nobis Saluator noster, & iste fuit Balthasar. Alius Rex Melchior habuit pomarium pulchrum, in quo creuit balsamum. Arbores autem balsami, habent quasdam domunculas, ad modum malogranatorum, in quibus est balsamum; Vna igitur nocte domuncula creuit vltra morem solitum, quam rex specialiter custodiebat: nocte verò, qua natus est Christus, aperta est, & visa est in ea columba, quæ volans dixit: Ista nocte natus est Saluator generis humani. Gaspar tertius Rex habuit struthionem, qui habuit duo oua, quæ longo tempore custodiuit magna diligentia. Nocte igitur, qua Christus natus est, aperta sunt, & in vno repertus est leo, & in alio ouis. Et audita fuit vox, quod hac nocte puer natus esset, qui esset Deus & homo: per leonem Deitatem, & per ouem humanitatem intellexit.

Magi de triplici India venerunt. His signis visis, se ad viam parauerunt. Venerunt, inquam, de triplici India. *Melchior* de India, in qua est regnum Arabiæ & Nubiæ. *Balthasar* de India, in qua est regnum Saba & Godoliæ. *Gaspar* quoque, in qua est regnum Tharsis & Insula Grisaula, portantes secum munera secundum quod prædixit Dauid Psalm. 71. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent.* Qualiter autem ad inuicem apud Ierusalem venerunt, vide suprà sermone præcedente. Intrantes igitur cum principalioribus militibus Ierusalem in ciuitatem, & pro maiori parte extra remanserunt.

E **Cur Magi Ierusalem venerint.** Quare autem Ierusalem venerunt, cum ibi Dominus non sit natus, quatuor assignat Remigius rationes. *Prima* quia Magi tempus natiuitatis Christi cognouerunt, sed locum ignorauerunt. Et quia Ierusalem erat ciuitas regia, ideo suspicati sunt, quod tam egregius puer non nisi in egregia ciuitate nasci deberet. *I.* *Secunda*, vt citius locum natiuitatis discere possent, cum ibi sapientes legis & Scribæ residerent. *II.* *Tertia*, vt Iudæi inexcusabiles manerent. *III.* Potuissent enim dixisse; nos quidem locum natiuitatis cognouimus, sed tempus ignoramus, ideò non credimus. *IV.* *Quarta*, vt sic studio Magorum condemnaretur pigritia Iudæorum: nam illi vni Prophetæ crediderunt, hi pluribus credere noluerunt: illi quærunt Regem alienum, isti non quærunt proprium: illi venerunt de longinquo, isti manserunt in vicino. Isti reges successores fuerunt Balaam, qui ad visionem stellæ venerunt propter illam Prophetiam. *Orietur stella ex Iacob.* Num. 24.

Quod autem Magi veniendo interrogauerunt. *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Iudæorum?* Cuius expositionem, vide supra in sermone præcedente. Et tantum de primo.

Quantum ad SECVNDVM, ponitur peruersorum perturbatio cum dicitur. *Audiens autem Rex Herodes perturbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo*, id est, maior pars. Rectè enim fecerunt, sicut apes, quæ cum viderint regem suum turba-

tum

tum, turbantur cum illo, & non procedunt ad examen, sicut dicit Plinius in spec. nat. Super hæc verba dicit Fulgentius in sermone hodierno. Quid est quod sic turbaris Herodes: Quando natum regem audis, turbaris, suspicationibus agitaris, stimulis inuidiæ inflammaris, & ob hoc natum regem occidere conaris. Inanis est ista perturbatio tua, Rex iste, qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed venit sibi moriendo mirabiliter subiugare. Nec ideò natus, vt tibi succedat; Sed vt mundus simpliciter in eum credat; venit enim, non vt pugnet viuus, sed vt triumphet occisus: nec, vt sibi de alijs gentibus exercitum quærat: sed vt pro saluandis gentibus pretiosum sanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti habere Saluatorem. Quia si in eum crederes, cum eo regnares; Et sicut ab ipso accepisti temporale regnum, sic etiam acciperes sempiternum. Tu regnum nullatenus habuisses, nisi ab eo accepisses. Puer iste, qui nunc rex à Magis dicitur Iudæorum, idem Creator & Dominus est Angelorum. Quapropter si eius times infantiam nascentis, magis timere deberes omnipotẽtiam iudicantis. Noli eum timere regni tui successorem, sed time infidelitatis tuæ iustissimum damnatorem. Hæc ille. Hoc ideò dixit Fulgentius, quia timuit Herodes, ne Iudæi regem natum tanquam suum acciperent, & se tanquam alienigenam expellerent. Dicit enim Chrysost. Sicut arborum ramos in excelso positos leuis etiam aura mouet; Sic & sublimes homines in culmine dignitatis existentes, leuis etiam fama conturbat. *Secundò* timuit, ne à Romanis culpari posset, si aliquis rex vocaretur, quem Augustus non constituisset.

Christus cur natus.

F

Omnis etiam Hierosolyma turbata est cum eo. PRIMÒ, ideò, quia impij gaudere nequeunt de aduentu iusti. SECVNDÒ, vt regi turbato adularentur, per hoc, quod se similiter turbatos ostenderent. Contra quod dicit Chrysostomus: Ecce Iudaicus populus turbatur, qui magis de audito illo gaudere debuerat; quia rex Iudæorum de eorum genere surgere dicebatur. *Tunc Herodes congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis,* id est, quærebat, vbi Christus nasceretur: *At illi dixerunt, in Bethleem Iuda,* scilicet debet nasci.

Ex quo patet, quod Iudæi non ex ignorantia, sed duritia cordis credere noluerunt. Sic enim scriptum est Mich. 5. *Tu Bethleem terra Iuda, nequaquam es minima,* &c. & hoc, omiserunt, *dies eius, dies æternitatis.* Et ex hoc secundum Chrysostomum sumpsit causam interfectionis paruulorum. Si enim sciuissent, puerum esse æternum, nũquam ipsum occidere tentassent. Ecce participes facti sunt omnium mortuorum innocentium. Hic dicit Chrysostomus, quod Pharisæi, qui demonstrabant viam ad puerum, ipsi tamen non venerunt. Similes facti sunt structoribus, qui ædificabant Noë arcam qua constructa, veniente diluuio Noë intrauit, & ipsi foris remanserunt, Sunt enim similes imaginibus in via positis, qui ambulantibus viam ostendunt, ipsæ tamen immobiles perseuerant.

Causa interfectionis paruularum

Cum autem Herodes ab eis didicisset, quod in Bethleem Iudæ Christus nasceretur, *vocatis ad se clam magis diligenter didicit ab eis tempus,* quo apparuit eis stella, vt videlicet, sciret, quid faceret, si ad eum Magi non redirent; & mittens illos in Bethleem dixit. *Ite & interrogate,* &c. Super quo dicit Fulgentius in sermone festiuitatis hodiernæ. O calliditas ficta, ô incredulitas impia, ô nequitia fraudulenta. Si adorare cer-

re certiſſimè diſponebas iſtum puerum, quare pro illo multos pueros occidiſti? Sanguinem innocentum crudeliter effudiſti? Quid de iſto puero voluiſti, effuſio ipſa oſtendit.

Cur Magi Ieruſalem venientes ſtellam amiſerint.

Et eſt NOTANDVM. Cum Magi Ieruſalem veniſſent, ſtellæ ducatum amiſerunt. *Primò*, ideò, vt de loco natiuitatis Chriſti quærere cogerentur, vt ſic de ipſius ortu certificarentur, tàm propter ſtellæ apparitionem, quàm propter Propheriæ aſſertionem. *Secundo*, quoniam auxilium quærentes humanum, iuſtè perdere metuerunt diuinum. Et hæ rationes tanguntur in Gloſſ. cum dicitur: Cum de loco natiuitatis eſſent certificati, abeuntes Herodem reliquerunt. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente*, iterum apparuit eis, & *antecedebat eos*: Et addit hiſtoria Regum, quod in ipſo itinere à Ieruſalem duob⁹ milliaribus paſcebant paſtores, qui dicebant ſe tale ſignum nato Domino vidiſſe, quod audientes reges gauiſi ſunt; pergentes igitur vſque ad Bethleem venerunt, & ex tunc regalibus veſtimentis; & ornamentis, prout decet, ſe ornauerunt; & ſtella ante eos præcedebat, & quanto propius accedebant, tanto clarius ſtella lucebat, & ſic in Bethleem quaſi hora ſexta peruenerunt per plateam, quæ ibidem Cooperta dicitur, & tranſierunt, in cuius fine erat tugurium, in quo Chriſtus fuit natus, & ſtatim ſuper horreum ſtella ad tugurium ſe immiſit, & mox ſe ſurſum leuauit relinquens domum plena claritate. *Videntes igitur ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde*, gauiſi ſunt ſecundum Gloſſ. propter euaſionem ab Herode, ſed *gaudio* propter ſpem eorum, quæ non erat fruſtrata, ſed *magno* propter laborem itineris, quem non ſine fructu ſuſceperunt, ſed *magno valde*, quia natum regem inuenerunt. Et hæc ad ſecundum.

Quantum ad TERTIVM, ſubiungitur deuotorum Magorum feruens adoratio, & munerum oblatio, cum dicitur. *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius*, quia dicit Rabanus, diuina diſpenſatione factum eſt, eſſe quod Ioſeph tunc non aderat, ne aliqua mala ſuſpicio daretur. *Et procidentes adorauerunt eum*, ſecundum Gloſſ. vt verum Deum, procidentes ſuper facies ſuas, & quilibet eorum depoſita corona ſua de capite, & clamide de corpore ſuo flexis genibus, & compoſitis manibus, capita in terram demiſſa, cum magna cordis deuotione, & oris prolata oratione ipſum laudauerunt, & mundi Saluatorem eſſe dixerunt. Ideò dicit B. Bernardus: Quid facitis ô Magi? Nota in ſermone præcedente membro tertio. *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt* &c. Multiplex ratio ſecundum Remigium ad hoc aſſignatur. *Primò*, fuit traditio antiquorum, vt nullus ad Dominum vel ad Regem vacuus introiret, ſecundum illud Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*.

H

Cur Magi tria munera obtulerunt Chriſto regi.

Secunda ratio eſt Bernardi: Quoniam B. Virgini aurum obtulerunt, propter inopiæ ſubleuationem: thus propter ſtabuli fœtorem; myrrham propter membrorum pueri conſolidationem, & malorum vermium expulſionem. *Tertia*, quia aurum ad tributum Cæſaris, thus ad ſacrificium, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum: Per hæc tria intimatur in Chriſto regis poteſtas, diuina maieſtas, & humana mortalitas. *Quarta*, ipſum aurum ſignificat dilectionem, thus orationem, myrrha mortificationem carnis. Et hæc tria Chriſto debemus offerre. *Quinta*, quoniam per hæc tria ſignificabantur tria, quæ erant in Chriſto. Per aurum, quod eſt pretioſius omni metallo, intelligitur diuinitas pretioſiſſima; per thus anima deuotiſſima; per myrrham verò caro incorrupta.

Et eſt

Et est sciendum, quod Magi puero Iesu triplicem reuerentiam impenderunt. *Primò*, in totius corporis prostratione significantes in hoc veram pueri Deitatem. *Secundò*, ipsum adorabant tota mentis deuotione. *Tertiò*, ipsum honorabant in munerum largitione. Et sic omnia, quæ habebant, impenderunt: corpus in humili prostatione: animam in pia deuotione: res temporales in pia largitione munerum. Sic hodie facere debet anima deuota. PRIMÒ, debet ante puerum deuotè procidere, seipsam pro nihilo reputando, eo quod omnia sub pedibus eius proiecit, & seipsum propter hominem dignificandum exinaniuit, ad Philip. 1. SECVNDÒ, debet mens deuota puerum Iesum verum Deum adorare, & pro omnibus donis ab eo acceptis, in deuotas gratiarum actiones se ipsum offerre. Quod figuratur Apocal. 4. Vbi quatuor animalia, & viginti quatuor seniores *ceciderunt in facies suas ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula, & mittebant coronas suas ante thronum Dei.* Quod exponit Gregorius dicens: Nihil aliud est ante thronum coronas mittere, nisi de omnibus præceptis Deo laudes deuotas gratiarumq; actiones exsoluere. TERTIÒ, debet anima deuota puero Iesu numera spiritualia offerre.

I Reuerentia Christo Magis exhibita, quid denotet.

Animæ deuotæ officium.

I.

II.

III.

Animæ deuotæ munera spiritualia.

PRIMÒ, autem puritatis & innocentiæ. Nam sicut aurum lætificat cor, teste Plinio in speculo naturali. Nos ex auri intuitu naturaliter læti sumus, ita puritas innocentiæ mentem in continua lætitia conseruat, secundum illud Prou. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Istud aurum crescere dicitur in terra Euilath, quæ interpretatur dolens, quia innocentiam conseruare non potest, nisi mens summè doleat. Sed aurum terræ illius optimum est, quia per innocentiam angelis associamur, & lumen diuinum purissimè contemplamur. I.

SECVNDÒ, offerre debent thus humilitatis, & obedientiæ: nam secundum medicos, sicut thus constringit fluxum capitis, ita humilis obedientia restringit fluxum propriæ voluntatis. II.

TERTIÒ, myrrham castitatis & continentiæ. Sicut enim myrrha conseruat carnem à corruptione, sic casta continentia conseruat animam à corruptione spirituali. Cum autem ipsi reges munera obtulissent, & puerum adorassent, vt dicitur in libro eorum, tunc cœperunt esurire, & sic per totum diem in Bethleem manserunt, quieti & solatio se dederunt, & in nocte responso accepto in somnis non ab angelo, sed à Deo secundum Glossam, sed secundum Chrysostomum, ab Angelo, ne redirent ad Herodem, *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Et secundum librum Regum, stella non vltra eos præcedebat, sed sic in via per duos annos laboriosè permanserunt. Cum igitur ad montem victorialem peruenissent, ibidem capellam in honore nati Regis Iudæorum construxerunt, quàm ditissimè dotauerunt, & ibidem in opus subtus mentem à laboribus quieuerunt, per aliquod tempus: Audientes igitur incolæ aduentum eorum, venerunt & eos cum gaudio ad regna perduxerunt. Cum igitur domum venissent vbique in templis stellas cum puero, & cruce pingere fecerunt. III.

Historia de tribus regibus.

Post ascensionem igitur Domini Beatus Thomas ad terras Indorum veniens, eos in fide plenius instruxit, eosq; in Episcopos ordinauit, cum haberent vxores, sed essent virgines, & sibi in prædicatione sociauit. Veniente igitur hora mortis eorum, regna sua cum successoribus suis disposuerunt: & ad ciuitatem, Saba quæ fuit sub mon-

Tres Reges à S. Thoma Episcopi ordinantur.

monte victoriali se transtulerunt, in qua duobus annis superuixerunt. Modicum igitur ante festum natiuitatis CHRISTI quædam stella super ciuitatem apparuit, per quam suam mortem intellexerunt, ideò in Ecclesia more regali sibi tumulum fieri curarunt. Octaua igitur natiuitatis die. Melchior rex diuinum officium celebrauit, quo celebrato, anno ætatis suæ 116. obdormiuit in Domino, cuius corpus alij duo humiliter sepelierunt. Quintò igitur die post festum Epiphaniæ Balthasar rex ætatis suæ anno 112. celebrata Missa in Domino quieuit, & hunc rex Gaspar sepeliuit. Sextò igitur die peracto, Gaspar ætatis suæ anno 111. officio diuino celebrato, alios sequebatur, qui ei cesserunt, vt in medium susciperetur. Illa autem stella, quæ ante mortem eorum apparuit, vt dicunt, tamdiu, vsq; dum corpora eorum Coloniam translata sunt, visibilis permansit.

Mors trium Regum.

SERMO DE SANCTIS FABIANO ET SEBASTIANO.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Ad Heb. 11.

A Eges mundiales solent promittere militibus suis magna donaria, vt eos animent ad hostes superandos, & ad regna sibi subijcienda. Quod audientes milites fideliter pugnant, fortiter vincunt, & multas denique sustinent passiones. Quia dicit Seneca lib. 2. de moribus. Spes præmij solatium est laboris. Reges autem peracta pugna implere cõsueuerunt militibus, quod promiserunt illis. Quod legitur figuratum in Alexandro, qui volens sibi ciuitates & regna subiugare, multa promisit militibus, vt fortiter bellarent; ita milites vnanimes effecti sunt fortes; & non solum ab hostibus paterentur, eos debellando, & regna eorum humiliando; sed etiam à feris in deserto multa mala passi sunt, esuriem & sitim. Nam alij præ siti lingebant ferrum, alij bibebant oleum; alij autem ad tantam necessitatem venerunt, vt propriam vrinam cogerentur bibere. Alexander autem huius non immemor, sed cum adesset finis vitæ suæ fecit venire notarium suum, & militibus suis bona sua distribuit, & vnicuiq; sufficienter est datum, ideò dicitur 1. Machab. 1. *Obtinuerunt pueri*, id est serui, *eius regnum, vnusquisq; in loco suo, & imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius, & filij eorum post mortem eorum annis multis.*

SPIRITVALITER. Rex cœlorum Christus promittit suis militibus, id est, sanctis Martyribus, non mundi aurum vel argentum, quod est, quasi lutum, sed præmia æterna, dicens cuilibet eorum: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apocal. 2. Quod promissum audientes sancti Martyres Fabianus & Sebastianus, fortiter vsq; ad mortem pugnauerunt, pro fide Christiana sanguinem suum effundentes: Ambrosio attestante, qui ait in libro præfationum: Beati martyris Sebastiani professione nominis tui Domine, venerabilis sanguis effusus est: simul & tua mirabilia manifestant, quod perfecit in infirmitate, virtute, & meritis & studijs dat pro-

profectum, & pro inimicis apud te præstat auxilium. Et quia fuerunt fortes in passione ideò Deus in eis promissum impleuit, coronam gloriæ tribuendo. Quod patet in verbis propositis. *Sancti per fidem vicerunt regna.* In quibus verbis ostendit eos quinque præconia habuisse. *Primò,* sanctitatem perfectam, ibi; *Sancti. Secundò,* fidem perfectam, integram & rectam, ibi; *Per fidem. Tertiò,* pugnam victoriosam, ibi; *vicerunt regna. Quartò,* operationem laboriosam, ibi; *operati sunt iustitiam. Quintò,* retributionem gaudiosam, ibi; *Adepti sunt repromissiones.*

Quantum ad laudem beati Fabiani est NOTANDVM, quod in ipso quinq; leguntur. PRIMVM quod fuit mirabiliter electus. Refert Iacobus Ianuensis in Legenda, quod fuit ciuis Romanus, & cum Papa defunctus esset, Cardinalesque pro Papa eligendo conuenissent, & alius ciuitatis populus, inter illos & ipse venit, vt rei exitum exspectaret, cumque sic staret inter illos venit cœlitus columba candida descendens super caput eius; Quod cum vidissent mirabantur omnes, & illud pro signo accipientes, ipsum in Papam elegerunt. In isto ostenditur quod habuit perfectam sanctitatem, secundum illud Num. 16. *Quemcunq; elegerit Dominus, ipse erit sanctus;* nequaquam ipsum Deus elegisset, nisi sanctum & benignum ipsum cognouisset.

Simile legitur in naturalibus. Refert Ambrosius in Hexameron, volentes sibi eligere apes regem, non eligunt, qui est turpis & iratus, sed qui est mansuetudine charus, & omnibus apibus pulchrior & benignus. Sic apis virginea Iesus Christus elegit sanctum & præclarum populo suo prælatum, & rectorem, de quo potest exponi illud 1. Reg. 10. *Certe videtis quem elegit Dominus quod non sit ei similis in omni populo:* Si enim aliquis melior fuisset eo in omni populo Romano, veraciter eum elegisset, & non beatum Fabianum.

SECVNDVM est, quod fuit circa defensionem fidei strenuus, secundum illud quod canitur: *Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsq; ad mortem, & à verbis impiorum non timuit.* In hoc ostenditur, quod habuit fidem integram non fluctuantem. Ipse enim fidem feruenter prædicauit, & tanquam pugil strenuus eam defendit, pro eaq; mori dignum duxit. Figuratus enim erat per Mathathiam legislatorem, qui noluit regi Antiocho obedire, vt faceret contra leges paternas, sicut dixit. *Etsi omnes in hoc obedirent regi, ego tamen & filij mei obediemus legi patrum nostrorum propitius sit nobis Deus.* 1. Machab. 2. Sic B. Fabianus regi Decio non consensit, qui eum idolis sacrificare coëgit, sed viriliter fidem sanctorum patrum defensauit vsq; ad mortem. Et de ipso exponi potest illud. 2. Mach. 6. *Iste gloriosam mortem magis quàm odibilem vitam amplectens, voluntarie praibat ad supplicium.* B

TERTIÒ in potentum reprehensione fuit firmus vel constans, in quo ostenditur eius pugna victoriosa, fecit enim sicut vnicornis. Refert Isidor. lib. 12. quod vnicornis habet vnum cornu tantum, sed est tam acutum, & validum, vt quidquid impetit, perforet, aut transfodiat, non timet elephantem animal potentissimum, sed sæpe cum eo certamen habet, & vulneratum in ventre superat & prosternit, sic B. Fabianus habuit vnum cornu, hoc est, Papalem dignitatem & potestatem; quia Papa habet plenitudinem potestatis, sed alij Cardinales & Episcopi, habent partem solicitudinis. Ideò hoc cornu potestatis voluit omnes tàm nobiles, quàm ignobiles, diuites & potentes superare, quia dicitur in Canone 17. quæst. 4. capitul. Si quis deinceps. C

D Quando principes seculares fuerint negligentes & inutiles circa regimen & iustitiam, possunt per Papam puniri & deponi. Et non solum Principes, sed potentissimum Imperatorem, quem habet confirmare, posset deponere, & pro excessibus castigare, vt habetur Extra de electione, c. Venerabilem Sic & hoc legitur fecisse Beatus Fabianus, de quo refert Haymo, quod Philippus Imperator quodam erat peccato aggrauatus, voluitq; quodam tempore interesse Paschæ vigiliis, & communicare mysteriis; quod videns Fabianus, intrepidus accessit, & potenter defendit, ne hoc faceret, quousque peccata confiteretur, & inter pœnitentes prius staret, quo facto, eum cum aliis communicare permisit. Ideò de illo potest exponi illud Eccl. 48. *In diebus suis non timuit principem, & potentia nulla vicit illum.* Sic facere debent alij prælati & sacerdotes. Nam exemplo illius non debent tyrannos mundi formidare, sed contra vitia eorum constanter prædicare. Quia secundum Ambrosium in epistola ad Theodosium. Nihil in sacerdote apud homines melius, quàm quod sentiatur modo libere prædicare, vel peccata denunciare. Quare autem eis est periculosum, ostendit Isidorus lib. 3. de summo bono. Sacerdotes, inquit, propter iniquitatem populorum veritatem tacere non debent, si autem ignorant, eos non erudiunt, aut peccatores non arguunt: cui alludit Chrysostomus in homilia 43. Si sacerdotes non omnem veritatem manifestauerint in populo, dabunt rationem in die iudicij, quia est periculosum, quo ad homines, qui si non arguerentur, manerent in peccatis, pro quibus damnarentur. Ideò Beatus Fabianus fuit constans in argutione, non solum simplicium, sed etiam potentum, vt eos saluaret, & cum eis pariter saluaretur.

Qvartò, circa diuinum officium fuit solicitus & deuotus, in quo ostenditur eius operatio laboriosa. Nam sicut de eo refert Damasus Papa, eum tam solicitum fuisse pro decore sanctæ Ecclesiæ, quod per omnes regiones misit septem diaconos, & eis alios septem diaconos tradidit, qui omnium gesta martyrum collegerunt. Sed quare hoc? Certè vt diuinum officium & cultus diuinus, de illis gestis decentius ornaretur, & benè potest dicere cum Psalmo 25. *DOMINE dilexi decorem domus tuæ.*

Qvintò fuit martyrio coronatus, & in hoc patet, quod habuit vitam æternam & gaudiosam retributionem, quia dicitur Iacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem.* Quia legitur in legenda quod circa annum Domini CCXLIV. Pontificatus sui anno XIII. Iussu Decij Cæsaris capitis trucatione martyrio coronatur. Ideò de illo potest dici illud Psalm. 20. *Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso.*

E Quantum autem ad laudem B. Stephani Notandvm. Primò, quod ipse etiam habuit perfectam sanctitatem, quia secundum Chrysostomum faciunt peccatorum munditiam pœnitentia Spiritus sancti, & bonorum operum affluentia. Habuit etiam ipse peccatorum munditiam, quam per caritatem acquisiuit quæ operit multitudinem peccatorum secundum illud Prou. 10. *Caritas operit delicta vniuersa.* Hæc etiam eius caritas patet ex hoc, quod suos commilites Christi Martyres confortauit: Item patuit ex hoc, quod infideles peccatores ab errore conuertit, quod patet de tranquillino patre & matre sanctorum martyrum Marcelliani & Marci.

Ideò

Ideò legitur in Legenda, quod Sebastianus Narbonensis genere ciuis Mediolanus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus adeò charus erat, vt principatum primæ cohortis ei traderent, & suo aspectui semper astare iuberent. Hic militarem chlamydem ad hoc tantum gerebat, vt Christianorum animos, quoties videbat deficere, cõfortaret. Cum autem præclarissimi viri Marcellianus & Marcus gemini fratres, pro fide Christi decollari deberent, ad eos parentes venerunt, vt eos à suo proposito reuocarent, materq; soluto capite scissisq; vestibus, vberibusq; ostensis, aiebat: O prædulces filij mei, circumdat me inaudita miseria, & intolerabilis luctus. Heu me miseram, amitto filios meos, ad mortem vltrò tendentes, quos si hostis auferret, per media sequerer bella raptores: si violenta iudicia concluderent, carcerem rumperem moritura. Hæc dicente matre, senex pater adducitur, & capite asperso puluere, huiusmodi voces dabat. O filij senectutis meæ baculus, cur sic diligitis mortem: Venite huc iuuenes, venite huc senes, & spontè pereuntes filios meos mecum plangite. Huc accedite patres, & præcauete ne talia patiamini. Talia dicente patre, coniuges adueniunt, proprios filios portantes, & clamantes, quibus nos dimittitis, qui erunt horum infantium Domini: quis vestras largas diuidet possessiones. Heu quàm ferrea pectora, parentes despicitis, vxores abijcitis, filios abdicatis, & vos carnificibus spontanee exhibetis. Inter hæc corda virorum cœperunt mollescere; Tum Sebastianus, qui tunc ibi erat erumpens in medium, dixit: O fortissimi milites Christi, nolite per misera blandimenta coronam deponere sempiternam. Et parentibus dixit: Nolite timere, non separabuntur à vobis, sed vadunt parare vobis sidereas mansiones. Hæc enim vita ab initio mundi in se credentes fefellit, se exspectantes decepit, de se præsumentes derisit, & nullum certum reddidit, vt omnibus probetur esse mentita. Hæc admonet furem, vt rapiat, iracundum vt sæuiat; mendacem vt fallat: ipsa imperat crimina: iubet facinora: suadet iniusta. Hæc autem persecutio, quam hic patiuntur homines, hodie exardescit & cras refrigescit: sub vna hora inducitur, & sub vna hora excluditur; dolor autem æternus renouatur vt sæuiat: augmentatur, vt exurat: inflammatur, vt puniat, in amore ergo Martyrij nostros iam suscitemus affectus, ibi enim diabolus vincere existimat, qui dum capit, captus est, dum torquet torquetur, dum iugulat occisus est, dum insultat irrisus est.

SECVNDÒ, B. Stephanus habuit Spiritus sancti præsentiam, quod patuit ex verbis prædictis salubribus, qui de se non loquebatur, sed à Spiritu sancto: secundum illud Matth. decimo. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ideò cum hæc, quæ dicta sunt Sebastianus loqueretur, Zoë vxor Nicostrati, in cuius domo sancti custodiebantur, quæ loquelam amiserat, pedibus eius prouoluta, nutibus veniam postulabat; Tunc ille ait. Si ego verus Christi seruus sum, & si vera sunt omnia, quæ ex ore meo hæc mulier audiuit, quasi diceret, quia sunt à Spiritus sancti præsentia, aperiat os eius, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ. Ad hanc vocem mulier clamauit: Benedictus sermo oris tui, & benedicti qui omnibus, quæ locutus es, credunt. Vidi enim angelum ante te librum tenentem, in quo omnia, quæ dixisti scripta erant. Quod audiens Nicostratus procidens ad pedes Sebastiani, sibi postulans indulgeri, statimq; absoluens Martyres, rogauit, vt liberi abirent, qui dixerunt nullatenus deserturos victoriam quam cœpissent.

F

Zoë vxor Nicostrati muta à S. Sebastiano curatur.

Et sequitur in Legenda. Tantam virtutem & gratiam verbis S. Sebastiani Dominus contulerat, quod non solum Marcellianum & Marcum in martyrij constantia confortauit, sed patrem etiam eorum & matrem cum multis alijs conuertit, quos omnes Polycarpus presbyter baptizauit. Quod autem is habuerit etiam Spiritus sancti præsentiam & gratiam, patuit ex miraculis, quæ faciebat, quæ nullo modo fieri possunt sine SPIRITVS SANCTI iuuamine, secundum illud Ioann. tertio. *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo.* Legitur enim quod Tranquillinus pater prædictorum, morbo grauissimo laborans, mox vt baptizatus est recepit sanitatem: Præfectus autem Chromatius in Vrbe Romana grauissimo morbo laborabat, Tranquillinum rogabat, vt ad se adduceret, eum qui ei sanitatem dederat.

Tranquillinus baptizatus sanatur.

G Cum autem ad eum venissent Polycarpus & Sebastianus, rogauit eos, vt sanitatem reciperet. Dixit ei Sebastianus: Iube vt à seruis tuis idola confringerentur. Cui ille: Fac vt serui mei hæc faciant. Et Sebastianus. Timidi Deos suos confringere formidant, & si diabolus eos læderet, dicerent se læsos, eo quod Deos constringerent: Sicque Sebastianus & Polycarpus accincti, plus quàm ducenta idola confregerunt. Cui dixerunt. Cum sanitatem non receperis certum est, quod aut infidelitatem non abiecisti, aut aliqua idola conseruasti. Tunc iudicauit se habere thalamum, in quo erat omnis disciplina stellarum, pro quo pater plus quàm ducenta pondera auri expenderat, per quæ omnia futura præuidebat. Cui Sebastianus, quamdiu hoc integrum habebis, te integrum non habebis. Cum ille ad hoc consentiret, vt destruerentur, dixit Tiburtius filius eius. Non patiar destrui opus tam præclarum. Sed ne paternæ sanitati videar esse contrarius, duo clibani accendantur, vt si destructo opere, pater meus sanitatem non receperit, ambo concrementur viui. Dum igitur illud frangeretur, Angelus præfecto apparuit, & ei à Domino Iesu Christo sanitatem redditam nunciauit. Sicq; ipse, & filius Tiburtius, & mille & quadringenti, atq; eius tota familia; sunt baptizati: Zoë autem diu ab infidelibus tenta & cruciata, emisit spiritum. Quod cum audisset Tranquillinus, dixit fœminæ ad coronam nos præcedunt, vt quid viuimus? Ipse autem post paucos dies lapidatus est. Quod autem B. Sebastianus habuit Spiritus sancti præsentiam, patet per tormenta, quæ sustinebat. Nullus enim potest tormenta nisi cum Spiritus sancti auxilio sustinere, quod patet in Apostolis, qui ante aduentum Spiritus sancti nimis fuerunt debiles, veniente autem Spiritu sancto, adeò fortes sunt effecti, quod nulla tormenta formiderint. Quia dicit Psal. 32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ita factum est de S. Sebastiano, qui virtute Spiritus sancti vicit tormenta tortorum, quia legitur, quod Diocletianus eum ad se ipsum vocans dixit.

H Ego te primum in palatio meo semper habui, & tu contra salutem meam, & Deorum iniuriam hactenus latuisti. Cui Sebastianus. Pro salute tua Christum colui, & pro statu Romani Imperij Deum, qui in cœlis est semper oraui. Tunc Diocletianus iussit eum in medio campo ligari, & à militibus sagittari, qui ita eum sagittis impleuerunt, vt quasi Eritius videretur, vt æstimantes mortuum abierunt. Et potuit bene dicere Beatus Sebastianus illud Psalm. 37. ad Diocletianum. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi acuta.* Spiritus sanctus autem præseruauit eum, ne in tam horrenda pœna moreretur. Sed infra paucos dies liberatus est, stans supra gradus palatij, Imperatores venientes de malis, qui Christianis inuidebant, durè redarguit. Dixitque Imperatores

pera-

perator. Iste ne est Sebastianus, quem diu sagittis interfici iusseram? Cui Sebastianus. Ad hoc me Dominus resuscitare dignatus est, vt conueniam vos, & redarguam de malis vestris, quæ Christi famulis irrogatis. Tunc Imperator eum tam diu fustigari iussit, donec spiritum exhalaret, & fecit corpus eius in cloacam proiici, ne à Christianis pro Martyre coleretur. Sanctus autem Sebastianus sequente nocte Lucinæ apparuit, & corpus suum ei reuelauit, ac iuxta vestigia Apostolorum sepelire præcepit, quod & factum est. Passus est post annum Domini. CCLXXXVII.

TERTIÒ, habuit bonorum affluentiam in eo, quod sanctos Martyres confortauit, secundum illud Isaiæ 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Ideo de ipso potest exponi illud Iob. 4. *Ecce docuisti plurimos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua debilia confortasti.* Ipse enim fuit Doctor ignorantium, docens idola spernere, sicut patuit de præfecto: docuit mundi vanitatem fugere cum dixit: Hæc vita ab initio mundi, &c. Fuit roborator debilium, & consolator afflictorum, non solum in vita, sed etiam post mortem. S. Sebastianus Doctor ignorantiū.

Ideò legitur in gestis Longobardorum; quod tempore Gilberti Regis tota Italia tanta peste percussa est, vt vix superesset, qui alterum sepelire posset, & pestis maximè Romæ & Papiæ sæuiebat. Tunc visibiliter bonus Angelus apparuit, malo angelo subsequente & ferente venabulum, & præcipiens ei, vt percuteret, & cædē faceret: quoties autem aliquam domum percutiebat, totinde mortui efferebantur: cuidam autem diuinitus reuelatum est quod nequaquam hæc pestis cessaret, donec sancto Sebastiano Papiæ altare construerent. Quo facto, statim cessauit illa grassatio, & illuc de Roma reliquiæ sancti Sebastiani Martyris sunt delatæ. SECVNDÒ, B. Sebastianus fidem integram & rectam habuit, & fides tunc est integra, quando est magna & firma. Habuit enim fidem magnam, quando principatum deseruit, & omnia mundana despexit. Ideo dicit Gloss. super illud 1. Timoth. 6. *Sectare iustitiam.* Qui, inquit, veram fidem de Deo habet, non cupit in miseriis huius mundi diues fieri. Habet viuam fidem, per quam fructum bonorum operum ferebat, quia aliàs viua non fuissent, sed mortua. Habuit firmam fidem, quia per nulla tormenta ab ipsa cadere potuit. Sed dixit illud Tob. 2. *Vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui vitam suam nunquam mutant ab eo.* I

TERTIÒ, B. Sebastianus habuit pugnam victoriosissimam in eo, quod constans fuit in reprehensione malorum, scilicet Diocletiani, & eius satellium. Refert etiam Gregorius lib. 1. dialogorum, cap. 10. quod quædam mulier in Tuscia nuper nupta cum ad Ecclesiam B. Sebastiani ab aliis inuitata esset, nocte eadem, qua sequenti die ire debebat, carnis voluptate stimulata, à viro suo se abstinere non potuit. Facto autem mane erubescens magis vultum hominum, quàm Dei, illuc profecta est, mox autem oratorium, vbi erant reclusæ reliquiæ S. Sebastiani, ingressa est. Diabolus eam arripuit & coram omnibus vexare cœpit. Tunc presbyter illius Ecclesiæ pallam arripiens altaris, eam operuit, & diabolus statim illum presbyterum inuasit. Duxerunt autem eam amici sui ad incantatores, vt incantationibus diabolum fugarent. Sed dum incantarent, diuino iudicio legio dæmonum, sex millia sexcenti sexaginta sex, eam ingressi vexauerunt: Quidam autem vir nomine Fortunatus sanctitate perspicuus, suis precibus eam sanauit. K

QVARTÒ, habuit operationem sollicitam. Operatus enim est bonum, quantum ad Deum ei sedulè seruiendo, secundum quod canitur: Christo sedulè, id est, quotidiè exhibebat officium. Operatus est bonum, quantum ad superiores, ideò dixit Imperatori pro salute tua semper Deum colui. Operatus est bonum, quantum ad seipsum, omni sanctitate se custodiendo, secundum illud Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*; & hoc relucet ex hoc verbo iustitiæ, quæ secundum Anselmum est virtus reddens vnicuique quod suum est.

QVINTÒ, habuit promissionis retributionem æternam, & hoc in quatuor. *Primò*, per hæreditariam successionem ad Coloss. 3. A Domino accipietis retributionem hæreditatis. *Secundò*, per legitimam emptionem, quia emit pretio sanguinis teste B. Augustino: Negotiatione iste bonus dat; det minus vt accipiat amplius; emit commercio sanguinis regnum salutis. Facta est breuis passio, & perpetua beatitudo. *Tertiò*, per victoriosam impugnationem, secundum illud Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quartò*, per paternam largitionem iuxta illud Lucæ 12. *Noli te timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

DE SANCTA AGNETE VIRGINE.

Sermo primus.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cantic. 2.

A RISTOTELES 9. animalium dicit. Pulli aquilarum sunt duplices, aliqui adhuc iuuenes existentes dimittunt nidum, matrem sequuntur, solem irreuerberatis oculis intuentur, terram prospicere dedignantur, & illi pulli diliguntur: alij autem sunt pulli degeneres, & nolunt oculos attollere in radios solis; Sed potius terram, quam solem contemplantur. Et hi ab aquila aspernantur.

SPIRITVALITER. Per pullos aquilarum duplices intelliguntur homines; aliqui solùm diligunt terram, & de cœlestibus eis cura parua est, in iuuentute, dicentes illud Sapien. 2. *Venite vtamur bonis, & fruamur creatura tanquam in iuuentute celeriter; Vino pretioso & vnguentis nos impleamus; & non prætereat nos flos campi; coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ*, id est, exclusus à luxuria, *vbique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra.*

Alij autem tanquam nobiles filij & filiæ, statim in pueritia terrena relinquentes, Christum veram aquilam sequuntur, sicut B. Nicolaus, B. Vitus, & præcipuè B. Agnes, quæ, vt ait Ambrosius in Legenda, XIII. anno ætatis suæ mortem perdidit, & vitam inuenit. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus immensa mentis: corpore iuuencula, sed animo cana. Ideò dicit Ambrosius in libro Præfationum de ea: Sic B. Agnes generositatis oblectamenta despiciens, cœlestem meruit dignitatem; societatis humanæ vota contemnens, æterni regis est sociata consortio: pretiosam mortem pro Christi confessione suscipiens, similis est ei facta & conformis: laudat

laudat eam Christus in præassumptis verbis. In quibus à tribus commendatur. *Primò*, à virginitatis candore, ibi; *Sicut lilium. Secundo,* à passibilitatis dolore, ibi; *Inter spinas. Tertiò,* à singularitatis amore, ibi; *Sic amica mea.*

De PRIMO est sciendum. Consuetudinem habent amatores mundani, quando volunt amatrices suas collaudare, tunc solent eas tribus pulchritudinibus comparare, sicut rosis, violis, aut aliis pretiosis rebus. Sicut legitur de rege Salomone, qui fuit præcipuus amator mulierum, & dilectam suam Pharaonis filiam pretiosis rebus comparauit, dicens: Cantic. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui columbarum. Sicut vitta coccinea, labia tua; & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua; Sicut turris Dauid collum tuum. Pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum, super omnia aromata.* B

MYSTICE. Christus intelligitur, qui est amator virginum & castarum mentium, secundum illud Prouerb. 22. *Quis diligit cordis munditiam,* &c. *habebit amicum regem,* scilicet Christum. Hic etiam habet hanc consuetudinem, quod amatrices suas virgines castissimas comparat rebus pulchris, sicut B. Agnes, quæ lilio, quo nihil gratiosius est, & pretiosius ad decentiam coloris. redolentiam odoris: efficaciam corporis. Dicit Plinius in spec. nat. 2. lib. cap. 2. Significans in hoc, quod hoc nobili lilio B. Agnete nihil fuit decentius in colore: Nam secundum Ambrosium fuit pulchra facie, sed pulchrior fide. Nihil fuit in ea redolentius odore, secundum illud Cantic. 4. *Odor tuus super omnia aromata, vel vnguenta.* Nihil etiam ea efficacius in virtute: quia dicit Salustius in Iugurtino. Cum de virtutibus agitur, nulla excellentior cernitur, quàm quæ in adolescentibus inuenitur.

Sunt vndecim præterea nobiles lilij proprietates, propter quas lilio comparatur B. Agnes. PRIMA est, quod lilium habet sex folia candida, & aliqua grana quasi aurea ritus fulgentia, quæ decorant lilium. Ita B. Agnes velut præfulgidum lilium, habuit in se sex virtutes suam castitatem, virginitatemque conseruantes. Prima fuit *modestia* in sermone, quod patuit ex illo, quod cum filio Præfecti non habuit longa colloquia, sicut & hoc refert Ambrosius in Legenda dicens. Cum B. Virgo à scholis reuerteretur, à Præfecti vrbis filio adamatur, qui ei gemmas, & diuitias innumerabiles promisit, si consensum eius, scilicet coniugium, non negaret, Cui Agnes breuiter respondit; *Discede à me pabulum mortis, quia iam ab alio amatore præuenta sum,* scilicet à Christo. Et hunc cœpit commendare à quinque; scilicet à nobilitate generis, à decore pulchritudinis, à diuitiarum abundantia, à fortitudine & potentiæ efficacia, ab amoris excellentia dicens: *Hic longe te nobilior genere & dignitate, cuius pater fœminam nescit, cuius mater virgo est, cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius opes nunquam deficient, cuius odore mortui reuiuiscunt, cuius tactu curantur infirmi, & confortantur, cuius amor castitas, tactus, sanctitas, vnio virginitas.* Et hæc quinque ponit in quadam auctoritate dicens: Cuius generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. C Lilii proprietates.

Ecce modestia sermonis, quia verba inutilia secum non habuit, sed sponsum suum Christum ei prætulit & laudauit. Ita debent facere nostræ virgines se custodiendo à loquacitate, quę est quasi spina lacerans castitatē, quod probat auctor Troianę historiæ lib. 2. dicens: Rex atrox in insula Colchis habuit filiam nomine Medæam,

nimium

nimium speciosam, artibus liberalibus imbutam præ omnibus. Hæc sedens inter patrem & quendam barbarum nomine Iasone, in amore eius accensa dixit: O vtinam ille Iason barbarus, tam speciosus, tam nobilis, mihi martiali copula iungeretur, & cum eo verba multa miscuit. Et quod nefas est in virgine, hoc ipsa conuertebat in fas; & dicit ibidem, quod post pauca tempora Iason Medæam vi oppressit ipsam deflorando. Ideò dicit B. Ambrosius in homilia: Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, scilicet ire ad choreas, non in publico miscere sermones. Secundum autem Gregorium, sermo virginum debet esse prudens, rarus, & modestus, non tam eloquentia pretiosus, quàm pudore. Etiam debent se à turpibus verbis abstinere secundum illud Senecæ; Verbis turpibus abstineto, quia licentia eorum impudicitiam nutrit.

SECVNDA virtus est labor in operatione. Habuit enim magnum laborem, vt virginitatem suam conseruaret. Quia sicut dicit Ambrosius in Legenda, cùm iuuenis audisset verba virginis, lecto prosternitur, & quòd præ amore ægrotaret, à medicis per suspiria alta aperitur, quod audiens pater replicat eam filio suo, sed illa prioris sponsi fœdus se violare non posse asseruit. Cœpit Præfectus inquirere, quis ille sponsus esset, de cuius potestate se Agnes iactaret. Quidam autem ei dixit, quod Christum sponsum suum diceret; Quo audito, prius blandis sermonibus, deinde terroribus eam pulsat. Cui Agnes: Quicquid vis age, quod quæris non poteris obtinere. Et Præfectus: Vnum tibi de duobus elige, aut cum virginibus Deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis. Cui illa: Nec sacrificabo Diis tuis, nec scortis polluar alienis; custodem enim habeo corporis mei angelum Domini.

Credendum etiam est, quod B. Virgo Agnes, non fuit otiosa in domo patris quia statim tradita studio literarum, vt sic per studium artium vitaret carnis vitium. Hieronymus ad Rusticum monachum. Et ponitur de consec. dist. vlt. c. Nunquam. Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis. Vnde ita necessarium est virginibus modernis, vt magnis laboribus resistant vitiis carnis, & his hostibus qui impugnant castitatem, quia dicit B. Ambrosius in libro de Virginitate. Inter omnium Martyrij genera diuturniora sunt castitatis prælia. Et non solum est laboriosum carnis illecebris resistere, quia otium & quies sunt spinæ lacerantes castitatem, & via ad luxuriam, sicut attestatur Propheta Ezechiel 16.

D *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, Saturitas panis, & abundantia vini, otium ipsius & filiarum eius.* Ideò docet Ægidius Romanus de regimine Principum lib. 2. part. 2. cap. 7. & 8. Quod quilibet pater vel mater debent solliciti esse, vt filiæ earum studeant texere, filare & operari circa lanam vel sericum, ne otio torpescant. Sicut legitur fecisse Imperator Octauianus, de quo refert Valerius in Polycrate lib. 6. Quod filias suas lanificio fecit instrui, vt si eas nubiles fortuna ad extremam paupertatem proiiceret, se per artem possent enutrire. Idem legitur de Constantino Imperatore, qui præcepit, vt filiæ suæ artem & consuetudinem manibus operandi haberent vt per exercitia operis vitia vitarent, & si fortuna eis non faueret, possent per labores manuum victum quærere & vestitum. Idem referunt Cronographi de Carolo Magno, qui filias suas fecit lanificio assuescere coloque & fuso, ne per otium torpescerent. Consideraueruntque hi incliti Imperatores, quod otiositas & voluptas sunt arma antiqui hostis. De renunt. c. Nisi cum pridem §. Personæ. & de consec. dist. 5. c. Nunquam.

His

His armis diabolus Dauid impugnauit, & ipsum superauit, quando vacans otio cum Bethsabee vxore Vriæ adulterium perpetrauit, 2. Regum 11. His armis inuasit Salomonem, quando cessauit ab ædificatione domus Domini, & otio torpebat, & ipsum vicit, quia mulieres alienigenas adamauit, itaq; fuerunt ei vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, 3. Reg. 11. Illis armis impulit Mariam Magdalenam, & eiecit eam, vt peccatrix publica diceretur, Luc. 7. Ideo docet Hieronymus gloriosus, & ponitur de consec. dist. 5. c. Nunquam. Non inquit, vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delicta maxima, de quibus dicit Ps. 72. *In labore hominum non sunt, &c. transierunt vsq; in affectum cordis.* Et concludit Hieron. Aliquid operis facito, vt semper diabolus occupatum te inueniat. Et dicit Ægydius Romanus, vbi suprà: Si aliqua fœmina esset in tam alto gradu, quòd non esset consueta certa talia opera exercere, adhuc non esset mittenda, vt otio vacaret, sed tradenda esset studio literarum, & sæpius librum accipiens se lectionibus occuparet, vt sic peccata vitaret: Quia B. Agnes nobilissimum lilium, cum esset in studio artium, secura fuit, sed cum à scholis reuerteretur, à filio Præfecti Vrbis Romanæ adamata dicitur, secundum B. Ambrosium.

TERTIA virtus est fuga occasionis peccandi, quæ fuit quasi tertium folium, quo nostrum candidissimum lilium B. Agnes fuit decorata. Quod autem fugit occasionem peccandi, patet ex hoc, quia dedit se studio literarum, quo vitatur occasio culparum, & postquam reuersa fuit à studio, mansit in domo paterna. Et quamuis inuita ad lupanar inducta, tamen fuit ab Angelis custodita.

Ambrosius continuando Legenda dicit: Cum B. Agnes noluisset in torum filij Præfecti consentire, nec idolis immolare, iussit eam exspoliari, & nudam ad lupanar adduci. Tantam autem densitatem capillorum Dominus ei contulit, vt melius capillis, quàm vestibus tegeretur. Ingressa autem turpitudinis locum, angelum Domini præparatum inuenit, qui locum claritate nimia circumfulsit, stolamq; ei candidissimam præparauit. Præfecti filius cum aliis iuuenibus ad lupanar iuit, & eos ad ipsam prius inuitauit. Qui ingressi, ex miraculo autem territi, compuncti redierunt, quos ille appellans fatuos, & ad eam furens intrauit; cum eam contingere vellet, à diabolo suffocatus exspirauit. Quod Præfectus audiens, cum ingenti planctu ad eam venit, & causam mortis eius diligentius sciscitatur. Cui Agnes. Ille cuius voluntatem volebat perficere, eum in potestatem accepit, & occidit. Nam socij viso miraculo territi redierunt illæsi. Cui Præfectus; Tunc apparebit, quod non magicis artibus egisti, si impetrare poteris, vt resurgat. Agnete autem orante iuuenis suscitatur, & Christus ab eo publicè prædicatur. Pontifices igitur diabolorum seditionem in populo excitantes, clamauerunt; Tolle Magam & maleficam, quæ mentes mutat, & alienat animos: Præfectus autem viso miraculo, voluit eam liberare, sed proscriptionem metuens eam dereliquit, & quia eam liberare non potuit tristis abscessit. Ecce quod B. Virgo Agnes non dedit illis vanis iuuenibus occasionem, quia territi lumen fugerunt, nec etiam seipsam illis talem obtulit, quod potuissent in ipsam occasionem inuenire.

Discite igitur ab hac virgine, ô virgines, cæteræque mulieres, fugam occasionis peccandi, quia occasio peccati est velut spina lacerans castitatem; quod patet in Thamar virgine sorore Absolonis 2. Regum 13. vbi legitur, quod Ammon filius

I Occasio peccati est

Spina lacerans castitatem.

Dauid adamauit Thamar sororem Absolon, ita vt præ amore ægrotaret. Quod audiens Ionadab, dedit ei consilium malum, dicens. *Cuba super lectum tuum, & languorem simula*. Quod ille fecit, & dixit, se à nullo cibum velle capere, nisi à Thamar: illa autem sola iussu parentis sorbitiunculam porrexit, nulla ancilla secum accepta. *Amnon autem videns eam solam, apprehendit eam*, & defloraui, quia occasionem ei præstitit, quod sola cum solo in thalamo fuit: Ideo dicit Poëta:

Si fugias, fugiet; si cedis, cedere nescit.

Nam locus & tempus præbent alicui occasionem luxuriæ. Ideò etiam B. Virgo Agnes, ne in domo turpitudinis sola existens occasionem daret iuuenibus ad peccandum, voluit secum habere Angelum custodem sui corporis, cum humanum auxilium non haberet.

QVARTA virtus est habitus asper, & humilis, quem creditur habuisse B. Agnes, ex quo tenere castitatem voluit. Ipsa vera Iudith est, quæ super lumbos habuit Cilicium. Iudith. 8. Refert Ambrosius, quod Aspasius Præfectus dedit ei asperum habitum, quia iussit eam in copiosum ignem iactari; Sed in duas partes flamma diuisa seditiosum populū exurebat, & eam minimè tangebat, ita vt dicere possit illud Eccl. 51. *In medio ignis non sum æstuata*. Post hæc Aspasius in gutture eius gladium immergi præcepit, & sic Christus sponsus candidus & rubicundus, ipsam sibi sponsam & martyrem consecrauit. Cum igitur corpus eius Christiani, & parentes eius sepelierunt, vix à paganis in eos lapides mittentibus euaserunt. Emerentiana autem eius collactanea virgo sanctissima, licet adhuc catechumena, dum iuxta sepulchrum eius staret, & constanter gentiles argueret, ab eis lapidata est, statimq; terræmotus, coruscationes & fulgura exstiterunt adeò, vt ex paganis plurimi perierint, neminemq; ad sepulchrum Virginis venientem amplius læserint. Ecce quàm asperam vestem habuit B. Agnes. Sic etiam virgines & mulieres si volunt esse castæ, oportet interdum gerere vestes asperas, & humiles, quia vestis superba est quasi spina lacerans castitatem. Quod patet Numeri 25. Vbi legitur, quod filij Israel fornicati sunt cum mulieribus Moabitarum, seq; ornauerunt. Quia dicit venerabilis Boetius in lib. de discip. schol. quod Satyrici dicebant; Luxuriam in ornatu vestium consistere, quod probat Poëta versus.

S. Agnes gladio per guttur transuerberatur.

Vestis pulchra, cibus largus, cumq; otia somno,
Demergunt animam, luxuriamq; vocant.

QVINTA virtus est sobrietas, quam Agnes habuit, cum se à superfluis abstinuit. Ideo castitatem tenuit, quia sciuit, quod excessus in potu & cibo est spina lacerans castitatem: Sicut legitur Genes. 19. de Lot, qui inebriatus vino, incestum cum filiabus perpetrauit. Ideo dicit Apostolus ad. Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Quare refert Valerius in Polycrate lib. 1. quod vsus vini Romanis fœminis fuit ignotus, ne aliquod dedecus in eis prolaberetur, aut in luxuriam laberentur.

SEXTA virtus est custodia sensuum, præcipuè illorum, qui remota ostendunt, vt visus vel auditus: quia curiositas videndi vana, vel audiendi, est spina lacerans castitatem, & via ad luxuriam. Teste B. Gregorio in homil. Si aliquis vir vel mulier viderit filium vel filiam alienam, seruum aut ancillam, & pro concupiscentia diligenter aspexerit; corrupta est vna virgo. *Et subdit*. Si quis verò clericus, vel religiosus, vel laicus, cantica luxuriosa, vel turpia libenter audierit, & cum delectatione placido audi-

ra susceperit, corrupta est & alia virgo. Hæc ille. Ista sunt folia præfulgida, quæ decorauerunt beatissimam virginem Agnetem, & quamlibet aliam virginem volentem saltem tenere castitatem.

SECVNDA proprietas lilij est, quod intus habet grana aurea fulgentia, quæ lilium decorant. Ita B. Agnes habet specialia beneficia, quasi aurea, quibus Dominus eam præ aliis exornauit. Et hoc enumerat B. Virgo in Legenda sua dicens: *Annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus, & dextram meam, & collum meum, cinxit lapidibus pretiosis: induit me ciclade auro contexta, & immensis monilibus ornauit me, posuit signum in faciem meam, vt nullum præter ipsum amatorem admittam: Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atq; coruscantibus gemmis, à quo mihi iam thalamus locatus est, cuius mihi organa modulantibus vocibus sonant, mel & lac eius ore suscepi, & sanguis eius ornauit genas meas. Iam amplexibus eius casta astricta sum; iam corpus eius corpori meo sociatum est; iam ostendit mihi thesauros incomparabiles.* Quæ omnia accepit B. Agnes in regno cœlorum. II.

DE EADEM VIRGINE.

Sermo secundus.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cantic. 2.



VIDEMVS, quod inter omnes flores decentius lilium est ornatum, & vestitum, nec est aliquis color, qui potest ei comparari. Ideo dixit Dominus Matth. 6. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent; Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex ipsis.* Etiam lilium inter alios flores est pulcherrimus, quod patet ex diuersitate, seu distinctione foliorum, ex proportione eorum, & suauitate odorum, quia habent suauem odorem & nimium excellentem. A

MYSTICE per lilium B. Agnes figuratur; quia sicut lilium est decenter à natura decoratum tanquam corona foliis: ita Virgo B. Agnes est vestita decenter à sponso suo Christo. Sicut testatur Isa. 61. in cantico hodierno, dicens: *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ, iustitia circumdedit me, & tanquam sponsam coronauit me corona.* Ipsa etiam inter alias virgines pulchra est, cuius pulchritudo lucet ex diuersitate, seu distinctione prudentiæ; quia secundum Ambrosium dicitur virgo prudentissima. Patet ex proprietate iustitiæ & suauitate pudicitiæ: ita, vt de ipsa exponi possit illud Genes. 24. *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima & incognita viro.* ideò Christus sponsus comparat eam lilio dicens: *Sicut lilium inter spinas,* &c. In quibus verbis B. Agnes à tribus commendatur. *Primò,* à virginali candore, ibi; *Sicut lilium. Secundò,* à miserabili passione, ibi; *Inter spinas. Tertiò,* à speciali dilectione, ibi; *Sic amica mea inter filias.*

Circa PRIMVM NOTANDVM: Multæ sunt lilij proprietates, propter quas B. Agnes lilio comparatur. PRIMO lilium, sicut refert Plinius in spec. nat. sedat iram, & discordiam vniuersam, cuius ratio est, quia lilium habet dulcem exhalationem; quæ dum per respirationem imbibitur, æstus mox caloris suffocatur. Nam lilium secundum Auicennam, cunctas exstinguit cholericas passiones, quæ quidem B Lilij proprietates. I.

passio est fons iræ & sanguinis, vt ait Galenus. Ita B. Agnes per sua dulcia & verba benigna, sedauit iram Præfecti Romani, ita vt prius qui eam expoliari iussit, & ad lupanar duci, postea suaui oratione, & filij sui suscitatione ipsam dimittere voluit, & mitigatus fuit secundum illud Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*. Idem etiam patet de filio Præfecti, qui tamquam leo furens, ad ipsam in locum turpitudinis intrauit: Postquam autem fuit ab ea suscitatus, mitigatus est, & Christum publicè prædicauit, vt dicit Ambrosius. Idem manifestum est in paganis, qui circa sepulchrum S. Agnetis sanctam Emerentianam ex iracundia lapidabant, quos mitigauit per coactionem, quia dicit Aristoteles 10. Ethicorum. Multi plus obediunt coactioni, quàm sermoni. Item per coruscationes & fulgura iram eorum sedauit, vt de cætero venientes ad sepulchrum eius non læserint; & præcipuè hoc candidissimum lilium B. Agnes mitigauit iram iudicis irati erga peccatores.

Filius Præfecti à morte suscitatus Christum prædicat.

C Sicut de hoc patet in miraculis S. Mariæ de quodam iudice, nomine Stephano, qui erat Romæ, & vnum hortum B. Agnetis violenter abstulit, propter quod damnationi adiudicatus fuit, & ipsa non immemor huius violentiæ, cum S. Proiecto, & B. Virgine Maria pro ipso intercessit, & iram mitigauit. Ideo figurata est per Abigail prudentissimam, quæ virum suum stultum Nabal, Dauid Regi reconciliauit, & iram eius sedauit, 1. Reg. 25.

S. Agnes per Abigail figurata.

II. SECVNDÒ, lilium habet virtutem combustionis corporis sanatiuam, secundum Petrum de Crescent. lib. 6. cap. 63. qui dicit, folia lilij decocta & posita ad locum combustionis, sanant.

D Idem dicit Ioannes Mesue in prima practica. Membra igne vsta liliũ supra positum optimè sanat. Cuius ratio est, quia secundũ Galenum; Lilium maturatiuum est vlcerum, apostematum, & tumorum. Idem facit radix eius, si trita cum oleo apponatur. Ita Beata Agnes sanare potest ignem combustionis malæ concupiscentiæ carnalis, quæ (heu) viget in omnibus, teste Beato Ioanne epistola 1. cap. 2. *Totus mundus in maligno*, id est, in malo igne concupiscentiæ *positus est*. Istum ignem in seipsa exstinxit, quamuis enim esset secundum Ambrosium tantum XIII. annorum; quæ quidem ætas magis est lasciua, & ad concupiscentiam inclinata, tamen fertur sic dixisse iuueni ipsam in coniugium petenti: *Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam ab alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora obtulit ornamenta*, vt patet in Legenda. Ideò potest dicere cum Sara illud Tobiæ 3. *Tu scis Domine quod nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.*

Virtus lilij.

Istam etiam concupiscentiæ combustionem sanauit in aliis, sicut refert Ianuensis de quodam viro Paulino qui in Ecclesia S. Agnetis fungebatur officio. Hic cœpit miro carnis ardore tentationeq; vexari; Sed cum Deum offendere nollet, à summo Pontifice licentiam contrahendi matrimonium petiit: Huius autem bonitatem & simplicitatem Papa considerans, annulum suum ei cum Smaragdo dedit, & iussit, vt imagini formosæ B. Agnetis, quæ in eius Ecclesia depicta erat, ex parte sua præciperet, vt se permitteret desponsari, cumque hoc Sacerdos huic imagini imperaret, illa continuò annulo digitum porrigens, & illo suscepto digitum retrahebat. Et ex tunc omnem malum æstum, & tentationem carnis à Sacerdote fugauit, qui

A carnis tentatione

qui illam diabolicam incensionem amplius non sensit. Quis hoc fecit? Certè hoc mitigatiuum cœleste, quod iam erat plantatum in hortum cœlestis paradisi, quæ abstraxit ab eo omnem ardorem à diabolo immissum, vel à propria carne excitatum. Sacerdos quidam liberatur.

Rectè ait Dionys. Lilium super vulnus adustum positum, extrahit ardorem mitigatq; dolorem. Idcircò omnes senes & iuuenes, viduæ & virgines, viri & mulieres, quæ in maligna concupiscentia sunt inflammatæ per desiderium, quærere debent hoc cœli lilium B. Agnetem, & sese illi cum fide & dilectione desponsare, secundum illud Oseæ. 2. *Desponsabo te mihi in fide.* & ex tunc combustio illa cessabit, vt patuit in præfato sacerdote.

TERTIÒ, lilium habet virtutem mundificatiuam, quia faciem mundificat, vt dicit Petrus de Crescentia vbi suprà, & fit hoc modo: Accipe tuberositates radicis lilij, & desicca, puluerem inde fac, postea tempora aquâ rosaceâ, & desicca; quo facto, ter vel quater puluerem solum aqua rosacea confectum duc super faciem, & fugabit contractionem rugarum, abluendo, & faciem dealbando. Idem dicit Dionysius. Hanc virtutem habuit B. Agnes lilium cœlestis paradisi, quia omnes eam inuocantes mundat, & dealbat à ingredine mentalium facinorum. De qua dicit Ierem. Thren. 4. *Denigratæ sunt facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis.* III.

Nec solum mundat maculam mentalem, sed etiam corporalem. Ad quod probandum refert Ambrosius, quia puella quædam nomine Constantia Constantini Magni filia, totaliter in facie erat leprosa, & grauissimè vndiq; in corpore maculata: hæc audiens famam B. Agnetis, tumulum eius adijt, & cum ibi in oratione persisteret, obdormiuit, viditq; B. Agnetem assistentem & dicentem sibi: Si in Christo credideris, continuò liberaberis Ad hanc vocem euigilans, perfectè se sanatam inuenit, & baptismum recipiens, super caput B. Agnetis Basilicam fecit, & ibi in virginitate degens, multas exemplo suo virgines congregauit: Ecce quomodo hoc cœlestis horti lilium, faciem corporis huius virginis mundauit, & faciem insuper mentis eius, id est, animam à spiritali lepra peccati dealbauit, & in munditia spirituali conseruauit. Ecce virginitas sine humilitate non est munda secundum illud Augustini: Quid prodest continentia si dominabitur ibi superbia. Melior est humilis coniugalitas, quàm superba virginitas Ideò sumere debent radicem, id est, humilitatem (quę debet esse radix virtutum, secundum Gregorium dicentem in homil. Qui cæteras virtutes sine humilidate congregat, in ventum puluerem portat:) de hoc albissimo lilio B. Agnetis, quæ fuit humilis virgo, & debent eam puluerizare, hoc est, quomodo in puluerem redigentur cogitare, secundum illud Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; & hunc puluerem debent inducere in faciebus suis, amodo insignia superbiæ abijciendo. Sicq; speciosæ Christo apparebunt, qui dicit eis Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum absq; illo, quod intrinsecus latet.* Et hoc ad primum. Constantia Imperatoris filia apud sepulchrum S. Agnetis à lepra sanatur.

Quantum ad SECVNDVM. Secundum naturales spinæ mutuo solent connecti sicut patet de arboribus spinosis, quæ ad inuicem se connectunt, muniunt & defendunt, atq; manus resistentium sibi pungunt & vulnerant, & si inter eos aliquod creuerit lilium, illud lacerant & exstinguunt, sese autem rarò lædere approbantur.

MYSTICE per spinas Tyranni impugnantes, bonos huius mundi figurantur, qui se in malo connectunt contra bonos, ipsos vulnerando. Quod figuratum est, Num. 22. vbi legitur, quod Balac rex iniquus, cum malo Propheta Balaam se sociauit, contra Israël, quando Propheta populum maledicere, & persequi intendebat. Ita legitur quod Herodes & Pilatus *facti sunt amici*, qui antea longo tempore fuerunt inimici. Quare hoc? Vt ipsum Iesum vulnerarent, & morti condemnarent; ita etiam Romanus Præfectus cum filio suo fuerunt quasi spinę pungentes se ad inuicem connectendo, vt hoc delectabile lilium vulnerarent videlicet Agnetem; Tandem filius Præfecti voluit sibi surripere virginem, ipsam ad suum coniugium inducendo, quod sine dolore & stimulo non fuit, quia nouit esse scriptum per B. Ambrosium in libro de Virginitate: Virginitas est amica diuinitatis, speculum puritatis, ornamentum mirificæ venustatis, riuulus perpetuæ voluptatis. Et in Authen. de lenonibus Col. 3. §. Sanximus. Sola castitas cum fiducia possibilis seu potens est. Et benè potuit B. Agnes stimulari, quia tria habuit allicientia eam ad eius consensum. *Primum* fuit iuuenilis ætas, secundum illud Eccle. 11. *Adolescentia & voluptas vana sunt*, sed hanc vanitatem ipsa spreuit, quia dicit B. Ambrosius: Quamuis esset annis iuuencula, tamen animo cana.

Luc. 23.

Agnetis cōstantia cernitur.

I.

F.
II.

Secundum fuit pulchritudo, quia pulchra facie. Et scimus quod pulchræ virgines, & mulieres, maiores habent adhærentias & frequentiores, quia dicit Hieronymus. Pulchra citò adamatur & fœda facilè contemnitur; difficile custoditur, quod plures amant. Sed pulchritudinem corporis non curauit, secundum illud Prou. 31. *Fallax gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur*. De interiori pulchritudine fuit ei cura secundum illud Psalm. 44. *Omnis gloria eius filia regis ab intus*. Ideò potest dicere illud, quod dicit B. Gregorius libro dialogorum de puella nomine Galla: illa exterius nihil deformitatis timuit, quæ interiorem speciem amauit, nec verita est, si hoc in ea fœdaretur quod à cœlesti sponso non amaretur.

III.

Tertium fuit munerum oblatio, quia Præfecti filius obtulit ei plurima, gemmas & diuitias, & ampliora repromisit. Multæ enim sunt, quas non seducit pulchritudo, & iuuentus, quas tamen munerum oblatio seducere consueuit. In cuius signum seruus Abrahæ dedit Rebeccæ munera, vasa argentea, & aurea, vt ipsam facilius ad consensum Domini sui inclinaret. Sed omnia munera B. Agnes despexit. Sciebat enim, quod huiusmodi munera terrena non dantur sponsis Dei, sed concubinis; secundum illud Gen. 25. *Filijs autem concubinarum largitus est munera*; dona autem spiritualia & cœlestia dantur legitimis sponsis, de quibus gloriatur in Legenda.

SECVNDÒ, punita est à Præfecto, qui polluere voluit eius famam, & nominis honestatem, trahendo ipsam ad lupanar, quod etiam dolorosum fuit; Quia dicitur Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*; Contra hoc habuit Angelicam societatem, quia angelis ibidem præparatis iuuenta fuit, qui infamiam eius abolerent. Ideò etiam iussit eam nudam trahi per ciuitatem, vt de ea impleretur illud Ezech. 16. *Dereliquit te nudam & ignominia plenam*; Et hoc fecit ideò, vt nuditas ei verecundiam faceret, quia solent verè virgines magis timere nuditatem, quàm pœnam, secundum illud Ezechiel. 16. *Eras nuda & confusione plena*; Sed contra hoc habuit à Deo adiutorium, quia tantam densitatem capillis eius DEVS tribuit, vt melius capillis, quàm vestibus tegeretur, & in hoc verecundiam ab ea repulit. Idem etiam

etiam ipsam in loco obscuro fecit includi, vt loci obscuritas eam terreret, sed contra hoc habuit claritatem, vt qui ad eam ingressi fuerint præ nimio splendore eam videre non potuerint. Illæ spinæ non potuerunt eam vulnerare, sed ipsa sciuit eas in suam proprietatem commutare, quia filius Præfecti suscitatus, effectus est publicus Christianus. Præfectus etiam viso miraculo credidit, & in virum alterum mutatus fuit.

TERTIÒ, punita fuit ab Aspasio Præfecti Vicario, qui volebat in ea exstinguere fidei integritatem, multiplex ei inferendo supplicium: iussit enim eam in ignem copiosum iactari, vt ignis crines eius, & ossa in cinerem redigeret, ne aliquæ reliquiæ remanerent, quos Christiani honorarent; Sed ipsa ignem deuicit deuota oratione. Ipsa enim in medio flammarum expansis manibus orabat dicens. Te deprecor omnipotens, adorande, colende, pater metuende, quia per sanctum Filium tuum euasi minas sacrilegi Tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transiui: Et ecce venio ad te, quem amaui, quem quæsiui, quem semper optaui. Et hoc ad secundum.

Quantum autem ad TERTIVM est NOTANDVM. Speciale signum est, quando sponsus sponsam nominat amicam suam. Cantic. secundo. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Specialius autem est, quando eam vestit pulchris vestibus, & eam ad suum thalamum introducit. Et hoc signum dilectionis ostendit rex Assuerus erga Esther desponsatam sibi; *quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed quæcunq; voluit, Egeus Eunuchus, hæc ei ad ornatum dedit, cum deberet intrare ad Regem*, vt habetur Esther secundo. Ideò duo signa dilectionis ostendit Deus sponsæ suæ Beatæ Agneti, quando eam amicam suam dignatus est vocare, dicens: *Sicut lilium* &c. *Sic amica mea inter filias.* Specialius autem signum ei ostendit, quando eam vestibus deauratis induit, & ad suum thalamum gaudens introduxit, & hanc vestem ostendit octauo die parentibus suis & amicis. Cum enim parentes eius octauo die iuxta tumulum vigilarent, viderunt chorum virginum vestibus aureis radiantem, inter quas viderunt beatam Agnetem simili veste fulgentem, & à dextris eius agnum candidiorem niue stantem. Quibus illa dixit; Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mecum, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi.

IN CONVERSIONE S. PAVLI APOSTOLI.

Sermo Primus.

Ben-Iamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Genes. 49.



EXperientia videmus, quod fluuij magni iuxta ciuitates fluentes, interdum se vltra solitum diffundunt, & adeò excrescunt, vt secum rapiant arbores, & molendina atque pontes. Et quamuis hominibus nonnunquam faciant damnum, vltimo tamen in se capta diuidunt, vt aurum, vel argentum de terra raptum, & pisces de piscinis.

MORA-

MORALITER per fluuium conuenit designari B. Paulum: quia secundum naturales, fluuius sapit naturam suæ originis, vt si origo habuerit dulcem aquam, & fluuius habebit; si autem amaram, erit etiam amarus. Ad propositum. B. Paulus ortum habuit de tribu Ben-Iamin, vt habetur ad Phil. 3. Et quia de Ben-Iamin dictum erat hoc verbum propositum thematis, ideò in Paulo, qui fuit de genere eius, est impletum. Iste fluuius in ira tantum se diffudit, vt non solum caperet arbores, id est, contemplatiuos, sed & molendina, id est, coniugatos. Sicut dicitur in epistola hodierna Actuum 9. *Saulus adhuc spirans minarum*, scilicet verbis: *& cædis*, id est, verberib⁹ *in discipulos; & accessit ad principes sacerdotum, & petijt ab eis epistolas in Damascum, vt si quos inueniret huius via viros ac mulieres*, id est coniugatos &c. *Vinctos perduceret in Ierusalem.* Ecce rapacitas; Postquam autem concisus fuit, & ab ira quieuit, largiter argentum & aurum diuisit gentibus, & Iudæis, id est, aureas doctrinas in tertio cœlo raptas. Sicut & hoc volunt verba præassumpta, in quibus Paulus à tribus describitur. *Primò*, vt austerus Ecclesiarum deprædator, ibi; *Ben-Iamin. Secundo*, seuerus Ouicularum capitiuator, ibi; *Mane comedet. Tertiò*, vt largus doctrinarum dispensator, ibi; *Vespere diuidet spolia.*

A PRIMÒ est NOTANDVM. Dicunt naturales, quod lupus certas proprietates habet, propter quas B. Paulus ei comparatur. PRIMÒ, lupus est animal valde rapax, sicut refert Aristot. principaliter de aliquo lupo lib. 2. de animalibus, qui in India est, habens tres ordines dentium superius & inferius, & habet pedes leonis, faciemq; hominis. & vox eius, vt tuba terribilis, velox est sicut ceruus, & est audacissimus comedens homines. Huius lupi proprietates etiam ante conuersionem Saulo congruebant. Rectè enim sicut iste lupus, habet tres ordines dentium, quibus se defendit, ita Saulus, qui nunc Paulus dicitur, tres habuit defensores. *Primi* fuerunt defensores Pharisæi, qui in hoc ipsum iuuabant, & literas contra Christianos dabant, vt dicitur Act. 9. Et illi in minarum exhibitione, cum audacem faciebant, quia dicit Aristot. 1. Polit. Sæuissima est iniustitia habens arma. *Secundi* fuerunt socij crudeles, qui fuerunt ei in causam audaciæ. Quia dicit Parides in libro de tribus Regib. solus homo timidus est; plures enim simul constantes, audacissimi sunt tàm in die quàm in nocte. *Tertius* fuit ipse, quia fuit audax quod habetur Act. 8. *Saulus deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* Sunt (heu) multi homines in ciuitatibus peccatores, qui cum sperant à superioribus habere adiuuamen, vel ab eis non puniuntur, vt sunt lusores, potatores, &c. peccant audacius societate congregata, & nocte dieq; currunt, bonorumq; pacem perturbant, dicentes: Tamen Paulus ita fecit, & nunc cum Christo regnat. Sed attendant miseri, quod Paulus fecit, & pœnituit, & ipsos fortaßis illius nunquam pœnitet. Paulus tamen hoc fecit ex zelo legis, sicut testatur ad Gal. 1. dicens: *Abundantius existens æmulator paternarum mearum traditionum*, isti autem faciunt ex malitia mentis. Sed audiant illi B. Gregorium super Iob. 15. *Pingui ceruice currunt contra Deum*, dicentem: Iste Dei iudicio æternaliter interibit, qui tanta animositate & audacia Deum offendere non desistit.

Cur S. Paulus lupo cõparetur.

I.

Lupi proprietates S. Paulo congruebant.

II. SECVNDA proprietas lupi est, vt dicit Ambros. in Hexam. lib. c. 6. Si prius lupus viderit hominem, videtur huiusmodi vocem perdere. Ideò exiuit hoc prouerbium, quando subitò tacent in aliqua congregatione. Lupus est in fabula. Ita fideles

Christi viso Saulo ex timore siluerunt, seq; ab eo absconderunt, cum ipsum solũ audierunt.ita vt verificaretur illud Eccli 43. *In sermone eius siluit ventus*, id est, homines fideles nondum in fide firmi qui vento comparantur, sicut dicitur Iob. 7. *Ventus est vita mea.* Ideò legitur Act. 9. In Damasco erat quidam discipulus Domini nomine Ananias absconditus, timens Sauli aduentum. Ad quem Dominus: *Surge & vade in vicum, qui dicitur Rectus, & quare Saulum Tarsensem in domo Iude.* Ipse autem timens se excusabat dicens: *Audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit in Ierusalem, & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum*, &c. quasi diceret: Non audeo apparere in conspectu eius. Idem patet de Petro & cæteris, qui noluerunt se ei sociare, sed in conspectu eius siluerunt. Ideò dicit B. Augustinus, in sermone de conuersione eius. Audiens Petrus, quod Saulus eum quærebat, plus eum formido tenebat. Noli timere B. Petre, quia te non quærit Saulus, sed Paulus vas electionis te cupit videre. Eia S. Petre benedic Deum, & suscipe fratrem, & habebis eum, cum defendis Ecclesiam adiutorem.

TERTIÒ, lupus habet hanc proprietatem, quando vult inuadere gregem ouium, & ipsas iugulare. Si tunc prius videtur ab opilione ferocitatem deponit, & oues non inuadit, vt dicit Ambrosius, vbi suprà. Sic factum est de Saulo. Cum enim accepisset literas in Damascum volens inuadere oues Christi, & morti tradere, præuisus fuit à Christo, qui est *custos hominum*. Iob. 7. Et *pastor* Christianorum Ioannis 10. Iste, inquam, prę̃uidit eum oculis pietatis, & ad terram prostrauit, & ideò ex tunc omnem deposuit ferocitatem, quam aduersus oues conceperat, & dixit: *Domine quid me vis facere.* Super quo dicit Augustinus, occisus agnus à lupis fecit agnum de lupis, iam parat se ad obediendum, qui prius sęuiebat ad persequendum. Idem in alio sermone: Elisus est sæuiens, & factus est fidelis, elisus est lupus, & factus est agnus, elisus est persecutor, & factus est prædicator, elisus est filius perditionis, & factus est vas electionis. Et hoc quo ad primum. III.

Quantum ad SECVNDVM. Describitur Paulus tanquam ouium domitarum captiuator. Vbi NOTA. Dicit Aristotel in libro animalium. Tota natura lupi insidiatur ouibus, siue aduersatur, quod patet in simili, quia chordula facta de intestinis lupi, adiuncta chordis citharæ factis de intestinis ouis, eas destruit, & corrumpit. Illa etiam diuersitas patet ex hoc, quod lupus, vt facilius oues capiat, sub herbis & folijs interdum se occultat; & cum venerit ad ouile; omnes oues strangulat, si ei non resistitur à cane, aut pastore. Ita totaliter Saulus aduersabatur ouibus CHRISTI, qui in lege, & Euangelio non simul concordabant. Ipse enim sonabat ad legem, & circumcisionem, oues autem Christi ad Euangelium & baptismi lotionem. Et hæc fuit magna dissonantia. Rectè, sicut chorda lupi cum chorda ouis facit dissonantiam magnam. Ideò eos vniuersaliter destruxisset, nisi verus pastor restitisset. Ipse enim verus pastor nostrarum animarum Christus, fecit contra eum, sicut pastores contra lupum: nam infestos faciunt eis laqueos, foueas, & pedicas, in quibus, se dum oues capere cupiunt, & credunt, capiuntur. Ideò exclamat Beatus Augustinus in sermone de Conuersione eius dicens: O inenarrabilis patientia Dei, inuenit peruersum, & efficit conuersum; inuenit sanctorum percussorem, & fecit eum pietatis tutorem. Inuenit vas fœtulentum, & exhibuit eum vas purissimum; inuenit ministrum nequissimorum Iudæorum, & fecit eum comparem sanctorum suorum; inuenit super-

bum, & humilem fecit eum; inuenit blasphemum, & constituit eum Apostolum. Ecce qui aliquando iniquissimorum sacerdotum epistolas deferebat in destructionem multorum, nunc eius resonant epistolæ per vniuersum orbem terrarum. Hæc Augustinus.

Lupus in fouea captus deponit ferocitatem.

Dicunt etiam experti naturales: Cum lupus cadens in foueam capitur, dumq; captus in ea tenetur, omnem deponit ferocitatem, & si ad eum proijcitur vel mittitur ouis, eam non laniat, quamuis naturale odium inter eos exsistat. Sic etiam Paulus dum captus fuit à Christo, non laniauit Ananiam, qui interpretatur ouis, quamuis ad ipsum missus esset. De hoc dicit Augustinus, in sermone vbi suprà. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam, non rapiendam. Sed ne rapientem eius grex paueſceret lupum, ipse pauor de cœlo, qui hæc omnia faciebat, nuntiauit venturum oui, sed non sæuiturum, quia Dominus lupo sæuitiam interdixit, lupus ad ouem captus adducitur, quæ sub manu pastoris confortatur, ne iam putet sæuientem. Mira res ab agno, pro ouibus mortuus fuit lupus ouis secura de lupis: Et quod est amplius mirandum, ouis baptizauit lupum, & ex eo fecit agnum. Hæc ille. Vide quoniam obediens fuit Christo iste seuerus captiuator, ita vt ab oue se duce mitteret. Quare hoc? Quia, vt ait Ambrosius super epistolam ad Gal. 1. eius persecutio non fuit ex malitia, sed ex ignorantia, & in signum illius, mox, vt cognouit se errasse, conuersus est, & sæuitiam reliquit.

Et est NOTANDVM, quod tyranni huius mundi sæuientes, qui nunc ex Euangelio sciunt se errare, & ob hoc adeò percutiuntur, tum corporis infirmitate, tum hostium aduersitate, & tamen nolunt se emendare, sequuntur Paulum in rabie tyrannica, non autem in salubri pœnitentia Paulus nesciens persecutus est Ecclesiam. Illi autem scientes faciunt malitiam. Sed audiunt illud Luc. 12. *Iste seruus, qui cognouit voluntatem Domini, & non fecerit* secundum voluntatem eius, *vapulabit multis.* Et hoc ad secundum.

Quantum ad TERTIVM. Describitur B. Paulus tanquam largus doctrinarum dispensator, ibi; *Vesperè diuidet spolia.* Dicunt naturales; lupus quando nutrit fœtus suos, tantæ est astutiæ, vt cibum aut prædam non quærat in propinquis locis, sed venetur à remotis, ne fœtus possit percipi, & occidi; & hanc prædam quam portat, fœtibus studet impartiri.

MYSTICE. B. Paulus post conuersionem suam habuit à Deo sibi datos filios spirituales, de quibus dicit ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Ideò circa littus huius mundi, non quæsiuit, seu rapuit prædam sui euangelij sed à remotis, hoc est, in tertio cœlo, illud didicit, sicut testatur ad Gal. 1. *Notum vobis fratres facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neq; n. ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi:* Quia dicunt Doctores, quod in illo triduo, quando iacebat cœcus non manducans, neq; bibens, raptus fuit in cœlum tertium. Sicut dicit 2. Cor. 12. Vbi secundum August. in lib. de videndo Deum, fuit ei concessum videre diuinam essentiam, eo quod esset futurus Doctor gentium, vt ibi dicit Euangelium. Igitur de hac longinqua terra reuertens, & prædam afferens, filijs suis spiritualibus largiter diuidit. Sicut memorat Propheta dicens: *Vespere diuidet escam.* Ideò dicit Ambros. lib. de viduis parte 1. Hic, inquit, ad tempus eligit morari in terra propter conuersionem fidelium, renuncians interim cœlo. Hic est, qui escas rapiens in cœlo tanquam violentus raptor, & famescentibus diuisit in terra. Hæc ille. Quis

Quis inter Apostolos plus prædicauit seminando verbum Dei, docendo plures epistolas per orbem misit? Certè nullus. Quia secundum Chrys. de laudibus S. Pauli homil. 1. Paulus terram ac mare, Græciam simulq; Barbariem, omnemque prorsus, quanta est sub cœlo, regionem, quasi volitans circumiuit, non simplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens: sed peccatorum spinas pariter euellens, & verbum seminans vbiq; pietatis, fugans errores, veritatem reducens. Ideò commendat eum in vita, & prædicatione, & omnibus sanctis esse æqualem dicens: Abel obtulit sacrificium & inde laudatur; sed Pauli hostiam adducamus in medium, quàm cœlum à terra superior apparebit: Siquidem per singulos dies semetipsum humiliabat, quam cum hostia duplici offerebat, tum in corde, tum in corpore mortificationem circumferens. Non n. oues aut boues offerebat, sed semetipsum per singulos dies dupliciter immolabat. Neq; his sacrificijs contentus fuit, sed quia seipsum consecrauerat Deo, etiam orbem vniuersum studuit offerre. Quia omnem terram circumiuit, & ex hominibus angelos fecit, & ipsos homines quasi ex dæmonib⁹ in angelos ꝑuexit Cain ꝑpter inuidiam Abel germanum occidit. Paulus verò ab eis interfectus est, quos ab innumeris malis cupiebat eripere. Noë ꝑpter iustitiam à diluuio præseruatus: hic autem multo sæuiore inundante diluuio non Arcam coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo pro tabulis, vniuersum orbem periclitantem è medijs fluctibus liberauit. Hic in arca coruum inclusit, de arca rursus coruum emisit, & includens lupum, feritatem eius mutare non potuit. Paulus autem accipitres miluosq; suscipiens, fecit columbas; & excludens omnem irrationalitatem atq; ferocitatem, mansuetudinem spiritus introduxit. Abraham mirantur omnes, quia ad Dei præceptum patriam cognatosq; reliquit. Genes. 4. Genes. 6. Genes. 8. Genes. 12. Genes. 14.

Sed quomodo posset Paulo æquari, qui non tantum patriam, ac domum vel cognatos, sed seipsum quoq; & mundum reliquit: imò etiam cælos & omnia ad tempus, vt Christum lucrificaret. Sed & Abraham in periculum se tradens hostib. filium fratris eripuit, Paulus autem vniuersum orbem de ipsa diaboli extrahens potestate, magna & innumerabilia pericula suscepit, proprijsq; mortibus securitatẽ maximam comparauit. Filiumq; Abraham voluit immolare; Paulus verò millesies se immolauit. Isaac patientiam aliqui mirantur, eo quod puteos à se factos obstrui patiebatur: at Paulus non puteos cernens lapidibus obrutos, sed proprium corpus eorum à quibus patiebatur, in cœlum euehere studebat. Quantò enim amplius obruebatur iste fons patientiæ, tantò magis erumpebat, & plures ex se fluuios effundebat. Iacob longanimitatem, seruiens septem annis pro sponsa: Paulus totius vitæ seruitium pro sponsa Christi, impendit. Ioseph pudicitiæ virtute decoratus est: Paulus autem non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia quæ videntur decora conspiciens sicut fauillam cinerémue despexit. Stupent homines Iob patientem, & sentientem omnes infirmitates mortales. Sed Paulus non mensibus tantum, sed annis plurimis in agone perdurans, non à tribus aut quatuor amicis, sed à cunctis infidelibus à falsis fratribus etiam opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus, atq; maledictus. In Iob erat magna hospitalitas & cura pauperum, & curam illam impendebat debilibus: hanc iste animis morbidis impendebat. Illius enim omni aduenienti tunc aperiebatur domus, huius verò anima vniuerso patebat orbi: Ille quidem oues & boues habebat innumeras, misericors erat in paupe- Genes. 26. 1. Cor. 15. Genes. 39.

res: hic verò nihil amplius corpore suo possidens, in hoc ipso sufficienter indigentibus administrabat, quod commemorat Acto. 20. *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et venientes inimici, vulnera sancto Iob inferebant, & dolores. Sed si per tam multos annos Pauli verbera, famem, nuditatem, catenas, carcerem, insidias, periculaq; consideres, videbis quod omni saxo erat durior anima ista, & ferrum atq; adamantem firmitate superabat. Quæ enim in corpore Iob, hæc Paulus mente sustinuit. Nam ingens lacrymarum fons ex eo non diebus solum sed etiam noctibus effluebat. Moyses pro salute Iudæorum deleri elegit de libro viuentium: Paulus elegit anathema esse pro fratribus. Moyses restitit Pharaoni Paulus diabolo repugnabat. Ille pro vna gente, iste non sudore sed sanguine pro vniuerso orbe certabat. Hæc ille. Ecce quam largus doctrinarum Domini dispensator. Et hoc quo ad tertium.

Exod. 32.

DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Iordanis conuersus est retrorsum. Ita scribitur in Psal. 113.



A Agister in libro proprietatum 13. dicit: Contra cetum pugnat quidam piscis serpentinus & venenosus, cuius nomen est Crocodilus. Pisces autem sentientes pugnam eius fugiunt ad caudam ceti, vt ab eo defendantur. Si autem cetus fuerit deuictus, pisces moriuntur: cum verò piscis pestifer non potest deuincere cetum, emittit de faucibus suis odorem fœtidum in aquam, vt sic pisces moriantur, contrà, cetus fumum emittit odoriferum de ore suo, quo fœtidum odorem repellit, & sic se suosq; defendit.

B Mystice per cetum hunc Christus designatur, quia cetus est piscis valde magnus secundum illud Genes. primo. *Creauit Deus cete grandia.* Etiam de ipso dicit Physiologus.

Est super omne pecus, quod viuit in æquore cetus.

Ita Christus est magnus secundum illud Psal. 76. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster?* quasi diceret, nullus: *quia est magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Contra hunc Christum pugnauit Saulus, qui propter peccata sua fuit quasi serpens venenosus. Ideò dixit Act. 9. *Saule, Saule, quid me persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare*, persequebatur enim Christum in membris suis, scilicet fidelibus, quos trahebat ad iudicium puniendos: Sed ipsi ad Christum per desideria fugerunt, vt ab eo defenderentur, & in tali persecutione quilibet Christi discipulus dicere potuit illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Saulus autem emittebat ex ore suo contra Deum & suos fideles verba fœtida blasphemiæ, & iræ, Sicut testatur 1. ad Tim. 1. *Prius*, scilicet ante conuersionem, *fui blasphemus, persecutor & contumeliosus*, scilicet verbis; contra autem Christus odorem suauissimum suæ gratiæ emisit, quo hanc blasphemiam fugauit, & ipsum ab errore conuertit. secundum illud ꝙ sequitur in epistola supra dicta, vbi dicit: *Gratiam Dei sum cõsecutus*, hoc est remissionem peccatorũ, *quia ignoranter feci & in incredulitate.* Et hoc volue-

runt

runt verba prædicta; *Iordanis conuersus est retrorsum.* In quibus verbis duo tanguntur. *Primò*, quomodo, Paulus fluuio comparatur, ibi; *Iordanis*. *Secundo*, quomodo conuersio eius inceperat, ibi; *Conuersus est*.

C

De PRIMO est NOTANDVM. Fluuiales aquæ fluunt bene ante se, si non habeant impedimentum, retrorsum autem difficulter fluere possunt, quia est cōtra fluxum naturalem. Per aquas fluuiales homines intelliguntur continuè morientes, secundum illud 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & sicut aqua in terram delabimur*; hi, inquam, fluunt benè, siue labuntur in peccata si non impediuntur per infirmitates aut alias tribulationes. Sed retrorsum fluere vel surgere à peccatis non possunt, aut difficulter nisi gratia Dei his succurrat, teste Chrysostomo in homi. Liberum, inquit, arbitrium licet per se sit potens ad malum, non tamen ad bonum sine redemptoris gratia adiutrice: ideo ad iustificationem peccatoris oportet concurrere gratiam nostri redemptoris, quæ si venit, facit de iniusto iustum, de peccatore facit veraciter pœnitentem, & mutat cor durum & obscuratum in molle, & firmat mentem inconstantem, de malo conuertit ad bonum: Sicut factum est de Paulo, quem subitò circumfulsit lux è cœlo Act. 9. In quo significatur gratia Dei, & mutauit cor eius durum, & superbum in molle & humile, & ex prædone pastorem, ex lupo ouem mitem, ex crudeli hoste strenuum militem, & ex persecutore egregium prædicatorem. Ideo de ipso bene assumptum est hoc verbum: *Iordanis conuersus est retrorsum.*

D

Cur S. Paulus Iordani comparatur.

Et SCIENDVM est, quod B. Paulus Iordani comparatur propter quatuor. PRIMÒ, propter nominis interpretationem, Iordanis enim secundum Richar. super Sapient. 6. Descensio interpretatur, quia legitur Iosuæ 3. Cum filij Israel vellent transire Iordanem, vt venirent ad terram promissionis, præcepit Dominus Iosuæ, vt mandaret sacerdotibus, *quatenus sumerent arcam fœderis, & præcederent populum; illi autem sumentes arcam, ingressi sunt fluuium, aquæ autem steterunt descendentes in vno loco; & ad instar montis intumescentes apparebant: quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, vsque quo omnino deficerent*, vt habetur Iosuæ 3.4. *quousque ascendissent filij Israel portantes arcam fœderis Domini, & sic cum humum calcare cœpissent, reuersæ sunt aquæ in alueum suum, & fluebant sicut ante consueuerant*, ideo interpretatur descensio.

Sic SPIRITVALITER factum est in Paulo, quia filij Israelitici, hoc est, videntes Deum per ipsum debebant ire ad terram viuentium, quæ fluxerat lacte humanitatis, & melle diuinitatis. Ideo quando Christus, qui est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, ipsum ingressus est per gratiam suam, statim aquæ inferiores mortiferæ intentionis, quæ nitebantur omnes Christianos in exterminationem ducere, omninò defecerunt, & in mortem defluxerunt: Sed aquæ superiores virium animæ, sic conuersæ sunt ad Deum, vt quasi murus firmus staret contra omnes fidei Christi impugnatores, & velut mons in altum cresceret totius perfectionis, quod eius perfectio in vita & doctrina per vniuersum mundum apparebat, & continuè adhuc apparet, sicut de ipso dicit Chrysostomus in laude ipsius homil. 1. Paulus terram simul & mare, Græciam & Barbariem omnesque prorsus regiones sub sole quasi volitans circumiuit, non in vanum percurrens itinera; sed peccatorum spinas euellens, peccatorum fugans errores, vbique verbum puritatis seminans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens: quin imo ipsos homines quasi ex dæmonibus ange-

 los

los prouehens. Hæc ille. Et sicut aquæ Iordanis post ingressum sacerdotum contra naturam ascenderunt, ita B. Paulus, qui prius collo erecto cucurrit aduersus Deum & contra ipsum *pingui ceruice armatus*, Iob. 15. Qui quasi in nubibus superbiæ volauit spirans contra Christianos, post ingressum verò Christi veri sacerdotis in cor eius per gratiam, in tantum descendit per humilitatem, vt statim diceret, sicut humilis & obediens: *Domine quid me vis facere?* quasi diceret, Domine doleo de præterito peccato, & caueo à futuro. *Quid me vis facere?* Si persecutor fui, volo esse ædificator, si fui Lupus, volo esse agnus; *Quid me vis facere?* ideo recurro ad te; *notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.* Psal. 142.

Sic debet quilibet peccator facere post peccatum, quando gratia Dei est illustratus, debet statim sicut humilis Deo obedire dicens: Domine fui peccator, volo esse satisfactor: fui rebellis, & insolens, volo nunc esse obediens; quia *Melior est obedientia, quàm victima.* 1. Regum 15. Etsi peccator verberatur à Christo tribulationibus pro peccatis, debet facere, sicut puer astutus, qui cum aliquid mali facit, vt proiiciendo lapides contra fratres, & propterea à patre verberatur, non fugit verberantem, sed extensis brachiis, vt pater indulgeat, amplectitur eum, vt flagellum auertat, & veniam reportet, quia hoc docuit Paulus, qui cum contra fratres suos Apostolos lapides emitteret persecutionis Actorum 9. Deus pater iratus dedit alapam Paulo, in eo, quod ipsum ad terram prostrauit, ipse autem sicut puer ingeniosus, *qui sortitus fuit animam bonam*, Sap. 8. non flagella fugit, sed immediatè vt sibi indulgeret, amplexatus est, dicens cum Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est*, & in tantum se humiliauit coram cœlesti patre, vt diceret 1. Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

F II. SECVNDÒ, B. Paulus comparatur Iordani propter originem ipsius. Quia dicit Isidorus libr. 13. quod oritur à Libano monte altissimo ex duobus fluuiis, quorum vnus dicitur Ior, & alter Dan. Ita perfectio sancti Pauli ortum habuit à monte altissimo, à quo *descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Iacob. 1. qui duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, secundum illud Athanasij in Symbolo, *Quicunque vult, &c.* Deus est ex substantia patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Ideo dicit ad Galat. 1. quod Euangelium suum non fuit secundum hominem, nec ab homine didicit, *sed per reuelationem Iesu Christi.* Etiam ortum habuit à tota Trinitate, à qua raptus fuit in tertium cœlum, ad scholam, scilicet Trinitatis, vbi didicit *& audiuit verba quæ non licet homini loqui.* 2. Corint. 12. Et quia eius doctrina à tanto monte ortum habuit, ideò maximè efficax fuit. Chrysostomus de laudibus S. Pauli homil. 4. dicit, quod lingua Pauli insonante, omni igne flammante vehementius irruente, omnia cedebant, omnia fugiebant, & cultus dæmonum, & populorum furores, & tyrannorum minæ, & domesticorũ insidiæ. Nam sicut radiis Solis orientibus, tenebræ fugantur, & latronum insidiæ confringuntur: Sic Paulo Euangelium disseminante, vbiq; error recedebat, veritas remeabat, & lux fidei relucebat, & in his potissimum, qui eum opprimere nitebantur.

TERTIÒ, beatus Paulus comparatur Iordani, propter eius transitionem, quia Iordanis, vt habetur Iosue 3. præbuit viam, non solum sacerdotibus arcam Dei portantibus, & aliis maioribus, sed omni populo Israel à maiori vsq; ad minimum, vt sic ad terram promissionis peruenirent; Ita beatus Paulus per prædicationem suam & doctri-

doctrinam, dedit viam salutis omnibus, tàm magnis quàm paruis, ita vt non sit aliquis tantus in scientia, qui possit doctrinam eius refutare, nec aliquis tam paruus, qui non possit secundum statum suum viam salutis habere. Ideo ipse est ille fluuius, de quo dicit Gregorius in Prologo moralium, in quo agnus ambulabat & elephas natabat. Ideo dicitur 1. Corinth. 9. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucri facerem, & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucri facerem. Similiter his qui sub lege erant, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Et ad Romanos 1. dicit: *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* & ideo vt debitum officium suum persolueret, non solum prædicauit verbo, & scripto, sed etiam exemplo: Verbo enim prædicauit laboriosè & instanter. Quia dicit Chrysostomus, vbi suprà, quod nec vnum diem in otio aut quiete passus est transire, quod probat per hoc, quia vix in spacio triginta annorum Romanos & Persas & Medos subdidit veritatis iugo. Ipse enim adeo laboriosus fuit, vt noctem per maiorem partem consumpserit manuum in labore; diem verò exercitio prædicationis, vt dicit Haymon, à gallorum cantu vsque ad quintam horam manibus laborauit, deinde prædicationi vacauit, & plerumque vsque ad noctem pertraxit, residuum verò tempus in refectione, & somno, & orationibus consumsit. Exemplo autem prædicauit suauiter, quia nihil docuit verbo, quod non confirmauit exemplo. Ideo dicit ad Rom. 15. *Non audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non fecerit Christus.* Ideo doctrina eius fuit efficax ad cor frigidum inflammandum, secundum illud Hiere. 23. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* QVARTÒ, comparatur Iordani propter baptismi regenerationem, quia in hoc fuit primordium sacri baptismi, cuius figura præcessit in Naaman Syro, qui ad iussum Elisei lotus in Iordane, *à lepra mundatus est.* 4. Regum 5. Mediante Iordane, hoc est, baptismi flumine, baptizatus est Paulus, vt habetur Actu. 9. Et hanc baptismi gratiam per prædicationem & doctrinam ex corde, & ore suo in alios effudit. Et hoc quo ad primum. IV.

Quantum ad SECVNDVM, est sciendum, quod conuersio sancti Pauli facta est potentissimè, sine præcedenti præparatione, citissimè sine dilatione, promptissimè sine obstante contradictione, perseuerantissimè sine obsequente refragatione. PRIMÒ, facta est potentissimè sine præcedente præparatione; quia præparauit se Saulus non ad gratiam recipiendam, sed armauit se è contra ad Ecclesiam expugnandam, vt dicitur Actu. 9. *Saulus adhuc spirans*, &c. Vbi triplex persecutio eius innuitur. F Conuersio S. Pauli quomodo facta. I.

Prima fuit feruens nocendi desiderium, quod notatur ibi; *Saulus adhuc spirans*, quasi diceret secundum Gloss. mala præcedentia illata Sanctis illi non sufficiebant: Sed adhuc spirans, id est, feruens desiderio persequendi *minarum & cædis in discipulos Domini.* Ex quo datur intelligi, quod minis deterrebat absentes, sed cæde & morte afficiebat præsentes. Rectè sicut leo, sicut ait Plinius in libro de mirabilibus mundi, dum existit in altissimis montibus, & videt animalia, altè rugit, & cauda terram percutit, & sic ea terret; cum autem fuerit circa illa, punit & occidit. Triplex S. Pauli persecutio. 1.

Secunda fuit per malum consilium, quia *accessit ad principes Sacerdotum*, ex quo apparet, quod fuit auidus in persecutione Christianorum, quia dicit Gloss. non vocatus accessit sed vltrò se sponteque iniecit, *petens Epistolas in Damascum ad Synagogas.* Ex quo apparet, quàm curiosus fuit, quod pro persecutione exercenda ire 2.

voluit

voluit in Damascum, quæ est ciuitas remota Syriæ, quia simile in ciuitatibus propinquis iam exercuit. Apparet etiam, quantum fuit velox, quia omnes simul exterminare voluit, quod patet ex hoc, quod sequitur. *Si quos inueniret huius viros & mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem*; In hoc eius magna ferocitas ostenditur, quia nec parcere voluit ætati, nec senio, quod non facit leo, quia licet sit ferox, senibus tamen parcit & infantibus, quos non inuadit nisi in magna necessitate.

Leo parcit senibus & infantibus.

3. *Tertia* fuit per malum ministerium, ideo annectitur. *Et cum iter faceret*. Et sic patet, quod persequebatur Ecclesiam corde feruido. Cum ergo sic repugnaret gratiæ, conuersus est virtute diuinæ dextræ secundum illud Psalm. 66. *Hæc mutatio dextræ excelsi*. Illa enim Iordanem fluentem deorsum conuertit, vt flueret retrorsum.

Figura conuersionis S. Pauli.

SPIRITVALITER hæc conuersio figurata est in Benone Genes. 35. quem mater pariens cum dolore, vocauit *Benoni*, id est, filium doloris. Sed pater mutato nomine vocauit eum *Ben-Iamin*, id est filium dextræ. Ipse enim fuit filius doloris, quia afflixit filios Ecclesiæ persecutionis suæ tempore, & graui martyrij dolore necauit, vt dicit Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum cap. 6. Sed fuit filius dextræ, quia alij discipuli vocati sunt à Christo existente in sinistra tribulationis, Paulus verò vocatus est à Christo sedente in dextra Patris, & in gloria cœlestis mansionis.

II. SECVNDÒ, conuersio sancti Pauli facta est citissimè sine dilatione concomitante. Ideò dicitur, *Circumfulsit eum lux de cœlo subitò*, lux refulsit super eum spiritualis interius, quæ mutauit lucem corporalem exterius. Fuit autem hæc lux subita sine dilatione in alterum virum conuertens ipsum, tàm in scientia, quàm in vita, quàm etiam in mentis constantia; In scientia, dicit enim Gloss. quod in illo triduo suæ excœcationis totum mysterium incarnationis, & veritatem sui Euangelij, *per reuelationem Iesu Christi* accepit, ad Galat. 1.

G In vita verò, quia statim virtute luminis, quod ipsum circumfulsit, omnem amorem carnalem, & affectum terrenorum penitus abiecit, & huius signum fuit, quia surrexit de terra. Quia dicit Chrysostomus: Abraham miramur, &c. vt suprà in sermone præcedenti in fine. Per hoc etiam, quod *apertis oculis nihil vidit*, ostenditur, quod totus fuit alienatus à sensibus, & aciem mentis totam in Deum conuertit, quia secundum Augustinum: Eo tempore, quo exterius nihil vidit, Deum in raptu per essentiam cognouit. In mentis autem constantia, quia continuò, cum ad se rediisset, Christum prædicauit, & *Iudæos confundebat*. Actor. 9. Secundum Bernardum, etiam lux dicitur fulsisse & per hoc triplicem effectum in eo causasse.

I. PRIMÒ, quia intellectum ipsis Angelicis spiritibus conformauit. Ideò de ipso dicit Chrysostomus, quia hoc mirabile est in Paulo, quod ipse in hoc mortali corpore possidet, quod ipsis cœlestibus spiritibus est concessum; imò & ipsi angeli plurima secreta per eius prædicationem didicerunt, secundum Glossam ad Ephes. 3. vbi dicit. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hac, vt innotescat potestatibus cœlestibus.*

II. SECVNDÒ, quia affectum suum totaliter in Deum transformauit. Ideò dicit: Sicut ferrum in ignem missum, totum ignis efficitur; Sic Paulus caritate accensus, totus factus est caritas.

III. TERTIÒ, quia cœlesti conuersatione ipsum decorauit, vt dicit ad Phil, 3. *Nostra*

stra conuersatio est in cœlis. Ideo dicit Chrysostomus, quod Paulus in terra gradiens sic se gerebat in cunctis, quasi angelorum frueretur societate; nam passibili adhuc carni alligatus, ipsorum societate gaudebat. Et hæc subita conuersio Pauli figurata est. 1. Reg. 10. in Saul, de quo legitur, ibi; *Insiliet in te spiritus Domini,* scilicet impetu repentino, *& prophetabis.* Sic in Paulo, qui continuò ingressus Synagogam, prædicauit Christum. Dixit autem Samuel ad Saul. *Mutaberis in virum alterum,* id est, de malo in bonum, quod verificatum est in Paulo, qui fuit lupus rapax, sed Deus in eo conuertit lupum in agnum.

TERTIÒ, conuersio sancti Pauli fuit promptissima, sine contradictione obstante; Domino enim obiurgante eum, nihil dixit, nec obstitit, sed mox ad obediendum se exhibuit. III.

Circa quod NOTANDVM. Domino vocanti aliquem ad conuersionem, citò est obediendum exemplo Pauli, & hoc propter tria. *Primò,* propter euitationem indignationis; qui enim à Deo vocati protrahunt suam vocationem, indignationem incurrunt. Exemplum de illis Lucæ 14. Vbi dicit Gregorius: Nemo contemnat, & cum vocatur se excuset, ne cum voluerit intrare, non valeat. Sic timere debent protrahentes conuersionem suam. *Secundò,* propter cauendam peccatorum cumulationem. Nam iacentes in peccatis ante conuersionem dum non vadunt in virtutem, cadunt de peccato in peccatum, quia dicit Gregorius in moralibus. Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox pondere suo ad aliud trahit. *Tertiò,* propter virtutum thesaurizationem, quantò enim quis citius conuertitur, tantò plures sibi thesaurizat virtutes, & plura præmia, quia secundum Apostolum. 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque propriam mercedem sumit secundum suum laborem.* I Quare vocationi diuinæ obediendum.

QVARTÒ, conuersio sancti Pauli fuit perseuerantissima sine refragatione obsequij. Sic enim irrefragabiliter mutatus est, vt iam amplius separari non potuerit à Christo, secundum illud ad Roman. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi.* Et hoc ipse ostendit in facto, quia licet multas, & quasi infinitas pro Christo tribulationes sustinuit; ipse tamen confidens in virtute diuina immobilis permansit. Idem dicit de eo Chrysostomus, quod fuit omni saxo durior, omni columba immobilior, & omni adamante fortior. Et hoc quo ad secundum.

DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Sermo primus.

Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ Lucæ 2.



CONSVETVDO est in certis ciuitatibus, quando ver venit circa festum Cathedræ Petri, tunc pueri, etiam senes existentes in ciuitate, suscipiunt ipsum cum canticis iubilosis, & signa lætitiæ demonstrant. Ratio est, quia vernale tempus est maximè temperatum, in suis qualitatibus, & minimè mortiferum secundum Constantinum & Galenum, & ideo in eius qualitatibus natura maximè delectatur.

A Ver designat Christum.

MYSTICE per ver Christus Iesus apertè designatur, quia sicut ver secundum naturales est anni principium, & omnia in anno necessaria hoc tempore florere incipiunt, & oriri: Sic Christus est principium omnium rerum, secundum illud Apoc. 1. *Ego sum primus & nouissimus*; ab ipso enim omnia necessaria nobis descendunt, Iacobo attestante cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*. Etiam est temperamentum hyemis & æstatis, quia frondes & folia, quæ æstatis siccitate, & hyemis frigiditate sunt elapsa, ob temperamentum veris reducuntur, vt videmus. Sic etiam Christus protulit tempus amœnissimum plenitudinis gratiarum, in quo omnia sunt reducta, & reparata, secundum quod testatur Venerabilis Boëtius de consol. Philosophiæ lib. 1. Metro. 5.

O stelliferi conditor orbis,
Tua vis varium temperat annum.

Vt quod Borea, id est, venti hyemalis, *spiritus aufert. Reuehat mitis zephyrus, frondes* scilicet, qui flat in vere. Hic, inquam, Christus hodie gloriosè venit ad templum Ierusalem, sicut hoc prædixerat Malachias cap. 3. dicens; *Ecce veniet ad templum sanctum suum Dominator Dominus.* Ideò electi pueri Dei, Simeon & Anna, ipsum deuotè susceperunt, & propter ipsum gaudiosè cantauerunt; nec mirum, quia affuit ille, qui est omnium sanctorum sponsus. Rectè enim, sicut ver est causa lætitiæ & amoris, quia tunc omnia audiuntur lætari. volucres vociferantur pariter & iumenta. Ita Christus fuit eis summum gaudium, ita vt auicula Simeon inceperit cantare iubilosè: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* In quibus verbis præmissis tanguntur duo. *Primò*, Christi oblatio gaudiosa, ibi; *Ecce homo. Secundo*, iusti laudatio speciosa, ibi; *Ecce homo*. Ad *tertium*, Dei benedictio sonorosa, ibi; *Et benedixit*.

B Vetus consuetudo deferendi infantes post puerperium ad templũ.

DE PRIMO est NOTANDVM. Mos ille ab antiquo inoleuit, vt matres finitis puerperiis, deferant ad Ecclesias pueros, pro eis Deo humiliter reddendo gratiarum actiones. Et hoc habetur figuratum. 1. Regum 1. quod Anna vxor Helcana precibus à Deo filium nomine Samuel obtinuit, *quem cum ablactasset, tulit in templum, & immolauit vitulum, & puerum Heli obtulit*: & creditur etiam ante ablactationem puerum ad Ecclesiam præsentasse, & pro eo hostiam à lege determinatam immolasse. Idem fecerunt aliæ mulieres, quia hoc ex mandato legis habuerunt Leuit. 12. vbi legitur, quod *mulier quæ suscepto semine filiũ peperisset, immunda esset septem diebus*; secundum Gloss. Lyræ, quod illis septem diebus non debuit cum aliquo in cibo, aut cum viro in lecto cõmunicare, & quicquid tangebat, hoc immundum iudicabatur. Completis autem his septem diebus, munda fiebat, quoad consortium hominum, & octauo die puer circumcidebatur; Sed adhuc ad tricesimam tertium diem, quoad ingressum templi fuit immunda, donec dies purgationis impleretur. Quibus completis, quadragesimo die intrauit templum, vbi filium peperisset, & eum Deo cum muneribus offerebat; Si verò fœminam peperisset, duplicabantur dies; Et si talis mulier fuerat diues, obtulit agnum anniculum in holocaustum, & turturem, & pullum columbæ: Si autem erat pauper, dabat duos turtures, aut duos pullos columbarum, quia secundum Gloss. Istæ aues erant passim in terra promissionis, & de facili pro pauperibus poterant inueniri; & huic legi omnis mulier in antiqua lege Mosaica erat astricta. Nunc autem mulier post partum potest ingredi Ecclesiam, quando placuerit ei, nisi propter reuerentiam vellet vsque ad tempus determinatum abstinere. Ideò admittitur

tur in Canone dist. 5. cap. 1. vbi dicitur: In lege præcipiebatur, vt mulier, si masculum pareret, quadraginta diebus; si verò fœminam, octoginta diebus à templi cessaret ingressu. Nunc autem statim post partum Ecclesiam ingredi non prohibetur. Et dist. eadem, c. Cum enixa. Si mulier eadem hora, qua genuit, actura gratias Ecclesiam intraret, nullo pudore peccati aggrauaretur. Idem habetur Extra, de purificat. post partum, c. Volentes, vbi dicit Innocentius Papa, mulieres posse ingredi Ecclesiam post partum quando voluerint, nisi velint ex veneratione abstinere. Post partũ licet fœminæ absque peccato templum ingredi.

Sed diceres; Quare lex Mosaica tempore toto ab ingressu Ecclesiæ prohibuit mulieres? *Ad quod dicendum*, quod respectu filiorum tres fuerunt rationes. PRIMA, vt daretur intelligi, quod sicut puer quadragesimo die in materiale templum introducitur, sic à conceptione quadragesimo die, vt plurimum anima in corpus funditur, vt dicit Petrus Comestor in scholast. histo. Sed Philosophi dicunt, quod à die conceptionis vsque ad diem completionis, & viuificationis fœtus, sunt quadraginta sex dies, ita, vt primus & vltimus teneatur inclusiuè. versus. In lege Moysis cur mulieres post partũ diutius ab ingressu templi arcebantur. I.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni:
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Et est B. Tho. 3. sentent. dist. 3. quæst. vlt. artic. 2. Semen in sexto die habet formam lactis, in noua die habet dispositionem sanguinis, in duodecimo die habet dispositionem massæ crudæ carnis, & tunc ibi disponitur vltra in partes, cor, caput, genitalia, & ideo quasi tres noduli propè annexi, tunc ibi disponitur vltra secundum membra; Sed semen non permanet per se, sed recipit aliam, & aliam formam, & materiam, & accidens, & sensum, quod est in toto corpore, & præhabita materia, ergò semen specialiter aliter, & aliter fit dispositum. SECVNDA ratio, vt sicut quadragesimo die anima corpori infusa, ab ipso originali maculatur, sic quadragesimo die templum ingrediens per hostias emundatur, quia per hostias purificatiò fiebat. TERTIA ratio, vt per hoc daretur intelligi, qui decem præcepta cum fide quatuor Euangelistarum custodiunt, in templum cœleste merentur ingredi. II. III.

Sed quoad fœminas fuerunt hæ rationes. PRIMA. Sicut fœmina octogesimo die in templum ducebatur, sic octogesimo die plerumq; anima inspiratur. Quare autem duplo tardius fœminæ corpus formatur, quàm masculi, omissis rationibus naturalibus, potest dici, quod Christus assumptus erat in sexu virili, & ideò, vt ipsum honoraret, & ampliorem gratiam faceret, voluit, vt citius formaretur, & mater citius mundaretur. C I.

SECVNDA. Quoniam mulier plus peccauit, quàm vir: Et ideo sicut ærumnæ eius ex ærumnis sibi duplicatæ sunt exterius in mundo; sic & duplicari debuerunt interius in vtero. II.

TERTIA. Vt per hoc daretur intelligi, quod mulier, quemadmodum plus fatigauit Deum, quàm vir, ex eo amplius deliquit. Cum igitur Virgo Maria huic legi purificationis non tenebatur, quia non peperit suscepto semine, sed mystico spiramine; Ideò Moyses addidit *suscepto semine*; cum tamen necesse non erat ponere, sed propter alias mulieres, quæ omnes suscepto semine pariunt. Sed ideo addidit, vt dicit Bernardus, quia timuit matri Domini blasphemiam irrogare. Voluit tamen beatissima Virgo Maria secundum hanc legem templum ingredi, & filium suum vnigenitum præsentare: & hoc describens Euangelista dicit: *Postquam impleti sunt dies* III.

purgationis Mariæ secundum legem Moysi, qui hoc præcepit, Leuit. 10. *Tulerunt illum in Ierusalem*, scilicet, à Bethleem per quinque milliaria, *vt sisterent eum*; id est, offerrent *Domino*; quia Maria & Ioseph, Simeon & Anna gaudiosam venerabilemq; processionem hodie fecerunt, & puerum Iesum cum gaudio ad templum deduxerunt, sicut scriptum est in lege Domini, Exodi 34. Lucæ 2. *Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Si enim fuit primogenitus de tribu Leui non habens maculam Domino offerebatur, & post oblationem à parentibus domum reportabatur. Et quando ad adultam peruenerat ætatem, Domino perpetuò in templo seruiebat Si autem fuit de alia tribu, offerebatur Domino, & quinque siclis redimebatur. Et Siclus habuit viginti obolos, vt dicitur Exodi 13. Si verò fuit primogenitum, vt de pecoribus mundis erat sacerdotum ad vsum eorum. Si autem de immundis, in aliud commutabatur. Exod. 13.

D Quamuis enim B. Virgo huic legi non fuit astricta, voluit tamen legi obedire propter quatuor rationes. PRIMO, vt exemplum humilitatis daret, secundum illud Eccl. 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus.* Ideo dicit Bernardus: Verè enim B. Virgo non habes causam, nec opus est tibi purificari, quasi diceret, quia portasti florem amœnum, qui dicit Canticorum 2. *Ego flos campi*; quia portasti balsamum odoriferum. Eccl. vigesimo quarto. *Sicut cinnamomum & balsamum odorem dedi*; quia portasti splendorem diuinum secundum illud Apostoli ad Hebræos 1. *Qui cum sit splendor gloriæ.* Et iterum Sapient. septimo. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Et modo constat, quod vas plenum floribus, accipit maiorem amœnitatem: Vas plenum balsami, maiorem odoris suauitatem: Vas plenum splendore, recipit maiorem claritatem. Ideo tibi non fuit necessaria purificatio. *Et subdit* Bernard. Sed numquid filio tuo opus erat circumcisio? quasi diceret, non. Esto inter mulieres quasi vna illarum, nam & filius tuus, sic est in medio puerorum. Hæc autem humilitas non solum fuit ex parte matris, sed etiam filij, qui in hoc voluit se subdere legi. Quia dicitur Matthæi 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.*

Cur B. Virgo legi obedire voluerit.

I.

E Nam in natiuitate habuit se, vt pauper homo: in circumcisione, vt homo peccator, sed hodie, vt pauper peccator & seruus. Hodie se habuit vt pauper, quia oblationem pauperum elegit, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum: habuit se vt peccator, eo quod cum matre, vt peccator voluit expurgari, qui tamen fuit speculum sine macula, nec peccatum fecit nec contraxit: habuit se vt seruus, eò quod voluit redimi. Sic etiam postmodum voluit baptizari, non propter culpam purgandam, sed propter suam humilitatem maximam ostendendam. Nam omnia remedia contra originalia peccata instituta, Christus in se assumere voluit, non propter aliud, nisi vt suam humilitatem demonstraret. Sic etiam B. Virgo Maria voluit obedire, vt humilitatem suam ostenderet. Hæc est enim, quæ in Cantico gloriatur. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Lucæ 1. per quam magis, quàm per virginitatem meruit esse mater Dei, teste Bernardo. Quantumcunque B. Virgo fuisset virgo, nunquam tamen Deum concepisset, nisi humilitatem infimam habuisset.

F SECVNDO, Maria purificari voluit in spiritualem significationem. Quia secundum Doctores conceptus Virginis significat conceptum animæ fidelis, cuius sponsus Christus est, secundum illud Oseæ 2. *Sponsabo mihi te in fide*, Semen eius, gloria eius, aut *verbum Domini*, de quo habetur Lucæ 8. Filij autem sunt bona opera, vel mala

II. Purificationis spiritualis significatio.

mala Matt. 18. *Iussit n. Dominus eum venundari & filios eius* vbi Gloss. per filios intelligit opera. Sicut ergo Virgo purissima purificari voluit, quæ tamen omnium mundissima fuit. Ita post partum bonorum operum, fidelis anima debet se præsentare immundam, & quasi nil fecisset, secundum quod docet Dominus Lucæ. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus*, quia omnes actiones nostræ sunt sicut *pannus mulieris menstruatæ coram Domino*. Isa. 64. Quod considerans Iob. 9. ait. *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parcis delinquenti.* Et si munda Virgo purificari voluit, quantò magis immundus peccator indiget purificatione: & hæc acquiritur per pœnitentiam, & resistentiam. Per pœnitentiam commissa expelluntur, per resistentiam committenda prohibentur. His purgandus est intellectus à falsis, voluntas à malis, memoria à fœdis, vt homo interior fiat habitaculum Dei. Ideò dicit Bernardus: Bonum Deo Patri habitaculum, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria fuit inquinata. Et antequam Maria puerum in templum deferret, prius circumcidit, dans intelligere, quod nemo dignus diuinis aspectibus nisi à vitijs prius circumcisus. Ideò dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Circumcisi igitur à vitijs, si volumus portari ad templum Domini, oportet oblationem ibi facere, quia dicitur Exod. 23. *Non apparebis vacuus in conspectu meo*, id est, sine oblatione. Quamobrem debet fidelis anima offerre sacrificium cum Maria, turturem aut columbam. Per columbam, (vt ait Beda in homil.) *Simplicitas*, per turturem *castitas* designatur. Ita debet esse simplicitatis castitatisq; amatrix, quia turtur si casu coniugem perdiderit, alium quærere non curat. *Et subdit*; In laudibus Ecclesiæ loquitur Dominus: Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Et iterum. *Ecce pulchra es amica mea: ecce tu pulchra: oculi tui columbarum.* Genas quippe, vt turturis habet, qui ab omni impudicitiæ peste castum se custodit: Et oculos habet columbarum, qui nulli nocere desiderat. Sed vtraq; auis memorata, quasi gemitum pro cantu habere solet. Sanctorum cantus in hoc seculo designat ploratum, de quo Dominus commemorat Ioann. 16. *Amen, amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos.* Et rursum, Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* G

Columba simplicitatem, turtur castitatem designat.

Meritò turtur, & columba Domino offeruntur in hostiam, quia nimirum simplex & pudica conuersatio hominum gratum est illi sacrificium iustitiæ. Etiam ille laborat in gemitu suo, qui stratum suum singulis noctibus abluit, acceptissimam Deo prorsus victimam mactans. Hæc ille. BEDA. Imò sumus & nos simplices vt columba, casti vt turtur, lamentationes pro delictis nostris & eleemosynas facientes. Tunc prædictas aues Domino offerimus, si sumus etiam gementes pro incolatu seculi vel vitæ, dicentes cum Dauid Psalm. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, vt de nobis dicatur illud Cant. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Sed duos pullos columbarum, quas obtulerunt, sic exponit Beda, dicens: Duo sunt genera compunctionis, quibus semetipsos fideles in ara crucis immolant; quia nimirum sic accipit Deum sitiens anima, vt prius de crimine compungatur, deinde amore inflammetur; prius enim sese lacrymis afficit, quia dum mala sua recolit, pro his æterna pati supplicia pertimescit, quod est vnum turturem aut pullum pro peccato offerre; ac dum longi mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amorem cœlestium gaudiorum animus inflam-

Cur turtur & columba offerantur.

Duo genera compunctionis.

flammatur; & quia prius flebat, ne duceretur ad supplicium postmodum amarissimè flere incipit, quia à regno cœlorum excludi se pertimescit, quod est de altero turture, siue pullo columbino holocaustum offerre. Hæc ille.

Amatores paupertatis quid offerre debeant.

Aliter de hoc sentit B. Augustinus in sermone huius festiuitatis. Ecce, inquit, Saluator noster pauper propter peccata nostra factus est. Et Christiani de hoc laborant, vt diuites sint. Nemo se circumueniat, Dei filium de cœlis paupertas adduxit; nullus Christianus cupiditate grauatus poterit ascendere cœlos. Paupertatis ergo amatores offeramus Domino intemeratæ fidei castitatem, hoc est, offerre par turturum, aut duos pullos columbarum. Ad idem dicit Ambrosius in hexam. lib. 5. cap. 3. Hoc est verum sacrificium Christi, pudicitiam ad turturem referre, gratiam ad columbam. Nos igitur Christo intemeratæ fidei castitatem & gratiam, vel amorem debemus inuiolabiliter custodire, & mundi florentis voluptatibus nullo modo gaudere. Sed gemitu columbino, & turturis amore ab omnibus delitijs abstinere. Sicut turtur, qui à perdito compare nunquam dicitur in viridi ramusculo sedere.

H

Cur cerei accensi hodie portantur.

Quæ ergo olim mundo, & diabolo obtulimus, siue carni, nunc verò Christo, & eius dulcissimæ matri offerre debemus. Ad hoc monet Innocentius, huius festi reddens causam, quare cerei hodie portantur: Quid est hoc, quod in hoc festo cereos portamus ascensos? Hoc est, quod mulieres Romanorum his diebus festum luminarium faciebant, dicentes; Quod proserpina fuit adeò speciosa, quod Pluto infernalium Deus eam rapuisset, & Deam eam fecisset, quam quia mater eius cereis facibus accensis Niceno monte tota nocte per siluas quæsisse dicebatur; Sic ipsæ mulieres Romanorum istud repræsentantes ad memoriam ipsius, in principio mensis, accensis facibus Vrbem de nocte lustrabant; cum autem sancti Patres non possent consuetudinem istam destruere penitus, constituerunt in honorem sanctæ Mariæ Virginis cereos portare accensos. Sic quæ prius fiebant in honorem Cereris, modo fiunt ad honorem Virginis. Et quod prius fiebat in honore Proserpinæ, modo fit pro honore Mariæ. Hæc ille.

Caussa institutionis luminarium.

Februæ festum quinquennale.

Faciebant etiam in Mense Februario festum Luminarium; ad honorem Februæ matris Martis Dei belli, & istum mensem Februo consecrauerunt, & ipsum cum luminibus solenniter colebant, vt filius eius Romanis victoriam concederet, cui⁹ matrem tam solenniter honorarent. Et ista solennitas fiebat de quinquennio in quinquennium, in qua Vrbem cum luminaribus illustrabant, faciebant etiam festum hoc in memoriam Plutonis, & omnium dæmonum infernalium; vt ipsos placarent, & super animas defunctorum suorum ad misericordiam inducerent, vt eos leuius punirent. Quia verò difficile est consueta relinquere, Romani pòstquam ad fidem venerunt, adhuc festa in Februario celebrauerunt: Ideò Sergius Papa, hanc solennitatem luminum ad honorem MARIÆ matris Domini per totum mundum instituit. Dicitur etiam quod Gregorius Papa instituerit, vt iam non fiat ad honorem dæmonum, sed Reginæ angelorum, & meritò. Honorabant Romani Proserpinam, vt à sponso suo impetraret gratiam; honorabant Februam, vt à filio suo eis obtineret Victoriam; honorabant dæmones animas punientes, vt ipsas inde ducerent. Sed ista tria gratiam, victoriam & misericordiam à matre Dei habemus, secundum quod canitur: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ*; Ipsa enim dat viuis gratiam, defunctis misericordiam, vniuersali Ecclesiæ obtinet ab hoste victoriam.

TER-

TERTIÒ purificari voluit vt legem purificationis terminaret: Sicut enim adueniente luce cessant tenebræ, sic adueniente sole recedit vmbra, purificationi veræ purificatio cessit typica. Ibi enim venit purificatio vera, id est, Christus, qui actiuè dicitur purificatio, eò quòd nos per fidem purificat, secundum illud Actor. 15. *Fide purificans corda.* III.

QVARTÒ purificari voluit, vt nobis paupertatem voluntariam commendaret, quia sacrificium pauperum elegit, vt patet ex Euangelio. IV.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo secundus.

Columba venit portans ramum oliuæ. Gen. 8.

DIcunt naturales, quod mane veniente aurora, portante secum solem, aues mundæ & diuinæ, ad volandum & cantandum excitantur, vires animales magis confortantur, & aliquando ægritudines alleuiantur, & diminuuntur. Ideò illud tempus vix ab ægris exspectatur, qui continuè suspirant, & cum desiderio magno exspectant auroram & solem venientem.

MYSTICE per auroram beatissima Virgo Maria designatur, secundum illud Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Per solem autem Christus intelligitur, quia sicut sol præmittit auroram, sic Christus in mundum venturus præmisit Mariam, de qua tandem *natus est* Matth 1. Sed antequam hæc fierent, antiqui sancti patres qui erant ægri & infirmi secundum illud Psalm. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum,* quotidie clamant in orationibus suis, vt ait Augustinus sermone hodierno: O si me inueniat illa natiuitas, O si, quod credo in scripturis Dei, videam oculis meis. Quando veniet, quando nascetur, quando videbo, putas durabo? putas isti oculi videbunt, per quem cordis reuelabuntur secreta? quasi diceret, nequaquam. Et sic infirmi cum desiderio auroram vel aduentum solis exspectantes interdum consolantur ab his, qui eos habent in cura, qui dicunt ad ipsos; Ne contristemini, quia in proximo est aurora ascensura, vbi infirmitas minuetur. Ita Noë qui in custodia habuit humanum genus, consolabatur eos à longe cum dixit. *Columba venit portans ramum oliuæ, &c.* id est, Virgo Maria venit, quæ dicitur aurora portans secum ramum oliuæ, id est, Christum misericordissimum, qui alleuiabit omnes infirmitates vestras. Et hoc, quod ille dudum prædixit, hodie est impletum, quando illa benedicta aurora, quæ vt columba venit in templum, portans in brachijs suis floridissimum ramum oliuæ, Christum solem iustitiæ. Quod cum audiret Simeon, quasi munda auis, excitatus fuit ad volandum, qui tardus fuit ad eundum præ senectute & præ gaudio cœpit cantare dicens. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*: & adeò fortis est effectus, vt in vulnis suis debilibus portaret illum, qui virtutes gerit vniuersas: Et de hoc aduentu dicunt verba prædicta, in quibus verbis præassumptis duo describuntur. *Primò*, Mariæ humilis conformatio, ibi; *Venit columba. Secundò*, filij legalis præsentatio, ibi; *Portans ramum.* De

A

Aurora infirmorum consolatio.

De quo est NOTANDVM secundum naturales: Columba solet se præ cæteris auibus hominibus magis conformare. Sicut enim homo naturaliter diligit munditiam, quia scriptum est Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem*, id est Christum. Ita & columba diligit loca munda. Quia secundum Aristotelem in libro animalium, fimum suum extra nidum suum proiicit, hoc facere pullos suos instruit & compellit.

MORALITER. Per columbam intelligitur Virgo Maria, & Christus sponsus, & filius suus vocat eam Columbam. Cantic. 2. *Surge propera amica mea, columba mea, in foraminibus Petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, &c.* Et Cantic. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum.* Ista sanctissima columba dilexit munditiam animæ & corporis imò fuit tota mundicies, secundum illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Ad quod ostendendum, hodie statuit Ecclesia vt lumina in manibus fidelium deportentur, ad eius videlicet munditiam designandam, vt dicit Iacobus Ianuensis, Ac si aperte dicat Ecclesia; Virgo mundissima purificatione non indiges, sed tota rutilas, & tota splendes. Et in candela significantur quatuor prærogatiuæ, quæ fuerunt in MARIA perpetua Virgine.

Quare Ecclesia statuerit vt lumina portentur in ma[nibus]. Prærogatiuæ B Virginis.

C

I. Virginitas.

PRIMA est *Virginitas* in carne, quæ intelligitur per ceram; Sicut enim cera ab apibus sine corruptione generatur: Sic Maria Christum genuit, & in æuum virgo permansit, secundum illud Isai. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Ideò dicitur in capitul. firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol. Vnigenitus Dei filius Iesus Christus incarnatus est à tota Trinitate, consequenter ex Maria semper Virgine. Et sic quilibet Christianus, qui hodie in manu sua portat candelam ceream, est testis virginitatis Mariæ, & confundit omnes hæreticos virginitati Mariæ contradicentes. Et principaliter eos qui virginitati Mariæ cōtradicunt dicentes, post Christum alios filios eam de Ioseph peperisse. Etiam in hoc confundit alios hæreticos, Cherintum, Ebionitas, qui asserunt Christum à Maria per Ioseph nuptiali coitu conceptum fuisse, & introducunt illud Matth. 1. Antequam conuenirent, id est, antequam nuptiarum solennia celebrarent. Sic etiam exponit Hieronymus contra Heluidium. Gaude igitur, ô Christiane, & exulta, quia sicut per candelam iam virginitatem Mariæ & puritatem testatus es: ita Ipsa reuera cor tuum ab omni labe purgabit, teq; cœlicis ciuibus æternaliter sociabit, secundum illud. Eccles. 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Gaude igitur & tu virgo Maria, cunctas hæreses sola interemisti. Dic exemplum de cæco illuminato, qui semper contendebat contra Iudæos, qui etiam fecit illud responsorium? *Gaude Maria Virgo.*

II. Puritas mentis.

SECVNDA prærogatiua est puritas in mente, quæ intelligitur per lychnum candelæ, in cera occultatum, secundum illud Psalm. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus:* ista enim interior puritas fuit in Maria tam magna, vt nullum suo aspectu alliceret, nec ab vllo vnquam potuit concupisci; Sed omnes immundos corporis motus à singulis eam respicientibus exstinguebat, quia virtus eius metalis munditiæ intrò aspicientes ita penetrabat, vt omnes immunditias repelleret & fugaret. Rectè sicut facit cedrus, de qua refert Isidorus lib. 17. quod odore suo fugat serpentes, & omnia animalia venenosa: Nam in præsentia cedri serpens immundus, aut aliquod animal mundum non potest subsistere, & si manserit morietur. Ita puritas virginis omnes

Cedrus fugat serpentes.

omnes motus venenosos carnales in hominibus in præsentia eius existentibus fugabat, & sanctitate sua totaliter occidebat: Ideò comparat se cedro Eccli. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.*

Propter has duas prærogatiuas benè Virgo benedicta cedro comparatur, quia sicut cedrus à nullo verme, neq; interius, neq; exterius potest exterminari, nec sicut alia ligna violari, vel corrumpi secundum Isidorum vbi suprà. Sic nec Maria Virgo potuit exterius in corpore, vel interius in mente violari, sicut testatur Augustinus in sermone de Annunciatione eius, loquens in persona Virginis dicens: Ego te filium concepi, & virginitate meam non violaui, & regem concepi castitatis egredientem & ingredientem; habui in palatio ventris filium Imperatoris, & in manibus meis clauem virginei pudoris. Porta facta sum cœli, ianua facta sum filio Dei. Illa porta sum clausa, quam in visione diuina Ezechiel vidit Propheta, de qua in me vates dicit; *Vidi portam in domo Domini clausam.* Quid est porta, quæ erat in domo Domini clausa, nisi quod Maria erit semper intacta; Et quid est, quod homo non transiuit per eam, & egredietur, nisi quod Spiritus sanctus imprægnauit eam. Et quid est, quod clausa erit in æternum, quia Maria erat virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum. *Et subdit.* Natus de meo ventre me misit intactam matrem, adimpleuit ventrē meum Diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate; exiuit de vtero meo Gigante cursu magnifico, & venter meus non est pudore euacuatus, nec in conceptione inuenta sine pudore, nec in parturitione inuenta sum cum dolore. Hæc Augustinus in persona Mariæ.

B. Virgo cedro comparatur.

Ezech. 44.

D

III. Sanctificatio.

TERTIA prærogatiua fuit *sanctificatio* vtraq;, quæ intelligitur per benedictionem candelæ. Hodiè enim candelæ benedicuntur, ad significandum, quod Maria in vtero matris fuit benedicta & sanctificata, & perfectissimè mundata, quod nullum habuit inclinatiuum ad peccatum. Teste Bernardus, qui ait. Puto, quod copiosior gratia sanctificationis descendit in Mariam, quæ ipsam non solum emundauit, sed etiam à futuris præseruauit: Ideò dicit Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.*

IV. Claritas.

QVARTA prærogatiua est *Claritas* in conuersatione, quæ per lumen ardens intelligitur Sicut enim lumen lucens omnes in domo illuminat, sic Maria per claram suam conuersationem omnes ad se venientes illuminat. Ideò de ea dicit B. Ambrosius, lib. de Virginitate, parte prima. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit æternus? quid castius ea, quæ corpus Christi sine cognitione viri generauit? *Et subdit.* De cæteris virtutibus, quid loquar? Virgo n. erat non solum corpore, sed ēt mente, quæ nullo doli ambitū sincerum adulteraret aspectum, corde humilis, orare paratior, legendi studiosior. Non n. in terra diuitiarum sed in prece pauperū spem temperans, verecunda sermone, arbitrio mentis non hominem, sed Deum studuit quærere nullum lædere, omnibus benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi, amare virtutem; Quando ista læsit vultu parentes? quando derisit pauperem? quando vitauit inopem? quasi diceret, nunquam. Ecce quam claram conuersationem habuit inter homines, & hoc testificamur hodie cum lumina ardentia in manibus baiulamus; quasi diceremus. O Maria Virgo, clara est conuersatio tua, rectè, sicut hæc luminarium accensio.

Cur Virgo purificari voluerit.

Ex his quatuor prærogatiuis patet munditia virginalis, propter quam purificatione non indiguisset, voluit tamen purificari, vt nos ad munditiam inuitaret. Parum enim prodesset nobis, purificationem virginis celebrare, si in nobis pollutam mentem haberemus, quia sic non ageremus festum Virgineæ puritatis, sed porcinæ fœditatis. Ideò sicut virgo purificari voluit, quæ non indiguit, sic nos, qui in multis offendimus, multò magis purificatione indigemus.

E

Purificatio triplex.

I.

Incipientiũ.

Voluntas bona & mala.

Circa quod NOTANDVM, purificatio aliqua est incipientium, aliqua proficientium, tertia perfectorum. Purificatio *incipientium* debet fieri exterius, & interius, interius vt purificetur voluntas ab omni peccati inquinatione. Quia dicit Bernardus, in quodam sermone: Bona voluntas in animo, est origo omnium bonorum, & mater omnium virtutum, sed econtrà mala voluntas est mater omnium vitiorum, & malorum. Ideò custos animæ suæ valde solicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ. Purificari etiam debet intentio ab omni duplicitate secundum illud Iacobi 4. *Emundate manus*, id est opera, *peccatores, & purificate corda duplices animo.* Purificetur etiam verbo ab omni perturbatione, quia aliàs ratione perturbata verum non potest cognoscere. Ideò dicit Boëtius lib. 1. de consol. Metro vltimo.

Tu quoq; si vis
Lumine claro,
Cernere verum,
Tramite recto,
Carpere callem:
Gaudia pelle,
Pelle timorem;
Spemq; fugato,
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctaq; frenis,
Hæc vbi regnant.

Oculi quomodo exterius purgandi.

Exterius debet incipiens purgare oculos ab illicita visione, secundum illud Psalm. 118. *Auerte oculos ne videant vanitatem*; quod exponens lucidius Sapiens dicit: *Auerte oculos tuos à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam,* Eccli. 9. Et hanc doctrinam perpendit Iob, qui ait 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitare quidem de virgine.*

Legitur etiam in Vitis Patrum (in lib. Doct. Patrum lib. de Sobrietate, n. 1.) quod Abbas quidam volens irrigare hortum suum, iuit ad sumendum aquam, quod cum faceret, tegebat cuculla oculos suos, faciem suam tantum ad pedes suos intendens: quod videns vnus frater dixit ei. Vt quid tegis faciem tuam pater? Respondit: Ne viderent oculi mei arbores, & occupata mens mea in consideratione ipsarum, impediretur à contemplatione sua. Purificandæ sunt aures à detractione, secundum illud Eccli. 28. *Sepi aures tuas, & noli audire linguam nequam.* Quia legitur in Vitis Patrum lib. 2. c. 25. de Abbate Iperitio, qui ait. Melius est carnes comedere, & vinum bibere, scilicet quibus licitum non est, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Euam de paradiso percussit, ita qui fratri suo detrahit, non solum suam, sed etiam audientis animam perdit. Ita dicit Bernardus in quodam sermone. Nunquid non lucro est lingua detractionis decorata, sed perforata à acutissimo ferro tres percutiens ictu vno, cui detrahit, seipsam, & audientes. Ideò detractiones non sunt audiendæ.

Aures quomodo purificandæ.

Lingua purificanda.

Purificari etiam debet omnis à mala locutione, quia *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.* Matthæi duodecimo. Si vos

vos de hac materia plura habere volueritis, quærite suprà die circumcisionis, membro secundo.

Purificatio autem proficientium est in continuo desiderio proficiendi, & virtuali progressione. Quia secundum B. Gregorium in via Dei stare, retroire est, & retrocedere. Ideò dicit Augustinus: Summa perfectio Christianę religionis est, vt quantumcunq; homo in hac vita proficiat, semper sibi putet superesse, quod quærat; Per quod dictum Augustini eliminatur error Pelagianorum, qui dicebant, quod in hac vita homo possit tantum culmen perfectionis attingere, vt amplius in gratia non possit proficere. *II. Proficientium.*

Illis autem proficientibus triplex gratia, vel purgatio est necessaria. Quia dicit Guilielmus Doctor Parisiensis, quod purificatio est triplex. Purgatur enim corpus per potionem; Medici cum viderint peccantem materiam in infirmo, secundum qualitatem morbi faciunt potionem purgatiuam, quæ ad dissoluendum morbum operatur, & hæc fit per calamum, aut ad mollificandum, sicut fit cum fistula, vt dicit Magister in libro septimo propriet. Per hanc potionem contritio designatur, quę debet fieri ex verbis amaris, vtpote, quod Deum dereliquit per peccatum, secundum illud Ierem. 2. *Scito & vide, quia malum & amarum est relinquere Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te*; ergo recordanda sunt peccata, aut anni peccatorum. Sicut fecit Ezechias Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & hanc potionem conficere debent medici spirituales, scilicet Prædicatores & Confessores, qui debent mouere peccatores, vt habeant contritiones, sicut fecit B. Ambrosius sibi confitentibus; fleuit, & ad contritionem sæpissimè incitauit. Et quare hoc? Certè ideò, quia secundum medicos potio tam amara esse posset, vt omnem infirmitatem ab infirmo expelleret, quod nulla alia medicina indigeret. Ita tanta posset esse contritio, vt ait Archidiaconus in Glossa super Decretis, vt absq; satisfactione extrinseca in hoc seculo peccator pœnam purgatorij euitaret, & vitam æternam in momento possideret, quod fit per misericordiam magnam Saluatoris. Sicut legitur de latrone contigisse, de pœnit. dist. 1. c. Importuna. *F Proficientibus triplex purgatio necessaria. Potione contritio designatur.*

SECVNDÒ, purificatur domus per scopationem. Sicut videmus quando domus efficitur immunda, tunc per familias immundities expurgantur. Per hanc purgationem confessio designatur, qua rex Dauid purgabatur dicens in Psalm. 76. *exercitabar & scopebam spiritum meum.* Sic & familia domus Dei quando videt mentem peccatoris immundam, debet eam mundare monitione salutari, secundum, quod iubet Papa Celestinus in sermone dicens: Sacerdotes ita hominem confitentem sibi, toto conatu & nisu suo, ad fletum alliciant, ad miserandumq; sibiipsis prouocent & inclinent, quia fletus est nuntius ad mentis purificationem per scopam confessionis; Si enim domus debet totaliter fieri munda, oportet vt aqua spargatur ne pulueres de terra excitati, parietibus adhæreant, sed vt totaliter expurgetur. *Domus scopis mundanda.*

TERTIÒ, purgatur triticum à paleis per flagellationem. Volens n. debitè triticum à paleis & stramine separare, est necesse audacter flagellare, & in hoc significatur satisfactio aut carnis maceratio, quæ diuidit hominem à peccatorum paleis. Quia secundum August. quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc tribulatio viro iusto. Ideò confessor volens debitè purgare peccatorem necesse est, vt iniungat ei satisfactionem competentem. Qua de re præcipitur in Canone Fraternitatis, 12. quæst. 2. *G Triticum flagello excutiendum.*

cap. Fraternitas, quod satisfactio debet fieri secundum delicti quantitatem. Et sunt verba Gregorij sic dicentis: Fraternitas tua ex persona furis pensare potest qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam habentes subsidia, & furtum perpetrant; & sunt aliqui, qui in hac re ex inopia delinquunt: quare necesse est, vt quidam damnis, alij verberibus corrigantur.

Mentis purificatio in quo consistat.

Purificatio autem mentis consistit in puræ mentis in Deum omnimodâ subleuatione, vt iam ea solum, quæ sursum sunt, sapiat, vt possit dicere illud ad Galat. secundo. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Quod sic intelligitur, *Viuo ego*, scilicet vita gratiæ & virtutum, *iam non ego*, scilicet viuo secundum carnem, vel veterem hominem, quem dudum deposui, *viuit autem in me Christus* secundum spiritum eius viuo, & eius exemplis adhæreo. De hac puritate dicitur Iob vigesimo sexto. *Spiritus Domini ornauit cælos*, id est perfectos; *sole*, id est, superiori ratione; *& luna*, id est inferiori ratione; *& stellis*, id est, aliis virtutibus. Taliter etiam ornata nostra columba virgo Maria hodie venit in templum; non ex obligatione, sed ex vera obedientia, quia non fuit ad purificationem obligata. Quia secundum Bernardum, fuit prius sanctificata, quàm nata. Venit, inquam, portans secum ramum oliuæ, hoc est, Christum filium eius in signum pacis. Quia secundum Isidorum libro decimo septimo. Arbor oliua dicitur arbor pacis, & rami eiusdem arboris olim mittebantur legatis Romanorum, pro pace obtinenda, siue alijs offerenda. Maria est Legata totius Trinitatis, quam hodie cœlestis Pater misit pacem populo nunciare, ideò eam sine ramo oliuarum mittere noluit. Quod figuratum est Genes. 8. vbi legitur, quod Noë misit columbam de arca, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ, illa autem venit portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo, & hoc fuit in signum reconciliationis,

Beata Virgo fungitur legatione nomine SS. Trinitatis.

SPIRITVALITER. Noë significat Patrem cœlestem, qui hodie misit de Bethleem ciuitate columbam simplicissimam & candidissimam Virginem Mariam, quæ veniens in Ierusalem portauit secum Christum oliuæ ramum, in signum reconciliationis & misericordiæ. Ideò canitur hodie in Missæ introitu. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*. Et hoc tangit Euangelium Lucæ. 2. dicens: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ*, &c. Et hoc designat Ecclesia per ea, quæ in filijs suis hodie memorat: Nam sicut Maria Christum, qui est verum lumen ad reuelationem gentium in manibus portauit; sic portat Ecclesia cereum ad designandum Christum, quia in cereo sunt tria, scilicet cera, lychnus, & ignis; per quæ significantur tria, quæ fuerunt in Christo. Nam cera significat carnem Christi, quæ nata est de virgine sine corruptione, sicut apes gignunt sine commixtione. Lychnus in cera significat latentem in carne animam candidissimam. Ignis verò lumen significat diuinitatem; quia *Deus noster ignis consumens est*. Versus.

Deuter. 4.

Hanc in honore pia, candelam porto Maria;
Per ceram Christi carnem de virgine veram,
Per lychnum signans animam sub corpore tectam,
Per lumen Numen maiestatisq; cacumen.

Hanc igitur candelam Christus consumpsit se totaliter tradendo in nostrum obsequium; Consumpsit enim carnem per vulnerationem, Isaiæ. 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra*; Consumsit se p sanguinis effu-

effusionem. Isai. 63. *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari.* Consumsit animam per tristitiam & dolorem. Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Consumsit vitam corporalem per abbreuiationem. Isai. 38. *Præcisa est velut à texente vita mea* Consumsit superbiam corporalem vsque ad denudationem, secundum illud Psal. 21. *Diuiserunt sibi vestimenta mea*, &c.

DE SANCTA AGATHA VIRGINIS.

Sermo primus.

Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Cantic. 8.



SECVNDVM naturales. Nardus est herba modica & odorifera, hæc masticata in ore, fœtorem omnem amputat, & gingiuas putridas mundat, vt dicit Plinius in spec. nat. Nardi virtus & operatio.

A

MYSTICE. Per hanc herbam B. Agatha designatur, quia sicut Nardus est modica, ita B. Agatha fuit modica in humilitate, quod ex hoc patet quod se ancillam Dei dixit, dicens. Ancilla Christi sum ego; nam ostendo me seruilem personam. Fuit etiam odorifera per sanctam famam, ita vt populus Syracusanus per quinquaginta milliaria audiens eius famam sanctam, ad vrbem Catanensium sitiens pergeret, vt habetur in Legenda eius, & sanctæ Luciæ virginis. Ideò potest etiam exponi de ea illud Cantic. 1. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Hæc igitur virgo amputauit de ore suo fœtorem suum maledictionis, quia in tribulatione Deum benedixit, & sanguine suo glorificauit. Teste Ambrosio in libro præfationum. O felix & inclyta virgo, quæ meruit Dominum pro laude fidelis martyrij sanguine clarificare suo. Ideò benè comparatur angelis, quorum interest Dominum benedicere, & laudare, secundum illud Psal. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli eius.* Et Daniel. 3. *Benedicite Angeli Domini Domino:* Ideò vocant eam suam sororem, in verbis præassumptis: *Soror nostra paruula est*, &c. In quibus verbis à tribus commendatur. *Primò*, ab angelica vicinitate, ibi; *Soror nostra. Secundo*, à profunda humilitate, ibi; *Paruula est. Tertiò*, à passionis acerbitate, ibi; *Vbera non habet.*

B

Circa PRIMVM est NOTANDVM, Auctor. 2. libr. propriet. varias ponit proprietates angelorum, propter quas B. Agatha angelis comparatur, & eorum soror nominatur. PRIMA, quia Angelica natura est fortis; Nam, vt dicit Dionysius de cœl. Hierar. omnia aduersa coërcent, siue vincunt. Nihil enim est, quod possit angelis resistere. Ideò dicit Damascenus lib. 2. cap. 3. Potest enim vnus angelus multos vincere armatorum. Quod figuratur 4. Reg. 19. vbi legitur: Sennacherib Princeps regis Assyriorum veniens in Iudæam *misit nuncios ad Ezechiam regem, dicens. Hæc dicite Regi Ezechiæ Iuda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas; Non tradet Ierusalem in manus regis Assyriorum. Tu enim audisti quæ fecerunt reges Assyriorum vniuersis terris, quomodo vastauerunt eas; num ergo solus poteris liberari?* quasi diceceret, nullo modo. *Cum accepisset literas de manu nunciorum, & legisset*, ait rex Israël: *Tu*

Angelorum proprietates.

I. Fortis.

es Deus solus omnium regum terræ: tu fecisti cœlum & terram. Inclina aurem tuam & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, qui misit, vt exprobraret nobis Deum viuentem; Dominus autem exaudiuit eum, & misit ei vnum angelum, *qui percussit vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum*, vt mane nihil inueniretur in armis nisi puluis.

Ista proprietas angeli etiam conuenit B. Virgini Agathæ, quæ fuit adeò fortis, vt nullis tormentis potuerit frangi; quia fuit sicut adamas, secundum illud Ezechiel. 3. *Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam*. Ipsa enim superauit fortiter corpus proprium, & seculum; ita, vt de ipsa exponi possit illud Prouerb. 31. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum*. Et verè magna fortitudo fuit in fragili virgine, quæ in paucis viris reperitur. Ideo dicit B. Gregorius in homil. Cum ad illud terribile examen districtus iudex aduenerit, quid nos viri dicemus, cum huius fœminæ gloriam videbimus: Quæ autem viri excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cum seculo sexum vicit? Quid nos barbari, & debiles dicemus, cum ire ad regna cœlestia puellam per ferrum videmus, quos ita superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Hæc ille.

C II. Puritas. SECVNDÒ angeli sunt puri, & virgines à natura, & hoc designant pictores, qui depingunt imagines angelorum zonis aureis circumcinctos, quia per virtutum habitum taliter sunt accinti, vt nullatenus ad aliqua vitia carnalia dilabantur. Et hoc ostendit Dominus Luc. 20. dicens: *Filij huius seculi nubunt & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque vxores ducunt, sed erunt sicut Angeli Dei*, scilicet puri & virgines. Et hæc proprietas Angelorum conuenit B. Agathæ, quæ decorata fuit virginali puritate & humilitate. Sicut testatur Beatus Ambrosius lib. præfationum dicens: O illustris & gloriosa gemmis, illustrata decore, quæ inter tormenta aspera cunctis prælata miraculis & mystico pollens suffragio Apostoli meruit visitatione curari. Hæc Ambrosius. Et propter hanc puritatem virginalem dicitur soror angelorum. Quia dicit B. Hieronymus: In carne, & non secundum carnem viuere, Angelicum est, & non humanum. Idem in sermone de assumptione dicit: Profectò in carne præter carnem viuere, angelicum est: vel non est vita terrena, sed cœlestis; vnde in carne acquirere gloriam angelorum, maius est meritum, quàm habere eandem; esse namq; Angelum, facilitatis est; esse verò virginem, virtutis, dum hoc virgo viribus obtinere nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura: vtrumque tamen diuini muneris est officium non humanum. Et sic patet, quod B. Agatha fuit Angelus, propter puritatem. Ideò de ea exponi potest illud Cantic. 7. *Statura tua assimilata est palmæ*, hoc est, Angelicæ celsitudini; quia secundum Isidorum libr. 17. Palma est arbor nobilis, insignis, perpetuæ pulchritudinis & virentis diuturnitatis, vestita floribus, & sine vlla successione conseruans folia sua tempore hyemis & æstatis. Sic angelica natura est nobilis, ideò assimilatur aquilæ, per Magistrum lib. 2. propriet. quia aquila est nobilissima auium, & etiam æternæ pulchritudinis, ideo vocatur à Dionysio libro de cœlesti Hierarch. speculum clarissimum, & diuini luminis receptaculum. Et hoc quod dicitur de natura Angelica, potest dici de sancta Agatha, quæ est soror Angelorum, teste Ambrosio libro de Virginitate, Soror Angelorum est virginitas.

[Margin: B. Agatha est Angelus.]
[Margin: Angelica natura aquilæ assimilatur.]

TERTIÒ, angeli habent ignitam caritatem, secundum illud Psal. 103. *Tu qui facis*

facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem; ideò comparantur igni secundum Magistrum libro prædicto propter diuini amoris incendium, & lumen cognitionis, nam in igne lucent, & in dilectione ardent. Ita etiam B. Agatha habuit igni- tam caritatem, vt habetur ex triplici signo. Ignea caritas. Triplex signum caritatis B. Agathæ.

PRIMVM est, quia omnia terrena propter Deum contempsit, secundum illud Cantic. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* D I.

SECVNDÒ, quod pro eo mortem sustinuit, ideo de ea exponi potest illud Cantic. 8. *Fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem.* Sicut enim mors separat animam à corpore, sic dilectio Beatæ Agathæ fuit tam fortis vt animam à corpore permiserit separari per mortem, antequam ad orationem idolorum voluisset consentire, quia sciuit scriptum Ier. 15. *Si separaueris preciosum à vili*, id est, animam à corpore propter me, *quasi os meum eris*; Vel sicut infernus ita est fortis, quod animas, quas in se rapit semel, fortiter tenet, & custodit quod nullam amittat. Ita tam fortiter fuit ipsa cum Christo coniuncta, vt nec per minas, nec tormenta potuerit ab eo separari, secundum illud ad Rom. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi?* II.

TERTIVM est, quod semper Christum in corde & in ore habuit, quia dixit, quamdiu viuam, ipsum in corde, & labiis meis inuocabo, quia reuerendum nomen Christi fuit literis aureis in corde eius inscriptum, propter quod tam sedulo fuit ab ea inuocatum, & si cor eius fuisset scissum, sine dubio in eo fuisset repertum nomen, sicut legitur simile de sancto Ignatio Martyre, qui inter multorum tormentorum genera, nunquam ab inuocatione nominis Christi cessabat. Quod cum tortores perquirerent, cur nomen hoc Iesus toties replicaret, dixit: Hoc nomen meo inscriptum est cordi, & ideo ab inuocatione eius cessare non valeo. Post mortem igitur illius, illi qui audierunt volentes curiosius experiri, cor eius à corpore euellunt scindentes per medium, scriptum hoc nomen Iesus Christus literis aureis inuenerunt. Et quamuis cor virginis illius nō fuit diffissum; nec nomen Christi visibiliter inuentum, quod tamen in ea fuit nomen Christi, habuit ab angelo testimoniū. Quia legitur in Legenda; Cum fideles corpus B. Agathæ cum aromatibus condirent, & in Sarcophago collocarent. Quidam iuuenes vestiti sericis, nusquam visi, pulcherrimis & ornatis albis induti, qui nunquam in illis partibus visi fuerunt, ad corpus eius venerunt, & tabulam marmoream ad caput eius ponentes, ab oculis omnium statim disparuerunt, in qua erat scriptum: Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Quod sic intelligitur. Mentem sanctam, habuit scilicet, in qua nomen Christi, spontaneam scilicet obtulit se, honorem Deo dedit, & patriæ liberationem, fecit. III.

QVARTÒ, Angeli habent virtutem peccata puniendi, quod patet 2. Reg. 24 vbi legitur, quod Dauid populum ex elatione numerari iussit. *Misit ad eum Dominus Gad Prophetam dicens; Vade & loquere ad Dauid. Hæc dicit Dominus. Trium tibi datur optio, elige tibi vnum quod volueris, ex his, vt faciam tibi. Cumq́ue venisset ad eum Gad, ait: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Dixit itaque Dauid ad Gad: Coarctor nimis; sed melius est, vt incidā in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quàm in manus hominum. Immisitq́ue Dominus pestilentiam in Israel, & mortui sunt percussione angeli* IV. Puniunt peccata.

angeli septuaginta millia virorum. Quo facto extendit angelus manum suam super Ierusalem, vt disperderet eam, sed Dominus misertus est super afflictionem populi, & ait Angelo percutienti. Sufficit, nunc contine manum tuam; cum autem Dauid vidisset Angelum cædentem dixit ad Dominum; Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt: Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Ex hac figura patet, quod Angeli puniunt delinquentes. Ideo dicuntur leones secundum Magistrum lib. 2. propriet. Quia sunt terribiles peccatoribus & dæmonibus.

Hæc proprietas Angelorum etiam conuenit B. Agathæ, quia grauiter puniuit malum peccatorem Quintianum. Refert Iacobus Ianuensis in Legenda. Cum Quintianus post mortem virginis ad inuestigandas diuitias eius pergeret, duo equi fremitum inter se dederunt, & calces iactauerunt, vnus enim morsu ipsum appetiit, alter calce percussit, & in flumen proiecit, ita vt corpus nunquam potuerit inueniri, & hoc valde iustitiæ congruebat diuinæ. Quia sicut ait Boëtius lib. 4. Prosa. 3. Iustis nunquam desunt præmia sua, nec malis sua supplicia. Cui consonat illud Augustini in sermonibus communibus, sermone 42. Impunitum non potest esse peccatum, nec decet, nec oportet, nec est iustum, scilicet, vt maneat impunitum.

V. Liberant à periculis.

Qvinta hæc est proprietas angelorum, vt liberent à periculis, sicut legitur Gen. 19. quod Angeli, qui hospitabantur cum Lot, eum de periculo magno incensionis Sodomæ eruerunt; dicentes: *Surge, tolle vxorem, & duas filias, quas habes ne tu pereas in scelere ciuitatis.* Ideò secundum Magistrum propriet. Dicuntur vigiles aut custodes, quia nullo somno oppressi imminentia nobis pericula nunciant. Ita beata Agatha liberat suos famulos, & famulas ab omnibus periculis mentis & corporis, quia potest confidenter id dicere Psalm. 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum,* &c. Quia legitur in Legenda: Reuoluto anno circa diem natalis eius mons quidam eximius iuxta ciuitatem ruptus, eructauit incendium, quod quasi torrens de monte descendens, & saxa terramque liquefaciens, ad vrbem cum magno impetu veniebat. Tunc paganorum multitudo de monte descendit, & ad sepulchrum B. Agathæ pro liberatione fugiens, velum, quo coopertum erat sepulchrum, arripiunt, & ipsum statuerunt contra ignem; statimq; in die natali ipsius virginis, ignis stetit, & vltra non processit. Ecce qualiter Agatha, tanquam angeli Lot, suos inhabitatores à periculo incendij liberauit. Ideò potest dici illud de ea, quod canitur de sancto Donato; Erit à morte animas ciuium suorum.

VI. Curant infirmos.

Sexta proprietas Angelorum est, quod infirmis medicantur, seu ministrant medicinam. Quod legitur esse figuratum Tobiæ 6. Cum Tobias proficiscens veniret cum Angelo in fluuium nomine Tygris, vt pedes lauaret; exiuit piscis ad deuorandum eum, quem timens Tobias exclamauit voce magna, dicens; *Domine piscis inuadit me. Ad quem Angelus: Apprehende,* inquit, *brachiam & trahe ad te; Quod cum fecisset, ait Angelus. Exentera eum, & cor eius, & fel & iecur repone tibi; sunt enim necessaria hæc ad medicamenta.* Et vt habetur cap. 11. Tob. veniens ad patrem sumsit de felle piscis, & *liniuit oculos patris sui, & cœpit albugo de oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias ab oculis eius traxit, statimq; visum recepit.* Et hanc medicinam didicit ab Angelo, & ab eo accepit. Ideò dicuntur Angeli medici à Magistro, vbi suprà; quia curant non solum infirmitates corporum, sed etiam animarum.

Hæc proprietas conuenit etiam B. Agathæ, quia potest conferre medicinam corpo-

corporum, sicut legitur in Legenda beatæ Luciæ: Cum fama B. Virginis Agathæ pertransiret prouinciam vniuersam, multi infirmi ad sepulchrum eius aduenientes, sanitatis gratiam receperunt. Quod audiens B. Virgo Lucia, venit cum matre sua Eutitia, quæ per quatuor annos sanguinis fluxum fuit passa, nec ab vllo medicorum liberata. Peractis verò Missarum solenniis, beata Lucia cum matre prostrauit se ante sepulchrum eius, suffragium postulantes. Quod cum fieret, Lucia obdormiuit, & vidit B. Agatham in medio Angelorum gemmis ornatam, quæ stetit & ait Lucia soror mea, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuò matri tuæ: Nam & fides tua illi subuenit. Ecce sanata est; Et mater surrexit sanata. Ecce qualis medica, quæ solo verbo potest sanare infirmitates corporales, quantò magis infirmitates animæ interiores. Ideo clamemus cum Psal. ad ipsam dicentes: O Agatha, salua me, & saluabor, *sana me, & sanabor, quoniam laus mea es tu.* Rogemus, &c.

DE SANCTA DOROTHEA VIRGINE MARTYRE.

Sermo primus.

Ego flos campi, & lilium conuallium. Cantic. 2.



AVERRORIS Commentator super de plantis Aristotelis ait. Post ventos validos fructuosior efficitur omnis hortus & campus. Cui consonat Plinius in spec. natur. dicens: Impulsus venti validus fructiferos efficit hortos, & fructus, quia videmus, quod tunc campi & horti magis ornantur floribus, & arbores magis virent. Rectè, sicut ignis secundum Plinium in spec. nat. à vento motus magis audet, & herba magis mota, magis redolet, vt asserit Galenus. A

MYSTICE per campum seu hortum intelligitur cœlum, quod est hortus deliciarum & omnium amœnitatum. Quia sicut in campis seu in hortis varij oriuntur flores, scilicet rosæ albæ & rubeæ violæ, & lilia; Sic in cœlo sunt rosæ albæ Apostolorum, rubeæ martyrum, candidæ virginum, ideò est locus omnis amœnitatis. Teste deuoto doctore Amando in horologio Sapient. lib. 1. cap. 11. Ibi inquit, vernalis amœnitas, ibi autumnalis fœcunditas, ibi serenitas æstualis, ibi iucunditas nuptialis, ibi vallis gaudiosa, ibi & visio amorosa, ibi sancti Apostoli cum summo amore & honore in iudiciaria resident pietate, quia Martyres rutilant roseo colore. Confessores radiant igneo fulgore, Virgines emicant niueo candore. Ecce quam deliciosus est ille hortus cœli.

Iste hortus factus est fructuosus flantibus ventis tribulationum & persecutionum, quia multi per tribulationes cœlum ascenderunt, & velut flores amœnissimi ipsum ornauerũt, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cœlorum.* Act. 14. Ita B. Virgo Dorothea, de quã canit Ecclesia. O flos amœnitatis, ô rosa puritatis, per varias tribulationes passionis, de hac valle miseriæ transiit in campum cœlestis lætitiæ; Vbi tanquam flos amœnissimus ornat cœli campum; ita vt audeat dicere; *Ego flos campi, & lilium conuallium,* &c. In quibus verbis à duobus laudatur. *Primò*, ab o- Vtilitas tribulationũ.

 peratio-

perationis multitudine, ibi; *Ego flos campi. Secundo*, à contemplationis altitudine, ibi; *Et lilium conuallium.*

B De PRIMO est SCIENDVM. Dicunt naturales: flos campi est quidam flos nobilis crescens vltra partes marinas, & habet stipitem multum asperum, sed magnatum est virtutum, & habet quinque folia rubea pulcherrima.

SPIRITVALITER. Per hunc florem campi gloriosa Virgo Dorothea aptissimè designatur. Rectè enim sicut flos campi omnibus est apertus, & nulli se denegat, qui eius vsu vult potiri, quod tamen non facit flos horti, qui clausus est iumentis: Ita B. Virgo Dorothea, flos delectabilis, omnibus, eam inuocantibus prompta, & apta ad auxilia conferenda, quia potest competenter dicere illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me*; Omnis enim qui mane, hoc est, in tempore gratiæ, deuotè in eius laude, & dilectione vigilauerit, proculdubio ipsam ad suum auxilium inueniet, quia ipsa est illa, ad quam Dominus noster Iesus Christus sponsus, hodie & in omni tempore dicit illud 3. Reg. 2. O sponsa mea prædilecta Dorothea, *pete à me quod vis, non enim fas est, vt quicquam denegem tibi*; Sic enim Christus exaudiuit eam pro omnibus, qui memoriam eius agerent. Et cum esset mortalis: dicit ad eam illud Cantic. 2. *Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea, & veni, electa sponsa mea*: omnia, quæ petisti, impetrasti, quantò magis ipsam nunc exaudit, cum exuta mole carnis sedet in conspectu eius, vt regina, & potest dicere illud Apocal. 18. *Sedeo* nunc, vt *regina, & luctum non video*. Ipsa enim figurata est per prudentissimam mulierem Abigail 1. Reg. 25. De qua legitur. Cum Dauid esset in deserto cum pueris suis, misit ad Nabal pro victualibus, vt sibi & suis destinaret alimenta. Nabal autem despexit Dauid dicens; *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* qui nullius est valoris: & etiam despexit seruos. Ideo Dauid iratus dixit ad suos: *Accingatur vnusquisque gladio suo*, scilicet ad capiendam vindictam de tam vili rustico. Quod percipiens prudens Abigail, venit ad Dauid, & indignationem eius super viro suo Nabal mitigauit, & plorauit. *Tunc ait Dauid, Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. Mortuo autem Nabal, misit rex, vt sumeret eam sibi in vxorem. Et venerunt pueri dicentes: Dauid rex misit nos ad te, & acciperet te sibi in vxorem.*

Abigail figura S. Dorotheæ.

C SPIRITVALITER. Per Dauid Christus intelligitur, quia Dauid interpretatur manu fortis, & Christus secundum Psal. 23. *est fortis & potens in prælio*; Sed per Nabal interpretatur stultus, & significat peccatorem, & principaliter Theophylum, qui fuit stultus ante conuersionem suam, & blasphemus, & despexit Christum verum Dauid, & eius famulam B. Dorotheam; quando dixit Dorotheæ. Mitte mihi rosas de viridario sponsi tui; quasi diceret, nullo modo potes hoc facere, quia sponsus tuus non est potens in hoc mense Februario producere rosas, cum vniuersa terra frigore sit constricta. Quare iratus Christus de tali blasphemia, super ipsum protulit sententiam mortis, secundum illud Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morietur*. Sed prudentissima virgo Dorothea per Abigail designata transiens ad locum passionis pro eo Christum exorauit, & iram eius mitigauit, ita vt dicere posset cum Psal. 84. *O Domine mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ*. Et Christus dixit ad eam. O Dorothea benedictum eloquium tuum, vt suprà patuit.

Misit

Misit igitur ad eam angelos suos, vt ipsam sibi sumeret in sponsam, secundum illud Sap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui eam mihi sponsam sumere, & amator factus sum formæ illius.* Et ecce venit ad eam puer purpura indutus, ferens sportulam cum rosis in signum desponsationis, quia solent proci sponsis suis mittere munuscula, vt eas citius inclinent ad consensum, sicut habetur Genes. 24. de Isaac, qui misit Rebeccæ virgini vasa aurea & argentea, vt ipsam citius inclinaret, sic fecit Christus huic speciosissimæ Dorotheæ. Ipsa enim benè dicitur flos, quia flores dicuntur à florere. Ipsa enim floruit in omnibus virtutibus; in sapientia, quia solicitè laborauit, quod fuit optimum, ideo de illa potest dici illud Prouerb. 14. *Mulier sapiens ædificat domum suam.* Floruit in fortitudine, quia Fabritium tyrannum, mundum, & diabolum superauit, vt de ipsa exponatur illud Prouerb. 31. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Ideo canitur de ipsa, Venite, & videte victoriam athletæ, quæ vicit antiquum castitatis inimicum. Floruit etiam in benignitate, secundum quod canitur; Dicta sunt de te gloriosa, Dorothea, in te manet benignitas, tu puritatis ciuitas. Floruit in dilectione Dei, quia corpus suum virgineum dedit in supplicium, & in exterminium, secundum illud Cantic. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Floruit in iustitia, quia Deo reddidit laudis obsequium. Ideo canitur de ea illud Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti malitiam, ideo præ tuis consortibus vnxit te rex altissimus.* Et sic de aliis dotibus. Ipsa namque est nobilis flos, orta de nobili stirpe senatorum, ideo canitur de ea; Nobilis & formosa, Dorothea generosa. Iste nobilissimus flos campi habuit quinque folia rubea, quibus erat condecenter exornata.

Cur S. Dorothea flori cōparetur.

B. Dorothea flos campi habēs quinque folia.

D

I. Verecundia & custodia oculorum.

PRIMVM folium fuit *verecundia*, & custodia oculorum; quia oculis suis solum decentia & recta vidit, secundum illud Prouerb. 4. *Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant gressus tuos.* Ideo de ea potest illud dici Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum,* quæ semper intuentur miluum venientem, aut falconem. Ita B. Dorothea semper præuidit insidias Diaboli milui infernalis, quia nec per se, neque per tyrannum Fabritium, potuit eam capiendo superare. Et verè necesse est virgini custodia oculorum, vt cum folio verecundiæ tegat oculos, ne videant impudica; Quia legitur Genes. 34. *quod Dina filia Liæ egrediens de domo, vt videret mulieres regionis illius*, & vanitates earum; *Quam cum vidisset Sichena filius Hemor Heuai, qui erat princeps ciuitatis, rapuit eam per potentiam, & dormiuit cum ea, vi opprimens virginem*; quæ si visum custodisset, & in domo mansisset, corrupta non fuisset. Sic timeo, contingit multis impudicis puellis & mulieribus, quæ omnia spectacula chorearū volunt contemplari, quæ si non corporaliter, tamen interdum mentaliter corrumpuntur. Quia dicit B. Ambrosius in quadam homilia: Non credo viro vel mulieri, si dicit se illæsum euasisse à spectaculis talium. Dauid ex eo, quod vidit Bethsabee lauantem, statim ad libidinem prouocatus est, vt habetur 2. Regum 11.

II. Custodia aurium.

SECVNDVM folium, quo ornatus erat candidissimus flos campi, B. Dorothea, fuit verecundia, & *custodia aurium.* Ipsa enim audiens promissiones Fabritij Præfecti, non ei assensit, sed omnia tanquam lutum spreuit, quia audiuit Sapientem, Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis, & ne audias linguā nequam,* quod est contra virgines modernas, quæ audientes promissiones virorū statim credunt. Contra illud Eccl. 19. *Qui statim credit, leuis est corde.* Tales etiam virgines statim inclinant aures ad auditū turpium virorum, & cantilenarum mundanarum, quod tamen est contra Aristot. 7. Pol.

vbi dicit, quod ab auditu turpium aures sunt refrenandæ, quia de facili ex hoc ad opus inclinantur. Ideò tu mater instrue filiam tuam, vt declinet aures à turpibus, & tecum eundo ad Ecclesiam intendat diuinis & prædicationibus; quia Eua inclinans aurem ad verba dæmonis, mandatum Dei est transgressa, Gen. 3.

Matres filias suas benè instituant.

III. Custodia oris.

Tertium folium fuit *custodia oris*; quia verba turpia non protulit, sed quotidiè Deum in suis fabulationibus benedixit, vt dicere possit cum Psal. 23. *Benedicam Domino in omni tempore.* Etiam B. Dorothea silentium tenuit, cum non multa verba cum Præfecto miscuit, quod magnum ornamentum fuit secundum illud Aristotelis 1. Polit. Silentium mulieris præstat ornatum; quod est contra mulieres multas, & seculi virgines, quæ verba turpia & luxuriosa dicere non verentur, de quibus dicit Ps. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* O mulier diaboli, iudicium Dei non euades quæ tam turpia dicere audes. Et hoc petit Psalm. 5. *Iudica illos Deus.* Vide qualiter illa est perpessa, de qua refert Gregorius 4. dialogorum cap. 54. dicens.

Mulierum ornatus, silentium.

E Erat quædam monialis, quæ carnis continentiam habuit, sed à stultiloquio non cessauit. Hæc cum defuncta esset, & in Ecclesia sepulta fuisset, eadem nocte vidit custos templi, quod fuit ante altare ducta, & per medium secta, cuius quidem vna pars mansit intacta, & altera fuit cremata. Illius combustionis signa sequenti die in marmore apparuerunt, ac si fuisset ibi corporaliter concremata.

IV. Manuum custodia.

Quartum folium fuit *custodia manuum*, quia eas non extendit ad illicitos tactus, sed verius ad pauperes. Non eas extendit ad choreas, sed in operibus licitis, secundum illud Sap. vbi suprà.

V. Pedum custodia.

Quintum foliũ est *custodia pedũ* ab illicitis ingressibus; non enim gradiebatur ad loca vana, & ad illicita spectacula, sed potius ad Christi templa, petens cum Psal. 118. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* Sed sic non faciunt nostræ virgines, quæ hinc inde diu vagantur in plateis, sponsos vt æstimo conquirentes. Contra quas dicit gloriosus Hieronymus lib. de laude virginitatis: Nolite sponsum quærere per plateas; nolite currere per angulos ciuitatis, sponsus in plateis non potest inueniri. Et hoc quantum ad primum.

F Quantum ad Secundum, est Notandum. Dicunt naturales quod lilium conuallium est in altum se extendens, florem multum odoriferum habens, rubeum colorem & album ostendens, semper inter aculeos spinarum manens, & tamen candorem pulcherrimum, & odorem non amittens. Huic lilio gloriosa Dorothea comparatur, quæ in altum contemplationis extulit se, quia sciebat hoc, quod dicit Fortunatus in homil. Nequaquam Deus deuotæ animæ applicat se, nec inclinat, nisi se totam in contemplationem positam erigat & occurrat.

B. Dorothea assimilatur lilio conuallij.

Secundò, sicut lilium conuallium habet odorem & florem multum odoriferum, qui vndiq; circumfunditur, à quo homo recreatur; ita B. Dorothea adeo florem suæ beatæ famæ emisit, vt per totum mundum sit dilatatus, & ideo audet dicere cum Apostolo 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus.* Et similiter illud Eccl. 24. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Cinnamomum est arbor breuis, odorifera, & dulcis, vt dicit Glos. super Euangelium, Per odorem huius Cinnamomi, quod replet odorem, & locum, in quo seruatur, significatur fama ipsius, quæ totam prouinciam Cappadociæ & alia regna illu-

stra-

ſtrauit,impleuit,ſecundum quod ſancta Eccleſia canit: Lætare Cæſarea Ciuitas beata,nam illuſtrat varia regna,&c. Balſamum autem,vt dicit Plinius lib.12. cap. 11. Omnibus odoribus præfertur,quo ſoli vtuntur reges terrarū.Per odorē huius balſami, ſignificatur fama, quæ placuit Deo, ſecundum quod canitur: Cordis puritate, promiſſi veritate, manuum innocentia, ſumma cum prudentia, caſtiq; cordis conſilio placuit altiſſimo. Præſtantia odoris balſami.

Myrrha vt dicit Plinius vbi ſuprà, eſt valde aromatica, & præcipuè illa gutta ſudando effluens, omnibus generibus myrrhæ in odore præfertur,& myrrha educta electa à pluribus vocatur. Per eius odorem ſignificatur fama ad ſeipſam: quia ſicut myrrha quantò magis creatur, tantò magis redolet, & odor dilatatur. Ita in ſimili, quantò magis B. Dorothea ardebat igne tribulationis, tantò plus fragrabat, ita vt de ipſa poſſit dici illud Cant. 1. *Vnguentum effuſum nomen tuum.* Hoc odore ſuauiſſimo multa millia paganorum ſunt recreati in fide confortati, qui potuerunt dicere ad ipſam. O Dorothea trahe nos poſt te.

TERTIVM, lilium conuallium habet colorem rubeum exterius, ſed interius album Ita B. Dorothea fuit exterius rubea per ſanguinis effuſionem. Ideò ſi quæretur ab ea. O Dorothea quare rubrum eſt indumentum tuum poſſet reſpondere. *Torcular calcaui* ſcilicet paſſionis *ſola, & de gentibus non eſt vir mecum.* Iſaiæ. 63. Fuit autem interius alba per caſtitatis retentionem. Ideò canitur de ea: Præ decora facie fulgens & venuſta, procuratrix gratiæ, caſta, mitis, iuſta. Et quamuis hoc iucundiſſimum lilium conuallium ſemper fuit inter aculeos tormentorum, tamen candorē ſpecioſitatis & odorem ſuauitatis non amiſit,ideò de ipſa exponi poteſt illud Eſther. 2. *Erat enim formoſa valde, omniumq; oculis gratioſa, & amabilis videbatur*; Et quamuis non omnibus incredulis, tamen ſanctis omnibus & angelis, quibus hodie lætantibus in cœlum eſt deducta. Rogemus &c.

DE EADEM VIRGINE SANCTA.

Sermo ſecundus.

Flores apparuerunt in terra noſtra. Cantic. ſecundo. Vel poteſt applicari pro themate illud: *Quaſi flos egreditur & conteritur.* Iob. 14.



SEcundum naturales, flores non omni tempore anni apparent, nec campos, nec prata ſemper ornant, ſicut hodie videmus in hyeme, & præcipuè in menſe Februario, ibi rariſſime flos inuenitur, tum propter frigiditatem conſtringentem, quia tunc frigus viget propter ſolis elongationem diuturnam, tum propter niuem terram tegentem, & ortum florum impedientem. Ideò pingitur Februarius ſenex ad ignem reſidens & ſe calefaciens, vt dicit Magiſter propriet. lib. 10. Veniente autem vere aut Aprili, terra aperitur, & flores de terra oriuntur, quorum primus eſt viola. Ideò depingitur Aprilis geſtans florem, quia illo tempore incipit terra primitus floribus decorari vt dicit Magiſter vbi ſuprà.

MYSTICE per hyemem intelligitur tempus, quod fuit ante natiuitatem Christi, in quo rarissimi fuerunt flores virginei, quia tunc virginitas fuit maledicta, & coniugalitas bendicta, secundum illud, quod legitur Genes. 1. creauit eos masculum & fæminam, benedixitq; illis: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Idem legitur Genes. 8. Post diluuium benedixit Noë & vxori eius, dicens ad eos verba prædicta, *Crescite & multiplicamini.* Idcircò antiqui, quorum filiæ virgines manebant, illud lamentabantur, sicut habetur figuratum Iudic. 11. de Iephte, qui fuit dux exercitus filiorum Israel; Hic pugnaturus cum rege Ammon, *vouit votum dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; fuerit primus egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit cum pace, eum offeram Domino in holocaustum; Et factum est ipso reuertente, occurrit ei vnigenita filia sua, cum tympanis & choris; Quam cum vidisset, expauit scindens vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es.* Sed tamen impleuit promissum, ipsam Domino immolando. Et dicunt Glossatores Hebræorum: immolauit per obseruantiam virginitatis, & non per occisionem corporis, & hoc deplanxit ipsa omnibus diebus vitæ suæ.

Cur virgines in veteri Testamento nubere delectabant.

Sed quare hoc fiebat? Quia sciebat verum Messiam nasciturum. Ideò quælibet virgo anhelabat ducere virum, vt de semine suo ille etiam nasceretur. Sed veniente tempore veris, hoc est, gratiæ, inceperunt primitus oriri flores virginei, quorum primus fuit MARIA humilis viola, per cuius exemplum multæ aliæ virgines, relictis nuptiarum copulationibus, spretaque liberorum propagine, sponso perenni, qui in cœlis est, maluerunt applicari, quarum vna fuit B. Dorothea virgo, de qua prædixit Psalm. 102. *Tanquam flos agri sic efflorebit.* Hæc spreuit torum Præfecti Fabritij, & amplexata est consortium sponsi sui IESV CHRISTI, sicut & multæ aliæ, de quibus intelligitur thema præassumtum. *Flores apparuerunt in terra nostra.* In quibus verbis duo innuuntur. *Primò*, beatæ Dorotheæ ad flores comparatio, ibi; *Flores apparuerunt. Secundo*, sanctæ Ecclesiæ per ipsam exornatio, ibi; *In terra nostra.*

De PRIMO est sciendum. Dicunt naturales. Ver producit multiplices flores. Sed quantum ad propositum, sufficiunt flores solsequiorum, flores rosarum, & flores violarum. His floribus dedit natura magnam virtutem secundum illud dictum Poëtæ. *Est virtus gemmis, verbis, cum floribus, herbis.*

Sed hos flores, eorumq; virtutes stulti despiciunt & conculcant. Medici autem sapientes colligunt atq; reseruant, & medicinas salubres conficiunt, & componunt. De hoc dicit Origenes super Leuit homil. 8. Omnis medicus ex florum, & herbarum succis proficua corporibus medicamenta componit: Sed hos flores & herbas si quis forte, antequam protractione artis componantur, aspiciat in agris, vel in montibus, vt fœnum præterit, & conculcat: Sed si intra medici stubas depositas viderit per ordinem, licet odorem tristem reddant, tamen suspicabitur quid curæ vel remedij continere.

A MYSTICE. Per ver, quo ad præsens, Christus intelligitur. Quia sicut ver conuersum ad nos, terræ nascentia frigore hyemis consumpta, viuificat: Nam via germine viret, sylua virore frõdet, prata floribus rident, & omnes homines in hoc tempore lætantur, & exultant; Ita Christus quando conuertitur ad nos per suam gratiam, omnes virtutes mortuas viuificat. Sicut testatur Dauid Psalm. 84. *Deus tu conuersus,*

(sci-

(scilicet ad nos per gratiam) *viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.* Idem testatur B. Anna in Can. 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat.* Et ipsemet Dominus Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.*

Ille Christus hic per ver designatus produxit varios flores, id est, virgines, de quibus dicitur Cantic. 2. *Fulcite me floribus,* id est, laudate me in virginibus. Et iterum Eccli. 24. *Flores mei fructus honoru & honestatis*, quarum vna nobilissima est B. Dorothea, quam Christus produxit, sicut florem solsequij, florem rosæ & florem violæ. Quod testatur Ecclesia cum cantat: O flos amœnitatis, dos puritatis, vos natantes in peccatis, iunge beatis.

Dedit ei etiam Christus magnam virtutem, ita vt possit dicere illud Psal. 17. *Deus præcinxit me virtute*, vtpote fidei, constantiæ, & virginali castitate, quod tangitur ibi; *Et posuit immaculatam viam meam.* Sed has virtutes in ea stultus Præfectus Fabritius, & alij gentiles despexerunt & ipsam per passionem contriuerunt, secundum quod prædixerat Iob. 14. *Quasi flos egreditur & conteritur.* Rectè enim sicut flos amœniter de stipite egreditur, sed tamen à porcis interdum conculcatur: Sic B. Dorothea egressa de stirpe nobili Senatorum, sed à porcinis gentibus horribiliter conculcata, vt dicere posset illud cum Psalm. 55. *Conculcauerunt me inimici mei tota die, conculcauerunt me simul.* Sed Christus, qui fuit cœlestis medicus, quia in terra iacebat vndiq; ægrotus populus, de cœlo venit medicus. Hæc Augustinus in sermonibus: Hic medicus sciens valorem huius nobilissimi floris virginis Dorotheæ, ipsam collegit, & more medicorum corporalium salubres medicinas nobis peccatoribus confecit. Refert Isidorus lib. decimo septimo. Quia flos solsequij est flauus, solis sequens splendorem. Nam sole oriente se aperit, & eo occidente, se iteratò claudit. Ex hoc flore medici certi faciunt medicinam caliginem oculorum abstergentem in hunc modum.

Colligunt enim flores in vitris, & in medium acerui per nouem dies ponunt formicarum. Et ex his floribus, vt aiunt nonnulli, fit tam salubris aqua, quæ caligines & fortassis pelles oculorum abstergit. Et huic flori comparatur beata Dorothea, quæ quamuis fuit prius in facie florida super omnes puellas Cappadociæ regionis, vt de ipsa possit dici illud Genes. 24. *Puella decora nimis virgoq; pulcherrima*; tamen facies eius ex verberibus baculorum effecta est liuida seu flaua, & non solum facies, verum etiam totum corpus; quia videmus quando homo grauiter verberatur, tunc sanguis inter cutem & carnem, & locus percussus, mox liuescit seu flauescit. Ita factum est cum virgine Dorothea, quæ ita fuit percussa, vt nulla in ea remanerent vestigia, ita vt dicere posset illud Cant. 5. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me custodes murorum, & tulerunt pallium meum*, id est, decorem corporis mei, & quamuis percuteretur à tortoribus, tamen Christum verum solem iustitiæ semper secuta est, tàm in prosperitate, quàm in aduersitate, quia nouit esse scriptum, Eccli. 23. *Gloria magna est sequi dominum, quia longitudo dierum sumetur ab eo.* Idcircò summus medicorum de hoc nobilissimo flore fecit saluberrimam medicinam, nam collegit eam, vt dictum est, de nobili stirpe senatoria. Sicut canit Ecclesia, Dorothea quæ nascitur stirpe Senatoria, omni laude pascitur, eius felix memoria. Etiam posuit eam in vitro, hoc est, fragili sexu fœmineo, quæ est fragilis, sicut vitrum in medio formicarum, hoc est, gentilium, qui formicis comparantur. Rectè enim sicut formicæ secun-

B

B. Dorothea comparatur Solsequio.

cundum Solinum in libro de mira mundi, perfundunt homines aqua venenosa, sic mali venenant bonos homines, & fideles venenosa aqua peruersarum doctrinarum. Quia dixit Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris cum peruerso peruerteris.* Et Sapiens inquit. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo induit superbiam.* Eccli. 13. In medio horum fuit locata B. Dorothea, nec tamen ab eis venenata facta est aqua & medicina salutaris, quæ malorum oculorum abstergit cœcitatem, quod liquidè patuit in Theophilo, qui fuit cæcus in oculis cordis, & benè potuisset dicere illud Tob. 5. *Quale mihi gaudium erit, cum sedeo in tenebris ignorantiæ,* & lumen cœli non video, sed hunc illuminauit Dorothea, sicut canit Ecclesia. Illustratur incredulus, fitq; natus lucis, famulator sedulus, Christi summi ducis. Sed quomodo ipsum illustrauit, capere possumus in natura.

C Refert Plinius in spec. nat. quod hirundo videns pullum suum excœcatum, volans quærit chelidoniam, quæ habet flores croceos, & in aduentu hirundinum solet florere, & succo illorum florum linit oculos pullos, & statim visum recipit. Sic B. Dorothea videns pullum suum spiritualem Theophilum quem genuit in fide à dæmone esse cæcatum, qui cuilibet Christiano nititur eruere oculos dextros in figura Naas. 1. Reg. 11. Ideò volauit more hirundinis non ad campũ agri, sed ad viridarium sponsi sui, ibi ferens, & colligens flores rosarum, eas mittens Theophilo Notario. Sicut canit Ecclesia. De paradisi viridario, rosas mittens Notario, & cum vidisset rosas statim illuminatus fuit in fide. Ideò de ipso exponi potest illud Psalm. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Quia per has rosas sibi, vt creditur, de excelso paradisi latas, ipsum illustrauit. Et sequitur; *Turbati sunt omnes insipientes corde,* quia insipiens Præfectus Fabritius cum sibi adhærentibus turbatus est, sicut canitur. Contristatus est Præfectus, regni scriba dum electus, factus est catholicus. Et quia nos omnes cœci, secundum illud Isai. 42. *Quis est cœcus nisi seruus meus,* ideò deuotè seruire debemus B. Dorotheæ, quæ potest illuminare oculos nostros, & quilibet clamet ad eam, cum Psal. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte,* quia multum est nobis necessarium, vt ab ea illuminemur, ne in cœcitate manentes æternaliter damnemur. Dicit Damascenus lib. 8. contra errores Græcorum. Huic cœcitati hominum timeo, ne omnis venia denegetur, cum sic ex cœcitate homines in peccatis tam suauiter quiescentes, tantum aspiciunt principium, nec prospiciunt futurum. Quod tamen optat Moyses cuilibet homini dicens: Deut. 32. *Gens absq; consilio & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

D *Subsequii medicinalis operatio.*

SECVNDO medici corporales de hoc flore faciunt medicinam, dolorem cordis & pectoris, repellentem; decoquunt enim herbam cum flore in aceto, & dant portare mane; & hæc potio omnes dolores cordis & pectoris, & omnes malos humores ab eis repellit; etiam exteriorum membrorum scabiem abstergit, vt dicit Isidorus lib. 17. Sic Christus decoxit B. Dorotheam in aceto amaræ passionis, cum Fabritius misit eam in feruentis dolium olei, vt dicit Legenda. Et nunc in mane, id est, tempore gratiæ dat ipsam infirmis peccatoribus, quos ipsa sanat secundum illud Psalm. 146. *Sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Et etiam abstergit scabies peccatorum, vt patet in Legenda. Dicunt medici, quod rosa cum floribus est multum vtilis, & virtuosa. Nam pannus lineus tinctus in aqua eius, & circa caput ligatus omnem dolorem aufert & bonum somnum adducit. Ita B. Dorothea tanquam

quam nobilis rosa & virtuosa, quod testando Ecclesia canit: Aue gemma virtuosa, Dorothea vernans rosa, mundi via patens gloriosa. Ipsa enim tollit omnem dolorem inferni, quem homines pro peccatis deberent sustinere, si studuerint ei deuotè seruire; quia ante suam decollationem, rogauit sponsum suum, dicens: Peto Domine, vt omnes, qui deuotè meam memoriam peragent, in fine suæ vitæ remissionem omnium obtineant peccatorum; & super illo est exaudita, & hoc commemorans Ecclesia canit. Dum sub ense præstolatur mortis ictum, deprecatur pro his, à quibus veneratur suæ necis memoria. *Et sequitur.* Completa tunc oratione, exauditur in agone Domni promissione; quia dixit: Veni electa sponsa mea, quæ petisti impetrasti. Modo dicit Bernardus in sermone. Tolle propriam voluntatem & peccatum, & non erit infernus; & quia ipsa petijt remitti peccatum suis fidelibus famulis & famulabus, ideò inferni non sentiunt passionē ac dolorem, qui non datur nisi mortalibus morientibus in peccatis. Et hoc erit eius cultoribus magnum gaudium. Nulla lingua poterit exprimi, cum iusti se gehennæ inspexerint incendia euasisse. Ideò etiam ablato illo timore, ac dolore inferni, sancta virgo Dorothea fecit homini bonum præmium mortis. Ita de ea potest dici Haymonis super Apoc. O quàm gaudens erit eius obitus, qui B. Dorotheam, dum viueret sedulus & deuotè coluerit. Ipsa figurata est per Iahel vxorem Haber Cinæi, de qua legitur Iud 4. Cum *Sisara fugit à facie Barac, venit ad tentorium Iahel, quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & cœpit obdormire*; Ita B. Dorothea ad se per deuotionem venientibus aperit lac purissimæ candidissimæque virginitatis, & facit eos in Domino dormire, ita tunc quilibet potest dicere cum Psal. 4. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.*


Oratio B. Dorotheæ.

Referunt etiam naturales, quod viola, quæ est naturalis flos nobilis, & formosa, contusa cum vino & super vulnus in panno posita, dolorem mitigat. Succus eius in vulnus missus putredinem expellit, & carnem immundam crescere non sinit. Et cum aceto mixta super caput posita, dolorem sedat, & melancholiam expellit. Ita Beata Dorothea de qua canit chorus Clericorum. Nobilis & formosa, Dorothea generosa, posita super vulnus peccati, ipsum, vt dictum, potenter expellit, & animam mundam facit, quod patuit de duabus sororibus Christa & Calista, quæ vulnus peccatorum acceperant, in eo quod metu mortis à Christo recesserunt, & idolis immolauerunt, & quælibet potuit dicere cum Psalm. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*, sed cum venisset ad hanc nobilem violam B. Dorotheam, dolor vulnerum est mitigatus, quia ad Christum per veram viam redierunt, & sic à futuro dolore inferni sunt liberatæ. I

DE SANCTA APOLLONIA VIRGINE ET MARTYRE.

Sermo secundus.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Eccli. 24.


Gidius super lib. Aristotelis de longit. & breuit. vitæ, dicit: In alta regione homines tamdiu manent, sicut in altis montibus, & ratio est, quia infirmitas interdum prouenit ex corrupto aëre, siue vento. Sed dicit Alexander super 1. Metheor. In altis vehementer montibus, nullus cernitur vnquam ventus. Et probat hoc dicens: Sparserunt enim antiquitus cineres Philosophi in altis montibus, sicut in montibus Macedoniæ Olympo, qui est excelsus nimis, ad experiendum hunc effectum, reuoluto anni circulo cineres repererunt immotos, nulloque vento dispersos, & illa est causa, quod propter altitudinem loci nullus vapor ascendit, nec materia vaporum.

A MYSTICE per altam regionem intelligitur ipsa virginitas, quæ est tam alta, vt pauci ad eam pertingant vel ascendant. Omnis homo, qui in ea moratur diu etiam corporalem habet sanitatem, sicut testatur Ambrosius lib. de virginitate. Casta, inquit, corpora solum sunt sanitatis susceptiua. *Et iterum.* Pura castitas vitam prolongat, sanitatem conseruat, corpus optimè disponit, illustratq; intellectum. Et hoc probat in lib. de miseria mundi. Quia in India sunt virgines, quæ se Veneri penitus abdixerunt. Nam apud eos nemo nascitur nec deficit, quia ille locus est addictus pudicitiæ; Et quamuis multi vndiq; gentilium illud veniant, nullus tamen admittitur, nisi qui castitatem fidei, & innocentiæ meritum consequatur. Nam qui reus est, vel leuis culpæ obnoxius, licet summopere ad ipsam ingressum facit, diuinitus submouetur. Ita per immensum spacium seculorum, dicta est gens æterna cessantibus puerperijs. Ex quo docet, quod virgines diu retinent florem iuuentutis. Sic factum est de Beata Apollonia virgine gloriosa, quæ propter suam castitatem ad longæuam peruenit ætatem. Sicut legitur in Legenda. Temporibus Decij erat quædam admiranda virgo longæ ætatis Apollonia, castitatis, sobrietatis, atq; munditiæ floribus redimita, tanquam columna fortissima ipso spiritu Domini confirmata. Ideò seipsam comparat Cedro, cuius lignum est imputrescibile, dicens; *Quasi cedrus exaltata sum.* In quibus verbis à duobus commendatur. *Primò,* propter æternæ virtutis varietatem, ibi; *Quasi Cedrus, Secundo,* propter æternæ salutis sublimitatem, ibi; *Exaltata sum.*

Castitatis laus.

B Circa quod NOTANDVM. Naturaliter loquendo, tunc cedrus inter alias arbores varijs virtutibus, decorata est ditissimè à natura, propter quas est rara. PRIMÒ. Cedrus est primò quasi filia decenter decorata à natura, quæ præ cæteris arboribus ipsam decentius, adornauit, ita, vt dicit Rabanus super Cantic. 3. Cedrus est omnium arborum regina, & domina; & propter hoc locauit ipsam in loco alto, in monte Libani, secundum illud Psal. 103. *Cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt.*

Cedrus arborum regina.

MORALITER. Sicut Cedrus tanquam arbor nobilissima; producitur à natura, ita beata Apollonia: inter alias virgines est nata de stirpe nobilissima, quod sic patet. Beata Catharina est de stirpe Regia Sancta Dorothea, de stirpe Senatoria, Beata Margaretha descendit de stirpe & progenie Patriarchali; Sed B. Apollonia Imperiali. Pater enim eius dictus Eusebius, fuit Græcorum Imperator, regens sedem Imperialem in Alexandria ciuitate.

Hic

Hic accepit quandam filiam regis Leoniam de Ierusalem in vxorem, de qua genuit Apolloniam, quæ genita cuidam nutrici Christianæ nobili est tradita, quæ ipsam non solum in cibis, sed moribus, & fide alebat Christiana. Hæc enim nymphula Apollonia velut Cedrus præ alijs virginibus regionis fuit pulcherrimè exornata, quia sicut Cedrus secundum naturales aspectu est pulchra, semper retinens vigorem suum, ita Apollonia in visu fuit pulcherrima, & semper retinuit vigorem nitidissimæ castitatis, ita, vt de ea exponi possit illud Genes. 24. *Puella decora nimis virgoq; pulcherrima, & incognita viro.* Ideò Græca lingua fuit dicta ἀπολλωνή quod sonat pulchra facie; quam pulchritudinem considerans pater, in turri altissima decreuit eam detinere. Rectè sicut Cedrus propter suam pulchritudinem obtinuit locum altiorem. Et qui pulcherrima fuit, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur Esth. secundo. Ideò dedit ei custodem quendam senem Collidrianum virum honestum, & scientia cæteris præcellentem, sibi cuius eruditione in breui apicem Philosophiæ artis edidicit, & in Rhetorica sub in Græcia similem non habuit; sed quia de fide, quam acceperat à matrice, nimis intenta erat, *sine qua impossibile est placere Deo,* ad Hebræ. 11. vale dixit prædictis scientijs, quia in secularibus scientijs vanitas est. Hoc patet Ierem. 10. *Nolite vias gentium discere, quia leges populorum vana sunt*; Ideò has scientias abiecit, & volumina Christianæ religionis legere cœpit, in quibus instruitur fides, quia sciuit, quod regnum Dei in simplicitate fidei, non in contentione secularium scientiarum acquiritur, vt habetur tricesimo septimo dist. capit. Omnem.

C. Apollon iæ filia imperatoris.

Apollonia in Rhetorica & Philosophia excelluit.

Cum igitur esset Christianorum insignita virtutibus intus in anima, extra in corpore suggescit Magistro suo, vt eam viuere permitteret secundum fidem Christianam, quo annuente Beata Virgo mensam suam auream pretiosis lapidibus decoratam, vestes aureas margaritis innumerabilibus decoratas, coronam preciosissimam capitis sui, cingulum inæstimabiliter pretiosum, & alia ornamenta preciosa destruxit, & pauperibus erogauit, & despecto habitu membra sua texit. Quia legerat illud Dominicum dictum Matthæi sexto. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi fures effodiunt & furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Etiam tanquam prudentissima sciuit illud Augustini, quod scribit contra Faustum. Nunquid in æternum DEI iucundabitur visione beatissima, qui mundi delectabatur desiderio & amore, quasi diceret, nullo modo. Et similiter illud, quod Haymo dicit super Apocalyp. Fruitio temporalis lætitiæ, fruitionem amittit visionis æternæ.

Audientes igitur fratres eius post longa temporis curricula, quod ornamenta abiecisset, matri eam detulerunt, quæ videns eam despecto habitu, redarguit eam. Ipsa respondit: in tuto loco ea, de quibus me arguis, reposui, vt vtar tempore congruo, & ait matri. Si in DOMINVM Iesum Christum credideris, cui non mea, sed sua reddidi pauperibus: in quem & ego credo, immarcescibili corona coronaberis vitæ æternæ. Audiens hæc mater abscessit; sed decem nobiles virgines, quæ ei à patre fuerant adiunctæ, ceciderunt ad pedes eius lacrymantes, & petentes vt eis ea verba repetere dignaretur; quibus repetitis, omnes in Christum crediderunt.

II. SECVNDO, cedrus diu durat secundum Isidor. lib. decimo septimo. Non enim potest à tinea, vel à teredine, exterminari sicut alia ligna. Idcircò propter eius durabilitatem & perpetuitatem, ex cedris fiunt limina in Regum palatijs, & in templis: Ita B. Virgo Apollonia fuit durabilis & constans in suo proposito, quæ à tineis adulationum, & blandimentorum non potuit emolliri, vel corrumpi, ita vt de ea exponi possit illud Isa. 40. *Lignum forte & imputribile elegit sibi sapiens artifex.* Ideò sequitur in Legenda.

Egressa autem mater ad filiam cum multitudine virginum lasciuarum, adducens secum diuersorum musicorum melodias, sperans natam his emolliendam blandimentis: Ipsa autem spreuit, quia timuit illud Iob. 21. *Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Ideò alijs saltantibus, ipsa gentibus in terram prouolutis, & manibus in cœlum erectis, orauit dicens: DOMINE IESV Christe libera me in tempore, in quo laudo nomen tuum, in tympano cordis mei, & organis oris. Mater autem videns eam redarguit. Cui ait. Inuanum laboras mater, verba tua venti sunt: terrores velut pluuia, mens mea firmata est super firmam petram, quæ est Iesus Christus & Deus meus.

Videns autem mater filiæ duritiam patri detulit eam, qui decem annos contra hostes Armeniæ bello consummauerat, & propterea tunc reuertit. Vidensq; pater filiam vultu macilenta, & vilibus vestitam, ait illi: O vnicum cordis mei solatium, an ignoras quod Iesum, quem pro Deo colis, Iudæi prò suis excessibus crucifixerunt? Cui illa. Si gratiam Dei sentieres, proferre talia minimè auderes? Scire debes, quod Iesus Christus verus filius Dei, non pro suis sceleribus, sed propter delicta nostra passus est crucis tormentum. Et hoc legerat Isai. 53. *Ipse vulneratus est propter scelera nostra.* Audiens hæc pater, furore incitatur, in carcerem ipsam includi iussit, vt eam sic terrore auerteret. Sed potest dici de ipsa, quod scribit B. Ambrosius de S. Agatha. B. virgo Christi, nec terrore concutitur, nec blandimento seducitur.

Mane facto ipsam produci mandauit, & manu apprehendens, vestimentis exuit sordidis, & aureis induit, diademaq; pretiosum capiti imposuit, & sic indutam in templum Iouis deduxit. Quæ cum in medio templi esset, apparuit ei Angelus in specie pulcherrimi iuuenis, ferens signum crucis in manu dextra, & palmam virentem in manu sinistra, qui ait. Confortare, & esto robusta sciens te sub hoc signaculo crucis palma victoriæ insigniri; & hunc angelum nullus vidit nisi ipsa. Et ait pater ad ipsam. Vnicum solatium cordis mei, sacrifica Dijs; quæ respondit. Sacrificium viuum obtuli me Deo meo Iesu Christo, cupiens vt & tu cesses à dementia tua, & cognito Deo vero, fidem rectam consideres, & cum hoc dixisset cadens in terram, orabat dicens: O Domine salus, & spes credentium in te, comminue hoc idolum, vt cognoscant qui illud colunt, quod tu sis solus Deus, & præter te non sit alius. Qua oratione completa, fulgor de cœlo descendit, & idolum comminuit, & qui astabant in cinerem sunt redacti. Quod videns pater, iratus iussit virginem in medio ciuitatis columnæ alligari, virgis & flagellis cedi, carnesq; eius vngulis laniari.

S. Apollonia ab Angelo confortatur.

Cum hæc fierent, apparuit ei DOMINVS cum multitudine angelorum atque virginum, dicens: Agnosce virgo creatorem tuum, pro quo decertas, constans esto, plura pati te oportet pro nomine meo. Tortores hac voce audita, & neminem videnden-

dentes, omnes fugerunt: Angeli autem accedentes eam sanauerunt, & soluentes liberam fecerunt abire. Quod audiens pater, vocauit carnifices & linguam eius abscindi mandauit, ne Christum omnino confiteretur: aures eius plumbo repleri bulliente, oculos à capite extrahi, dentes malleo excuti. Et cum hæc fierent, diuinitus vox per eos virgineum erupit, dicens: Domine Iesu Christe hæc munera offero tibi, maiestati tuæ oculos, dentes, &c. quæ omnia in me plantauit dextera tua, & precor qui memoriam meæ passionis egerint, in istis membris gaudeant sanitate; & vox ad eam. Noueris, inquit, dilecta mea, quæ postulasti, impetrasti. Completa hac voce, accedentes angeli sanauerunt eam. Quo facto pater eam tenebrosis tradidit carceribus, pertractans quibus crudelitatibus eam à proposito reuocaret.

Certamen & Martyrum S. Apolloniæ.

Altera autem die pater dixit; aut diis meis offer thura, aut patieris tormenta inæstimabilia. Illa autem intrepida ait: Domino meo Iesu Christo me dudum obtuli. Quod audiēs pater, quasi phreneticus, euellere cœpit capillos capitis sui, & iussit fieri magnum ignem in medio ciuitatis, & ipsam ligatam testibus in illum proiici, & ignis extinctus est, & ipsa penitus laxata, ita vt dicere possit illud Ecclesiast. 51. *In medio ignis non sum æstuata.* Quam pater iussit denuò ligari, & per ciuitatem vbique locorum equis indomitis trahi. Equitibusq; iniunxit districtius, vt eam sequentes calcarent. Sed diuina vltio minimè defuit, equus vnus, qui eam trahebat, percussit ictu calcis patrem, qui mox expirauit. Mater autem cum filiis occurrens, virginem cum fletu deprecabatur, vt pro patris suscitatione Christum exorare dignaretur. At illa prouolutis in terra genibus, Deum exorauit & patrem per preces suscitauit. Et ille cœpit prædicare fidem Christi. Quod videntes, qui tunc aderant, conuersi sunt ad Dominum, & multa millia hominum à sancto Leonino sacerdote cum ipso baptismum susceperunt. Equus autem, qui patrem occidit more humano loquebatur dicens. Beata Apollonia & beati sunt omnes, qui per te in Christum crediderent. Nec hoc alicui ridiculosum videatur. Quia legitur Num. 22. Quando Balaam iussu regis Balac ibat maledicere populo Dei, *in via habens euaginatum gladium Angelus Domini stetit, quem cum vidisset asina auertit se ab itinere, & ibat per agrum, quam cum verberaret, aperuit Dominus os eius, & locuta est, dicens; Cur percutis me. Quid feci tibi? Cui Balaam. Quia meruisti. Dixit asina. Nonne animal tuum sum cui insidere consueuisti: Dic quando simile vnquam feci tibi?* Sic potuit hoc esse, Dominus qui aperuit os asinæ, potens fuit, & aperire os equi.

Equus voce humana loquitur.

Audiens autem Decius Cæsar, quod Eusebius Imperator cum suis credidisset, venit Roma, & Alexandriam obsedit, & pœnis factis grauioribus, eum decollari præcepit. Apolloniam autem inter duas rotas vncis repletas, quæ aquæ ductu rapido velociter mouebantur, posuit, & grauiter torqueri fecit, sed virgo beata euasit illæsa. Quod videntes omnes qui aderant, in Christum crediderunt.

Decius autem ob interfectionem plurimorum sanctorum, tonitruo percussus exspirauit. Cui successit Talior Græcorum Imperator, qui Apolloniam perquirebat, cui cum ante præurbia ciuitatis Alexandriæ obuiam se dedisset, mox cum exercitu suo percussus est cæcitate. Clamantibus illis ad virginem, posuit in terra genua sua deprecans Deum, & omnes visum receperunt. Sed illi immemores horum beneficiorum, contra id Catonis: *Beneficij accepti memor esto:* plantas pedum eius clauis ferreis impleuerunt, & saccum plenum arena, magnum nimis, in collum eius suspenderunt,

derunt, Sicq; per tres horas diei per totam ciuitatem Alexandriam sponsam Christi agitauerunt. Quarta autem hora diei, aperta est terra in medio ciuitatis, & absorbuit Taliorem Imperatorem cum omni exercitu suo. Angelus autem Domini, sub effigie pulcherrimi iuuenis, absoluit virginem Apolloniam à grauedine arenæ prædictæ, clauosque extrahens à pedibus, vulnera sanauit. Quod videns turba hominum, in Christum crediderunt.

Talior Imperator absorbetur à terra.

Absorpto ergo Taliore, Numerarius in throno imperiali locatur, qui vindicans Taliorem consanguineum suum, tres boues æreos mandat fieri feruentissimos, & virginem immitti, sed omnis ardor illico est exstinctus. Tertius verò bos, cum virginem Christi in se contineret, miraculosè mouebatur, & scissus per medium, ad egressum ei ianuam aperuit, quo viso miraculo, decem millia hominum in Christum crediderunt. Numerarius autem de his excessibus fractis ceruicibus, miserabiliter expirauit.

Apollonia liberatur à boue æneo.

Tarquinus Imperiali solio sublimatur, qui vinculis ferreis Christi virginem ligari fecit, & de ligno in altum erecto, pedibus sursum & capite deorsum suspensam, igne feruentissimo consumi præcepit, sed Angelus ab his eam liberauit, propter quod Tarquinus cum sua gente fidem recepit. Quod audiens Obsonor rex Persarum venit illuc cum exercitu magno, & obsidens Alexandriam, captiuauit eum cum tota gente sua, & vinctum tradidit carceribus mandans districtius custodiendum: Sanctam verò Apolloniam cum igne, aquis ferro, fustibus, lapidibus, plumbo, pice, resina, sulfure, oleo, pectinibus ferreis grauasset, & Angelus Domini ab omnibus eam liberasset, ita vt nullus potuerit eam vincere tormentis, caput eius ense præcepit amputari.

Tarquinus Imperator fit Christianus.

Ecce quàm aptè cedro beata Apollonia comparetur, quia nec à tineis adulationum, nec teredinibus passionum potuit in fide corrumpi. Ideo dixit Christus de sponsa sua Apollonia; *Quasi Adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Ezech. 3. De adamante dicit Solinus in libro de miraculis mundi, quod nulli ferro cedit, nec igni: non enim frangitur ferro, sed solum in hircino scinditur sanguine. Sic beata Apollonia nec ferro aduersitatis, nec igne prosperitatis fracta fuit. Et Albertus dicit in suis mineralibus, quod Adamas valet contra sæuas bestias, contra feroces hostes; & contra venena serpentum. Ita beata Apollonia præualuit contra bestiales homines eos superando, & in infernum demergendo: præualuit contra feroces hostes Christi, scilicet, contra Patrem, & Imperatorem Tarquinum, eos conuertendo præualuit contra venenosa verba omnium detractorum, ideo facta est nunc quasi nobilissimus Adamas reconciliatrix. Rectè enim sicut Adamas, secundum Albertum, reconciliat mulierem viro suo, si fuerit ab eo digressa, quia per virtutem lapidis in viri gratiam facilius reuocatur; Sic anima, quæ per peccatum mortale recessit à viro suo Christo sponso, *cui desponsata est in fide,* Oseæ 2. si deuota fuerit virgini Apolloniæ, in Christi gratiam faciliter reuocatur. Cum enim ad locum passionis fuit educta impetrata licentia sic orauit.

D III. O decus & gratia virginum, Dómine Iesu Christe, qui me dignatus es, licet indignam ad agnitionem tui nominis vocare, vt sacrificium me efficeres immaculatum, nunc tibi commendo spiritum meum, deprecans humiliter, vt meæ passionis facientes memoriam, ab omni periculo corporis & animæ custodias, crimina eorum clementer

menter dimittas, fomitem libidinis in eis exstinguas, extremam paupertatem & subitaneam mortem videre non sinas, mulieres in partu laborantes prolis donatione lætifices, mortisque tempore eis benignus cooperator appareas & assistas, tecumque post mortem facias misericorditer iucundari. Et facta est vox ad eam de cœlo dicens: Veni dilecta mea, accipe coronam tibi ab æterno præparatam, Sciens pro certo te omnibus petitionibus tuis exauditam. Et illa mox se terræ inclinauit, & spiculator accepto gladio primo ictu caput eius amputauit, corpus autem eius tantum redoluit, vt debiles & infirmos, surdos & cœcos, claudos & mutos ab omni clade liberauerit. Et hæc facta sunt anno quingentesimo tertio, quinto Idus Februarij.

TERTIO, Cedrus, vt aiunt medici, est multum medicinalis. Nam lacrymam, quæ multum est gummosa, causans caliginem oculorum, detergit, vermes aurium occidit, contra dolorem dentium subuenit, morsibus serpentum occurrit; corpora mortua posita in ligno cedrino, & eius lacryma iniuncta, non putrescunt, vt dicunt medici. Ita Beata Apollonia more cedri est medicinalis, quia per suam gratiam, quam meruit, qua & ipsa fluere non desistit, habet virtutem etiam sanandi oculos corporales. Cum enim pater suus Eusebius ei oculos erueret, ait: Offero tibi hos oculos, petens vt qui passionis meæ memoriam fecerit in his habeant continuam sanitatem. Virtus Cedri.

Habet etiam subuenire in dolore dentium suis deuotis. Ideo orat ecclesia. Æterne ac mitissime Deus concede propitius, vt qui beatæ & gloriosæ virginis ac martyris tuæ Apolloniæ, quam excussis pro tui nominis confessione dentibus de morte acerbissima triumphare fecisti, martyrium recolimus, eius meritis & precibus à dolore dentium, & ab omni languore corporis & animæ, protegi & eripi mereamur. Ipsa etiam succurrit morsibus serpentium infernorum, & corpora ab illis occisa putrefieri non permittit, sed potius resuscitat, si aliquam deuotionem ad ipsam habuerint, & illud patet in exemplo. Subuenit dolore dentium laborantibus.

Refertur quod in Burgundia erat quidam nobilis diues valde habens castrum munitum, qui cum vxore sua, & tota familia magnam deuotionem habuit ad beatam Apolloniam, vt singulis annis festum celebraret, & in mensa sua lautè & perbenè ministraret. Huius nobilis vxor, cum instaret tempus pariendi, in partu magnos habuit dolores, ita vt præ nimio dolore oportuerit sibi duos dentes effodere, hoc contigit ei iam quarta vice. Cum igitur debuit parere, instabat festum Apolloniæ, quod iterum cum magna deuotione intendebat celebrare, inuitando pauperes ob amorem IESV CHRISTI, & eius piissimæ matris, & sanctæ Apolloniæ. Cumque venirent dies conuiuij, mulier per se seruiebat pauperibus, habens caldarium plenum carnibus, pendens circa ignem. Exemplum admirabile de infante à diabolo interfecto, & S. Apolloniæ intercessione resuscitato.

Accidit, vt hostis antiquus diabolus, in forma peregrini veniret, petens intromitti; quo intromisso, sedit circa focum, quasi se calefaciendo, mulier autem infantem vnius anni circa ignem (vt debuit reficere pauperes) remisit incustoditum. Quod diabolus videns, iactauit puerũ in caldarium, & statim in particulas minimas est diuisus, & mulier ex nimio labore pueri est oblita. Tandem cum debuit carnes recipere de caldario, inuenit membra pueri modo digitum, modo manum, modo pedem, tunc conterrita recordans pueri, facta est quasi exanimis: postea tamen resumptis viribus, collegit membra pueri in panno mundo, & finita Missa, ad secretarium suum

ascen-

ascendit,valde plorans,& inuocans Deum; & sanctam Apolloniam, dicens; O Deus æterne,iam video,quod omnia,quæ feci ob amorem tuum,despecta sunt tibi,tamen audiui sæpius prædicari, quod vni ex meis minimis fecistis,mihi fecistis. Et quare non attendis ad opera mea,quæ ego feci ob reuerentiam tuam,& sanctæ Apolloniæ? O sancta Apollonia, en ego multis annis seruiui tibi, festum tuum celebrando, pauperes inuitando,& ministrando eis, est merces mea hæc? Et cum hoc diceret mulier obdormiuit,& vidit in visu sanctam Apolloniam venientem cum comitatu angelorum,ac decore decoratam nimium,dicens ei: Noli desperare, nullum bonum manet irremuneratum. Scias quæ fecisti, & Deo & Beatæ Mariæ, & mihi impendisti seruiendo pauperibus,in hoc mihi gratum fecisti obsequium: & quicquid desideras,obtinebis, & puerum tuum incolumem rehabebis. Dolorem dentium, quem habuisti in partu,dentes tuos prædolore nimio euellendo, amodo non patieris, ac tu & omnes,qui ob amorem Dei, & matris eius honorem, & meæ memoriam passionis vigiliam ieiunauerint,ac diem celebrauerint, Deum & B. Virginem & me celerem sentient in dolore dentium ac capitis adiutricem. Tandem euigilans inuenit puerum suum incolumem,& se ab omnibus doloribus sanatam,quod factum omnibus enarrauit,ac ipsa cum marito suo & tota familia,festum eius quamdiu vixit,celebrauit,& volentibus celebrare nuntiauit. Ideò habeamus Beatam Apolloniam in memoria,vt à dolore dentium & capitis, ac omnibus aduersitatibus corporis & animæ liberemur,&ad gaudia æterna subleuemur. Ad quæ nos perducat Pater,&Filius,&Spiritus sanctus. Amen

IN CATHEDRA D. PETRI APOSTOLI.

Sermo primus.

Exultent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Psalm. 106.



REFERT Ambrosius in libr. Hexameron & Aristot. lib. 10. animalium,quia apes instinctu naturali valde diligunt regem, magnitudine clariorem, & insignem; & quod in rege præcipuum est mansuetudine clariorem: Hinc est, quamuis rex habeat aculeos, eis tamen minimè vtitur ad pungendum.

A MYSTICE.Homines,qui hic intelliguntur per apes,in electione debent respicere ad claritatem morum,vt sit verus & misericors, quia ex veritate timetur, & ex misericordia diligitur,secundum illud Prouer.20. *Misericordia & veritas custodiunt regem,& roboratur clementia thronus eius.* Ideo legitur 1. Regum 9. Quod populus Israel elegit Saul,& non fuit melior eo,quoad bonitatem, & staturam, ab *humero enim & sursum eminebat super omnem populum.* Talem regem elegerunt sibi homines in ciuitate Antiochia B. Petrum,qui quasi princeps aliorum fuit maior, ideo caput Apostolorum appellatus,vt habetur dist. 50.q.7.§. Quoties. Fuit etiam misericors & seuerus,id est,iustus; misericors bonis & pœnitentibus, seuerus autē & iustus malis & pecca-

peccatoribus. declinauit tamen magis ad misericordiam, quàm ad iustitiam seu seueritatem. Et vt hoc fieret, Dominus ipsum cadere permisit, vt sciret aliis misericorditer compati, vt dicit Greg. Et habetur dist. 50. Considerandum, &c. sequenti, vbi dicitur; Illud fuit magnæ pietatis dispensatione factum, vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri deberet. Et quamuis fuit misericors, tamen iustitiæ non est oblitus, quo ad malos, quia legitur Act. 5. de Anania cum vxore sua Saphira, qui vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri Apostolos, offerens partem quandam ad pedes Apostolorum, cui dixit Petrus. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto; Non es mentitus hominibus, sed Deo. Quod cum audisset Ananias, cecidit & exspirauit*; ita & factum est de vxore eius.

Et quia misericordia & veritas exaltant hominem, & præcipuè Prælatum, ideò Petrus hodie exaltatus fuit, sicut innuunt verba præassumpta. *Exaltent eum in Ecclesia*, In quibus verbis à duobus commendatur. *Primò*, ab exaltatione gloriosa, ibi; *Exaltent eum*. *Secundo*, à commendatione onerosa, ibi; *In Cathedra*. B

Circa quod NOTANDVM, quod consuetudo hæc est in curia secularium dominorum, & Regum & Imperatorum, quem Princeps vel Rex honorat, hunc ad complacentiam regis subditi cæteri vnanimiter solent honorare, secundum illud Poetæ.

Hunc, quem rex decorat, populusq; decenter honorat.

Quod figuratum est Genes. 41. vbi legitur, quod rex Pharao exaltauit Ioseph in Procuratorem regni sui dicens: *Tu eris pater super domum meam. & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; & tradidit ei annulum*, in quo sigillabantur literæ regiæ in signum potestatis ei concessæ, *& fecit eum ascendere super currum suum iussitq; eum ducere per ciuitatem*, quod videntes omnes, ipsum honorabant. Idem legitur Esth. 3. quod Assuerus rex exaltauit Principem Aman super omnes Principes regni sui, faciens eum secundum post se, videlicet in potestate. Et ideo quia rex ipsum honorauit, omnes in curia sua genua flectebant, vt regiam approbarent voluntatem.

MYSTICE. Rex regum, *& dominus dominantium*, Christus intelligitur Apo. 19. Honorauit Apostolos suos, quod testatur Psal. 138. dicens; *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est*, &c. Et posuit eos super omnes in curia sua, dando eis principaliorem dignitatem secundum quod prædixerat Psal. 44. *Constitues eos principes super omnem terram.* Debemus ergo eos sedulò honorare, & nos Christo regi conformare. Quia dicit B. Gregorius ad Mauritium, & ponitur 11. q. 1. Sacerdotibus; Quid mirũ, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio Deus honorem tribuens; eos aut angelos, aut Deos etiam ipse appellat Deus, quia honor, quem eis exhibemus, veniet nobis in profectum. Teste Ambrosio lib. de officiis. Re uera æstimo nulla omninò posse molestia perturbari, qui sanctos dignis laudibus Apostolos student venerari. Et principaliter honorare debemus B. Apostolũ Petrum, quem Dominus super omnes Principes dignum constituit, secundum quod Ecclesia canit de ipso: *Tu es pastor ouium princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi* Et honorauit ipsum in multis.

PRIMÒ, quod fecit ipsum summum inter omnes Apostolos, quod patet ex hoc, quando dixit cæteris: *Laxate retia vestra in capturam*, soli Petro dixit, *Duc in altum.* Luc. 5. Etiam ei soli dixit; *Pasce oues meas.* Ioan. 21. per quæ eius excellens dignitas C

Summma dignitas successorum B. Petri Apostoli.

designatur, vt probatur 24.q.1.c.Non turbatur. Etiam ei soli dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. In quo fecit ipsum suæ Ecclesiæ ministrationis fundamentum. Dignitatis autem summitas B. Petri Apostoli patet, in quolibet ipsius successore, scilicet Papa, cuius dignitas magna est, tam in clero, quam extra clerum: In clero sunt multi, qui habent magnos honores, vt Cardinales, quorum esse in numero debent L VII. quatuor Patriarchæ, scilicet Antiochenus, Hierosolymitanus, Aquileiensis, Constantinopolitanus.

D Tres Archiepiscopi Principales, Moguntinensis, Coloniensis, Treuirensis, qui sunt principaliter primi in electione Imperatoris. Insuper & multi alij Abbates & Episcopi. Sed isti sunt nullius dignitatis, nisi ipse contulerit dignitates, & potestates, quas & eis auferre potest, vt probatur 9.q.3.c. Per principalem. Idem dicitur 2.q. 6.c. Decreto. Et sic patet, quod Papa est summa potestas, inter omnes, qui habent plenitudinem potestatis: alij enim habent partem solicitudinis. Similiter eius dignitas patet respectu Imperatoris, quem cum ipse consecrat, ipse pede suo prostratum ante se coronat. Et quando Papa equum suum ascendit, si Imperator præsens fuerit, stapedem ascendenti oportebit tenere, vt tradunt leges seculares.

SECVNDO, cœlestis rex exaltauit B. Petrum in hoc, quod tradidit ei claues regni sui, sicut promisit Matth. decimo sexto. *Tibi* (Petre) *dabo claues regni cœlorum*, post recessum meum, *quodcumque ligaueris*, &c. & hoc fuit signum magnæ fiduciæ. Quia scimus, quando Dominus recedit à patria, & omnes claues secum defert, ostendit se non magnam habere fiduciam in suo Vicario, sed cum omnes claues ei dimittit, non solum domus, sed etiam omnium thesaurorum, tunc ostendit se gerere fiduciam.

MYSTICE. Christus cum volebat recedere de hoc seculo ad Patrem, non tradidit claues regni sui & thesaurorum suorum B. Virgini matri suæ dignissimæ, sicut habetur de pœn. & remis.c. Noua quædam. Vbi dicit Innocentius Papa: Licet beatissima Maria dignior & excellentior fuit vniuersis Apostolis, non tamen ei, sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit, scilicet B. Petro. Ex quo patet, quod magnam fiduciam habuit ad ipsum. Ideo si quis voluerit intrare in illud regnum, oportet habere refugium ad B. Petrum tanquam ad illius Procuratorem, quia dicit B. Ambrosius in sermone, qui incipit; Prospera Diuinitate; Puto inquit, cœlos aliter aperiri non posse, nisi claues Petri referent. *Et subdit*. Ideo rogemus Petrum, vt ipse nobis tanquam bonus pastor, & ianitor portas regni cœlestis aperiat.

TERTIO, Christus exaltauit B. Petrum in miraculorum operatione, quia legitur Actor.5. Quod infirmi ponebantur in plateis, vbi Petrus ambulare consueuerat, & *quemcunque vmbra eius obumbrabat, ab infirmitatibus sanabatur*. Similiter legitur Actor. 19. quod quendam infirmum, nomine Æneam, solo verbo sanauit dicens: *Ænea sanet te Dominus Iesus Christus. Surge & sterne tibi. Et continuo surrexit, & omnes qui habitabant ibi conuersi sunt ad Dominum*. Et ibidem subditur de quadam discipula nomine Tabitha, quæ infirmata mortua fuit. Veniens autem Petrus rogatu discipulorum, intrans cœnaculum, in quo iacebat, & ponens genua sua orauit. Et conuersus ad corpus dixit: *Tabitha surge, & illa aperuit oculos, & viso Petro resedit, & Petrus eam erexit*.

Refert etiam Vincentius in spec. Hist. lib.25.cap.49. quod Carolus Imperator quadam

quadam nocte sacra diei dominicæ, cum post matutinas iret repausatum, audiuit vocem terribilem, dicentem sibi: Carole exeat à te spiritus tuus, qui cum exisset de corpore, duxit eum Angelus in vallem, quæ ex vna parte erat tenebrosa & ardens, velut clibanus; & ex altera parte prata amœnissima, respiciensque Carolus contra partem tenebrosam, vbi erat doliuin feruens aqua; vbi vidit patrem suum Ludouicum vsq; ad fœmora stantem; qui dixit: Noli timere Carole, quia permisit te Deus venire huc, vt videres, quam paterer pro peccatis pœnam. Nam vno die sum in pœna huius dolij, & altera mittor in aliud suauissimæ aquæ dolium, & hoc fit precibus sancti Petri Apostoli, cuius patrociniis genus nostrum hactenus regnauit. Scias etiam, quod frater meus Lotharius, & filius eius Ludouicus B. Petri precibus sunt ab his pœnis liberati, & deducti ad gaudium paradisi. Ex quo patet, quod non tantum potens est super terram in operatione miraculorum, sed etiam infra terram in liberatione animarum.

Carolus Imperator videt Ludouicum patrem in tormentis.

QVARTÒ, exaltauit Christus B. Petrum in generali cathedra honoris. Hoc figuratur 3. Regum 10. vbi dicitur, quod Salomon fecit sibi thronum, in quo erant duo leones sculpti, vnus blandus, alter seuerus. In hoc throno sedit B. Petrus tanquam sapientissimus, iustis blandus, malis verò seuerus, quod significabatur in duobus leonibus.

E

Dicunt naturales cum Isidoro lib. 12. quod leones circa homines sunt misericordes, quia prostratis ante se parcunt, nec homines nisi in magna necessitate comedunt, sed quo ad alias bestias sunt seueri. Quia dicit Solinus lib. de mirabilibus mundi; quod leo in altissimis montibus se occultat, & prædam contemplatur bestiarum, quas cum viderit, altè rugit, ad cuius vocem terrentur animalia, & subitò fugiunt. Illas naturas leonum oportet quemlibet Prælatum circa se habere, quod sit pius & misericors hominibus bonis, sed seuerus malis, quasi bestiis; aliàs inhonestè sedet in cathedra honoris. Et hos in throno suo habuit Vespasianus. De quo refert Hugo, quod adepto imperio, statim erga malos austerum se ostendit, contumaces exterminauit, & ab officiis deposuit; locum eorum bonis, probis & honestis tribuit, & hos dilexit. Ita B. Petrus exaltatus à Christo ad thronum honoris, veritatis, terribiliter malos feriebat, vt patet in Anania, & in eius vxore Saphira, qui ad solum verbum *ceciderunt & expirauerunt*, Actor. 5. Ideo factus est timor in omnes, qui audierunt. Idem patet de Simone Act. 8. Qui obtulit pecuniam Apostolis dicens: *Date mihi hanc potestatem, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Cui dixit Petrus: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Sed bonos diligebat, & eos exaltabat, vt patet in Clemente, Cleto, Lino. Etiam piè docuit defectuosos, cum dixit 1. Petr. 2. *Carissimi, obsecro vos, tanquam peregrinos & aduenas, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gentes bonam habentes.* Et hoc habuit ex verbis Dei qui dixit Ierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes & regna vt euellas & destruas* (omnes videlicet malos. Exo. 22. *Maleficos non patieris viuere super terram*) *& ædifices*, & plantes, scilicet bonos in fide.

Vespasianus austerus in malos, benignus in probos.

Sed sic non faciunt nostri Prælati, quia potius diligunt malos, & eos in malis suis promouent, & exaltant: & hi similes sunt accipitribus. De quibus refert Ambrosius in hexam. Cum viderint pullos ineptos ad prædam, circa ipsos sunt crudeles, si exire de nido noluerint ad prædam, eis cibum subtrahunt, si autem sequuntur eos in

Prælati.

Domini seculares.

in præda, tunc illos diligunt, & præstant illis nutrimentum. Sic domini terrestres, ad instar accipitris crudeles, si viderint in atriis suis, qui nolunt pauperes deprædari, illos expellunt, dicentes illud Sapien. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis*, quasi dicant. Non infert rapinam pauperum rusticorum in nostras coquinas, in augmentum ferculorum: *Grauis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita eius, & immutatæ sunt viæ eius, & abstinet se à viis nostris.* Certè tales iam non valent in Curiis Dominorum, sed quia *principes sunt infideles, socij furum, & omnes diligunt munera.* Isa. 1. Et ex quo sunt *lupi rapaces rapientes prædam*, Ezech. 22. Ideo in suis curiis fouent & exaltant infideles Vicarios, & Capitaneos, raptores, qui sequuntur lucra & rapinas pauperum amant, vt impinguent coquinas, repleant mensas. Sed scriptum est Iere 22. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio. Sed sic non fecit B Petrus, qui de domo sua submouit malos secundum illud Psal. 10. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua*, rapiens exactiones in pauperes & similia, *Non direxit in conspectu oculorum meorum.* Sed bonos dilexit, & hos sibi sociauit, vt diceret cum Psalm. 24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.*

De diligentibus munera.

QVINTÒ, exaltauit Dominus B. Petrum hodie Antiochiæ, quod figuratum fuit Esther. 6. Vbi legitur, quod rex Assuerus post conuiuium, quod fecit suis Principibus, & pueris suis, iacens in lecto noctem duxit insomnem Et quia secundum Iosephum noluit illam vigiliam in otio expendere. Fecit coram se portari libros annales, in quibus fecit legi facta præterita regni, & cum deuentum est ad locum illum, quod Mardochæus regem præmonuit, ne occideretur: quia habetur Esther 2. & 6 *Irati fuerunt contra regem Bagatan & Thares duo Eunuchi regis, ianitores, & occultè eum occidere voluerunt. Quod Mardochæum non latuit, & regi retulit*, & hoc libris inscriptum fuit, quod cum legi audisset, interrogauit an pro illo remuneratus esset. *Dixerunt astantes: Nihil omninò mercedis accepit. Et ait rex. Quis est in atrio? Cui pueri, Aman minister regis. Quem vocans rex, ait:* Quo honore dignus est, quem volo honorare? Et Aman; *Homo*, inquit, *quem vult rex honorare, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus regis teneat equum, transiens per ciuitatem clamet & dicat. Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare.*


SPIRITVALITER. Per Assuerum, qui interpretatur beatitudo, significatur Christus, qui est beatitudo omnium electorum. Hic iacens iam in lecto æternæ requiei, secundum Psal. 120. *Non dormitabit neque dormiet.* Ideo fecit ante se legi libros annales hoc est, sancta Euangelia Matthæi & Marci, in quibus scriptum fuit Matt. 16. & Marci 8. Quod Christus cœpit ostendere discipulis suis, quod oporteret eum ire Ierosolymam, *& multa pati à senioribus & occidi.* Quod audiens Petrus, ex carnali amore pręmonuit eum, dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Et ecce inuenit, quod ei plus quã semel dixit: *Tu es Christus, filius Dei viui.* Ideo interrogauit an pro illo esset remuneratus. Cui angeli: nihil mercedis accepit. Sed quia teste Boëtio libro 4. prosa. 3. Nullum bonum manet irremuneratum. Ideo Christus hodie dixit ad Theophylum Principem Antiochiæ ciuitatis. Quo honore dignus est, quem rex vult honorare? Cui ille. Debet indui vestibus salutaribus, secundum illud Psalm. 131. *Sacerdotes eius induantur salutari.* Et debet poni super excellsam Cathedram, vt

vt dicere possit illud Eccli. 51. *Exaltasti super terram habitationem meam.* Et ab omni populo honorari debet. Quia dicit Aristoteles 8. Poli. Honor virtuoso sine fastigio impendatur, licet de humili vita mundi, aut fœtida oriatur. Et ait Christus. Festina Theophyle, & fac hoc Petro, sicut locutus es. Idcircò ille mandatum Domini non procrastinans hodie Beatum Petrum exaltauit dicens: Coram populo hoc honore dignus est, quem Rex cœlestis voluerit honorare, & modo venit ad hunc honorem. Vide in Legenda.

IN CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI.

Sermo secundus.

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Gen. 41.



DIcit Ambrosius in lib. hexam. cap. 45. Gallus habet specialem notitiam in horis noctis discernendis, qui in profundioribus horis noctis vocem solet emittere clariorem. Sed circa temp⁹ matutinum vocem format leniorem; habet etiam singularem intelligentiam in horis diei, quia vt frequenter ad tactum horologij vocem emittere consueuit. Hic quamuis sit extraneus, si tamen in domum aliquam apportatur, interdum fortiter pugnat contra gallum domesticum, expellit eum, & fit rector gallorum. A

SPIRITVALITER. Per gallum, vt ait Gregor. 30. moralium. c. 6. Prædicatores sancti intelliguntur, qui in tenebris vitæ præsentis, student futura prædicando, quasi cantando nunciare. Cum dicunt *nox præcessit dies autem appropinquauit.* Ipsi enim vocibus suis de somno excitant auditores, clamantes. *Hora est iam nos de somno surgere.* Iam iterum vigilate iusti, & nolite peccare. Hæc Gregorius. Talis gallus fuit Beatus Petrus, qui excitauit nos prædicando, & contra miluum inferni monendo, cum dicit. Rom. 15.

Sobrij estote & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. 1. Pet. 5. Habuit se etiam B. Petrus, sicut gallus in nocte, peccatorum intelligentiam, pro proprio errore, quãdo audiens cantare gallum, semper fleuit pro peccatis, vt habetur de pœnit. dist. 1. c. Quem pœnit. & Petrus, quia errauit, vt homo. Et dicit Glos. errauit, id est, mortaliter peccauit. Habuit etiam intelligentiam diei, scilicet Christi, qui est verus dies, *& lux illuminans omnem hominem.* Ioan. 1. Et quod intelligentiam eius habuit, habetur Matth. 16. cum dixit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Hic gallus spiritualis B. Petrus fuit quasi extraneus & aduena ad domum Dei, vt dicere possit illud Psalm. 38. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus,* postea tamen factus fuit rector totius domus Dei; Cum dixit Dominus Petro: Tu eris super domum meam. In quibus verbis B. Petrus à duobus commendatur. *Primò,* à principalis Ecclesiæ commissione, ibi; *Tu eris. Secundo,* à pastoralis obedientiæ demandatione, ibi; *Et ad oris tui imperium, &c.* B

C De PRIMO est NOTANDVM, quod imprudentes, & mali Domini, solent in curijs suis vicarios malos promouere; quia dicitur in communi prouerbio, *Res similes sunt sibi amabiles.* Cui consonat Aristoteles 4. Ethicorum. Simile diligit sibi simile. Ideò legitur Num. 22. quod malus rex malum associauit sibi Prophetam. scilic. Balaam, quatenus per illum filijs Israël maledicoret. Econtra autem prudentes, & boni domini, committunt regimen domorum suarum prudentibus dispensatoribus, qui sciunt decenter præesse omnibus, qui in domo sunt, & qui affabili sermone faciunt populum adunare. Et quia ipsi sunt prudentes, diligunt & famulos sapientes, ne dispares mores disparia studia, id est, operationes sequantur, vt dicit Tullius libro de amicitia. Ideò legitur Genes. quadragesimo primo, quod Pharao vidit quodam tempore somnium, putabat se stare super Nilum fluuium, vbi vidit septem boues fæminei generis, quia Hebræi habebant vaccas, quę sunt multum pingues, postea cernens septem omninò macras, & priores deuorabant, quod videns Pharao vocauit sapientes, vt ei visionem edicerent. Cum autem nequirent veritatem inuenire, adductus est Ioseph, qui regi sapienter exposuit, quod per septem boues pingues septem anni fertiles, sed per macras, steriles designarentur. Et suasit regi, vt sibi sagacem eligeret prouisorem, & in futurum frumenta non modica prouideret. Cui rex. *Nunquid sapientiorem te, & similem tibi potero inuenire?* quasi diceret, certè non. *Ideo tu eris super domum meam, &c.*

Quibus domus gubernatio committenda.

SPIRITVALITER. Vnigenitus Dei filius Christus qui est, *sapientia patris, cuius sapientia attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sapient. octauo. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Ad Coloss. 2. Habuit domum sanctam Ecclesiam, de qua dicit Psalm 92. *Domum tuum decet sanctitudo in longitudine dierum.* Et hanc noluit committere cuilibet Apostolo, sed sapientissimo Petro, quem fecit principalissimum Vicarium, propriè Statthalter / suæ Ecclesiæ. Cui ter dixit, Ioan. 21. *Petre amas me, pasce oues meas, agnos meos, &c.* Ipse enim rectè per Ioseph designatur.

D PRIMO ideò, quia sicut Ioseph fuit escarum sagax dispensator: sic Beatus Petrus verbi DEI, quod est esca animæ, de Euangelio. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI,* vt habetur Matth. quarto. Nam in omni verbo Dei fuit sagacissimus Prædicator, ita vt dicere potuisset illud ad Dominum; *Narrabo nomen tuum fratribus meis,* scilicet gentibus & Iudæis. Nam ita solicitanter nomen Domini narrauit, vt in breui magnum populum adunarit; quia sicut legitur Actor. 2. Prædicauit Iudæis dicens; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et in hac prædicatione *appositæ sunt ad numerum fidelium tria millia.* Alio autem die cum prædicauit eis, *quinq; millia iterato crediderunt.* Sicut habetur Act. 4. vbi dicitur: *Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinq; millia.* Et sic in breui conuertit octo millia hominum, vt æstimant communiter Doctores.

Psalm 21.

SECVNDO, sicut Ioseph somnium sapienter explanauit, & totam regionem Ægypti à fame valida præseruauit: ita B. Petrus somnium infidelium de Christo dubitantium enodauit. Sicut legitur Matth. 16. quod Christus vidit somnium, quod quidam de ipso somniando dicebant; *Reliqui dixerunt eum Iohannem Baptistam, alij*

dice-

Ieremiam, aliqui Eliam, aliqui vnum ex Prophetis, & nemo illorum tetigit veritatem. Sed Petrus velut sapiens Ioseph, illud ei & omnibus Christi fidelib⁹ exposuit dicens, *Tu es Christus filius Dei viui*, quasi diceret secundum Augustinum in quodam sermone; Tu Domine de carne virginis factus es Christus, qui scilicet Dei filius viui es sempiternus; Tu Domine hominibus natus es, qui incommutabili maiestate Deus es apud Deum; Tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens impassibilis permanes apud Patrem. Vide quàm sapienter arcana huius somnij reserauit, in quo totum cœtum Christianorum prouidè satiauit, quia sancti Doctores magnam penuriam habuissent, nisi eis Petrus reserasset, teste Augustino qui ait: quis vnquam adhoc incomprehensibile Deitatis arcanum humani sensus attollere potuisset obtuitu, nisi ab ore Petri soliturі huius veritas radiasset? quasi diceret; nullus: nisi ei à Deo sicut Petro fuisset reuelatum. *Et subdit*. Quid tanto verbo gloriosius, qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, videndo docuit, patiendo firmauit?

TERTIÒ. Sicut Ioseph somnij reuelationem habuit à Deo, qui ei illud enarrandum cœlitus narrauit, scilicet illud, quod dixit Pharao. *Ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es*. Genes 4 . ita B. Petri huius dicti habuit veritatem, non à se sed à cœlesti Patre, secundum quod testatur os veritatis, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est*. Super quo dicit B. Augustinus in sermone. Quis per carnem & sanguinem Christum natum, omnipotentis Dei filium Patris esse sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse Pater per Petrum de cœlo reuelasset. Idcircò potuit Christus dicere ad eum, quia cœlestis Pater ostendit tibi omnia, quæ de me locutus es. Nunquid sapientiorem te inuenire potero, quasi diceret, certè non: quia & ipse interpretatur agnoscens, in eo, quod sapienter in Christo, quem vidit hominem, agnouit Deitatem. Ideò tu eris super domum meam. In hoc ostendit ei Christus magnum honorem præ alijs Apostolis, quia fecit eum heredem suæ Ecclesiæ militantis. Rectè enim sicut rex terrestris non potest maiorem honorem facere filio, quàm quòd dicat eum heredem, & in regno suo sibi successorem. Quando verò non solum dicit eum regni dominum, sed etiam omnium qui in regno sunt, tam fratrum, sororum, quàm matris propriæ, nihil potest ei facere honoris vlterioris. Hunc honorem fecit Dominus Petro, quia fecit eum dominum domus suæ, scilicet Ecclesiæ, secundum illud Psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ*. Fecit eum dominum fratrum suorum, scilicet Apostolorum & aliorum discipulorum & propriç genitricis Mariç in iurisdictione & spiritualiter. Et ideò de eo prædictum est illud Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cœli pinguedinem*, id est gratiæ suæ abundantiam, quia tanquam gratiam habuit, quod solo *verbo sanauit infirmos* Actor. 3. declarando, ibidem 9. de paralitico, *& quod sola vmbra sanauit eos*. Actor, 5. Et sequitur. *Adorent te omnes tribus terræ*, quantum ad subiectionem, & debitum honorem. *Esto dominus fratrum tuorum*, scilicet Apostolorum, quia maior præ cæteris dignior fuit in auctoritate, quia princeps Apostolorum exstitit. *Et incuruentur ante te filij matris tuæ*, hoc est, alij fideles, qui humiliter procident, & tibi honorem exhibebunt.

Quantum ad SECVNDVM, commendatur Beatus Petrus à pastoralis obedientiæ demandatione. Vbi NOTA. Ambrosius in hexameron libro quinto, inquit: Apes

pes magnam reuerentiam & affectuosam caritatem habent ad suum regem, quando est in aluearì, custodiunt eum, nec ad examen eunt, nisi eas præcesserit, tunc sequuntur eum ordinatè ipsum circumdantes, & nullatenus in aluearium descendunt, nisi rege præcedente: idcircò suadent naturales, vt tempore æstiuali rex quæratur, & in aluecario solus locetur, ad quem singulæ apes ingrediuntur, & vt natura instruit, ei seruiunt & obsequuntur.

E Apes omnia habent communia.

MYSTICE hic per apes in primitiua Ecclesia intelliguntur fideles, sicut apes teste Ambrosio, omnia habent communia. Nam habent vnam sobolem, vnam incolunt mansionem, vnius portæ clauduntur limine. Omnibus est labor communis, omnibus communis est cibus, communis operatio vsus & fructus. Sic illi in primitiua Ecclesia omnia habebant communia, secundum quod habetur Actor. 2. *Omnes, qui credebant in Christum, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones & substantias, vendebant & diuidebant illa omnibus, pro vt vnicuiq; opus erat.* Et ex hoc, vt dicit Nicolaus de Lyra, omnis religio habuit exordium, cui nullatenus liceat propria possidere, prout habetur Extra de statu Monach. c. Cum ad monasterium. Vbi dicitur: Abdicatio proprietatis, sicut & votum castitatis, adeò annexa sunt regulæ Monachorum, vt neq; summus Pontifex possit cum his dispensare. Isti igitur Christiani in primitiua Ecclesia, magnam obedientiam ad suos Prælatos habuerunt, & principaliter ad B. Petrum scientes illud Eccli. 17. *Dedit eis Deus potestatem eorum, quæ sunt super terram.*

Exordium status religiosi.

F Illarum exemplo voluit Deus nos, tanquam prudentes apes, Prælatis nostris obedire à Deo nobis datis; quia scimus, quod rex, qui ponit vicarium in locum suum, vult vt absq; contradictione ei obediatur, sicut legitur Genes. 41. de Pharaone, qui ponens Iosephum in regni Procuratorem, ait: *Absq; tuo imperio nullus mouebit pedem neq; manum in tota terra Ægypti.* Sic etiam Christus Rex cœlorum, ponens B. Petrum in suum Vicarium, sic ait Matth. 16. *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis.* Quasi diceret: Quicquid inhibueris inhibitum est, & quicquid iusseris, iussum est. Ideò præcipitur in c. Sacerdotes. 2. q. 7. Sacerdotes, inquit, & reliqui ministri Ecclesiæ, omnisq; plebs Episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire, etiam si ipsi aliter quod absit, agant, quàm decet, nisi in fide errauerint. Et est Canon Clementis Papæ. Et signanter dicit, *nisi in fide errauerit*, quia si Prælati sunt hæretici excommunicati, vel non seruant Canones, aut sunt Simoniaci, siue fornicatores publici, non tenentur eis obedire, vt habetur 19. dist. c. Nulli. Sed si sunt in aliis criminibus, & aliquid præcipiunt, præceptum eorum est implendum, vt in c. Nonne. 8. q. 4.

Obedientia debetur Prælatis.

Et hoc est contra quosdam laicos friuolos, qui cum ex præcepto Prælatorum à Sacerdotibus excommunicantur aut publicè in Ecclesijs monentur, inculpant ob hoc Sacerdotes, & eis maledicunt. sed attendant hoc, quod Papa præcipit eis strictè, vt in barochijs obediant suis Episcopis & Prælatis. Et si obedire contemnerent, peccatum idololatriæ incurrerent, vt in Can. Si qui presbyteri 18. dist. Vbi dicit Gregorius. Qui obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurret. Et sicut presbyteri tenentur obedire suis Superioribus, ita laici tenentur obedire Sacerdotibus, secundum illud ad Rom 13. *Omnis anima*, id est homo, *potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Contēnens obedire Prælato incurrit idololatriam.

sit. Non enim est potestas nisi à Deo: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; Ideò enim ne damnationem incurramus, obediamus Prælatis nostris.

DE SANCTO MATTHIA APOSTOLO.

Sermo Primus.

Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est similis ei in omni populo. 1. Reg. 10.



Olinus in libro de mirabilibus mundi, dicit, quod grues habent ducem, qui anteuolat in acie, alias dirigendo, qui si regulariter volat, ordinariè sequuntur ipsum. Et si quis à tramite errauerit, quasi arguendo, voce, ipsum ad rectos volatus compellit; sed cum dux ipse errauerit, aut recesserit, alius dux ei succedit. A

SPIRITVALITER. Per grues hic intelliguntur Christi fideles; quia sicut grues secundum Ambrosium in hexameron. diligunt suam speciem, sic Christiani debent diligere se inuicem, secundum illud Eccli. 27. *Dilige proximum tuum, & coniungere fide cum illo.* Isti Christiani habent inter se Duces, id est, Prælatos, qui debent ducere gregem Dominicum, & pascere, vt patet in Canone Sciscitaris. 7. quæst. 1. & si tales regulariter ducunt vitam suam, sequuntur ipsos subditi; quia Prælati sunt tanquam signum positum ad sagittam, vnde inferiores vitam eorum respiciunt, vt de accu. cap. 1. Qualiter. Isti Prælati & Duces tenentur errantes voce prædicationis à tramite deuios reuocare, quia dicit Innocentius 83. distinct. capit. Error. Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere; Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Hæc ille. Si autem Prælatus per se errauerit, aut raucescit, nolens corrigere deuiantes, necesse est, vt talis deponatur, & melior in locum eius assumatur, quia dicit Beatus Gregorius in Pastorali. Pastor si per abrupta graditur, grex in præcipitium facilius prolabitur. Ita factum est de Iuda & Matthia. Nam Iudam Dominus elegit, vt esset dux sui populi, sed quia aberrauerat à societate Apostolorum, præcepit Christus per Psalm. 108. *Episcopatum eius accipiat alter.* Et ille fuit Beatus Matthias. qui suppleuit locum Iudæ, teste Beato Augustino in sermone. Hic paruulus, auditu intelligens, & actu intellectuque proficiens, numerum, duodenarium superbi apostatæ abiectione mutilatum, suæ paruitatis adiectione compleuit, vt perficeret per ipsum in re, quod olim Dauid prædixerat in spe. *Fiat*, inquit, *habitatio eius deserta, & Episcopatum eius accipiat alter* quem ille sanctus suscipiens obediendo, decorauit Euangelizando, ideò de ipso possunt dici verba prælibata. *Certè videtis quem elegit Dominus* &c. In quibus à duobus commendatur. *Primò*, à Dominica electione, ibi; *Certè videtis quem elegit Dominus. Secundò*, à vitæ summa perfectione, ibi; *Quoniam non est ei similis &c.*

Veritas non defensa opprimitur.

De PRIMO est sciendum Consuetudinem habent Reges, & Principes, & alij Domini terrestres, vt ad regimen suæ Curiæ eligant aliquos per se ipsos, aliquos per

DdD suos

suos officiales, aut Vicarios; Aliquos autem eligunt reges concordanter cum Vicarijs; & qui sic eliguntur magis honorantur. Nam qui eliguntur à Dominis tantum, interdum à Vicarijs odiuntur; quod figuratum est Dan. 5. vbi legitur, quod Balthasar rex vidit manum scribentem in pariete, Mane, Thecel, Phares, quod nullus ex Chaldæis potuit interpretari Introductus autem Daniel sapienter exposuit, dicens; *Mane, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Phares diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Rex autem iussit eum indui purpura, & constituit eum super regnum.* Sed quia non fuit consensus aliorum, ideò inuidebant Danieli, & suggesserunt Regi, vt mitteret eum in lacum leonum Dan. 6. Sic & illi qui eliguntur à famulis, nonnunquam odio habentur à Dominis, vt patet. 1. Reg. 18. de Dauid, qui cõstitutus regi Saul per ministros, rex ipsum odiuit, & persequebatur. Sed Ioseph, qui fuit electus à Pharaone, consentientibus ministris, ab omnibus est honoratus, quoniam genua flectebant ante eum. Gen. 41.

MYSTICE. Christus qui est *rex magnus* secundum Psal. 46. *super omnem terram; Cuius est terra & plenitudo eius.* Psal. 23. Hic elegit aliquos discipulos per se tantum ad regimen suæ curiæ, scilicet, S. Petrum, cui & plura beneficia, & priuilegia fecit. Quia ipsum in transfiguratione habuit. Matth. decimo septimo. *Et pro se & Petro censum cum dare iussit*, vt dicitur ibidem. Ideò alij discipuli ægrè ferentes accesserunt ad Iesum dicentes; *Quis putas maior est in regno cœlorum?* Matthæi 18. Ideò etiam inter eos *facta est contentio*. Luc. 22. ex quo videbant Petrum sibi præferri *in clauium collatione.* Matth. 16.

B Sed Beatam Matthiam elegit cum concordia omnium Apostolorum. Quod ipse

I. Christus eum elegit, patet ex verbis præassumptis; *Videtis quem elegit Dominus*: Elegit primò illum dicens. *Tu pasces populum meum Israel.* Et hoc figuratum est. 2. Regum 19. Vbi legitur, quod rex Dauid elegit vnum militem nomine Abner * in regimen curiæ suæ, dicens; *Tu eris Magister militiæ coram me omni tempore pro Ioab.* Abner interpretatur lucerna patris, & significat Beatam Matthiam, qui est ardens lucerna, qua tenebras de peccatoribus effugauit. Rectè sicut lucerna, in qua lumen ardet, noctis tenebris ouiat, & fugat; ideò de ipso prædictum est illud Psal. 131. *Paraui lucernam Christo meo*, id est Christiano, ipse enim B. Matthias peragrauit mundum tenebrosum, & vbiq; verbum salutis prædicans, repulit tenebras vitiorum teste Augustino in sermone hodierno: Beatus, inquit, Matthias talentum sibi creditum à Domino, cum coapostolis suis, non vt seruus piger in terram abscondit, sed per fidelium corda voce & operatione distribuendo, vel prudens seruus cumulare fideliter non cessauit. Quapropter ex Dominica voce hodierna die promeruit audire: *Euge serue bone & fidelis* &c. Hæc ille.

* Pro Abner, Amasæ legendum. Interpretatio tamen Amasæ huic loco non conuenit.

Idcircò etiam de ipso potest dici illud Ioann. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Ardens inquam per caritatem diuinam, lucens per sanam doctrinam. Huic gloriosissimo Apostolo dixit hodie verus Dauid Christus; *Tu eris Magister militiæ pro Ioab.* Ioab interpretatur mutatus significans Iudam, quem auaritia effecerat mutatum. Eccli. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertunt correctiones eorum.* Vbi dicit Gloss. Lyræ. Mutus est quædam species ranæ, quæ proiecta in os canis eum tacentem facit, vt non possit latrare. Sic pessima auaritia, quæ proiecta fuit à diabolo in cor Iudæ, fecit eum cessare à laude Christi, qui ei tam multa beneficia impen-

pen-

pendit; quia ipsum suum fecit Apostolum; & adeò familiaris exstitit, & dilectus, vt eum suum faceret Procuratorem, quem postmodum suum habuit proditorem. Ideò demeritis eius exigentibus, Christus ipsum abiecit, & clarissimam lucernam B. Matthiam in locum eius elegit.

SECVNDÒ, Beatus Matthias non solum electus est à summo rege cœlorum, sed etiam à concordi cœtu Apostolorum, qui fuerunt Vicarij CHRISTI, Principes mundi, & Ianitores cœli, Dapiferi verbi Dei, & cubicularij eius, & secretarij, secundum illud Ioan. decimo quinto. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos*, *quia omnia* scilicet secreta, *quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* Isti interfuerunt pariter cum Christo in electione B. Matthiæ secundum quod dicitur in Psalm. 46. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*, quia Deus inter eos fuit, sine quo nihil fit proficuum, sicut ipse testatur Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et hæc electio figurata est. 1. Reg. 17. vbi dicitur quod Goliath dixit ad filios Israël: *Eligite ex vobis virum, vt ineat mecum singulare certamen.* Illi autem elegerunt Dauid, qui vicit Goliath Philisthæum. II. Apostoli Vicarii Christi.

SPIRITVALITER. Goliath interpretatur transmigratio, & significat diabolum, qui diuersimodè circumit & migrat, quærens quem possit perdere, vt dicit Canon. Nulli dubium. 3. quæst. 1. vbi dicitur. Diabolus non cessat circumire quærens quem deuoret, & quærere, quem ex fidelibus perdat, & maximè illos quos in seruitio Saluatoris inuenerit. Etiam ideò dicitur transmigratio, quia de cœlis ad inferos demigrauit. Isai. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo ad infernum Lucifer, qui manè oriebaris?* Iste fortis Goliath dixit filijs Israel, id est, Apostolis, qui erant ex stirpe Israël. *Eligite ex vobis virum*, & iste fuit beatus Matthias, qui dicitur vir propter virtutes, quas habuit. Ideò Actor. 1. dicit B. Petrus. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis fieri vnum ex istis.* Ita sanctus Matthias singulare certamen habuit cum diabolo, sed ipsum vicit, & multas animas gentilium de potestate ipsius eripuit. Quare dæmones contra ipsum irati, sæpe ei apparebant & dentibus in eum fremebant, sed appropinquare ei non poterant, nec audebant, vt dicitur in Legenda. Et quia tunc Matthias est à Christo rege vniuersorum, & ab omni concorditer turba electus Apostolorum; ideò à nobis præ singulis est honorandus, & in Apostolum eligendus. Et quamuis non sit à Christo, sicut cæteri Apostoli vocatus in Apostolatum, dum adhuc transiret & degeret in terris, est tamen electus, quod plus est, cum iam glorificatus regnabat in cœlis. Goliath cur significet transmigrationem.

Ideò legitur, quod quidam miles, vt moris est, ex deuotione aliquem Apostolorum in patronum specialem de chartulis, in quibus Apostolorum nomina erant scripta, eligere voluerit, cum semel atque iterum arripuit chartulam continentem nomen gloriosissimi Apostoli Matthiæ, indignatus ait. Si nullum Apostolorum magnorum forte merui, nec illum qui locum Iudæ tenet, pro patrono habere volo. Post aliquod igitur tempus cum dictus miles causa salutis passionis Christi loca visitare disponeret, & iam in mari cum socijs aliquantum profectus esset, nauis subito implebatur ex piscibus, vt omnes qui in ea erant desperarent. Cum igitur sors reum scilicet militem proderet, eiectus de naui marinis fluctibus super nudam tabulam exponitur. Qui cum proxim⁹ esset morti, vidit quendam splendida veste indutum, qui interrogauit eum, cur marinis fluctibus es immersus? Cui ille: ppter culpā meam hoc C. Vetus consuetudo per sortem eligendi patronos.

factum est, At ille; Velles ne illi obsequium & honorem impendere, qui de his periculis te liberaret? Respondit miles: quam diu viuerem ei fideliter tanquam domino seruirem. Tunc ait. Ego sum Apostolus Matthias, quem pro patrono habere contempsisti, nunc autem bonum tibi pro malo reddam, & extendit manum suam & ipsum de periculo mortis liberauit, & subito in ciuitatem transportauit præcipiens, vt ibi socios suos exspectaret, qui post multos dies eo venientes ipsum cognouerunt. Ille autem sanctum Matthiam in magna reuerentia habuit præ omnibus sanctis, & ei omnibus diebus vitæ seruiebat.

Miles à S. Matthia in maris periculo liberatur.

D

Quantum ad SECVNDVM, commendatur B. Matthias à vitæ summa perfectione. Secundum naturales, illud animal plus est commendabile, quod habet plures virtutes perfectionis, sicut refert Isidorus lib. 12. de oue, quod est animal mite, & humile, quia verberata non reclamat. Est etiam amabile, quia amat societatem gregis, & sola incedere formidat, vt dicit Plinius in spec. nat. Omne enim quod est in hoc animali, est totum vtile & ad profectum. Caro enim ad cibum, pellis ad varium vsum, pueris ad indumentum, fimus ad terram impinguendam, Vngula & cornua ad medicandum. Et hæc perfectio in paucis vel nullis animalibus reperitur, ideo ouis merito præ alijs collaudatur. Sic Matthias præ alijs multum commendabilis, propter multarum virtutum perfectionem. PRIMÒ enim est mitis, quia in iniuria se non vindicat, sed patienter illam tolerat, & bonum pro malo donat, vt patet in milite supra dicto. Ideo dicit Hugo de S. Victore. Mites sunt leones ac patientes, improbos cedunt. Etiam fuit verè humilis, quod patet ex nomine, quia Matthias interpretatur paruus seu humilis. Et dicit Ambrosius, quod humilitas est triplex. *Prima* est applicationis, qua quis dicitur humiliatus. *Secunda* considerationis, quæ procedit ex cognitione sui ipsius. *Tertia* deuotionis, quæ procedit ex cognitione Creatoris.

Ouis commendatio.

S. Matthias quare commẽdandus.

I.

Non vindicat iniuriam illatam.

Humilitas triplex.

E

I. PRIMAM habuit B. Matthias martyrium sustinendo, & valde patienter sicut ouis sustinuit non reclamando, vt verificetur illud Isai. 53. *Sicut ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum*, quia in certis codicibus legitur patibulum crucis humiliter sustinuisse, & tali martyrio coronat⁹ cœlos ascendisse.

II. SECVNDAM habuit humilitatem sed despiciendo, vt dicere posset cum Psal. 83. *Elegi abiectus esse in domo*

III. *Dei mei*, TERTIAM habuit manifestè in Deum, hunc amando, secundum illud Psal. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea*; & propter hanc triplicem humilitatem amatus est à Patre & Filio, & Spiritu sancto. A Patre quidem, quia ille dilexit humiles secundum illud Matt. 18. *Non est voluntas patris mei, qui est in cœlis, vt pereat vnus ex pusillis istis, qui in me credunt.* Quod B. Matthiam amauit, patet ex hoc, quod ei secreta reuelauit sua. Ad hoc ostendendum legitur in aliquibus Ecclesijs hoc Euangelium Matt. 11. *Confiteor tibi Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Filius amauit ipsum, quia cum Apostoli statuisset duos pro electione, Christus eum prælegit, quia ipse se despexit, fugiens ex humilitate Apostolatus dignitatem. Ideò dicitur in Can. In scripturis. 8. q. 1. Locus regiminis negandus est desiderantibus, & offerendus fugientibus. Spiritus sanctus ipsum etiam dilexit, quia in die Pentecostes super eum requieuit, secundum illud Isa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.*

Amatur à S. Trinitate. A Patre.

A Filio.

A Spiritu sancto.

II. SECVNDÒ, eius perfectio patuit in nimia dilectione, quia rectè sicut ouis hominibus amabilis est, propter vtilitatis perfectionem, ideò Beatus Matthias dile-

Propter dilectionem.

dilectus fuit domino, & multum amabilis, quod patet in pluribus signis, quæ ostendit ei. PRIMO, quod fecit eum contribulem suum, quia de tribu Iuda; & solent homines, qui sunt de eadem terra, inuicem se diligere: sicut patet in Petro, Andrea, & Philippo, qui fuerunt de ciuitate Bethsaida, & specialem dilectionem ad se habuerunt. SECVNDO, fecit eum suum secretarium, quando fecit eum suum discipulum, quia fuit vnus de duodecim discipulis, & hodie electus est in Apostolum electione speciali, quibus Christus Apostolis secreta sua narrauit. Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos.* TERTIO, fecit ipsum commilitem suum, quia quidam volunt, quod sit crucifixus, & sic cum Christo in eodem equo sedit, quod fuit ei magnus honor, secundum illud Esther 6. *Homo, quem rex honorare cupit, debet poni super equum, qui est de sella regis;* Alij enim super equum regis sederunt, qui pœnas martyrij tulerunt, sed non super illum, qui est de sella regis, id est, super quem nullus equitauit, nisi solus rex.

1. Contribulis.
2. Secretarius.
3. Commilito.

Matthias autem, vt aiunt quidam, sedit super equum, qui fuit Christi regis, quia eum crucifixerunt secundum illud Sap. 18. *Simili pœna seruus cum domino passus est & afflictus.* Ideo figuratus est per Mardochæum Iudæum, quem Rex Assuerus iussit poni super equum suum, super quem nemo equitauit, nisi ipse; & præcepit eum duci per ciuitatem. Esther. 6. Et sicut habetur Esther 8. *Mardochæus fulgebat in palatio regis variis vestibus, & omnis ciuitas exultauit, & Iudæis noua lux oriri visa est.* Ita Christus, qui vera beatitudo est omnium electorũ, iussit poni B. Matthiam, super equum suum, scilicet crucem, secundum illud Matth. 16. *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me;* & præcepit angelis, vt ipsum ducerent ad ciuitatem hanc gloriosam, de qua dicit Augustin. lib. de contempt. Christi, cap. 26. O quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Fundaris enim exultatione vniuersæ terræ, nec est in te senectus, nec senectutis miseria; non enim in te claudus, neque gibbosus, neque deformis, sed omnes occurrunt in virum perfectum: In hac nemo irascitur, nemo læditur, nemo inuidet; Cupiditas nulla exardescit, nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ; Terror gehennæ, ibi procul; non est mors corporis: aut animæ, sed immortalis vita. Hæc Augustinus.

In hanc ciuitatem hodie B. Matthias gloriosè equitauit præcinentibus Angelis, iuxta illud Esther 6. *Sic honorabitur quem rex Christus voluerit honorare;* Ibi anima eius sanctissima fulget variis vestita virtutibus. Iuxta illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.* Ideo omnes incolæ huius gloriosæ ciuitatis exultauerunt in aduentu eius, scilicet comparis: ibi nunc lucet quasi noua lux, & præsto est omnibus, qui Deum confitentur, & Christum sedulò laudant & honorant. Rogemus ergo Dominum,

DE SANCTO GREGORIO MAGNO.

Sermo primus,

Ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit racemos post vindemiatores. Eccl. 33.


Agister libro proprietatum 16. ait de quodam lapide pretioso Geraticon nuncupato, huius virtus sic probatur. Si corpus hominis melle inungitur, & muscis exponitur, si lapis ille est præsens corpus illud intactum remanet, Muscæ mox fugient, & corpus eius non corrumpent. De lapide hoc dicitur in lapidario, quod gestatus, hominem reddit dilectum, & amabilem atq; gratum.

A Mystice. Per hunc lapidem humilitas designatur, quæ est virtus multum pretiosa secundum Augustinum, quia est caput omnium virtutum, & obtinet primatum cęterarum, tanquam conseruatrix. Hæc humilitas tunc vera probatur, si, cui gloria, siue laus, est exhibita, contemnit laudem, signum est, quod illi adest humilitas: quia dicitur in libello; Paradisus animæ: Verè humilis fugit, ne sibi aliqua gloria exhibeatur, siue laus, & cum exhibita fuerit, expauescit; quod patet de S. Gregorio, qui cum vngeretur melle laudis, ægrè tulit, & laudem refugit, & sic à muscis adulationum intactus permansit. Ideo Episcopo Stephano, qui eum in suis epistolis melle laudis perunxit, sic rescripsit: Multum mihi, & vltra quàm audire merui indignus, fauorem in vestris literis demonstratis. Et tamen scriptum est; *No laudes hominem, quàm diu viuit.* Tamen etsi audire indignus talia fui, orationibus vestris peto, vt dignus efficiar. Ex quo dicto patet, quod veram humilitatem habuit, quam si non habuisset, muscæ adulationis ipsum corrosissent; ideo gratus fuit Deo, & multum dilectus, propter hanc humilitatem; quia dicit B. Augustinus: Nihil facit nos ita gratos Deo, nisi ipsa humilitas, quæ ad se traxit clementiam Dei. Quia fuit dilectus Deo, patet Eccl. 45. *Dilectus Deo, & hominibus cuius memoria in benedictione est.* Et eius humilitas patet in verbis præassumptis; in quibus à duobus laudatur. Quantum ad *primum* ab humilitatis abundantia, ibi; *Ego nouissimus. Secundo,* à virtutis vigilantia, ibi; *Euigilaui.*

De Primo est sciendum. Arbor secundùm naturales dicta est; quod terræ radicibus solet firmiter adhærere, vt dicit Isidorus lib. 16. c. 5. Et illa arbor, quæ non est benè radicata, facilè à vento prosternitur, sed quæ profundè radices terræ infigit, euelli non poterit.

Moraliter homo secundũ Arist. dicitur arbor inuersa, habens radices sursum, & ramos deorsum. Hæc si non vult deijci à vento superbiæ, necesse est vt valde profundè radicata sit in humilitate. Ideo Seneca ad Lucilium in epistola dicit; Ad ima atq; ad humilitatem redige te, mi Lucili, ex quibus cadere non possis; In humili etenim via nullus accidit casus aut ruina. Et sicut arbor, quæ non est radicibus profundata, raro cernitur nimium eleuata, sic nullus poterit ad altitudinem cœli ascendere, nisi sit benè radicatus in humilitate. Ideo dicit Bernar. in lib. de gratia humilitatis.

B Per humilitatem ascendere oportet ad sublimitatem, quia hæc est via, & non alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendit. Quod (in Vitis Patrum, in vita Ioannis Ægyptij Eremitæ) probatur de Eremita quodam, qui pollebat multis virtutibus, & tandem elatus confidens de se, cœpit sibi totum, quod profecerat, deputare: quod videns inimicus diabolus, accessit in specie pulchræ mulieris oberrantis, dicens; Quia nox me infelicem & fessam deprehendit in Eremo, iube me hic in angulo cellulæ tuæ requiescere, ne comedor à bestiis. Ad hoc consensum dedit ille, & causam erroris inquirit. Illa autem blandimenta finxit, & suaui sermone animum incli-

In luxuriæ barathrum incidit superbus monachus fraude dæmonis.

Inclinauit, vt inter hæc verba risus & iocus miscerentur: deinde procax manum ad mentum, barbam, postea ad caput, ceruicem & collum mollius apponit, & continuò libidinis fluctibus cœpit æstuare, & irruit in obscœnos eius amplexus; Illa autem vlulatum teterrimum diræ vocis emittens, inter eius manus velut vmbra disparuit, cum fœtore, & irrisione ipsum deserens. Tunc multitudo dæmonum in aëre ad hoc ipsum spectaculum congregata, dixit. O infelix Monache, qui te vsque ad cœlum extollebas quomodo demersus es vsque ad infernum? Disce miser: quia *qui se exaltat humiliabitur*. Ille autem velut amens effectus deceptionis suæ pudorem non ferens, desperans, tradidit se omni immunditiæ & iniquitati: & fugit conspectum sanctorum hominum, ne posset de præcipitio reuocari. Idcirco beatissimus Gregorius valde profundè fixit radicem humilitatis. Cuius humilitas patet in vita & doctrina. In vita cum dicit. *Ego nouissimus*. In doctrina, quasi qui collegit racemos post vindemiatores. In vita habuit humilitatem. Humilitas S. Gregorij.

PRIMÒ in verbo, quia se seruum seruorum nominauit, sequens Apostolum, qui dicit 2. Cor. 4. *Non enim nosmetipsos prædicamus*, scilicet laudando, *sed Iesum Christum Dominum: nos autem seruos vestros per Iesum*. Ideo B. Gregorius Patriarchæ Alexandrino Eulogio, qui eum in Epistola Papam generalem nominauerat, sic scripsit: In præfatione, inquit, epistolæ, quam ad me direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem Papam me dicentes, scribere curastis, quod peto vestra dulcissima sanctitas non faciat vltra, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigat, præbetur. Ego enim verbis prosperari non quæro, sed moribus, nec honorem esse puto, in quo fratres honorem suum perdere recognosco. Idem Eulogius Patriarcha scripsit ei in literis suis: Hoc verbum, *sicut iussistis*, quod verbum *iussionis* peto à meo auditu remoueri, quia scio, qui sum, & qui estis, loco enim mihi fratres estis, moribus autem patres. O I.

Nolebat etiam, vt matronæ se ancillas suas dicerent. Ideo cuidam mulieri nomine Rusticana scripsit dicens. Vnum in tuis epistolis ægrè suscepi, quod quia semel dici poterat, sæpius dicebatur ancilla vestra. Ego enim, qui per Episcopatus onera omnium seruus factus sum, qua ratione te mihi ancillam dicis, cuius ante Episcopatum seruus fui; & ideo rogo per omnipotentem Deum, ne ad me hoc verbum in tuis epistolis aliquando inueniam.

SECVNDÒ, eius humilitas apparuit in animo, quia se peccatorem reputabat, sequens Apostolum qui ait 1. ad Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum*. Ideo in epistola ad Mauritium Imperatorem sic scribit. Quia peccator sum, credo omnipotentem Deum vobis magis placari, quantum me illi malè seruientem affligitis. Ita nos eius exemplo reputemus peccatores, quia piarum mentium est ibi culpam timere, vbi culpa non est, vt ait Gregorius. Et dicamus cum filio prodigo, Luc. 15. *O pater peccaui in cœlum, & coram te*. Et cum publicano. *Deus propitius esto mihi peccatori*, vt cum ipso iustificati de templo descendamus. Luc. 18. II.

TERTIÒ, humilitas apparuit in signo, quia legitur in libro de Græco in Latinum translato: Quidam sanctus pater nomine Ioannes Abbas cum Romam ad visitandum limina sanctorum Apostolorum venisset, & beatum Gregorium Papam per medium ciuitatis ire vidisset, voluit ei occurrere, & vt decebat, reuerentiã exhibere. III.

Videns

Videns autem B. Gregorius, quod se in terram voluit proiicere, festinauit,& primo coram ipso se in terram prostrauit, nec surgere voluit, quousque prior Abbas surgeret, quia legerat illud Sapientis. *Rectorem posuerunt te,noli extolli,esto ipsis quasi vnus ex illis,curam illorum habe.* Eccl. 32.

IV. Qvarto, apparuit eius humilitas in eius doctrina,quia in libris suis, in quibus habetur clarissima doctrina, dum adhuc viueret ob nimiam humilitatem publicari noluit, & in aliorum comparatione suos nihil valere æstimabat. Ideo Præfecto Innocentio Africæ, qui rogauit ipsum pro expositione B. Iob sic scribit: Quia expositionem sancti Iob vobis transmitti petistis, vestro studio congaudemus. Sed si delitioso cupitis pabulo saginari,B. Augustini conciuis vestri opuscula legite,& ad comparationem illius siliginis,nostrum furfur non quæretis; neque enim volo, quamdiu in hac carne sum,si qua me contingat dixisse,ea hominibus innotescere. Sed iam illa humilitas rara (heu) est in Prælatis,nam ipsi in verbis pomposis se extollunt arroganter. Rectè enim sicut fecit Adonias,qui dixit; *Ego regnabo post mortem Dauid*,vt patet 3. Regum 1. nec tamen regnauit,quia à Salomone occisus fuit 3. Regum 2. Ita etiam legitur 2. Machab. 15. de Nicanore, ad quem dixerunt Iudæi; *Deus potens in cælis est, qui iussit septimum diem celebrari. Ille respondit superbè: Et ego potens sum in terra, qui iubeo sumi arma.* Sed post fuit cum exercitu infelix interfectus. Alij etiam sunt,qui æstimant se non peccasse, dicentes illud Iob 17. *Non peccaui*: cum tamen sine peccato nullus viuit, *nec infans vnius diei*, vt ait Ambrosius lib. 1. officiorum. Ideo cum Pharisæo,qui se iustificauit, Luc. 18. dicunt, *non sum sicut cæteri hominum*,& sic manent in peccatis. Alij autem sunt, qui nunquam in signis ostendunt humilitatem, stant enim in Ecclesia, sicut fustes erecti, nec genuflectunt cum nomen Iesu nominari audiunt. Etenim præcipitur,de immu. Eccles. lib. 6. ca. Decet domum Dei sanctitudo, per Gregorium; Iesus Christus dum in Missa nominatur,debent omnes homines genuflectere, præcipuè tamen corde,quod debent capitis humili inclinatione testari.& hoc quo ad Primum.

D Quantum ad Secvndvm,est Notandvm,secundum Isidorum lib. 12. Canis est animal multum vigil quia cum magna diligentia gregem custodit domini sui, circumiens domum, & expellens lupos, & alia animalia, quæ non sunt domini. Est etiam canis,vt dicit Plinius in speculo naturali lib. 13. cap. 41. animal vigens memoria,quia itinera quamuis longa ad memoriam reducit,& amissis dominis,ad ipsorum domicilia solus per longa terrarum spatia redire consueuit. Idem refert,quod est animal valde fidele domino suo. sicut probat de cane Titici Sabini,qui dominum suum nec in carcere nec in morte reliquit,sed mœstus sedens & vlulans cum mortuo mansit. Cui cum quidam cibum ad os proiecisset, ad os defuncti cibum tulit, & se in Tiberim immisit cadauer eodem proiectum vt sustentaret.

Gregorij etymologia. Sic more illius animalis, B. Gregorius fuit valde vigilans. Ideo Gregorius in nostra lingua vigilans sonat,quia vigilauit sibi, Deo,& gregi. Sibi per munditiæ conser-
1. uationem,ita vt dicere posset cum Iob. 33. *Mundus sum ego, & absque delicto, immacu-*
2. *latus, & iniquitas non est in me.* Deo vigilauit per internam contemplationem, ideo cum electus esset Papa, & non posset insistere contemplationi sicut prius, multum hoc deplanxit, vt scribit hoc in prologo super dialogum dicens: Ex occasione curæ pastoralis animus meus secularium hominum negotia patitur,& post tam pulchram quietis

quietis suæ speciem terreni actus puluere fœdatur. Perpendo itaq; quod tolero, perpendendo quod amisi, dumque intueor, id quod perdidi, fit leue hoc grauius, quod porto. Ecce cum nunc magni maris fluctibus quatior, atq; in naui mentis tempestatis validæ procellis illidor, Et cum priorem vitam recolo, quasi post tergum ductis oculis viso littore suspiro. TERTIO, gregi suo vigilauit per assiduam prædicationem, ita vt dicere posset cum Psalm. 68. *Laboraui clamans raucæ factæ sunt fauces meæ*, scilicet prædicando. 3.

Similatur igitur B. Gregorius vigili gruum, de quo refert Aristoteles 8. lib. animalium, qui diligenti custodia vigilat super gregem dormientem. Stat enim super vno pede directè, & alterum eleuat in altum, quo tenet lapidem, vt si fortè ipsum dormire contingeret, per casum lapidis se iteratò excitaret; & si aliquid aduersum audierit, incipit clamare, vt aliæ grues excitentur, & à periculis conseruentur. Sic B. Gregorius diligenti custodia super gregem Dominicum vigilauit, vt dicere possit cum Psalm. 101. *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto*. Ipse enim stetit super vno pede tantum, quem tenuit in terra, quando cura pastorali Ecclesiæ sanctæ prouidebat; alterum autem sursum leuauit, cum gloriam mundi non curauit; nullam enim affectionem habuit ad laudem humanam: Sicut patet in epistola ad Anastasium Patriarcham Antiochenum, qui eum in suis epistolis laudauit, vocans eum os Domini, & lucernam mundi. Cui rescribens ait. Quid me os Domini, quid me lucernam dicitis? quod loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis, existimationem meam, fateor, in dubitationem maximã mihi perduxistis. Considero namque qui sum, & nihil in me ex his boni signi deprehendo. Considero & qui estis vos, & mentiri posse non arbitror. Cum autem credere volo, quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea: cum disputare volo, tunc in laude mea contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso, vir sancte, vobis aliquid de hoc certamine vestro conueniat, vt si non quod dicitis ita est, sit ita, quia dicitis. Hæc ille.

S. Gregorius similis vigili gruũ.

Ipse etiam præmonuit gregem suum clamando, sicut per se testatur in homilia de decem virginibus dicens: Sæpe vos fratres charissimi admoneo praua opera fugere mundi huius inquinamenta deuitate. Sed hac lectione compellor dicere, vt ea, quæ agitis cum magna cautela teneatis, &c. Sed quare sic gregem suum fideliter admonuit? Certè ideo, quia nouit scriptum Ezechielis 3. & 33. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audiens de ore meo annunciabis eis*; quod exponens Gregorius ait. Quem Dominus ad prædicandum mittit, speculatorem esse denunciat; Cui enim cura aliena committitur, speculator vocatur & in montis altitudine sedebit, atque vocabulum nominis ex virtute trahitur actionis. Ipse quidem beatus Gregorius fuit prudens & fidelis domino suo Iesu Christo, qui constituit eum suum Vicarium, vt de ipso exponi possit illud Matth. 24. *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore*. Ideo hodie secutus est Dominum in gaudium æternum, secundum illud Matth. 25. *Euge*, id est, gaude, *serue bone & fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Sed prô dolor moderni Prælati non sic vigilant super gregem, sed dormiunt & cæci sunt, nec peccata populorum corrigunt. Ideo prædixit de ipsis Isaias 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non valentes latrare*. Non sunt etiam fideles Domino suo, Isaiæ 1. *Principes tui infideles, socij furum, & omnes diligunt munera*. Ideo cum vigilanti

Gregorio & fideli in gaudium cœli non intrabunt, sed verius cum cæcis ductoribus in foueam æternæ damnationis cadent.

DE EODEM FESTO,

Sermo secundus.

Quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei, ita scribitur Eccl. 50.

A ECVNDVM Ptolomæum in Almagesto, lib. 3. dicitur. Stella igitur vna & eadem existens in varias apparitiones transmutatur, quia mane est alba, in sero est rubea, & hoc probat in luna, quæ albet in tempore matutino, & rubet in noctis initio; Cuius ratio est, quia frigus causat albedinem, mane autem propter diuturnam absentiam solis terra vehementius infrigidatur, ideo tunc albescit ipsa luna, sed vesperi tota regio mundi per discursum solis est vehementer inflammata & incensa. Sed quia calor causat rubedinem, ideo luna sero rubescere æstimatur.

SPIRITVALITER. Per stellam B. Gregorius intelligitur ad præsens, quia dicit Plato in Phedrone: Stella noctem illuminat, lumen diei adunat, frigusq; mundanæ regionis temperat. Sic beatus Gregorius noctem ignorantiæ & peccati illustrauit: quia tenebras vitiorum abstulit, ideo comparatur stellæ, quæ est in nebula secundum illud Eccl. 50. *Quasi stella fuit in medio nebulæ*, id est, prauitatis, quia omnes hæreticos sua doctrina aurea & lucida confutauit. Ipse etiam adiuuit famulos Dei, de quibus dicit Dominus Matth. 5. *Vos estis lux mundi*: quia propriis stipendiis eos aluit seu nutriuit; ita vt de ipso exponi possit illud Psalm. 32. *Eruit à morte animas eorum*, alens eos in fame. Hæc iucundissima stella B. Gregorius albus fuit in mane iuuentutis, puritate castitatis, quod tamen in aliis adolescentibus (heu) valde rarum inuenitur, quia dicitur in Can. Omnis. 12. q. 1. Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, & habetur originaliter Gen. 8 Ideo dicitur de ipso Tobiæ 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*. In sero autem senectutis, fuit rubeus ex rubore caritatis, quia plenus caritate ad Dominum migrauit. Ideo comparatur lunæ & soli in verbis præmissis. In quibus à duobus commendatur. *Primò*, à statu Prælationis, ibi; *Quasi luna plena*. *Secundo*, à statu perfectionis, ibi; *Quasi sol refulgens*. De primo dicunt naturales: Luna habet proprietates certas, propter quas B. Gregorius Doctor hic lunæ comparatur.

Cur S. Gregorius lunæ cõparetur.

B

I. PRIMÒ, quia est infimus planetarum. Distinguit enim Ptolomæus in libro de iud. astrorum sic planetas, quod *superior* est Saturnus. *Secundus* Iupiter, & hoc ideò, quia Saturnus est maleuolus, frigidus & siccus, meritò immediatè sequitur Iupiter, qui est beneuolus, calidus, & humidus, & sua bonitate malitiam, caliditate frigiditatem, & humiditate siccitatem temperat Saturni. *Tertius* planeta est Mars calidus & siccus. *Quartus* & medius est Sol. *Quintus* est Venus. *Sextus*, Mercurius. Sed *vltimus* est Luna quasi humillimus Planetarum. Et hoc habetur in versu:

Post sim, sum, sequitur, vltima luna subest.

Spi-

SPIRITVALITER. Sicut Luna inter omnes planetas est vltima, ita B. Gregorius inter quatuor Doctores Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum fuit nouissimus. Sicut testatur Eccl. 33. *Ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. In benedictione Dei & ipse speraui, & quasi qui vindemiat, repleuit torcular.* Ipse enim non fuit solum vltimus in ætate, verum etiam in profunda humilitate, quod patet, quando electus fuit concorditer ab omni populo in Papam, quasi verus humilis fugit, & se abscondit, ne ad tantam dignitatem assumeretur, sed abscondi non potuit; Ipse enim fuit illa gloriosa ciuitas, in qua Spiritus sanctus sedulò habitabat, de qua dicit Psalm. 85. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*; & iam erat posita super montem excelsum Papalis dignitatis, ideo occultari non potuit, secundum illud Matt. 5. *Non potest abscondi ciuitas super montem posita*, ideo B. Gregorius fuit lucerna lucidissima. Rectè enim sicut in lucerna est oleum & lychnus, sic in B. Gregorio fuit oleum, hoc est gratia Spiritus sancti, & lychnus sanctæ operationis; Et sicut lucerna ardet & lucet, ita ipse ardebat igne caritatis, & lucebat doctrina, & exemplo veritatis, ita vt de ipso dicatur illud Ioan. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens*; Hanc igitur splendidissimam lucernam accendit gratia Spiritus sancti, ideo non potuit abscondi secundum illud Lucæ 11. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, sed super candelabrum vt qui ingrediuntur lumen videant.* Apocal. 1. Ioannes vidit septem candelabra aurea, de quibus dixit Angelus; *Candelabra septem sunt septem Ecclesiæ.* Super vnum candelabrum positus est sanctus Gregorius tanquam lucerna luminosa, licet ipso inuito, quia hoc sæpius deplanxit, sicut ipse scribit in Epistola ad Patritium, dicens: Dum contemplationis alta describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renouatis, quia agnoui, quid intus perdidi, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem mœrore percussum me cognoscite, vt vix loqui possit. In alia aūt epistola sic scribit: Quod me ad Episcopatus ordinem cognoscitis peruenisse, si me diligitis plangite; quod & ego incessanter defleo, atq; vt Deum pro me exoretis, rogo.

S. Gregorius ciuitas gloriosa.

Lucerna lucidissima.

C

D

Quare autem B. Gregorius tam inuitus ad altitudinem ascendit, possunt rationes dari naturales. Refert Alexander super 3. Meteor. quia altæ nubes validius semper igne fulminis inflammantur. Alia causa: quia altæ nubes vehementer sunt frigidæ, & sic sunt intus magis flammeæ, Cum enim frigus intra nubes calorem repercutiat, accidit vt ipsam nubem vehementius validiusque accendat, sicut dicit Auerrois Commentator. A simili; alti homines in gradu mundani culminis, atque dignitatis cum peccant, æstuabunt validius igne æterni supplicij & doloris, secundum illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Cui consonat B. Ambrosius in hexam. Timendum namque est, ne fortè omnis, qui in mundo altus steterit, igne gehennæ æternaliter æstuet. Et hoc considerans, valde inuitus ad culmen tantæ dignitatis ascendit.

Cur S. Gregorius inuitus factus sit Papa.

Idem legitur de quodam viro sancto, qui dictus est Armenius, in Viris Patrum, lib. 1. qui fuit magnæ abstinentiæ, & castitatis in tantum, vt cum membra eius ad libidinem incitarentur, ferrum ignitum apponēs, carnis dolorem & desiderium compescuit. Et cum in quadā ciuitate Episcopus defunctus esset, suggesserunt quidā Archiepiscopo Alexandriæ, vt eum Episcopū ordinaret, erat autem peritus in scientia scripturarū & eloquentia. Ad quos Archiepiscopus ait: Adducite eum, vt ordinetur, Perrexerunt illi festinantes cū multitudine, vt facilius abstraheretur. Cum vidisset se

præuen-

præuentum, deprecatur, & cum sacramento affirmauit, non se suscepturum ordinem Episcopatus, nec de eremo egressurum. Illis autem non credentibus, sed astantibus, coram omni populo forcipem accepit, & aurem suam radicitus abscidit dicẽs: Nunc certè scitote, quod impossibile est me fieri Episcopum, quia lex hoc prohibet, quod illi videntes recesserunt, & Archiepiscopo dixerunt, qui ait: Ista lex apud Iudæos seruabatur, si autem eum, qui nasum abscissum habet adduxeritis, ornatum tamen moribus, vt dignus sit sacerdotio, ipsum ordinabo. Abeuntes illi iterum, eum rogabant, ipse autem mirabatur dicens: Si me coëgeritis, etiam linguam, propter quam molesti estis mihi abscindam. Tunc videntes, quod nihil proficerent, recesserunt.

Secundo. Luna recipit lumen suum à Sole, ideo dicit Aristoteles lib. elementorum. Luna semper immediatè illuminatur à sole, & lumen receptum reflectitur in terram. Sic B. Gregorius lumen suæ doctrinæ recepit à Spiritu sancto, qui est verus sol, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ioan. 1. Nam eius Diaconus Petrus, vidit multoties Spiritum sanctum in specie columbæ super eum residere. Ideo legitur, quod post mortem eius quidam inuidi cœperunt detrahere B. Gregorio, asserentes, quod thesaurum Ecclesiæ, tanquam prodigus consumpsisset, ideò ad huius vindictam ad comburendos libros eius cæterorum animos inclinauerunt: At illi cum iam quosdam combussissent, & cæteros comburere vellent. Dixit Petrus: ad eius hoc delendam memoriam nihil valere, imo immane esse sacrilegium tanti patris, tot & tales libros exurere, super cuius caput Spiritum sanctum in similitudinem columbæ frequentissimè conspexisset. Et cum hoc tactu sacrosancti Euangelij confirmaret, & sanctitati S. Gregorij testimonium perhiberet, à dolore mortis extraneus, spiritum inter verba veræ confessionis efflauit; quia spiritu prophetico hoc accepit à sancto Gregorio, quando hoc de visione Spiritus sancti reuelaret, ipse de hoc mundo migraret, quod & factum est. Ex quo patet, sicut Luna recipit lumen à sole ita & ipse doctrinarum claritatem à Spiritu sancto. Et sicut luna receptum lumen non apud se retinet, sed aliis stellis impertitur; & noctis tenebras illustrat; Sic B. Gregorius lumen doctrinæ suæ, à Spiritu sancto receptum, aliis prædicatoribus largissimè impertitus est. Sciuit enim scriptum Eccl. 41. *Sapientia abscondita, & thesaurus missus, quæ vtilitas in vtrisque*; quasi diceret, Nulla. Et tenebras ignorantiæ à peccatoribus expulit, & eos verbo prædicationis conuertit. Ideo dicit lib. 3. dialog. Maius miraculum est verbo prædicationis, & solatio orationis peccatorem conuertere, quàm carnem mortuam suscitare. *Et declarat*. In hoc, inquit, suscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima æternaliter victura.

Inuidi Gregorio defuncto detrahunt.

Petrus Diaconus moritur.

Gregorij doctrina est à Spiritu.S.

Tertio. Luna lumen suum omnibus animalibus communicat, tàm acutum, quàm debilem visum habentibus, quia videmus noctuam, & bubonem, & nycticoracem, quæ aliàs de die latent, non potentes ferre solis claritatem, propter visus debilitatem, de nocte luna splendente hinc inde volantes, & nutrimenta quærentes: Ita B. Gregorius omnibus communicauit scientiæ suæ lumen, vt dicere possit cum Apostolo 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. Ipse enim inter sapientes sapiens fuit secundum illud 1. Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed imperfectis lac leuioris doctrinæ propinauit, quia tales non possunt prospicere in claritatem profundarum scripturarum. Et hoc quo ad primum.

Quan-

Quantum ad secundum, commendatur B. Gregorius à statu perfectionis, cum subditur: *Et quasi sol refulgens.* Vbi est sciendum. Sol secundũ naturales habet virtutem educendi ex terra omnia terræ crescentia, quæ tamen sole non existente manent infra terram. Ideò dicit Aristoteles 2. de generatione: Motus solis in obliquo circulo, est causa generationis & corruptionis, quia sole recedente à nobis, terræ crescentia marcescunt, accedente verò reuiuiscunt, & de terra prodeunt; & hoc est verum, si pluuia solem adiuuerit, & terram irrigauerit, tunc enim omnia gramina, & herbæ de terra educuntur. Ita B Gregorius, qui huic soli comparatur, habuit virtutem animas de terra precibus suis educendi, vt patet de anima Traiani Imperatoris, quam etiam de inferioribus partibus terræ eduxit, concurrente pluuia lacrymarum. Sicut de hoc dicit Damascenus. De Traiano orationem fundens, audiuit vocem diuinitus sibi illatam: Vocem tuam audiui, & Traiano veniam do; cuius rei testis Oriens & Occidens omnis. E

Sed quid mouit B. Gregorium, vt pro homine gentili & damnato tam feruidè oraret, fundens indesinenter lacrymarum pluuias. *Ad hoc sciendum*, quod quidam filius Traiani, quadam vice per Vrbem Romanam nimis lasciuè equitando, filium cuiusdam viduæ interemit; cum Traianus ad quoddam bellum festinaret, cum fiducia vidua occurrit flebiliter, dicens: Obsecro, vt sanguinem filij mei innocentis digneris vindicare. Cui Imperator. Si sanus reuertar, tibi vindicabo. Ait vidua: Et quis mihi hoc fecerit si in prælio mortuus fueris. Et Traianus. Qui post me imperabit Ad quẽ illa. Et tibi quid proderit si alter mihi iustitiam fecerit. Cui Traianus; vtiq; nihil. Et vidua. Nónne tibi melius est, vt iustitiam mihi facias, & pro hoc mercedem capias, quàm alij reserues? Tunc Imperator pietate motus, de equo descendit, & ibidem innocentis sanguinem vindicauit. Nam filium suum, qui hoc fecerat viduæ tradidit, & eam magnificè dotauit. Sed quia dicit Sapiens Prou. 11. *Iustitia rectorum liberabit eos.* Et Prouer. 4. *Eleuat gentem iustitia.* Idcircò dum quadam vice diu post mortem Traiani per forum Gregorius transiret, & iudicis huius mansuetudinem & iustitiam recordatus fuisset, ad sancti Petri Basilicam peruenit, & fleuit. Tunc ei diuinitus responsum est; Ecce petitionem tuam compleui, & Traiano pœnam æternam peperci, de cætero autem diligentissimè caueas, ne pro damnato aliquo preces fundas. Et addidit Angelus, quia pro damnato rogasti, datur tibi optio; aut in purgatorio duobus diebus cruciaberis, aut certè toto tempore vitæ tuæ infirmitatibus, & doloribus fatigaberis; Sed potius ipse toto tempore vitæ suæ doloribus elegit concuti, quàm duobus diebus in purgatorio cruciari. Ideò semper deinceps à febribus, aut podagræ molestia pressus fuit, aut varijs doloribus conquassatus, aut doloribus stomachi miserabiliter cruciatus. Et hoc testatus fuit in quadam Epistola dicens: Podagræ tantis molestiarum doloribus premor, vt vita mea mihi grauissima pœna sit; quotidiè enim dolore deficio, & mortis remedio exspectando suspiro. Et dicit Ioann. Diaconus, qui Legendam S. Gregorij compilauit, quod B. Gregorius non legitur pro anima Traiani orasse, sed fleuisse. Et frequenter Deus misericorditer concedit, quod homo, quamuis desiderans, petere nón præsumit, & quòd anima eius non est ab inferno liberata, & in paradiso reposita, sed simpliciter ab inferni cruciatibus liberata: Nec est contra illud, quod canit Ecclesia; In inferno nulla est redemtio; Quia dicunt Doctores, quod potentia Dei est duplex; *Vna* absoluta, id est libera; *Alia* ordina-

Quæstio.
Responsio:

Quid de hac historia vel potius famula sentiendum sit, vide Tom. VIII. Annalium Cæsaris Baronii, circa Annũ Domini 604.

Potentia Dei duplex.

dinata: & secundum primam liberatus est Traianus. SECVNDO. Sol habet virtutem animalia repellendi, quia secundum naturales veniente sole immunda animalia fugiunt, & suas cauernas quærunt, sicut araneæ & basiliscus, & Draco, quorum venenum contrariatur caliditati solis. Ideò dicit Psal. 103. *Ortus est sol, & congregata sunt,* scilicet talia animalia venenosa, *& in cubilibus suis collocabuntur.* Ita in simili, B. Gregorius habet virtutem hæreticos malos & immundos expellendi, quos sua salutifera doctrina confutauit, & fugauit: & principaliter cum panem Christi in formam digiti cruentati commutauit, errorem mulieris incredulæ propulsauit.

Eucharistia propter incredulam mulierem Gregorii oratione in digitum cõuersa.

Refert B. Ioannes Diaconus, in vita B. Gregorij Papæ, lib. 2. ca. 41. quod matrona quædam singulis diebus Dominicis B. Gregorio panes offerebat, cui post Missarum solennia cum corpus offerret, & diceret: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam, lasciuè subrisit. Ille autem continuò manum retrahens, Dominici corporis partem super altare deposuit, & coram populo matronam interrogauit, quam ob causam præsumpsisset ridere? Ait illa. Quia panem illum quem proprijs manibus feci, tu corpus Domini appellas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris in orationem prostrauit se, & surgens particulam illam panis ad instar digiti reperit, & sic matronam ad fidem reduxit. Iterum orauit, & carnem in speciem panis conuersam vidit, & matronæ sumendam tradidit.

Gregorii potentia contra dæmones.

Et B. Gregorius non solum hæreticos fugauit, sed etiam dæmones, quos de suis famulis repulit, sicut idem Ioannes narrat sibi contigisse; hic cum vitam B. Gregorij scriberet, & apud lucernam paululum dormitaret, vt sibi videbatur, quidam vir sacerdotaliter insignitus ei astitit, qui propius accedens, inflatis buccis risum continere non potuit; Cumq; Ioannes ab eo quæreret. Cur vir grauioris officij, sic dissolutè rideret, ait. Quia tu scribis de mortuis, quos viuentes nunquam vidisti. Cui ille: Etsi illum non nouerim facie, tamen de illo scribo, quæ didici lectione. Ait ille. Tu, vt video, sicut voluisti fecisti; & ego quæ facere potero, non cessabo. Moxq; lumen exstinxit, & adeò ipsum vehementer exterruit, vt putaret se ab illo gladio iugulatũ. Mox B. Gregorius aduit, comite B. Nicolao ad dextram, ad sinistram verò B. Petro Diacono, eiq; dixit: Modicæ fidei, cur dubitasti? Cumq; post cortinam lecti aduersarius latitaret. Gregorius sumta ex manu Petri magna facie, eiusq; flam̃is os & faciem aduersarij exurens, eumq; referre Æthiopem aperuit, quædam autem scintilla minima cadens in eius vestem candidam, dicto citius ipsam combussit, & sic nigerrimus totus apparuit. Dixitq; Petrus B. Gregorio, satis denigrauimus illum. Cui Gregorius: Nos illum non denigrauimus, sed nigrum fuisse demonstrauimus; & sic ibi multo relicto lumine abierunt. Ideò dictum est de eo. *Quasi sol effulgens.* Et hoc quantum ad secundum.

DE ANNVNTIATIONE DOMINICA.

Sermo Primus.

Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Isai. 45.

Natu-


Aturaliter videmus, quando venit tempus veris, quod est lætitiæ & amoris incitamentum, tristitiæ, & mœroris repulsiuum, prata germinare, & flores amœnitatis in se concipere, qui homines lætificant, recreant, mirabiliterq; delectant; ita vt omne tempus anni non sit tam delectabile, sicut tempus veris. Idcircò summoperè ab hominibus desideratur, maximè autem ab infirmis, quia est minus mortiferum aut infirmum; Sed est suauissimum, in suis qualitatibus summe temperatum, vt dicit Constantinus lib. 5. cap. 3. A

MYSTICE. Per tempus veris intelligitur tempus gratiæ, in quo Deus Pater suum filium mundo reserauit secundum illud Apostoli ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere* &c. Et illud tempus fuit impulsiuum lætitiæ, secundum illud Zachar. 2. *Lætare filia Sion, quia ecce venio, & habito in medio tui.* Sed per pratum iucundissima Virgo Maria designatur, quia fuit ornata multiplicibus floribus, ruta castitatis rosa puritatis, Hyssopo humilitatis, & dicit Petrus de crescent. lib. 7. cap. 1. Prata ideò sunt creata, vt terra, quæ prius erat nuda, floribus vestiretur & ornaretur, & etiam propter animalia, vt inde haberent sua alimenta. Ita hoc floridum pratum Maria decus Virginum, ideò à Deo creata est, vt homines terreni, qui erant nudi virtutibus, ab ipsa ornarentur, & peccatores eius gratia nutrirentur, quia propter illos creata est. Ideò dicit Anselmus in sermone 10. Pro peccatoribus, dulcissima virgo Mater, intercedere nunc non cessas, quia si non essent, nunquam esses. In isto prato amœnissimo hodie ortus est CHRISTVS, qui secundum Bernardum est flos electus ex millibus, Flos in quem desiderant Angeli respicere, flos ad cuius odorem mortui reuiuiscunt, *flos* inquam *campi, & lilium conuallium.* Cant. secundo. Et dicitur flos campi, quia dicunt Naturales, quod idem flos campi quando nascitur, terra non aperitur, sicut in ortu aliorum florum, sed manet inuiolabilis; Ita in simili, nato hodie Christo in vtero virginali, terra benedicti eius corporis non fuit aperta, sicut figuratum fuit Ezech. 44. in porta clausa, *in quam ingressus est Dominus Deus Israel:* ipsa inuiolata permanente. Ideò canitur: Post partũ Virgo inuiolata permansisti. Iste igitur flos Christus fideles cunctos creauit & lætificauit secundum illud Psalm. 42. *Introibo ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* Idcirco dies ille hodiernus, in quo ortus est Christus filius Dei in prato virginalis vteri decenter exornati, ab hominibus antiqui testamenti est desideranter exspectatus & optatus, vt in suis infirmitatibus recrearentur. Ideò petierunt, *Rorate cœli desuper* &c. In quibus verbis tria petunt sancti Patres. *Primùm*, mysterium Dominicæ incarnationis, ibi; *Rorate cœli desuper. Secundò,* Angelicæ salutationis, ibi; *Et nubes pluant iustum. Tertiò*, assensum virgineæ deuotionis, ibi; *Aperiatur terra & germinet.* B

Pratum designat B. Virginem.

B. Virgo cur flos campi.

PRIMO est NOTANDVM, quod Commentator Auerrois libro de impressionibus aëris, sic inquit: Cum ros ceciderit, die illo prælto serenitas erit; Cuius ratio est, quia per descensum roris regio aëris expurgatur, qua purgata serenitas comitatur.

SPIRITVALITER. Per rorem Christus filius Dei subauditur propter multas causas. Primo, quia dicit Themistius in summa naturalium Entium. Proprium est rori & pruinæ non in die descendere, sed in nocte aut tempore matutino secun-

ſecundum Hugonem in didaſcal 44. Et rationem aſſignat dicens, quia diurnus calor aut ſiccitas, extenuat ipſum rorem, etiam vapor aëris de quo ros generatur in die virtute ſolis augmentatur & deorſum deſtinatur. Ita Chriſtus filius Dei, qui eſt flos refrigerans aridas mentes, noluit deſcendere ad incarnandum in die æſtus peccatorum, in quo homines erant mala concupiſcentia inflammati, ſecundum illud Geneſ. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.*

Cur incarnatio tam diu dilata fuerit.

Sed quare noluit deſcendere, ſed ſuam incarnationem quinq; millia annorum ducentos, minus vno protrahere? Certè ideò, quia æſtus horum peccatorum, & præcipuè contra naturam, deſcenſum huius ſalutiferi roris impediuit. Quod teſtatur Auguſtin. dicens: Videns Deus vitium contra naturam in humana natura fieri, diſtulit incarnari; Sed inualeſcente nocte tribulationis deſcendit humanatus; Vel ad literam. Chriſtus non deſcendit in die, ſed in nocte, ſecundum illud Sap. 18. *Cum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit.*

D

Cur veſperi ad ſalutationem Angelicam pulſetur.

Quia dicunt Doctores, quod Angelus Gabriel miſſus fuit à Deo ad Virginem ſalutandam ſole occidente. Et hoc deſignans Eccleſia illo tempore campanam ter pulſare conſueuit: In ſignum quod Angelus tunc aduenit, & Chriſti incarnationem Virgini annuntiauit, & ſalutationem præmiſit dicens: Aue gratia plena: Dominus tecum. Ideò nunc bona conſuetudo inoleuit, vt quilibet Chriſtianus audiens hunc pulſum, genua flectat, & ſalutationem dicat Angelicam, quia ab antiquo hoc tentum eſt.

Refertur enim in libro trium regum, quod Helena deuota Regina veniens Nazareth, pulcherrimam Eccleſiam ibidem fabricauit, in qua quidem à dextris, prope chorum eſt camera, in qua beata Virgo ſe incluſit, in qua Angelus Domini conceptum Saluatoris noſtri, prædixit. In iſta Camera fuit columna lapidea, Circa quam angelus ſtetit & ſuam imaginem, ſicut ceræ ſigillum eidem impreſſit: In qua etiam columna diei Annuntiationis ſignum permanſit, quod cum ſol ante occaſum tangeret, tunc hora fuit, quando angelus Domini Mariam ſalutauit, & Domini conceptũ annũtiauit. Et temporibus Chriſtianorum fuerunt certi miniſtri deputati in hac Capella, qui videntes quod ſol tangeret hoc ſignum in Capella, campanam trahebant, quod audientes homines deuotè genu flectebant, & Aue Maria dicebant. Per hoc denotantes, quod Angelus eo tempore veniens ad Virginem, deuotè ei genua flexit, & tanquam futuræ & electæ Imperatrici cœlorum, honorem debitum exhibuit dicens: *Aue Maria gratia plena.*

Sed cum virgo quaſi verecundia ſermonem audiſſet Angeli, turbata eſt in ſermone eius: Angelus autem conſolabatur ipſam, dicens: Ne timeas Maria. Dicit enim Petrus Rauen. quod Angelus venit blandus in ſpecie, ſed terribilis in ſermone, ideò turbata fuit: Sciebat etiam, vt ait Bernardus ſuper Miſſus eſt, prudens virgo, quod ſæpè Angelus Satanæ transfigurat ſe in angelum lucis, ideò cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, Tunc angelus intuitus virginem, & varias illam ſecum cogitationes voluere facillimè deprehendens, pauidam conſolatur, confortat dubiam, ac vocans ex nomine benignè, ne timeat, perſuadet: *Ne timeas Maria inueniſti gratiam apud Deum*, quaſi diceret ſecundum Bernardum vbi ſuprà. O ſi ſcires quantum tua humilitas placeret altiſſimo, quantum tua apud ipſum ſublimitas maneat, Angelico te indignam

dignam nec alloquio iudicares, nec obsequio, nam apud Deum inuenisti, quod nemo apud eum inuenire poterit, & hoc sit tibi signum: *Ecce concipies, & paries filium & vocabis nomen eius Iesum, id est Saluatorem, qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. Hic erit magnus, quasi diceret, Hic est ille, qui est magnus Deus futurus, qui est magnus homo, magnus Doctor, & magnus Propheta, & verè magnus, quia filius Altissimi merebitur vocari. Hæc Bernardus. Tunc ait Maria, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, id est, me cogniturum non propono. Quia dicitur in cano. Sufficiat vers. Cum ergo 27. q. 2. quod Maria nouerat virginem se permansuram, mente & corpore nisi Deus ei aliter reuelaret: Ideò voluit scire modum concipiendi, an deberet concipere modo naturali, aut spirituali, aut mirabili. Angelus autem modum exposuit dicens: *Spiritus sanctus superueniet in te,* & sic per longum processum, modum conceptionis explanauit. Et est pie credendum, quod dulcia colloquia diutius angelus cum illa habuit. quæ tamē Euangelista scribere prætermisit. Ideò dicit Simon de Cassia: O si quis tunc pias aures ad conclaue applicasset, quàm dulcia colloquia ab eisdem audiuisset, quia Maria verè virgo prudentissima sciens illud Eccli 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* Ideò non statim consensum præbuit ne leuis cordis esse videretur, & sic tempus vsq; fuit prorogatum, quousq; virgo plenariter instructa, animum inclinaret.

SECVNDÒ ros vernalis habet virtutem, vt legitur libro gemmarum, ostream impinguandi, & est piscis marinus qui tempore vernali in nocte contra rorem se aperit, atq; haurit, qui haustus reficit ipsum & fœcundat simulque impinguat, & sic in interioribus piscis generatur candida margarita. Virtus roris vernalis.

MYSTICE. Per hanc ostream intelligo virginem Mariam. Rectè enim sicut ostrea duabus testis tegitur, sic Maria fuit duabus ornata virtutibus. Vna fuit virginitas, altera humilitas. Ex virginitate Deo placuit; ex humilitate ipsum concipere meruit. De his dicit Bernard. super Missus est. Est pulchra permixtio virginitatis & humilitatis, nec mediocriter placet Deo anima illa, in qua est humilitas, quæ commendat virginitatem. & virginitas quæ exornat humilitatem. *Et subdit.* Etsi B. Virgo Maria ex virginitate Deo placuit, tamen ex humilitate eum concepit. istas igitur duas virtutes hodie beatissima Virgo Maria aperuit, & mediantibus illis gratiam cœlestis roris de cœlo descendentem in se recepit. Ideò dicit Bernardus super Missus est. Virgo regis virtutum, gemmis ornata, decore præfulgida, specie sua & pulchritudine cognita in cœlestibus, cœli omnium in se prouocauit aspectus, ita vt regis omnium in sui concupiscentiam animum inclinaret. Hæc ille.

Hæc igitur gratia, quam B. Virgo in se recepit, non fuit modica sed maxima: sicut dicit Origenes super Cant. Aue, inquit Angelus, gratia plena. & bene plena, quia ceteris sanctis per partes præstatur gratia: Mariæ verò se tota gratię infudit plenitudo. Et sic hodie in se concepit Christum candidissimam margaritam, quia dicit Petrus Comestor in schol hist. Cum virgo dedit assensūm ad nunciationem angeli dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* statim ex castissimis & purissimis sanguinibus, in ea cooperante Spiritu sancto, *Verbum caro factum est,* id est, Christus de virgine conceptus est homo plenus in anima & corpore, ita tamen, vt lineamenta membrorum humanis visibus discerni non potuerint: quo facto; angelus discessit ab ea.

E

Cur mane ad salutationem angelicam pulsetur.

Et hoc signat Ecclesia, quando mane pro pace pulsare consueuit, vt audientes homines cum genu flexionibus gratias agant Deo, qui pro nobis dignatus est humiliter incarnari. Et est Notandvm, si Deus debet concipi spiritualiter in mentibus nostris, necesse est, vt puritatem mentium & præsertim humilitatem habeamus, quia dicit Gregorius. Audeo dicere, quod Maria nequaquam Deum concepisset, nisi infimam humilitatem habuisset. Ideò Bernardus super Missus est, proponit nobis virginitatem Mariæ & humilitatem, vt saltem in humilitate ipsam imitemur, dicens; Audis virginem, audis & humilem, si non potes virginitatem imitari, humilitatem virginis saltem sequere. Est laudabilis virtus virginitas, quasi diceret illa summè placet Deo, sed magis necessaria humilitas, scilicet, quæ in mente concipit Deum; illa consulitur, ista præcipitur; ad illam inuitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur, *Qui post capere capiat*, de ista dicitur, *Nisi quis efficiatur quasi paruulus, non intrabit regnum cœlorum*. Illa igitur remuneratur, ista exigitur, sine qua nec Deo Mariæ virginitas placuisset.

Virginitas consulitur; humilitas præcipitur.

Aeris regio triplex.

Tertiò, ros generatur in media regione aëris, quia dicit Albertus Magnus in quarto suæ summæ, quod tres sunt regiones aëris, suprema, media, & infima, & ideò in inferiori parte mediæ regionis ros generatur, & hoc humore temperato, calido & frigido congregato. Sic Mystice tres inueniuntur regiones. *Prima*, regio cœlestis, de qua Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium. Secunda* est regio mundi. *Tertia* est regio inferni. In Prima regione non est facta roratio, id est, incarnatio, quia Christus pro angelis nō est homo natus, neq; eorum naturam assumpsit, secundum illud Apostoli ad Hebræos 2. *Nusquam angelus apprehendit, sed semen Abrahe*. Neq; etiam in infima regione facta est incarnatio, quia dæmones non redemit, neq; pro illis incarnatus est, sicut quidam errantes dixerunt asserentes, quod adhuc in aëre pro illis esset passurus, quem errorem adscribunt Origeni, vt dicit Bartholomæus Brixiensis: in Gloss. super Canon. 24. quæst. 2. §. Si forte, in Gloss. verbo Origenes. Sed ille error est reprobatus & damnatus. Ideò dicendum est, quod hodierna incarnatio est facta in media regione, hoc est, in mundo, qui est in medio inter cœlum & infernum, quia pro homine est incarnatus, secundum quod testatur Symbolum Nicænum, in quo canitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto*. Et hoc est, quod canit Ecclesia. Hæc est dies quam fecit Dominus. Et illa incarnatio facta est ex calido charitatis, & frigido nostræ miserabilitatis, quæ mouerunt Christum vt homo fieret.

Christus nō est pro angelis vel dæmonibus incarnatus.

O

Incarnationis caussæ.

I. Primvm igitur fuit abundantia charitatis: ideò dicit Apostolus ad Romanos 5. *Commendat Dominus charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est*. Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum* &c. Super quo dicit B. Augustin⁹. Si Deus peccatores non dilexisset ad eos liberandos non descendisset.
II. Secvndvm, fuit nostra miseria. Psal 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exsurgam*.

Ros fœcundat.

Qvartò ros habet fœcundare. Sicut probat Magister lib. 13. proprietatum. De monte modico Hermon, qui situs est circa Iordanem & circa cacumen eius, rore perfunditur copiosè, & ideò ex roris influentia virore fœcundatur, qua ratione fœcunditatis ibi animalia nutriebantur, quæ debebant in templo immolari. Sic Christus per suam incarnationem veniens in hunc mundum, corda hominum quę pri⁹ erant

rant arida secundum illud Psalm. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea*, fecit in gratia germinare, sicut prædixit per Prophetam Oseam cap. 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium:* & istum rorem descendere hodie permisit de cœlesti regione in vterum Virginis Pater æternus, qui inde effluens per natiuitatem totum mundum irrigauit, ita vt iam dicatur illud. *Iustus germinabit sicut lilium & florebit in æternum ante Dominum.*

QVINTO ros secundum Aristotelem Animalia venenosa habet coercere quia vim veneni in eis reprimit, coarctat, ne tantum de nocte, quantum de die se diffundat. Ideo eorum venenum non tantum in nocte nocet, sicut in die, Serpentes etiam latitant inter herbas, qui solent transeuntes lædere, quam diu flores sunt in rore, vt dicit Magister lib. 11. proprietatum. Ita incarnatio coercuit adeo infernalia animalia venenosa, vt iam non possint nocere sicut prius, teste Gregorio in moralibus. Maligni spiritus ad nocendum incessabiliter anhelant, potestatem nocendi tamen non habent, nisi eis diuina voluntas permittet. Ideo sancti Patres incessanter incarnationem Christi petierunt, vt in virtutibus fœcundarentur, & à potestate dœmonis liberarentur. Et hoc quo ad primum. Ros venenata animalia coercet.

Quantum ad SECVNDVM, est sciendum. Consuetudo est in curiis Regum siue Principum, quando rex sibi aliquam virginem in sponsam adoptauit, solent Secretarij Regis ipsum sepissime præmonere, vt mittat nuntios ad virginem, qui gloriam eius & potentiam ei nuntient, & virginem faciant consentire.

MYSTICE. Christus, qui est *Rex regum & Dominus dominantium.* Apoc. 19. & *Princeps pacis* Is. 9. Hic ab æterno adoptauit sibi virginem Mariam secundũ illud Sap. 8. Cum dixit: *Hanc autẽ amaui & exquisiui eam mihi sponsam sumere, & amator factus sum formæ illius.* Ideò hoc scientes Secretarij eius sancti Prophetæ, qui sciuerunt secreta regis cœlestis ab ipso sæpius petierunt, vt mitteret nuntios ad hanc virginem, qui ipsam de consensu solicitarent. Et horum præcipuus fuit Isaias qui capit. 45. dicit, *Nubes*, id est, angeli, qui tanquam nubes inter Deum & hominem, *pluant* renuncient iustum, id est, Christum, quia secundum Psalm. 118. *iustus es, & rectum iudicium tuum.* Et sic multi alij Prophetæ sancti diutius ipsum monuerunt, & tandem precibus eorum aurem inclinans, vocauit angelum Gabrielem, vt ait Augustinus in sermone hodierno: Veni Gabriel, minister efficitor terribilis sacramenti, & absconditum fœcunda, id est diuinum miraculum. Ad preces enim Adæ, & aliorum in limbo, à meis discedere cogor sedibus. Illum enim, quem ad imaginem meam creaui, peccatum inueterauit, deserta est paradisi possessio, misereor errantis, & apprehendere cupio hostem, latere autem volo omnes cœlestes virtutes, & tibi solum pandere secretum. Ad virginem perge Mariam, vade ad animatam ciuitatem, de qua dicebat Propheta Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, vade ad rationalem meum paradisum, perge ad Orientalem splendidam portam: vade & nuntia ei meæ potentiæ imbrem: perge ad præparatum mihi sanctuarium, ad sponsam fidei, incarnationis meæ mundum habitaculum, ad thalamum natiuitatis meæ, loquere in aures rationales arcana, præpara mihi introitum. Sed ne conturbes aut exterras virgineum animum, ei dicito AVE, vt ego miseriæ & malignitati Euæ succurram. Hæc Augustinus in persona Christi. Gabriel angelus mittitur à Christo ad B. virginem.

F Angeli Gabrielis & B. Virginis colloquium

Veniens igitur angelus ad virginem, nunciauit ei desiderium & voluntatem regis summi & Domini Ad quem Virgo, vt scribit Orosius super Cantica. Quis est Dominus tuus? Cui ille. Dominus meus est Rex regum & Dominus dominantium, rex gloriæ & princeps pacis. Et illa: estné pulcher? Et ille respondit. Pulchritudinem eius Sol & Luna mirantur; ipse enim est speciosus forma præ filijs hominum, ipse est in cuius faciem angeli prospicere desiderant. Ad quem Virgo. Estné potens? Cui ille. Potestas eius vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Et illa. Estné diues? Et angelus: Gloria & diuitiæ in domo eius. Cui virgo. Honoratur muneribus? Et ille. Reges Tharsis & insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent. Ad quem iterum. Quæ est seruitus eius? Respondit angelus Omnes gentes seruiunt ei. Et illa. Quæ est laus eius? Omnes. inquit, gentes magnificabunt eum. Et Dauid dicit. Laudent illum cœli & terra. His auditis, ait virgo præbendo consensum: Veniat Dominus ipse, & osculetur me osculo oris sui; Veniat dilectus meus in hortum suum & comedat fructus pomorum suorum. Tunc, vt dicit in sermone de Assumptione, cœlestis nubes in vellus virgineum placido infudit elapsum, tota diuinitatis vnda in carne se contulit, quando Verbum caro factum est, ac deinde per patibulum crucis expressum, omnibus pluuiam salutis effudit, & stillicidia gratiæ humanis mentibus præstitit. De hac pluuia prædixit Ezech. 34. *Pluuia benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum.* Et hoc quo ad secundum.

DE EADEM SOLENNITATE.

Sermo secundus.

Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Psal. 117.



Olent domini terreni dies suorum natalium celebrare, & subditos suos ad sua læta conuiuia inuitare; & hoc patet in natura & figura. Ver n. quod est Dominus anni & naturæ portans secum tanquam largus Dominus omnia terræ nascentia in futuro necessaria, circa festum Cathedræ S. Petri celebrat diem sui, natalis, Et tunc ad suum gaudium inuitat homines, quia magis quàm alio tempore anni collætantur; Inuitat cœli volucres, quæ tunc plus vociferantur & gaudent. Inuitat terram ad suum gaudium, quæ floribus exornatur ita vt nulla creatura sit expers sui ortus. Quod figuraliter legitur, Genes. 40. quia venit dies natalis Pharaonis & fecit grande conuiuium pueris: Idem legitur Marc. 6. Herodes rex diem natiuitatis suæ celebrauit *faciens cœnam suis principibus*, tribunis ipsius Galileæ.

A Natiuitas duplex.

SPIRITVALITER. Christus Iesus Rex cœlorum, Imperator angelorum, & Dominus omnium dominorum, hodie natus est in vtero virginis matris Mariæ, secundum illud Ps. 86. *Homo natus est in ea*, quia dicit Guido Archidiaconus in Rosario sup. c. Firmissimè, de consec. dist. 4. duplex est natiuitas. Vna est in vtero, quando anima corpori infunditur, tunc puer nascitur: Altera est ex vtero, quando puer in lucem prodit & mundo innotescit.

PRIMA

PRIMA natiuitate natus est hodie Christus, quia in instanti formato corpore ex Spiritu sancto, & purissimis sanguinibus virginis anima fuit infusa, vt tunc perfectus diceretur, secundum illud Iere. 31. *Nouum creauit Dominus super terram fœmina circundabit virum*, ideo solet more secularium dominorum hodie celebrare natalem in regione fidelium. Et ad hunc natalem in regione Christi fidelium ingensq; gaudium, inuitat omnes Christicolas per carmen regale Dauid, qui ait. *Hæc est dies, quā fecit, &c.* In quibus duo tanguntur, à quibus dies extollitur hodiernus. *Primò*, à claritatis refulgentia speciali, ibi; *Hæc est dies. Secundo*, ab hilaritatis excellentia generali, ibi; *Exultemus & lætentur in ea.*

De PRIMO est NOTANDVM, quando aliquis paterfamilias vel rex filium suum desponsat cum aliqua virgine, talis desponsationis solennitas non solum est filij, sed etiam patris & matris, amicorum & seruorum.

SPIRITVALITER. Hodie Christus desponsatus est & coniunctus cum humana natura, secundum quod canit Ecclesia: Hodie Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat, assumpsit. Idcirco hæc dies non solum est Christi Filij, sed etiam Patris cœlestis & Spiritus sancti, est & matris Mariæ, & omnis cœlestis curiæ. Hæc, inquam, est dies cœlestis Patris, de quo dicitur Matth. 22. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo:* & hæ nuptiæ celebratæ sunt hodie in vtero virginali. Quod figuratum est Exodi 2. vbi legitur: *Egressus est vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus: cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine & pice, & posuit intus infantulum.* B

SPIRITVALITER. Per virum hic intelligo Patrem æternum, qui de sua natura genuit filium, sicut dicit Augustinus lib. de fide ad Petrum, & allegatur à Magistro lib. 3. dist. 8. Pater de sua natura genuit filium Deum sibi æqualem & coæternū. Sed vidit ipsum elegantē, quia secundum Apostolum ad Hebr. 1. *Ipse est splendor gloriæ: & candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sap. 7. Ipse est *speciosus forma præ filiis hominum*. Psal. 44. Ideo abscondit eum tribus mensibus, quod est tribus temporibus. *Primum* fuit ab Adam vsq; ad Abraham. *Secundum* fuit ab Abraham ad Moysen, cui lex est data. *Tertium* fuit à Moyse vsq; ad aduentum Christi, quod fuit tempus acceptabile & gratiæ, & tunc ipsum celare non potuit vlterius, qui sancti Patres ipsum tunc cum desiderio affectabant, quatenus eos liberaret & saluaret dicentes, cum Psal. 79. *Ostende nobis Domine faciem tuam, & salui erimus.* Et Salomon Cant. 8. Quis, inquit, *det mihi te fratrem meum sugentē vbera matris meæ*, id est, Virginis Mariæ, quæ, vt ait Nic. de Lyra, non solum dicitur mater Christi, sed etiam totius Ecclesiæ. Ideo cœlestis Pater accepit fiscellam scirpeam, id est elegit Virginem gloriosam, quam liniuit exterius pice castitatis, interius autem bitumine charitatis, & in ipsam hodie posuit infantulum Iesum Christum, quapropter ipse pater sit in æuum benedictus.

Hæc est dies Filij, qui misericorditer dignatus est accipere formam serui, Apostolo attestante, qui ait; *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Ad Philip. 2. Et hoc figuratum fuit Genes. 7. vbi legitur quod Noë ingressus est in arcam, & rupti sunt omnes fontes abyssi, & cataractæ cœli apertæ sunt, quæ prius clausæ erant,

Per arcam virgo Maria designatur, quia sicut arca humanum genus à diluuio & per- C

periculo mortis præseruauit. Sic Maria cœlica arca, ad ipsam confugientes à periculo æternæ mortis custodit, secundum quod dicit Hilarius in sermone. Quantumcunque quis peccato obnoxius fuerit, si Mariæ deuotus fuerit, nunquam æternaliter interibit. In arca Noë solum octo animæ sunt saluatæ, sed in nostra benedicta arca omnes saluantur, qui saluationem & auxilium eius concupiscunt. Ideò dicitur Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*, &c. In hanc arcam dignissimam hodie ingressus est cœlestis Noë Christus. Sed quare? Certè ideò, vt nobis tanquam humilis seruus ministraret. Ideò dicitur Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*, & vt nos saluaret. Et secundum illud Lucæ 19. *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*. Et vltra hæc omnia ex eius ingressu in hanc sanctissimam arcam, prouenit nobis hoc bonum, quod cœli, qui per quinque millia annorum erant clausi, hodie aperti sunt: nam ante incarnationem nulli Deus tantam gratiam fecit, vt ei cœlos aperiret, sed omnes ad limbum descenderunt. Ideo dixit Iacob Genes. 37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, id est, ad limbum sanctorum Patrum: sed quod illis fuit negatum, nobis misericorditer est collatum. Ideo dicamus omnes vna voce, Gloria tibi Domine Iesu Christe.

Deuotus B. Virgini nō peribit mala morte.

Dies Spiritus sancti.

Hæc est dies Spiritus sancti, qui descendens in vterum Virginis, incarnationem est operatus, secundum quod prædixit Gabriel Archangelus, Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*; Et hoc figuratum est Ezech. 17. vbi legitur, quod *aquila grandis venit ad montem Libani*, & tulit medullam cedri, & transportauit in terram Chanaan. Libanus intelligitur candor, & significat Mariam, quæ est omnium Virginum candidissima secundum illud Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Ideo dicit Anselmus: O Domina pulchra es ad intuendum, amabilis ad contemplandum. De eius candida puritate ait Bernardus: Omnem pulchritudinem, quam creatura potest suscipere, Maria suscepit in maiori effluentia præ consortibus suis. Nam iustitiæ solem, quando primò ingressus fuit de sinu Patris, Mariæ cor inter omnes creaturas suscepit. *Et subdit post pauca*. Quomodo in ipsa inquit, decor vel pulchritudo deficiet? Cum adhuc in anima habeat filium, & omnem thesaurum beatissimæ Trinitatis. Ad quam candidissimam Virginem, venit aquila grandis Spiritus sanctus, & de purissimo sanguine istius tulit medullam cedri, id est, formauit Christi humanitatem. Ideo ait Angelus ad Ioseph. Matth. 1. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Quod patet in Symbolo Nicæno: *Incarnatus est de Spiritu sancto*. Et dicit Magister lib. 3. distinct. 4. Non enim incarnationis operatio Spiritui sancto ideò sæpius attribuitur, quia ipse solus sine Patre & Filio fecerit. Sed quia Spiritus sanctus est caritas aut pietas, & donum Patris & Filij, & ineffabili Dei caritate, Verbum caro factum est, & inæstimabili Dei dono, Filius Dei sibi vniuit formam serui, quasi diceret: Ei attribuitur opus incarnationis, nec tamen ab illo opere Pater vel Filius excluditur, sed potius vno nominato tres intelliguntur. Hæc Magister.

Dies singularis B. Virginis.

Hæc est dies specialissima B. Virginis Mariæ, quia hodie est super omnem humanam naturam exaltata. Hodie ipsa pretiosior est cœlis omnibus facta, quia quod cœlum non habebat, ipsa in vtero suo virgineo habet. Dicit Chrysostomus in sermone huius festiuitatis: Si omnium sanctorum miracula ad memoriam reuocaremus,

nihil

nihil erit gloriæ: videlicet respectiuè, quantum est præsens solennitas Virginis gloriosæ. Abel per sacrificium commendatur: Enoch per contemplationem memoratur: Melchisedech imago Domini prædicatur: Abraham per fidei meritum collaudatur: Iacob per luctamen beatificatur: Moyses sicut legislator; Samson velut Victor; Elias zelator, Isaias Dei largus euangelizator; Dauid prudentissimus salutis desiderator; Ezechiel arcanorum inspector; Salomon prudentissimus nominatur, sed nullus talis fulsit in mundo, qualis Maria Dei genitrix benedicta; quia quem illi omnes in ænigmate præuiderunt, ista in vtero incarnatum portauit. Hæc ille.

Hodie castissima Virgo Maria præ omnibus diebus vitæ suæ decentius est ornata, quia est hæc dies salutifera, quo lignum vitæ in medio paradisi est plantatum. Paradisus deliciarum est Maria, quæ hodie in se habuit Christum vitæ datorem. Ideò dicit Bernardus in sermone. Verè paradisus Dei es tu, ô Maria, quæ mundo lignum vitæ contulisti de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Maria paradisus deliciarum.

Hæc est dies Angelorum, qua hodie ruina eorum per Luciferum facta cœpit restaurari. Hinc est, quod Angelus Gabriel *missus in ciuitatem Galilea, cui nomen Nazareth ad Virginem Mariam* Lucæ 1. Valde solicitus fuit eam mouere ad consensum. Quod & figuratum est Ioan. 5. Vbi legitur, quod Ierosolymis erat *probatica piscina, ad quam Angelus Domini descendebat secundum tempus, & ipsam mouebat, & qui ex languidis prior descendebat in piscinam, post motionem aqua sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Per hanc piscinam intelligitur Virgo Maria, quæ est aquis plena gratiæ, sicut testatur Eccl. 24. *In me omnis gratia via & veritatis.* Quia dicit B. Bernardus, super Missus est. In mente Mariæ fuit gratia Deitatis, in carne gratia caritatis, in ore gratia affabilitatis, in manibus gratia misericordiæ & largitatis. Ad hanc piscinam plenam aquis gratiarum descendit Angelus Gabriel secundum tempus, de quo dixerat Psal. 101. *Tu exurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi eius, quia venit tempus:* descendens Angelus mouebat piscinam, id est, Virginem Mariam, cum dixit: *Aue gratia plena.* Et sicut aqua, cum mouetur, turbida efficitur, sic in istis verbis Angeli turbatur, secundum quod dicit Euangelista: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone Angeli,* quia ipsum nunquam loquentem audierat, quamuis præsens sæpius viderat Angelos. Videns autem Angelus turbatam, placauit eam dicens: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Istam gratiam non solum impartitur vni soli infirmo peccatori, qui ad ipsam suspirat, sed omnibus vsq; in diem nouissimum. Ideo dicit Bernardus in sermone. Quis misericordiæ tuæ B. Virgo longitudinem, latitudinem, & profunditatem queat inuestigere? Quasi diceret, certè nemo. Longitudo namque tuæ misericordiæ, vsque in nouissimum diem subuenit omnibus inuocantibus te. Hæc ille. Dies Angelorum. B. Virgo piscina.

Hæc est dies Patriarcharum & Prophetarum, quia vaticinia sunt eorum impleta. Hodie eorum prophetia vera est inuenta. Nam Isaias longè prædixerat. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium,* &c. Isa. 7. iterum Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Et Aggæus ait cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Hæ & consimiles Prophetiæ hodie sunt impletæ, & fideles sunt inuenti Prophetæ, pro quo idem petit Ecclesia. Da pacem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur, exaudi preces seruorum tuorum. Dies Patriarcharum.

Dies Apostolorum. Hæc est dies Apostolorum, quia hodie conceptus est ille, qui eos elegit de mundi miseria, & constituit eos principes super mundana omnia, secundum quod prædixerat Psal. 44. *Constitues eos principes super omnem terram.*

Dies Martyrum & Confessorum. Hæc est dies Martyrum, quia hodie venit rex eorum, cuius secuti sunt vestigia, & peruenerunt ad regna cœlestia. Hæc est dies Confessorum, quia venit lux eorum.

Virginum. Hæc est dies Virginum, quia hodie vltra omnes dies mundi honorata est virginitas, ex eo, quod Rex cœlorum, Imperator angelorum, carnem assumpsit de Virgine. Hæc est dies omnium hominum, quia hodie homo est factus Deus. Hoc quo ad primum.

Quantum ad Secundum est Notandum. Hæc est consuetudo in Curiis secularium dominorum, quando rex aut alius dominus celebrat nuptias, secum nobili virgine matrimonialiter sociando, omnes de eius familia exultant, & lætantur, sicut figuratum est Esther 2. Vbi legitur quod rex Assuerus adamauit Esther præ omnibus mulieribus, & ipsa præ omnibus inuenit gratiam coram eo, posuitq; diadema in capite eius, & fecit eam regnare pro Vasthi, & iussit præparari conuiuium permagnificum cunctis Principibus, & pueris suis pro coniunctione & nuptiis Esther, & dedit requiem cunctis prouinciis, donaq; largitus est secundum magnificentiam principalem.

D Spiritualiter. Assuerus interpretatur beatus, & significat Christum, qui est beatus beatorum. Hic adamauit Esther, quæ interpretatur abscondita, & significat humanam naturam, quæ abscondit se à Deo propter peccatum, sicut patet in primis parentibus Gen. 3. vbi legitur. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in ligno paradisi.* Hanc quidem humanam creaturam dilexit Christus præ omnib. angelicis spiritibus, quæ inuenit hodie misericordiam & gratiam in conspectu eius, pro qua diu rogauit Dauid dicens; Psalm. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Amando quidem humanam naturam, posuit coronam gloriæ in capite eius. De qua Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine,* & cum ea se hodie coniunxit. Sicut figuratum est 4. Regum 6. vbi legitur, quod filij Prophetarum dixerunt ad Eliseum, *Eamus vsq. ad Iordanem, & tollant singuli de silua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Et abiit cum eis. Cumq; venissent ad Iordanem, cedebant ligna. Accidit autem, vt vni eorum securis caderet in aquam. Sed Eliseus manubrium securis in aquam misit, & ferrum manubrio coniunxit.* Per ferrum quod est durabile, potest intelligi *Deitas*, quæ durat, & est æterna secundum illud Athanasij: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.* Sed per lignum, quod est minus durabile, significatur *humanitas*, quæ duo hodie mirabiliter sunt coniuncta, ideò exultemus & lætemur in hac beatissima coniunctione, secundum quod monet B. Ioannes Apocal. 19. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor præparauit se.*

E Cur hoc die exultandũ Iubileum. Sed quare exultare debemus in hac die potius, quàm in alia? Certè ideo, quia hæc dies figurata est per annum Iubileum, quo multa gaudia sunt ostensa. Nam carceres omnes aperiebantur, vincti soluebantur, pauperes ditabantur, & esurientes satiabantur, vt dicit Archidiaconus Guido in Rosario. Sic in hac die gloriosa & iubilosa carceres limbi sunt aperti, quia hodie incepta est formari clauis, quam desiderabant

Clauis conformatio.

bant


bant sancti Patres cum dixerunt: *O clauis Dauid, qui claudis, & nemo aperit, veni educ vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris, & vmbra mortis.* Incepta est, inquam, hic clauis per manum artificis sancti Spiritus, & calefacta in igne diuini amoris; Sed tunc est integrata, quando in die parasceues in meridie cruci est malleata; & tunc totaliter aperti sunt carceres, & vincti educti sunt, sicut prædixerat Zacharias 9. *Tu quoque,* Christe scil. *in sanguine emisisti vinctos tuos.* Et sicut in anno iubileo pauperes fuerunt ditati, quia dicitur Leui. 25. quod omnes, qui erant quasi exules, ad possessiones suas redire permittebantur, & *redierunt vnusquisq; ad familiam, quãdo venit annus iubileus.* Sic in hac die iubilosa, nos omnes, qui ante incarnationem eramus exules à possessione cœlestis hæreditatis, sumus reuocati ad ipsam, vt iam sumus filij excelsi omnes, & regni æterni capaces.

Hodie præ omnibus diebus sumus ditati valde, quia Mariæ datus est thesaurus, de quo prædixerat Moyses Deut. 28. *Aperiet Dominus thesaurum optimum.* Ideo dicit Bernardus: O diues in omnes & super omnes Maria, de cuius substantia modica pars sumpta, totius seculi sufficit soluere delicta. Etiam sicut in anno Iubileo esurientes fuerunt satiati, quia Leuit. 25. dicitur. *Non seretis, neq; metetis, sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis, ob sanctificationem iubilei, sed statim oblata comedetis:* Sic in ista die benedicta, omnes sumus satiati, quia hodie descendit panis viuus in vterum virginis, secundum quod præuidit Salomon Cant. 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Et hoc quo ad secundum.

DE EADEM SOLENNITATE.

Sermo tertius.

Hæc est dies boni nuntii. si tacuerimus & noluerimus nuntiare, arguemur sceleris. 4. Regum 7.



IN naturalibus legitur, quod varia volatilia varia ferunt nuntia. Refert Alanus in deplanctu naturæ tractatione secunda cap. 2. de bubone dicens. Illic bubo miseriæ Propheta Psalmodias finire, lamentationes præcinebat. Cui alludit Ouidius.

Fœdaq; fit volucris venturi nuntia luctus,
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

Et probat idem Vincent. in spec. hist. lib. 8. de bubone, quem vidit Herodes Agrippa in arbore super se sedentem, quæ nuntium tulit ei mortis affuturæ. De qua Act. 12. Quid autem de hoc sit tenendum committo sapientibus, quia talia auguria prohibentur, Leuit. 19. *Non augurabimini, neq; obseruetis somnia.* 16. q. 3. per totum, ead. causa quæst. 5. cap. Non licet, & quatuor c. sequentibus. Sed è contra dicit Isidorus li. 12. quod ciconia est amœni temporis nuntia & lætitiæ, quia in suo aduentu veris prædicat nouitatem. Idem patet de turture, quæ non apparet nisi vere accedente; Ideo dicitur Cant. 2. *Hyems transiit, imber abiit & recessit.* (Auguria prohibita.)

A

MYSTICE per bubonem, quæ immundis & stercoribus delectatur, & in sepulchris fœtidis libenter commoratur, diabolus designatur, quia ille immunditiis peccato- (Bubo designat diabolum.)

catorum delectatur, in lubricis domibus moratur, secundum illud Iob 44. *Sub vmbra dormit, in secretis clamaui, & in locis humentibus.* Iste turpissimus bubo, id est, diabolus, tulit tristem nuntium nostris primis parentibus, quando venit mentiendo, Genes. 3. *Nequaquam moriemini, sed si comederitis de ligno scientiæ boni & mali, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Et vere triste nuntium, quia tristem habuit exitum. Nam Dominus dixit Euæ; *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios tuos. Adæ autem dixit. Quia comedisti de ligno ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes panem cunctis diebus vitæ tuæ.*

Per ciconiã intelligitur Gabriel Archangelus.

Sed ècontra per ciconiam, quæ est auis pia circa pullos, intelligitur Gabriel Archangelus, qui pius est circa genus humanum, quia bonum nuntiauit nuntium, ita, vt de ipso dicatur illud Prouerb. vigesimo quinto. *Nuntius bonus de terra longinqua:* Nam diabolus nuntiauit Euæ primæ matri VÆ: Gabriel autem Virgini, AVE: id est, sine væ. Ille portauit luctuosum, iste gaudiosum: Ille damnosum, iste gratiosum. Ille maledictum, iste benedictum. Ideo dicit B. Hieronymus in sermone de Assumptione Virginis; Quicquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. *Et infra.* Quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit, humana natura non sustinet, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis, etiam cœlestis mirabiliter admiratur, hoc totum per Gabrielem Archangelum Mariæ diuinitus nuntiatur. Ideo bene potest dici; *Hæc est dies boni nuntij;* In quibus verbis tria describuntur. *Primum,* est festiuitas gaudiosa, ibi; *Hæc est dies. Secundum,* ineffabilitas gratiosa, ibi; *Boni nuntij. Tertium,* taciturnitas criminosa, ibi; *Si tacuerimus.*

De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt naturales, quod ver est tempus amœnum, & gaudiosum portans secum omnia sicut Dominus largus. Ideo in eodem vernali tempore gaudent aues garritum plus facientes, & se ad amorem excitantes; gaudent homines loca viridia & amœna visitantes; gaudet terra in superficie, sepulchris floribus exornando: Gaudent insuper, & bestiæ se in latibulis suis gaudenter subleuando.

B SPIRITVALITER. Per tempus veris intelligitur tempus gratiosum incarnationis, de quo dicit Apostolus ad Galat. 4. *Dum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum,* quod exponit Magister lib. 3. sententiarum dist. 1. dicens: Tempus plenitudinis dicitur tempus gratiæ, quod in aduentu Saluatoris exordium sumpsit, hoc est, tempus miserendi, & tempus benignitatis, in quo gratia & veritas per Iesum Christum facta est; Gratia, quia per caritatem impletur; quod in lege præcipiebatur; Veritas, quia per Christi Aduentum exhibetur, atq; perficitur humanæ redemptionis sponsio facta ab antiquo. Hæc Magister. Hoc, inquam, est tempus acceptabile, & dies salutis, ver iucundum & amœnum, quo cœlestis ros virgineo vellere se infudit. Sicut figuratum est Iudicum 6. Vbi legitur, quod Gedeon posuit vellus quis in aëre, & descendente rore vellus maduit, terra vndiq; sicca permanente.

C Per hoc vellus significatur Virgo Maria; quia sicut vellus est albũ vel candidum, sic est Maria candida vel pura, vt de ipsa exponi possit illud Sapient. septimo. *Hæc est splendidior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior.* Et verè, nisi puritate canduisset, cœlestis, scilicet Christus existens ros, in eam non descendisset, Quia, vt dicit Anselmus libro de conceptu Virginali; Vt illius hominis, scili-

scilicet Christi, conceptio de purissima matre fieret, quæ puritate niteret, qua sub cœlo nequit maior intelligi. Idcirco in hoc tempore gratioso gaudeant aues, id est, errantes, quia hodie descendit Rex cœlorum, vt hos, qui diu errabant, ad regna cœlorum reuocaret. Nam ante Christi Aduentum omnes errabant: sicut in eorum persona dixit Dauid Psalm. 118. *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum.* Sed hodie reliquit Christus *nonaginta nouem oues*, id est, nouem choros Angelorum in deserto, id est, in cœlo, *& venit ad illam quæ perierat.* Lucæ 15. Ideo meritò gaudeant & exultent, & canticum lætitiæ decantent, secundum illud Psalm. 97. *Cantate Domino canticum nouum* secundum Gloss. vita & lingua laudate Christi incarnationem & redemptionem humanæ naturæ, *quia mirabilia fecit.* Et hæc fuerunt mirabilia, de quibus dixit Ierem. 31. *Quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Et etiam de quibus prædixit Isai. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.*

Gaudeant denique homines Ecclesias deuotius frequentantes, & præsertim mites & humiles; quia hodie venit ille, qui dixit Matthæi vndecimo. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; Hodie venit in vterum Virginis, quia humiles lætificat. Matthæi quinto: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Similiter & mites, ibidem. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; de qua Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, quod à seculo non fuit auditum. Quia Dauid fuit humilis, sicut testatur in Psalm. 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Iob fuit humilis *simplex & rectus.* Iob. 1 Moyses erat *vir mitissimus.* Num. 12. Sed de promissione regni cœlorum nunquam audierunt, sed omnes ad inferos descenderunt.

Gaudeant etiam terreni & cupidi per terram designati, secundum illud Psal. 99. *Iubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, & psallite.* Quare? Quia Christus hodie descendit de domo regia, in qua secundum Psal. 111. sunt *diuitiæ & gloria*, quæ ex auro gemmisq; mirabiliter rutilat, de cuius portis odor nimiũ recreatiuus emanat, cuius plateæ constructæ sunt ex auro purissimo, tanquam vitrum perlucidum, quæ fundata est in Sapphiris, Iaspidibus & viuis ex lapidibus est constructa; floribus perornata; vt dicit deuotus Amandus in horologio lib. 1. cap. 11. Hanc speciosissimam domum Christus hodie dimisit & pauper in terram venit. Non sibi vsurpauit regnum Vngariæ, vel Romanum, sed paruum corpusculum Virginis: non aurum vel gemmas quæsiuit, sed omnia contempsit, vt dicit B. Augustinus in sermone. Omnia terrena contempsit Deus, vt hominibus contemnenda demonstraret. Gaudeant enim & terreni, quia propter eos Christus gloriosum cœlum reliquit, & omnia mundana contemsit, vt illos hæc relinquere instrueret, & ad regnum cœlorum perduceret.

Exultando igitur debent se tales cupidi floribus ornare pietatis, quia dicit Hieronymus gloriosus in Epistola ad Nepotianum. Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est preces multorum non exaudiri. *Bona opera sequitur præmium æternum.*

Gaudeant præterea maria, hoc est, tribulati & qui sunt amari corde, quia hodie venit Saluator, odij, & tribulationis sedator. Quod figuratum est Ionæ 1. vbi legitur, quod facta fuit magna tempestas in mari, quando Ionas voluit fugere in Tharsis, & non obedire Domino, vt iret in Niniuem ciuitatem. Nautæ igitur miserunt sortes, &

cecidit super Ionam, ad quem dixerunt. *Quid faciemus tibi, & cessabit mare?* Quibus Ionas. *Tollite me, & mittite in mare; Scio enim, quod propter me facta est tempestas.* Tuleruntq; Ionam, & miserunt. & statim cessauit mare a furore. *Et præparauit Dominus piscem grandem, qui Ionam in se suscepit.*

D SPIRITVALITER. Per Ionam, qui interpretatur columba, Christus designatur, quia sicut columba caret felle, ita Christus caruit felle peccatorum. Sed per nautam intelligitur Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, quia sicut nauta regit nauem, sic Deus regit vniuersa. Teste Boët. lib. 1. de consol. Philosophiæ Metro. 5.

O stelliferi conditor orbis, *Rapido cœlum turbine versas,*
Qui perpetuo nixus solio, *Omnia certo fine gubernans.*

Hi igitur tres in personis, sed vnus Deus in essentia, miserunt inter se sortes, quis descenderet, & huius mundi tribulationem auferret, & cecidit sors super Christum filium Dei; Ideo dixerunt ei aliæ duæ personæ. Quid faciemus tibi: & cessabit tribulatio? Et ille. Tollite me, inquit, & mittite in mare mundi. Quia probat Magister li. 3. dist. 1. quod conueniens fuit, vt mitteretur Filius, & non Pater, vel Spiritus sanctus. Sic inquiens: Non Pater in carne, nec Spiritus sanctus, sed solus Filius missus est, quod ideo factum est, vt qui erat in diuinitate Dei Filius, in humanitate fieret filius hominis. Non Pater, nec Spiritus sanctus carnem induit, ne alius in diuinitate esset filius, & alius in humanitate. Et ne idem, scilicet in diuinitate esset Pater, & Filius scilicet in humanitate, si Deus Pater de homine nasceretur. Hæc ille.

Et quia, vt dicit ibidem Magister, Opera Trinitatis sunt indiuisa ab extra; Ideo tulerunt eum Pater, & Spiritus sanctus, & miserunt ipsum in mare huius mundi, & ipse filius se misit, & tribulationes, & tempestuosæ clamationes cessauerunt. Ideo dixerunt sancti Patres tribulationibus quietati, illud Tobiæ tertio. *Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Sed Dominus Spiritus sanctus præparauit piscem magnum, id est, B. Virginem Mariam, secundum illud, quod prædixit Angelus Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et illa accepit hodie Christum in vterum suum.

Gaudeant & demum peccatores, quia iste venit hodie in carnem, qui proiecit post tergum suum omnia peccata. Isai. 38. Iste hodie missus est ad nos, qui est frater noster, sponsus noster, præparatus misereri, & tegere omnia peccata nostra, & proiicere ea in profundum maris, & remittere quasi nunquam fuissent, dummodo conuerti voluerimus, & de cætero abstinere. Sicut ait Amandus lib. 1. cap. 4. Ideo dicit Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo*, id est, verus, *& omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM. Experientia videmus, quando venit tempus calidum anni, arbores vndiq; ramis viridibusq; foliis pulchre vestiti, floribusq; fulciri, & fructibus circumquaq; repleri. Si autem venerit frigiditas, quæ caliditati contrariatur, flores destrui atque fructus. Cuius ratio secundum naturales est, quia in calido temperato arbores humore abundant, qui se diffundit descendens à radice, & arborem facit germinare; In hyemis autem frigore, idem humor relinquens ramos, radici se infundit, ideo arbor tali humore orbata sterilis efficitur, & arescit; Si autem

eadem

eadem arbor debet coronari folijs & floribus, necessarium est bonum nuncium præcedere; & hoc est ver, quod incipit Cathedra Petri, secundum illud dictum.

Ver Petro detur, æstas exinde sequetur. Et hoc portat bonum nuntium, quod arbores pristinum recipiunt decorem.

MYSTICE. Per arborem in proposito, primò intelligo hominem, quia sicut ab arbore veniunt fructus; Ita ab Adam primo homine, omnes homines originaliter processerunt. Hunc hominem, scilicet primum, pulcherrimè ornauit, ramis pulcherrimis, floribus virtutum, & fructibus boni operis. Quia vt legitur Gen. primo. *Deus creauit ipsum ad imaginem suam,* & posuit eum in locum amœnum, fructuosis arboribus magnum, & magno fonte fœcundum, & vt ait Magister, lib. 2. sentent. distinct. 17. Dedit ei lignum vitæ ad edendum, quod diuinitus accepit hanc vim, vt qui ex eius fructu comederet, corpus stabili sanitate, & perpetua soliditate firmaretur, nec vlla infirmitate, vel ætatis imbecillitate in deterius, vel in occasum laberetur. Ideò dicit in eodem, dist. 19. quòd primus homo fuit immortalis, quod non habuit ex natura, sed ex ligno vitæ habebat non posse mori. Cui consonat Augustin. super Genesin, E

Quodammodo creatus est homo immortalis, quod erat ei ex ligno vitæ non de conditione naturæ, mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. Deditq; primis parentibus hanc prærogatiuam, vt si non peccassent, sine omni peccato & macula in paradiso carnali copula conuenissent, & fuisset ibi totus immaculatus, & permixtio sine concupiscentia, atq; genitalibus membris, sicut & cæteris imperassent, & ibi nullum motum illicitum sensissent, vt dicit in eod. lib. dist. 20. F

Fuit etiam Adam perfectus creatus in cognitione scientiæ, quia omnibus animantibus imposuit nomina, vt ostenderet se singulorum notitiam habere, omniaq; propter ipsum creata esse, & ab illo regenda. Vt dicit Magister, vbi suprà distinct. 25. Horum omnium Deus. Idem ibidem distin. 15. Sane dici potest, quod creaturæ nihil homini nocuissent, si non peccasset. Puniendorum namq; vitiorum & terrendorum, vel probandæ, vel perficiendæ virtutis caussa nocere cæperunt. Sed ipse Adam dominatus fuisset omnibus Creaturis secundum illud Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ sunt super terram.* Si enim euocasset piscem de mari, volucrem de aëre, bestiam de nemore, veniendo statim tanquam domino suo obedisset. Nec etiam ab alijs elementis impedimentum habuisset. Si iacuisset in igne, non arsisset, aqua non submersus fuisset, terra non ipsum oppressisset, aër non suffocasset. Insuper præditus fuit quatuor virtutibus, misericordia & veritate, iustitia & pace. Ita decenter ornatus fuit Adam tanquam pulchra arbor in statu calido innocentiæ, & de hoc statu, vt dicit Magister lib. 2. dist. 22. Transferendus erat cum vniuersa potestate sua in meliorem dignioremq; statum, vt cœlesti & æterno bono in cœlis parato frueretur.

Adam quibus virtutibus præditus fuerit.

Sed diabolus, vt ibidem, dist. 21. videns hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere, vnde ipse per superbiam ruerat, & corruerat, inuidit ei: & quia per violentiam non potuit nocere, ad fraudem se conuertit, vt dolo hominem supplantaret, quem virtute superare nequiuerat. Ne autem fraus sua manifestaretur, in sua specie non venit, ne apertè cognosceretur, sed in specie aliena, & cum horribili, in G

qua eius malitia non facilè posset apprehendi, venit ad hominem in serpente: qui si permissus fuisset in specie columbæ venire, maluisset, sed non erat dignus, vt spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus sanctus appariturus erat. veniens igitur serpens, vt dicit Magister, stetit coram fœmina, quam minus ratione vigere nouit; & non audet in verba persuasionis exire, timens deprehendi, sed solum interrogatione eam aggreditur, vt ex responsione colligeret, qualiter in malitia procedere possit. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Dominus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Respondit mulier: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis, ne comederemus, ne forte moriamur*; quo verbo dedit ei locum tentandi. Ideo diabolus mox dicit; *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, in qua* &c. in quo promisit præmium, si comederent haberent similitudinem Dei, & scientiam boni & mali. Audiens igitur hæc mulier, quędam elatio pulsauit mentem eius, vt dicit Magister distinct. 22. libro secundo, quia credidit, & voluit habere similitudinem Dei. Quod confirmat Augustinus: super Genes. Non, inquit, est putandum, quod homo diceretur fecisse, nisi præcessisset in eo quædam elatio, &c. sperans igitur hæc consequi, tulit de fructu & comedit. Sed Adam non fuit seductus eodem modo quo mulier; non enim putabat esse verum, quod diabolus suggerebat: in eo tamen seductus credi potest, quod commissum veniale putauit, quod peremtorium erat. Potuit etiam aliqua elatio menti eius inesse illico post tentationem, ex qua voluit lignum vetitum experiri; cum mulierem non vidit mortuam esca illa percepta. Cogitans igitur Adam de misericordia Dei, & pomum sumens, comedit & persuasioni mulieris consensit, nolens eam contristari, & eam à se alienatam relinquere, ne periret: arbitrans illud esse veniale, & non mortale delictum, quod tamen exitus aliter indicauit. Plus tamen peccauit mulier, quàm vir, quia in ea maioris tumoris præsumptio fuit, qua etiam in se, & in Deum, & in proximum peccauit; Vir autem tantum in se, & in Deum. Si tamen vir non peccasset, minimè humanum genus peccatis corruptum fuisset & perijsset, vt dicit Magist. lib. 2. distinct. vigesimo secundo. Adam igitur peccando omnem ornatum perdidit. Nam qui habuit posse non mori in statu innocentiæ, in statu peccandi habuit moriendi necessitatem, secundum illud Apostoli ad Romanos octauo. *Corpus propter peccatũ mortuum est*, id est, necessitatem moriendi in se habuit, qui prius genuissent sine macula & mala concupiscentia, post peccatum fuit culpa, quia talis lethalis ægritudo membris humanis inhæsit, vt dicit Magister dist. 22. libro secundo, vbi suprà. Qui in statu innocentiæ habuit sapientiam, post peccatum incurrit stultitiam, secundum illud Psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit*; Ideò dixit ad eum Dominus: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum*; quasi diceret, aliter ei euenit. Sed tamen Magister libro secundo, distinct. 23. dicit, quod illam scientiam & prudentiam, qua creata ei subijcerentur, & ratione illius gubernarentur, vt sciret illis prouidere necessaria, à quibus consequi emolumentum debebat, homo peccando non perdidit possibilitatem, nec illam qua carnis necessaria prouidentur. Idcirco homo in scriptura de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animæ, quam peccando amisit. Etiam animalia, quæ in statu innocentiæ ei obedissent, post peccatum facta sunt rebellia. Similiter cuncta elementa.

Eua plus peccauit, quàm Adam.

Adam peccando perdidit omnẽ ornatum.

Alias

Alias etiam virtutes quatuor perdidit propter peccatum. *Pax* ergo, & misericordia ipsum relinquentes, in cœlum ascenderunt, quia his nongentis triginta annis, quibus vixit Adam Genes. 5. non habuit pacem & requiem, sed laborem, secundum quod dixit Dominus Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* *Misericordia* etiam ei non subuenit, neq; posteris ad quinq; millia, & ducentos, minus vno, annos. Sed *Veritas* & *Iustitia* hæc renuentes, ipsum & filios suos per illud tempus grauiter puniemnt. Virtutes quas perdidit Adam. Pax. Misericordia. Veritas & Iustitia.

H Tandem cœlestis pater, vt ait Beatus Bernardus in quadam meditatione, videns humanum genus propter peccatum perijsse, & dura oppressione diabolo subiacere, audiensq; clamorem iustorum dicentium cum Psalm. 143. *Inclina Domine cœlos tuos, & descende.* Et iterum. *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes.* Isai. 64. misericordia motus in suo consistorio diuinitatis, consilium habuit de creaturæ liberatione, videlicet hominis, in quo habuit quatuor consultrices. Primæ duæ fuerunt misericordia & veritas. Misericordia fuit in cœlo, sed veritas venit vsque ad nubes, secundum illud Psalm. tricesimo quinto. *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.* Misericordia allegat pro homine. Ecce, inquit, iratus es Domine, non est, qui inuocet nomen tuum, quia audacter peccant homines, & te offendunt, & non est qui surgat & teneat te ab ira tua; Si enim omnes homines perdas, vt inimicos, quos postea habebis amicos. Sumpsit pro se dictum Augustini, Magister in lib. 2. distinct. 1. Nonne fecisti hominem creaturam rationalem, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, atque possidendo frueretur; quasi diceret, vtiq;. Igitur si peccauit homo, quæ vltio tibi occidendo vermiculum? & si condemnabis, quid tibi per hoc gloriæ? quia scriptum est Psalm. sexto. *In inferno autem quis confitebitur tibi? neq; mors laudabit te.* Idcircò, vt petijt Psalm. 43. *Exsurge quare obdormis Domine? Exsurge, & ne repellas in finem.* Vsque quo pater misericordiarum irasceris super orationem serui tui. *Conuertere Domine vsque quo & deprecabilis esto super seruos tuos; auerte iram suam misericors & miserator.* Exsurge Domine libera hominem, quem creasti ad tuam imaginem. Quia non est qui redimat præter te. Tu igitur *exsurgens misereberis Sion*, id est animæ, *quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Quod audiens veritas, ait, Domine iustus es, & rectum iudicium tuum. Scito, quod omnia, quæ procedunt de labijs tuis, non facis irrita. Tu enim tulisti sententiam Genes. secundo. *Quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Non debet falsa inueniri, alias ego pereo si misericordia debet exaudiri. Psalm. 89. Psalm. 101.

I Cum autem hæ duæ consultrices non possent medium redemptionis inuenire, accesserunt illæ duæ, scilicet Pax & Iustitia. *Pax* allegabat pro homine dicens: Cum Deus cogitat semper cogitationis pacis, & non afflictionis, ideò debet iure hominem pœnitentem reconciliare. *Iustitia* autem pro parte Dei dicens, Psalm. 1. & 54. *Non sic impij non sic, sed veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.* Insuper scriptum est Isai. 26. *Iniqua agens non videbit gloriam*; cumque nec istæ Consultrices possent concordare, dedit consilium sapientissimus Salomon Christus filius Dei, vt fieret mors bona, qua innocens moreretur, per cuius mortem homo perditus liberaretur. Quærentes igitur talem innocentem nusquam inuenerunt, quia nemo potuit dicere: *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*, Prouerbiorum 20.

Qui-

Quibus sic referentibus, dixit. Nec vos quicquam scitis. Nescitis,inquam, quia scriptum est Psalm.13. *Omnes declinauerunt inutiles facti sunt, non est qui facit bonum, &c.* Quærite, igitur quis sit ille vnus, & inuestigantes, inuenerunt quod Christus ille vnus esset, quo inuento protulerunt sententiam diffinitiuam dicentes; Qui dedit consilium, conferat auxilium.

Audiens autem Iudex Christus, qui istud dederat consilium, quod pati deberet pro homine,ait: Genes. 6. *Pœnitet me fecisse hominem.* Rectè fecit Christus, sicut sartor,qui,cum fecisset bonam tunicam, quam alius induendo macularet,quæ maculata ad sartorem portaretur, & ille propter maculam necaretur, ille diceret: Pœnitet me fecisse tunicam. Sic de Christo, qui fecit humanam naturam bonam, Gene.1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona,* sed Adam peccando eam maculauit, & Christus pro ea pati debuit. Ideò dixit, *Pœnitet me fecisse hominem.*

Sed quia humanum genus redimi non potui, nisi bonum nuntium præiret. Rectè, sicut arbor, quæ perdit priorem pulchritudinem, non ornatur floribus, nisi præcedat prius ver, quasi bonus nuntius. Ideò Christus vocans nuntium Gabrielem dicens: Veni Gabriel, vt patet in sermone præcedente, membro secundo. *Et subdit.* Angelus audiens hæc,intra se cogitans dicit: Stupendum est hoc miraculũ, & omnis scientiæ præcellit sensum, qui in Cherubin terribilis, & in Seraphin inuisibilis, & in omnibus angelicis virtutibus incomprehensibilis est, tamen vult incarnari: & puellæ sui habitaculi præsentiam repromittit. Potest ne vterus capere eum, qui non capitur?

Hæc & huiusmodi Angelo cogitante,ait Dominus: quid turbaris ô Gabriel? Nunquid non à me prius missus es ad Zachariam Sacerdotem, & natiuitatem Ioannis ei nuntiasti? Nunquid non annuntiationis tuæ effectum prosecutus sum? Nunquid nõ illa tunc sterilis, est seges facta, quæ iam carebat, id est, præ caristia deficiebat? Nunc quid impossibile est apud me, qui creauit omnia verbo? Cur ergo ambigis? Ad hæc Angelus. Domine opus quidem exstitit tuæ caritatis, quod ex amore perficitur, Testis est Zacharias,Rebecca & Anna,quæ miseriæ & passioni sterilitatis simul seruientes, à te libertatem acceperunt: Virginem autem parere, quæ genitura de viro non est, superat omnem legum naturam, & tuam quomodo annuntiabo puellæ præsentiam? Te enim cœli, & terræ non capiunt fines, & quomodo te vterus capiat virginalis? Et quomodo feret Maria ignem tuæ caritatis? Cui Dominus. Si læsit ignis in solitudine rubum, lædet vtiq; Mariam meam præsentia, quasi diceret. Sicut ignis ardebat nec rubum lædebat, sic mea præsentia Mariam non lædet.

I Et tunc Angelus impleuit mandatum Domini, & de summo cœlorum exsiliens, ad virginemq; ingrediens, eam salutauit dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum &c.* Angelus enim fecit sicut faciunt solennes nuntij à secularibus Dominis, vt puta Regibus vel principibus missi, regalem virginem ad procandum. *Primò*, quando veniunt ad ipsam, præmittunt salutationem ei reuerenter inclinando, & sic de facili inclinant ad consensum suorum dominorum. *Deinde* dominorum aperiunt voluntatem. Si autem ex hoc viderint virginem turbatam: consolantur eam dicentes: O virgo amœna, ne turberis, quia rex noster, qui est diues, speciem tuam concupiuit, & tua dilectio apud ipsum gratiam adinuenit. Ita Angelus primò salutauit virginem ex parte regis sui. Et quia vidit eam turbatam, ait eam appellando dicens: *Ne timeas*

Maria

Maria inuenisti enim gratiam apud Dominum; & statim subdit voluntatem regis. *Ecce concipies & paries filium* &c. Ideò dicit B. Augustinus sermone hodierno: Audiuimus nuntium gaudia magna nuntiantem, iudicia lætitiæ, vocem auxilij, reuocationem seruitutis. Ecce Angelus ad Virginem loquitur, vt deinceps serpens mulieri non sermocinetur, missus Gabriel Angelus totius mundi nuntiare salutem, deferens Adæ reuocationis præscriptum. Missus est Gabriel ad Virginem, vt ignominia fœminæ exhausta, ferat salutem. Missus est ad amatum regis Angelorum palatium, præparare mundum sponso thalamum. Missus est ad Virginem, quæ desponsata est quidem Ioseph, seruabatur autem Iesu. Missus lucerna nuntiare solem iustitiæ. Missus crepusculum lumen præcurrens diei. Missus est Gabriel manifestans eum, qui est in sinu Patris, & in vlnis matris. Missus est miles, vociferans secretum regis, quod cognoscitur fide non discussione. Hæc Augustinus. Ideò dicitur. Hæc est dies boni nuntij.

Sed est notum quando aliquis rex præpotens ad humilem mitteret virginem, & ipsam ditaret, & in suam coniugem sumeret, illa vtiq; consentiret, sicut habetur. 1. Reg. 25. vbi legitur, quod rex Dauid misit nuntios ad Abigail, vt eam sibi desponsaret in vxorem. Illa autem postquam audisset nuntios, adorauit in terra & dixit. *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei*, & sic dedit consensum. Et sic Maria audito nuntio angeli Gabrielis, illo scilicet, quod elegisset eam in sponsam, & verius in matrem benedictam, consensit nuntio dicens humiliter. *Ecce ancilla Domini* &c. quo facto conceptus est Christus. Et hoc quo ad secundum.

Quantum ad TERTIVM est NOTANDVM. Plinius in spec. nat. dicit; Panthera est animal pulchrum, & his qui sibi in aliquo subueniunt, nullo modo est ingratum. Nam sicut idem ait, quod quidam vir semel ex casu venit in desertum, in quo vidit foueam profundam, in quam collapsi erant catuli pantheræ, nec per se poterant de ea ascendere neq; per matrem adiuuari. Ille autem pietate motus, in foueam descendit, & catulos inde subleuauit. Quod videns panthera eduxit virum illum per solitudinem læta & blandiens, vt ei gratias referre facilè appareret.

SPIRITVALITER. Per Pantheram Sancta Mater Ecclesia intelligitur, & vt dicit Isidorus lib. 12. quod filij Pantheræ cum in vtero matris conualuerint, & ad nascendum iam vires receperint, mordent matrem, lacerantq; vnguibus eius aluum, tanquam sui partui resistentem. Ita mali filij & filiæ Ecclesiæ, cum aptæ sunt ad peccandum, si tunc resistit Ecclesia per suos Doctores & Prædicatores ipsam verbis detractorijs, & verberibus & iniurijs; sicut faciunt hæretici & mali Christiani, scilicet de quibus conqueritur Propheta Amos. 5. *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè*, scilicet Doctores sanos, *abominati estis*. Sed per virum intelligitur Christus, de quo dicit Zacharias 6. *Ecce vir Oriens nomen eius*. Hic vir ambulans in deserto, id est, in cœlo, quod dictum fuit desertum, propter casum malorum Angelorum, Luc. 15. vidit filios pantheræ, id est Ecclesiæ lapsos in foueam æternæ damnationis. Et hodie motus pietate descendit ad eos liberaret. Sicut ait Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto*, hoc est, in tenebris peccatorum, & clamorem eius audiui, & descendi vt liberarem eum. Et hoc perpendens sancta Ecclesia non tacet. Sed hodie lætè decantat, gratias ei dicens. Hæc est dies quam fecit Dominus &c. vsq; Gloria tibi Domine.

Et ad hanc gratitudinem inuitat suos filios cum cantant in Psalm. 32. 95. 149. & alibi. *Cantate Domino canticum nouum.* dicit Gloss. Cantate vita & lingua Christi incarnationem & redemptionem humanæ naturæ, quia mirabilia fecit. Et hæc sunt, quod hodie virgo concepit, & nouem elapsis mensibus virgo peperit, & post partum virgo perpetua permansit. *Et subdit rationem*, quare cantare debent: *Notum fecit Dominus salutare suum*, id est, filium, quem desiderans Iacob, ait Genes. 49. *Salutare tuum Domine exspectabo*, & Luc. 2. Simeon dicit, *Viderunt oculi mei salutare tuum*,
4. Reg. 7. hoc est, Christum. Reuera Christum hodie pro sua incarnatione laudare debemus, & gratias referre ei, quia si tacuerimus à laude & gratiarum actione, & noluerimus hanc pietatem magnam nobis exhibitam, annuntiare, sceleris arguemur.

K Sic contigit cuidam Monacho, de quo legitur. Quod cum fratribus venit ad Ecclesiam, vt psalleret, & cum in Missa cantaretur ille articulus Symboli Nicæni: *Incarnatus est de Spiritu sancto*, vel vt alij dicunt, cum legeretur Ioan. 1. *Et verbum caro factum est.* Genibus alijs fratribus Deo humiliter inclinantibus, gratiasq; agentibus, ille solus sedens mansit, nec gratias retulit. Statimq; ex diuina permissione, venit diabolus in specie Æthiopis, & ipsum grauiter in maxillam percussit, vt vestigia digitorum ad tempora vitæ in ipso remanserint, & dixit ad ipsum. Si Deus naturam angelicam pro me assumpsisset, ego me ad terram facie tenus prostrauissem, & tu miser ingratus existis incarnationi Saluatoris tui. Idcircò ne simus ingrati, sed Christum in æternum propter suam sanctissimam incarnationem collaudemus, & gratias illi agamus, vt mereamur de illa exultare, & hic in gratia, & tandem in æterna gloria.

SERMO IN COENA DOMINI.

Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, Prouerb. 9.

A 
Edicvs Ioannes Mesue in prima practica dicit sic: Omnis, in quo aliquid mali, aut morbositatis latitat, & verè medicinis, aut laboribus purgatus non fuerit, æstate succedente periculosis febribus æstuabit: Si autem medicinas curauerit accipere, infirmitas expurgatur: Et rationem huius ponit Constantinus: quia morbus qui in vere intra corpus remansit, adueniente calore æstatis periculosius æstuabit.

Mystice loquendo. Quis est iste, qui non habeat in se malum peccati, vel morbum animæ latitantem? Certè, nemo. Multa enim mala occultè perpetramus, de quibus dicit B. Bernardus lib. meditat. c. 14. Magis timeo malum, quod facio in abscondito, quàm quod facio in aperto: Malum enim quod nemo videt, nullus reprehendit, & vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, & facilius iniquitas perpetratur. Hæc Bernardus. Multa etiam committimus manifestè per quæ animæ nostræ morbositatem contrahunt, & assumunt, & illa in nobis per obliuionem manet latitans; à quibus si volumus expurgari & sanari, necesse est nobis, vt nobilissimam medicinam corporis Christi in vere, hoc est, isto tempore gratiæ sumamus,

mamus, de qua dicit B. Bernard. in sermone. Corpus Christi peregrinantibus dieta, ægrotis medicina, debiles confortat, valentes delectat, languores sanat, sanitatem conseruat, fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem; ardentior ad amorem, & ad obedientiam pronior, & ad gratiarum actionem deuotior. Hæc ille. Et verè dicit, qui hanc dignissimam medicinam non sumeret periculo se exponeret. Quia dicitur de pœnit. & remiss. c. Omnis vtriusq; sexus, postquam ad annos discretionis venerit, suscipere debet ad minus reuerenter in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem caussam ad tempus eius perceptione duxerit abstinendum. *Et subditur pœna.* Alioquin & viuus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, id est expellatur, & moriens Christiana careat sepultura. Hæc Innocent. III.

Communio Paschalis.

Pœna in negligentes tempore Paschali communicare constituta.

Ideò ne homo in tale incidat periculum suæ animæ, vocat nos Christus hodie ad hanc medicinam dicens: Venite comedite panem, id est, corpus meum, sub specie panis exhibitum, tanquam saluberrimam medicinam, de qua dicitur Eccli. 38. *Altissimus de terra*, id est, de carne Virginis, *creauit medicinam, & vir prudens non abhorret eam.* In verbis propositis duo tanguntur. *Primò*, vniuersalitatis vocatio, ibi; *Venite. Secundò*, necessitatis manducatio, ibi; *Comedite.*

PRIMÒ est NOTANDVM. Cum reges terræ faciunt conuiuia magnifica, vt cōuiuia nuptiarum, præ omnibus inuitant ad illa suos principes, deinde generaliter omnes populos, vt sic eorum regia potestas latius demonstretur. Et hoc figuratum est Esth. 1. vbi legitur, quod rex Assuerus tertio anno imperij sui fecit *grande conuiuium cūctis principibus, & pueris præfectisq; prouinciarum coram se*, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, cumq; complerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan à maximo vsq; ad minimum.

B

SPIRITVALITER. Assuerus interpretatur beatus, & significat Christum, qui secundum Beatum Hieronymum est omnium supernorum ciuium beatitudo, & gloria, qui eius celsitudinis faciem contemplantur. Hic igitur Christus beatissimus fecit grande conuiuium tertio anno imperij sui. *Primus* annus fuit status naturæ; *Secundus*, status legis. *Tertius*, status gratiæ, in quo fecit grande conuiuium, quando instituit Eucharistiæ Sacramentum. De quo dicit Beatus Bernardus quodam sermone. O sacrum & nobile conuiuium, sacramentum sacramentorum, sanctum sanctorum, amor amorum, dulcedo dulcorum. Verè hæc sunt festa Paschalia, in quibus adest Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in quibus fit vna caro sponsa cum sponso, anima sancta cum Christo. De hoc etiam dicit B. Hieronymus, vt habetur in Epistola Eusebij ad Episcopum Damasum. O nobile, inquit, conuiuium, in quo sub panis specie totus Christus sumitur, Deus & homo, & ita totus in specie panis, & in qualibet eius particula, & in vini specie, & in qualibet gutta, sicut in pane totus, & in vini specie simul. Nam totus perfectus, & integer sub panis specie, & sub qualicunq; minima particula; & idem totus in vini specie, & in qualibet gutta, permanet. Hæc ille.

C

Sed diceres. Quare Christus hodierna die instituit hoc nobile conuiuium sui sanctissimi sacramenti? *Ad hoc dicit* sanctus Thomas in tractatu de Corpore Christi, quod triplex est causa institutionis. *Prima*, memoria Saluatoris. *Secunda*, sacrificium altaris. *Tertia*, cibus hominis. *Et subdit.* Hæc tria disponit in hoc sacramen-

Cur hoc die Christus instituerit Sacramentū.

to Dei ſapientia contra vetera mala, & quæ ſint illa declarat: Contra obliuionem Dei, contra debitum rapinæ alienæ rei, & contra corruptionem pomi mortiferi. Primi enim parentes in hæc tria ceciderunt mala, ſerpentina fraude decepti, & per eos ſucceſſores ſunt priuati. De hoc habetur Eccli. 10. *Initium ſuperbiæ hominis eſt, apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, receſſit*, & in obliuionem Dei deuenit. De ſecundo legitur Geneſ. 3. *Videns mulier lignum eſſe bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, tulit de fructu eius & comedit, deditq́; viro ſuo*, & ſic rapinam commiſerunt. De tertio legitur Gen. ſecundo. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quacunq́; die comederis ex eo, morte morieris*, quod & factum eſt, ſicut teſtatur Pſalm. 52. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis.* Sed contra hoc triplex malum inſtitutum eſt hoc ſacramentum, Luc. 22. vbi dicitur. *Accipite & comedite; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur hoc facite in meam commemorationem.*

Cauſæ inſtitutionis Sacramenti.

Et eſt PRIMA cauſa, ſcilicet memoria Saluatoris contra DEI obliuionem. Ideò dicunt Doctores. Sacerdos nunquam deberet accedere diuina peragenda, nec laicus diuina ſumendo, niſi præhabita Dominicæ Paſſionis memoria, qualiter ſuſcepit opprobria flagella, ſputa, vulnera, alapas, irriſiones, accuſationes, & ſimilia.

SECVNDA cauſa inſtitutionis eſt ſacrificium altaris contra quotidianam delictorum noſtrorum rapinam. Sicut enim corpus Domini ſemel oblatum eſt in cruce pro delicto originali; ſic offertur iugiter pro noſtris quotidianis delictis in altari.

TERTIA cauſa eſt cibus hominis. Eſt enim cibus medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem. Ideò dicit B. Ambroſ. in lib. de ſacram. Corpus Chriſti medicina ſpiritualis eſt.

QVARTA cauſa poteſt addi, vt ſit viaticum præſentis peregrinationis, de qua dicit ſanctus Hieronymus: O ſanctum noſtræ peregrinationis viaticum, quo de hoc ſeculo nequam peruenitur ad cœleſtis Ieruſalem conſortium; Patres noſtri in deſerto manna comedentes non venerunt in terram promiſſionis: Qui verò te comederit, in tui fortitudine ambulabit ad montem Dei Oreb. *Et ſubdit.* Comeſtio delicatiſſima in qua ſaporis & odoris eſt ſuauitas, omne delectamentum, omnis medicina, omnis ſuſtentatio, & omnis requies à labore, vbi omne eſt, quod deſiderari poteſt. Hæc Hieronymus.

D Ad illud conuiuium iucundiſſimum inuitauit Aſſuerus cœleſtis, primates ſuos duodecim Apoſtolos, de quibus dixit Pſalm. 44. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, quia legitur Luc. vigeſimo ſecundo, quod Chriſtus manducans cum diſcipulis ſuis agnum paſchalem, ait: *Deſiderio deſideraui.* &c. Hic poteſt inſeri hiſtoria, quæ facta eſt quinta feria, vſq; ibi: *Egreſſus Ieſus trans torrentem Cedron*, & ſic in his geſtis inuenies, quod poſt lotionem inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum, ad quod diſcipuli primi ſunt vocati. Et non ſolum ipſi principes terræ Apoſtoli ſunt ad hoc conuiuium ſalutiferum inuitati, ſed etiam vniuerſi, ita, vt miretur glorioſus Doctor Hieronymus: O eſca, inquit mirabilis, ac ſtupenda, delectabilis & iucunda, tutiſſima ac ſuper omnia peroptanda, quàm ſingularis & inaudita tua liberalitas, quæ ſuperabundantiſſima ac prodiga largitas, cuius neminem exortem facis niſi venire contemnat.

mnat. *Et subdit* Si quis ergo paruulus est, secure ad te veniat, & te comedens fiat magnus, & relinquens semitas infantiæ, per semitas ambulabit prudentiæ. Si quis debilis ad te declinat, protinus fiet fortis. Si quis infirmus, sanabitur; Si quis mortuus est, si ad te adire voluerit, vitam interminabilem apprehendit. Si quis magnus est & fortis, nec hic desinat, nam semper abundanter te inueniet, quo pascatur. Nemo certè sine te viuere potest ad momentum, tu solus vitam omnibus præbes creaturis. Hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, NOTANDVM. Dicunt naturales, quod omne animal vitam habens, necessario habere oportet escam, quia dicit Aristoteles lib. de anima. Impossibile est animal sine nutrimento diu subsistere. Idcirco hirundines, quæ solum viuunt in aëre de vermibus, veniente hyeme ne fame moriantur, ex defectu illorum immergunt se paludibus, vel secundum Aristotelem libr. 7. animalium, iacent in cauernis arborum, vel transferunt se ad loca magis calida. Idem videmus in Ciconia.

SPIRITVALITER, interior homo, scilicet anima, si vult habere vitam gratię, necessario indiget esca felicissima, Christi corpore. Quia B. Hieronymus loquens de corpore Christi dixit: Tu es esca animæ, non corporis, impinguans mentem, non ventrem. Tu manducantem, vt decet, in te transmutas, vt tui participatione efficiatur Deus, nec tamen in illum transmutaris, veluti alia facit esca corporea. *Et subdit exhortando ad susceptionem huius delectabilissimæ escæ.* Gaude ergo fidelis anima, gaude & exulta, ne moreris his pasci delitiis, hoc frui conuiuio, in quo non carnes hircorum aut taurorum, sicut olim in lege, sed verus Christus Deus & homo tibi proponitur. Hæc ille. S. Hieronymi exhortatio ad communionem.

Dicunt tamen medici, quod in comestionibus multa sunt vitanda, quæ etiam in sumptione huius escæ minimè sunt habenda. PRIMVM, est loci sublimitas, quia videmus, quanto aliquid altius cernitur, tantò minus æstimatur. Sicut liquet de illis, qui in altis montium commorantur, quia cæteris tardius impinguantur. Idem declarat Plinius in spec. nat. de pomis, quæ magis ad apicem arborum crescunt, quod non in tantum capiunt ad se humorem & nutrimentum, sicut illa, quæ inferius collocantur, quia ab humore radicis magis elongantur, & præ aliis à ventis citius deiiciuntur. Ita ille, qui vult dignè accipere hanc escam nobilem spiritualem animæ, necesse est, vt vitet sublimitatem superbiæ. Quia dicit gloriosus Doctor Hieronymus: Tu miserum arrogantem, & superbum detestaris, diuitem etiam dimittis inanem & vacuum. Tu superbum & potentem deponis de sede, & exaltando humilem omnibus imples diuitiis, & domus tuæ vbertate satias. Ideo quando sumus in extremis, ante corpus Dominicum humiliter nos prosternamus in terram, humili clamantes voce; Domine quis ego sum, vt sim dignus, vt intres sub tectum meum? meruitné hoc peccator homo? Certè Domine non sum dignus. Nunquid ego sum melior, quam omnes patres mei? Tu Moysi noluisti vno ictu oculi monstrari, cur nunc tantum humilias te, vt patiaris ad hominem descendere publicanum, & peccatorem, & eum te solum manducare iubeas. Hæc Hieronymus. Sic & tu miser homo depone superbiam, & amplectere humilitatem infimam, qui accedere debes ad escam hanc sanctissimam, quia dicit Psal. 21. *Edent pauperes*, id est, humiles, *& laudabunt Dominum.*

In comestione quæ vitanda. I.

Accedentes ad communionē quid dicere vel cogitare debeant.

Ideo deuotus Doctor Amandus in horologio Sapientiæ lib. 2. cap. 4. Docet

quemlibet accedere volentem ad escam istam dicens: Cum ad altare ascendis, necesse est, vt cum reuerentia debita & honore præcipuo occurras Deo tuo, deuotione quadam humili mirare, quod tantus Dominus ad tantillum seruum, tanta nobilitas ad miserum vermiculum, & tanta Maiestas ad vilem leprosum dignatur venire, & dic cum metu & reuerentia. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed confisus de tanta pietate & clementia, accedo infirmus ad medicum vitæ, sitiens ad fontem misericordiæ, egenus ad Dominum cœli & terræ, ouis ad pastorem, figmentum ad suum creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem & liberatorem, &c.

F Sed diceres. Debeo me ne ex hoc dicto indignum iudicare? *Ad hoc dicunt* Doctores, quod non. Quia quamdiu quis se indignum iudicat, non debet accedere, quando hoc definitiuè iudicat, quod indignus sit, etiamsi aliàs indignus non esset, accedendo indignus efficeretur, quia faceret contra conscientiam, & sic ædificaret ad gehennam. 28. q. 1. Omnes. Nec debet quis se ex temeritate dignum ad hoc sacramentum iudicare, quia dicit Amandus vbi suprà: Inter natos mulierum non surrexit qui ex sola virtute & iustitia operum suorum, tanquam ex condigno se sufficienter præparare possit: etiamsi vnus homo haberet omnium Angelorum naturalem puritatem, & omnium Confessorum munditiam & claritatem, omniumq; viatorum merita per vitæ austeritatem, ex his omnibus circumscripta diuina gratia, non fieret satis idoneus ad tanta mysteria percipienda. Hæc ille. Et talis ex temeritate se dignum iudicans, si esset dignus, ex sumptione fieret indignus; Quia si dixerimus, *peccatum non habemus nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est*. 1. Ioan. 1.

Qui se absolutè iudicat indignum, an debeat communicare?

G Sed diceres; Cum indignus non debeat accedere, nec vnquam potero me dignum iudicare, ergo non debeo accedere? *Ad hoc dicunt* Doctores, quod nullus debet se dignum iudicare in hac vita, licet homo de hoc, quod sit in gratia, possit habere signa & coniecturas, tamen sine Dei speciali reuelatione, nunquam verè scire potest, *an amore vel odio dignus sit*. Ecclesiast. 9. Timere debet se esse hominem indignum, sed nullatenus se definitiuè indignum iudicare. Quando autem homo vult emendare peccata præterita, & futura vitare, & secundum Doctorem Amandum, vbi suprà, facit quod in se est ad gratiam, se humiliando, magis ac magis se præparando, debet plus dignum quàm indignum se iudicare; & hoc sufficit. Nec requirit Deus ab homine hoc, quod videtur esse impossibile. Quandocunque suscipiens Corpus Christi facit, quod in se est, diuina pietas supplet per gratiam hoc, ad quod peruenire sine gratia non potest. Hæc Amandus. Ad verba autem Centurionis Matth. 8. dicitur, quia non dicunt temeritatem iudicando, sed reputationis humilitatem.

II. Secundò, quod vitandum est in comestione cibi, est nimia parcitas. Quia secundum medicos peior est exinanitio, quàm repletio, quia difficilior ad curandum. Ideò docuit Bernardus in Epistola ad Cartusienses dicens: Affligendum est aliquando corpus scilicet per cibi parcitatem, sed non conterendum per nimiam abstinentiam, quia modus in omnibus est habendus. Sic qui parcè manducat hunc venerabilem cibum Corporis Christi, peior efficitur in anima, quia dicit Richardus de sancto Victore. In hoc beatissimo sacramento Christi consistit salus fidelis animæ, qui ergo raro corpus Christi comedit, salutem animæ suæ negligit. Sed in hoc apes sagaciores inueniuntur, de quibus dicunt naturales, cum infirmantur, tunc auidius mel comedunt.

Raro communicans peior efficitur.

medunt, propter delectationem, quam ad ipsum habent. Per apes intelliguntur homines, qui ob multitudinem delictorum sæpius in anima infirmantur, ita vt dicere possint cum Psal. 6. *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine*; sed per mel intelligitur Christus, quia sicut mel est dulce, ita Corpus Christi, teste Bernardo in tractatu de sacramento: Dulcis enim Iesus est in voce, dulcis in facie, dulcis in amore, dulcis in opere, & dulcior patebit in diuinitatis visione. Item ait. Iesus decus angelicum, in ore mel mirificum, in corde pigmentum cœlicum, in aure dulce canticum. De isto melle sæpius comedere debemus, cum sumus infirmi. Et hoc consuluit Sapiens Prouerb. 24. *Fili mi comede mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo*. Qui autem acediosus fuerit in accipiendo, fortasse est in via damnationis, quia dicit Hilarius super Matth. Damnandus siquidem ille homo iusto Dei iudicio est, qui acediosus est carnem Christi sanguinemq; sumendo. Vel hic per cibi nimiam parcitatem auaritia designatur, quæ valde est vitanda ab eo, qui debet Corpus Christi sumere. Quia dicit Eusebius in sermone. Frustra quidem sumitur cibus pretiosæ carnis Christi & sanguinis, nisi mens frigida & extincta fuerit hominis ab omni æstu prauæ concupiscentiæ & amoris, scilicet auaritiæ.

III. TERTIUM quod vitandum est in comestione, est lubricitas, quia lubrici pisces, vt anguillæ & cæteri, corrumpunt stomachum, & cibariorum aliorum vlteriorem auferunt interdum appetitum. Sic qui dignè vult manducare corpus Christi, debet se à lubricitate luxuriæ abstinere, & mundus debet esse. Quod figuratum est 1. Reg. 21. Quia Dauid profugus à Saul, venit solus ad Achimelech sacerdotem. Cui ille. *Quare tu solus es, Et nullus tecum? Respondit ille. Rex præcepit mihi sermonem & dixit. Nemo sciat rem propter quam missus es. Nam pueros conduxi in illum, & in illum locum. Si ergo habes quid ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inueneris. Et respondens sacerdos ait. Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum: Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus. Respondit Dauid. Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur.*

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur desiderabilis, & significat quemlibet hominem, qui cum deuotione & desiderio debet ad sumendum corpus Christi anhelare, ita vt dicere possit cum Christo Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*, id est, agnum paschalem Christi. Sed quia ad hunc cibum porrigendum, nullus est idoneus nisi sacerdotes, secundum quod canitur. Quia eius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant & dent cæteris. Ideo venire debent ipsi homines ad sacerdotes, & ab eis petere panem hunc, corpus Christi benedictum; Sicut fecit gloriosus Doctor Hieronymus cum esset in articulo mortis dixit, Rogo vos Domini mei, vt afferatur corpus Christi, quatenus in eius lumine videam lumen, vt firmans super me oculos suos, det mihi mentis oculum, & instruat me in via hac, qua nunc exiturus gradiar.

Sacerdotes autem debent instruere quemlibet hominem panem hunc angelorum postulantem, & dicere, quod panis ille non est panis laicus, qui transit in corporis alimentum; Sed panis sanctus, panis animæ, sub cuius specie est corpus Christi per conuersionem, & sanguinis per connexionem, & anima per coniunctionem, & Deitas per vnionem; quæ quatuor non possunt diuidi, nec ab inuicem separari, vt dicit quidam Abbas de aula regia. Et quia ibi est sanguis per connexionem, cum corpus H

Sacerdotum est. Laicos in communione instruere.

Corpus Christi viuum

non est sine sanguine.

corpus viuum non est sine sanguine, ideo non quęrunt laici sub vtraque specie communicare. Nam sub specie panis vterq; continetur.

Si quis autem comedere dignè voluerit hunc panem sanctissimum, ille debet esse mundissimus & principaliter à mulieribus, quia dicit Galenus lib. 6. medicinarum, Qui frequenter ieiunus biberit aquam ante cibum vel alium potum, ei inposterum cum ad senium peruentum fuerit. trement manus; Cuius ratio est secundum Auicennam. Nam tremor capitis ex defectu prouenit naturalis virtutis, ex ieiunis vt frequenter prouenit haustis, vt asserit Galenus. Sic qui ante cibum nobilissimum corporis Christi & sanguinis aquam biberet voluptatis carnalis, in tremendo illo iudicio tremet altissimi conditoris. Quia dicit Richardus de S. Victore. Qui nunc carnalem miscet dulcedinem Christi carni & sanguini, tenentur gehennæ atq; supplicij sempiterni. Væ igitur illis, vt ait Hieronymus: Heu mihi Domine, quid dicam. Hodie te sacerdotes comedunt in altari, vt carnes pecudum, & volucrum: immò peius, nocte mulierum vtuntur actu turpissimo. & te mane masticando comedunt. Vbi Domine latitas? dormis an vigilas? Est tibi hoc acceptum sacrificium? Est hæc oblatio legis? Exaudies preces eorum de cœlo; & de sede maiestatis tuæ? Verè si hoc velles sacrificium & libamen, mendax fieres, & peccatorum socius. Certè Domine si vera sunt, quæ locutus es per os prophetarum, si solum iustis supplicationibus præsto es. Et si tibi placet æquitas, hoc tale impedimentum est, sacrificium ne fiat, quia huiusmodi sacrificium fit, sacerdotibus præiudicium & damnatio, nec pro quo fit prodest: Imò verissimè dicam, qui vitam sacerdotis agnoscit, & eum pro se celebrare facit, sit eiusdem peccati conscius, nec non penè particeps. Hæc Hieronymus.

Faciens Sacerdotẽ scienter in peccato celebrare, particeps est peccato celebrantis.

Nec etiam debet solum quis ante susceptionem corporis Christi abstinere à luxuria, sed etiam post sumptionem. Probatur hoc simili. Dicit Hippocrates lib. 1. Aphorismorum. Manus quidem si sumpto cibo frigidæ remanent, temperatum & sanum indicant hominem vnumquemq;. Rationem ponit Constantinus, quia cum natura compos fuerit, totum calorem ad faciendam digestionem cibi de extremitatibus ad se trahit.

Sic SPIRITVALITER qui sumit venerabilem cibum corpus Christi, & ab esu prauæ luxuriæ frigidus manserit æternam in ipso manducat sanitatem & salutem. Quia dicit Chrysostomus in sermone. Tunc enim salus adhæret corpori & animæ, dum cibo sumpto sanctæ Eucharistiæ, in omni exstinguimur incendio & ardore concupiscentiæ mulierum.

IV. QVARTVM, quod vitandum est in comestione, est animi iracunditas: quia dicit Galen. lib. 8. medicinarum. Cibus, qui iratis præcordiis sumitur, penitus nihil nutrit. Cui consonat Ioannicius Ysagog. de regimine sanitatis. Cumq; cibus iratis præcordiis sumitur, in materiam potius languoris quàm cibationis protinus transmutatur, Cuius ratio est, vt ait Auicenna. Nam cibus vel potus, qui dum irato animo sumitur, cholericis mox humoribus permiscetur. omnis autem humor secundum Galenum, est morbosus, quia esca calorem naturalem à sua digestione impedit & restringit. Sic cibus ille salutaris sanctissimi corporis sumendus est sine ira, contra proximum, qui si sumitur irato animo potius ad damnationem, quàm ad salutem animæ ordinatur, teste Ambrosio in hexam. In damnationem vergit equidem tàm corporis, quàm animæ, sanctam Eucharistiam irato contra quempiam animo manducare. Id-

re. Idcirco si quis habet iram contra proximum, prius studeat secum concordare, antequam vadat corpus Christi sibi in nocumentum manducare. Quia hoc sacramentum est veræ dilectionis, quod non debet sumi nisi in vera dilectione, omni iracundia deposita. Quia dicit Beda super Matthæum: Væ illis, qui cibo vescuntur, nisi prius præeunte interna mentis dulcedine & amore.

QVINTVM, quod vitandum est in comestione, est nimietas, quia dicit Hippocrates lib. 6. Aphorismorum. Gula interficit plures, quàm gladius. Cuius ratio est, quia calor naturalis habet se, vt lichnus ignitus in lampade, qui agit in humidum consumendum, quod quidem humidum, si fuerit superfluum, lichnum ardētem exstinguit: Sic calor naturalis agit in humidum radicale, si autem humidum radicale fuerit nimium, calorem naturalem consumit & exstinguit, quo exstincto mors comitatur. Sic in comestione huius salutiferi cibi corporis Christi, gula debet deuitari, quia homo volens sumere hoc sacramentum, debet se ante per abstinentiam castigare, quia antequam cibus digestus sit, corpus Christi sumi non debet, vt habetur de consecrat. distinct. 2. c. Liquido. Et nisi necessitas exigat infirmitatis, semper debet sumi à ieiunis. Neq; post medicinam aliquam Corpus Christi est sumendum, quia medicinę abominationem inducere solent, & timendum est, ne inducant vomitum, vt dicit Archidiaconus Guido in Rosario. V. Gula plures quàm gladio pereũt. Ante cibi digestionem non communicandum.

SEXTVM, quod vitandum est circa comestionem, est inuidia, quia cibus sumptus habita inuidia, sicut & ira nihil nutrit. Sic cibus Dominici corporis sumptus inuido animo nullum planè animæ confert nutrimentum, teste Chrysostomo in sermone. Cumq; sancta Eucharistia in inuidia sumitur potius in damnationem, quàm in salutem hominis ordinatur. Caueant igitur inuidi ne accedant ad hoc sacramentum, ne hoc sumant in animæ suæ detrimentum, nisi abiiciant inuidiam, & assumant dilectionem. Quia dicit Ioannes Mesue in prima practica; Est autem cibus, qui sine potu sumitur, morbiferus vniuersis. Cuius ratio est. Nam dum cibus mediante potu liquidus efficitur, materia mox ad sanguinem facilius dirigitur: Econtrà autem cibus, dum aridus sumitur, difficilius transmutatur, vt ait Galenus. Ita & cibus Sanctæ Eucharistiæ, si sumitur absq; potu dilectionis Dei & proximi, mortiferus est quantum ad commutationem veniæ æternæ, teste Chrysostomo super Matth. In damnationem quidem vergit mentis & corporis, dum cibus carnis & sanguinis absque gustu sumptus fuerit internæ Dei dilectionis & amoris scilicet, & proximi. IV. Eucharistia in inuidia sumpta, inducit damnationem. Eucharistia sine dilectione sumpta, mortifera est.

SEPTIMVM ante comestionem vitanda est pigritia. Quia dicit Ioannitius. Antequam cibus sumitur, & postquam sumptus fuerit, semper motus corporis necessarius aliquis quidem erit. Cuius ratio est. Quia motus, qui præcesserit cibum, virtutem naturalem excitat, & accendit, vt asserit Galenus: quæ cum excitatur, digestio magis fortificatur, sed motus, qui post cibum factus fuerit, cibum sumptum ordinat & disponit, vt recitat Constantinus. VII.

Sic antequam cibum sanctissimi corporis sumimus, necesse est summopere, vt in operibus virtuosis nos solicitè exerceamus. Ad quod hortatur Origenes in libro de ritu Eccles. Antequam, inquit, sancta sumitur Eucharistia, necesse est vt consequantur, & præueniant opera virtuosa. Quæ autem opera virtutis sunt magis necessaria, vt præcedant? Certè hoc opus virtuosum, amaræ pœnitentiæ, qua Corpus Christi est sumendum. Quia dicit Aristoteles de regimine Principum ad Alexan- I Opera bona debẽt communionem præcedere & subsequi.

drum: Omnis quidem cibus est quadam salsedine, & specierum acetudine sumendus. Cuius ratio est secundum Constantinum; Quia quod acetosum fuerit, poros interiorum membrorum aperit, vt humiditatem cibi imbibere possint; Sic etiam cibus delicatissimus animæ cum amaritudine sumendus est pœnitentiæ. In cuius figura præceptum fuit Exod. 12. vt agnum paschalem comederent *cum lactucis agrestibus*, vbi Hebræi habebant in amaritudinibus, hoc est, peccatorum commissorum doloribus. Quia dicit Fortunatus in homil. In damnationem ei vergit mentis & corporis, qui cibum carnis Christi sumit & sanguinem absq; amaritudine doloris. Et hoc probat Vincentius in spec. hist. lib. 13. c. 36. dicens:

Cibus animæ cū pœnitentia sumendus.

K Quidam conuersus de alta domo cecidit, & propter culpam suam infirmatus est vsque ad mortem. Abbas autem Hugo visitans eum, rogauit, vt securè confiteretur peccatum suum, de quo infirmaretur, & pœnitentiam ageret. Ille autem noluit confiteri, & petiit sibi dari Corpus Christi. Abbas autem suadebat ei, vt non sumeret corpus Domini nisi benè confessus & contritus. Ille autem dicens, se bene confessum, iussit ei conferri Corpus Christi. Quod cum presbyter contulisset, & in os eius posuisset, statim clamare cœpit. Quid faciam? Quod audiens presbyter, subuertit ab eo Corpus Domini, quod super linguam tenebat, quo ablato, ille mox miserabiliter expirauit.

Præcedere etiam debet hanc nobilissimam escam opus virtuosum lacrymarum. Quia dicit Plinius in spec. nat. Eo tempore, quo infantulo dentes, quibus cibum masticat, orti non fuerint, magis plorat. Cuius ratio est: quia grandis est dolor integritatem infringi cartilaginum, & prodire dentes; Sic eo tempore, quo dentes fideli oriuntur animæ ad sumendum cibum Sanctæ Eucharistiæ, mentes in fletum solui debent. Ideo dicit Fortunatus in homil. Eo siquidem tempore, quo Corpus Christi sumitur à fidelibus, maior semper assit fletus & singultus. Et sic refert Eusebius in Epistola ad Damasum Episcopum de Hieronymo. Cui cum adferebatur Corpus Christi in extremis, prostrauit se in terram, & lacrymas, quantum potuit, effudit.

Mentis fletus in communione commendatur.

Et Sciendum, quod motus moderatus necessarius est post cibi corporalis sumtionem, vt cibus debitè ordinetur. Si quis autem homo statim dormit post cibum, signum est infirmitatis, teste Auicenna in 6. lib. aphorism.

L Signum quidem est inualetudinis, & alicuius morbi in corpore latitantis, dum quis mox sumto cibo flectitur in soporem. Cuius ratio secundum Galenum. Nam corruptis & infectis interioribus membris corporis, sopor veniens intra conuacua subire non poterit, sed capitis membra petit. Idem ait ibidem. Similiterq; cum somnus frequens cibum immediatè sequitur febres, vt frequenter efficit. Et rationem ponit Constantinus. Quia somnus in principio digestionis factus, pessimum generat nutrimentum.

Sic Spiritualiter motus virtutis valde necessarius est his, qui sumpserunt cibum Corporis Christi salutarem, quia dicit B. Gregorius in pastorali. Nihil periculosius animæ quàm Christi sumpta carne & sanguine, segnem esse quempiam in bono opere & virtute. Sicq; dum somnus acediæ sequitur cibum, scilicet Corpus Christi febres efficit æternæ miseriæ & doloris, vt dicit Hugo de S. Victore. Mens enim, inquit, humana, assumpta carne & sanguine in laude Dei, si torpuerit, mors ei profectò æternæ pœnalitatis & miseriæ præstò erit. Cui alludit B. Ambrosius in hexame.


Acedia in communione quàm sit nociua.

Cum

Cum quis sumpta sancta Eucharistia acedia & torpore lassus fuerit, timor profectò æterni supplicij imminebit. Ideo ne simus acediosi in gratiarum actione atq; laude, pro hac benedicta Corporis Christi refectione, quatenus hic laus inchoëtur, ibiq; in cœlis sine fine perseueret. Quod nobis præstare, &c.

IN BONA SEXTA FERIA, VIDELICET PARASCEVES.

Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Thren. 4.



DICVNT naturales, cum sol clarè lucet, gaudent de eius claritate creaturæ vniuersæ: præter illas quæ sunt venenosæ, quæ lucente sole contristantur, vt sunt busones, & Dracones. Si autem patitur sol Eclipsin luminis sui aut defectum, tunc Luna tristis efficitur, veluti sanguis in colore, vt dicit Themistius in summa naturalium entium. Ratio huius est, quia Luna habet lumen suum à Sole, & quando per interpositionem terræ Sol in sua luce impeditur, Luna etiam suo lumine priuatur, ideo rubescit & tristatur, & non solum Luna ex Eclipsi solis, sed etiam aliæ æthereæ tristantur regiones sicut stellæ. Sicut testatur auctor in Theorica Planetarum dicens: Cum sol Eclipsin patitur: mox regiones vniuersi ætheris, alterationem & mutationem percipiunt aliqualem.

SPIRITVALITER. Per Solem intelligitur Christus, qui ab Ecclesia sancta iustitiæ sol nominatur, cum canitur de B. Virgine: *Ex te ortus est sol iustitiæ.* Sed per Lunam intellige Virginem Mariam, quia per Salomonem Cant. 6. dicitur: *Pulchra vt Luna.* Per alias autem Creaturas, intelliguntur sancti Apostoli & cæteri homines deuoti. Per venenosa verò animalia Iudæi designantur, qui testimonio Iesu Christi, Matt. 23. *Pleni erant immunditia, & veneno inuidiæ.*

Modo ad propositum huius diei dico. Quando sol iustitiæ lucebat mundo indeficiente lumine, suæ clarissimæ scientiæ & doctrinæ, dicente Ioan. 8. *Ego sum lux mundi,* tunc Maria instar Lunæ fuit læta, sicut per se testatur, Luc. 1. *Et exultauit spiritus meus,* &c. Similiter & alij Apostoli lætati sunt in luce eius doctrinæ, quod ab eo noluerunt recedere dicentes Ioan. 6. *Ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Sed immundi Iudæi & Pharisæi, ad similitudinem bufonum, & Draconum, in lumine eius claræ doctrinæ tristantur, nec mirum. Quia dicit Augustinus lib. confess. Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis. Econtra autem cum Christus sol iustitiæ hodie per passionem acerbissimam obscuratus est, gaudebant perfidi Iudæi, quod testatur Christus Psal. 68. *In me psallebant, qui bibebant vinum.*

Sed Luna, id est, beatissima Virgo Maria fuit vltra modum contristata. Iuxta illud Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius, non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Et non solum tunc tristata est Maria, sed etiam omnes Apostoli, eiusque deuoti. Sicut testatur Thren. 1. *Omnis populus eius gemens,* scilicet tam illi in mundo, quàm illi in cœlo, scilicet Angeli. Iuxta illud Isai. 33. *Angeli* A

pacis amarè fleuerunt. Et non solum rationales illæ creaturæ, sed etiam irrationales, obscurationem sui creatoris videntes, tristabantur. Nam *velum templi scissum est per medium, & sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt in vniuersa terra.* Lucæ 23.

Hodie tristantur campanæ, altaria, Ecclesia.

Hodie contristantur campanæ, in hoc quod silent. Tristantur altaria, quia discooperiuntur. Tristatur Ecclesia cantando cantus tristitiæ per suos Sacerdotes, secundum illud Thren. 1. *Sacerdotes eius gementes.* Idcirco quilibet Christi fidelis meritò debet exemplo prædictorum cum Christo lugere. Quia dicit B. Augustinus in Epistolà ad Volusianum. In passione Christi totus mœrebat, vt ita dicam, chorus cœlestium virtutum. Maledictum ergo cor humanum, quod non totum in se fuerit conturbatum.

Ne ergo incidamus ad maledictionem. Sanctus Propheta Ieremias proponit nobis flebiliter hodie, quomodo Christus, qui est aurum cœleste lætificans iugiter electos suos, sit per passionem obscuratus, vt & ei acriter contristemur, dicens: *Obscuratum est aurum.* In quibus quidem verbis breuiter duo describuntur. *Primò*, ingentis doloris illatio, ibi; *Obscuratum est aurum.* *Secundo*, florentis coloris mutatio, ibi; *Mutatus est color optimus.*

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Artifex ingeniosus, qui vult ex auro subtile facere clenodium, quod debet ad multorum hominum esse profectum. PRIMÒ, ponit aurum in caminum, vt materia metallica, si quæ ei fuerit incorporata, excoquetur. Quia dicitur lib. 16. proprietatum. Quamdiu æs aut orichalcum auro est permixtum, semper sub malleo scinditur, & suscipere debitam formam renuit. Idcirco necesse est, vt omne superfluum ab eo per coctionem auferatur. Deinde autem, cum artifex illud aurum per se excoxerit in fornace, dat illud seruis ad malleandum, vt sic probent in incude, & si est purum aurum, percussum non resonat, sicut æs vel argentum. Et si prædictus artifex cautior adhuc de auri esse voluerit puritate, tradit illud iudicio aliorum ad probandum, & tandem de illo facit clenodium præconceptum. Et cum factum fuerit, ponit in altum; vt ab omnibus videatur, & in arte sua collaudetur. Ecce naturaliter sunt hæc dicta, supra quæ prudens prædicator totam potest fundare passionem.

Christus Clenodiũ.

SPIRITVALITER. Artifex ingeniosus est Pater cœlestis, qui ingenioso animo cœlum & terram & quæ in eis sunt, fecit ex nihilo. Iuxta illud Genes. 1. *In principio fecit Deus cœlum & terram*, id est, omnia ornauit *subtiliter & disposuit.* Sap. 7. Sed per Clenodium subtile intellige Christum summi Patris Filium, qui bene dicitur ex auro, quod est rubeum: significans eius perpetuam charitatem qua nos dilexit, & de cœlis propter nos descendit. Illud, inquam, clenodium voluit cœlestis artifex in multorum hominum salutem & profectum facere. Idcirco posuit in principio passionis in caminum, vt dicere posset illud Psal. 16. *Igne me examinasti, & non est in me inuenta iniquitas.* Nam perlege totam vitam Christi: nihil inuenies nisi passionem & dolorem, quoniam in hora suæ natiuitatis statim incepit flere, sicut testatur Sap. 7. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Post natiuitatem positus fuit in arcto *præsepio* Lucæ 2.

Sed quia sicut artifex mundi, ponit aurum inter carbones, ex quo vult facere clenodium; Sic posuit Pater Filium suum Christum inter Iudæos, qui fuerunt tanquam carbones, de quibus dicit Dauid Psalm. 17. *Carbones succensi sunt ab eo.* Quomodo succensi

succensi sunt ab eo? Certè cùm Christus vitia eorum corriperet, accensi sunt contra ipsum inuidia. Et ita (vt dicit Nico. de Lyra super Matt. cap. 21.) tali igne ipsum multipliciter exurebant, tum veritati suæ detrahendo, tum opera sua malè exponendo, tum innocentiæ suæ derogando. De *primo* habetur Ioan. 8. cum dixerunt. *Tu de teipso testimonium dicis; testimonium tuum non est verum.* Ecce dicunt eum mendacem qui tamen de se dicit Ioan. 14. *Ego sum veritas, via & vita.* De *secundo* dicitur Matt. 12. *Hic non eijcit dæmonia nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* De quo legitur Ioann. 9. *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Ad historiam præsentis materiæ veniam. Et est SCIENDVM quod cœlestis Pater posuit filium adhuc in multiplicem ignem passionis. Multiplex ignominia Christo in passione illata.

PRIMVM sustinuit Christus irrisiones heri serò post cœnam, quando comedit cum discipulis agnum Paschalem, & instituit Eucharistiæ sacramentum, & ordinem sacerdotalem. Et figura huius habetur Danielis quinto, vbi legitur, quod Rex Balthasar fecit grande conuiuium optimatibus suis. Et interea durante conuiuio *apparuerunt digiti quasi hominis scribentis in superficie parietis. & aspiciebat articulos manus scribentis. Et statim facies eius commutata est, & cogitationes conturbabant eum.* C I. Irrisiones.

SPIRITVALITER. Balthasar interpretatur absorbens diuitias Domini, & significat Christum qui absorbuit in se omnes diuitias, tam corporales quam spirituales, secundum quod dicit Prou. 8. *Mecum sunt diuitiæ & gloria.* Iste, inquam, Christus heri fecit grande conuiuium, quando instituit Eucharistiæ sacramentum, dicentibus Euangelistis. *Accepit Iesus panem, benedixit ac fregit, dedit discipulis suis dicens,* Matth. 26. *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Deinde accepit Calicem*, in quo erat vinum aqua permixtum, *& benedixit & dedit eis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est sangis meus, qui pro multis effundetur*, id est, extra corpus fundetur. Et addit Matthæus, *in remissionem peccatorum*, scilicet omnium per sufficientiam, sed non per efficaciam, quia multi faciunt se indignos per peccata. Istud conuiuium salutiferum fecit, non alijs, sed optimatibus, id est Apostolis, qui soli fuerunt digni huic interesse, vt cum eis comedat. Versus;

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Cum igitur Christus manducaret cum discipulis, vidit eadem hora manum Iudæ traditoris secum in mensa, secundum quod dicit Dominus, Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropsido, hic me tradet.* Et ipse quidem iam scribebat in corde suo, quomodo Iesum Christum traderet in manus Iudæorum. Rectè enim factum est Christo, sicut Regi Balthasar. Nam postquam vidit manum scribentem in pariete, MANE, THECEL, PHARES. *eadem nocte captus est à Persis, & occisus est.* Danielis quinto. Sic Christus eadem nocte captus est à Iudæis, & hodie innocenter crucifixus est. Ideò dicit Ioann. decimo tertio. *Turbatus est Iesus, & ait; Amen, amen dico vobis, quod vnus ex vobis tradet me in hac nocte.* Hic prosequere historiam passionis.

SECVNDVM ignem tribulationis passus est Christus, exiens cum discipulis ciuitatem in montem Oliuarum. Et hæc tribulatio figurata est 2. Reg. 15. vbi legitur, quod Dauid egressus est à facie filij sui Absolonis de ciuitate, cum vniuersa domo sua, & D II. Tribulationes.

dimisit mulieres ad custodiendum domum. Ipse autem transgrediebatur torrentem Cedron, *& ascendebat arborem oliuarum flens, & operto capite nudisq; pedibus incedens, omnisq; populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.*

SPIRITVALITER. Dauid interpretatur desiderabilis, & significat Iesum Christum Dominum nostrum, qui vt ait Aggæus cap. 2. *est desideratus cunctis gentibus.* Hic inquam, heri serò exiuit ciuitatem Ierusalem, hymno dicto, cum omni domo sua. Hoc est, cum vndecim discipulis suis, sed mulieres, scilicet Matrem suam benedictam, Mariam Magdalenam & cæteras mulieres dimisit in domo. Et sicut Ioann. 18. dicitur. *Egressus Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus.* Quis autem pie non credit Christum tunc turbatum & tribulatum fuisse, quia in scrinio suæ Deitatis vidit negationem à Petro futuram, & scandalum aliorum discipulorum, quod prædixit eis in monte Matth. 26. *Vos omnes scandalum patiemini in me in ista nocte.* Hic persequere historiam.

E. *III.* Ignis tribulationis in horto.

TERTIVM ignem tribulationis sustinuit CHRISTVS in horto, cum tribus discipulis suis, Petro, Iacobo & Ioanne. Et hæc tribulatio figurata est Danielis tertio, vbi legitur, quod Rex Nabuchodonosor *vidit quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis,* & nihil corruptionis in eis fuit, & *species quarti similis fuit filio Dei.*

SPIRITVALITER. Nabuchodonosor interpretatur sessio in agnitione, & significat cœlestem Patrem, qui sedet in cœlis in omni agnitione. Nam omnia cognoscit, etiam antequam fiant. Ille certè vidit in hac nocte camino tribulationis, quatuor viros: quorum primi fuerunt prælibati, qui erant in igne tristitiæ. Quia dicitur Matth. 26. *Oculi eorum erant grauati.* Cuius causam ponit Luc. 22. dicens: *Præ tristitia,* quasi diceret; Causa huius aggrauationis oculorum fuit cordis tristitia. Quartus autem, qui est *similis filio Dei,* significat Christum; qui vt ait Athanasius in Symbolo, *est æqualis Patri secundum diuinitatem,* & est Filius eius vnigenitus æternus. Iste quippe bene visus fuit à Patre in medio ignis qui tantam tunc passus est tristitiam ac si fuisset in medio ignis. Et hoc ostendit, quando dixit Matth. 26. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Istamq; excellentem tristitiam guttæ sanguinis demonstrabant, de quibus dicit Luce vigesimo secundo. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Istos reuera tres ignes tribulationis, hoc cœleste aurum, Dominus noster Iesus passus est in hac nocte pro nostrum omnium salute. Idcircò meritò ipsi compati debemus, somnia & lætitiam postponendo, ad quod hortatur nos sanctus Bernardus in libro de conuiuio crucifixi. Erubescat, inquit, miser Christianus, qui nocte ista quiescit in lecto, cum Rex summus vigilat & pugnat pro eo in campo. Erubescat qui nocte illa lætatur, cum Rex suus timeat & tristetur. Erubescat qui dormit & solatiatur, quando Rex noster sic super nudam terram pro nostra salute solicitatur.

F Audiuit deniq; dilectio vestra, quando artifex probat aurum in fornace, aut in camino ignis, tradit illud seruis ad probandum cum malleis.

Ita SPIRITVALITER Pater cœlestis artifex vniuersorum fecit. Cùm enim filium suum probauit velut aurum nobilissimum in igne tribulationum tradidit ipsum in manus iniquorum seruorum, qui missi erant cum fustibus, gladijs & alijs instru-

instrumentis à Pharisæis. Et hoc figuratum est Iudicum 15. Cum Deus dereliquisset Samsonem, venerunt super eum Philistiim, & ceperunt ipsum, eique manus ligauerunt, & viuum adduxerunt.

SPIRITVALITER Samson interpretatur illuminans eos, significans Christum, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioann. 1. Hunc Deus Pater tunc dereliquit, quando ipsum voluntati Iudæorum tradidit. Sicut Christus pendens in cruce conquerebatur. Matth. 27. *Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Idcircò venerunt Philistiim, qui interpretantur cadentes, & significant nuntios, quos miserunt Pharisæi, qui ex vnico verbo Domini in terram bis retrorsum ceciderunt. Sicut de hoc refertur Ioan. 18. Cum Christus eos interrogaret; *Quem quæritis? Illi responderunt, Iesum Nazarenum, statim illi in terram ceciderunt.*

Illi igitur postquam surrexissent, cœperunt Iesum, *& ei manus ligauerunt*, primumque ad Annam duxerunt. Et hoc ideò, quia Annæ domus fuit prima fabrica, aut primus vicus, in quo CHRISTVS ad instar auri purissimi, ab iniquis seruis fuit malleatus. G

Primus seruus fuit Petrus Apostolus, qui Christum malleauit verbis negatorijs. Quia primam negationem fecit in domo Annæ, de qua narrat Ioan. 18. Cum ancilla ostiaria interrogauit ipsum an ex discipulis eius esset, ait negando; *Non sum*, quasi diceret, iam recessi ab eo. I. Petrus Apostolus.

Secundus seruus fuit Annas Episcopus, qui malleauit Christum verbis derisorijs, vt dicitur Ioann. 18. *Interrogauit eum* derisoriè *de discipulis, & de doctrina*, quasi diceret. Iam apparet tua stultitia, quam nunc videntes tui discipuli, te dimittunt & fugiunt. Sed certè discipuli à Christo propterea non fugerunt, sed ideò, vt impleretur figura, 4. Reg. 25. vbi legitur, quòd Nabuchodonosor Rex anno nono regni Sedeciæ venit Ierusalem, & cœpit ipsum; quod videntes eius bellatores, qui cum eo erant, dispersi sunt. *Secundo*, vt impleretur Prophetia, Zach. 13. *Percutiam*, id est, percuti permittam *pastorem, & dispergentur oues gregis.* II. Annas. Cur discipuli à Christo fugerint. 1 2

Tertius iniquus seruus fuit Malchus, cui Dominus auriculam per Petrum amputatam restituit, qui Christum percussit manibus sceleratorijs. Quia sicut refertur, vbi suprà, cùm Annas interrogaret Christum de doctrina, respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in templo, vbi omnes conuenerunt, & nihil locutus sum in occulto. Quid me interrogas? Interroga eos, qui à me hoc audierunt*. Quod audiens seruus ille iniquus, dedit alapam Iesu dicens. Quomodo: *Sic respondes Pontifici?* Et reuera dicere possum, si Christus tam mitis non fuisset, sed permisisset, statim omnes exercitus Angelorum descendissent, & de hac manu perdita vindictam sumpsissent, quæ tam ausa fuit Christi faciem percutere, quam Angeli ipsi prospicere incessanter desiderabant. Sed sic oportuit fieri, vt impleretur figura. Regum. 22. vbi legitur, cum Propheta Michæas loqueretur veritatem, accessit Sedecias, & percussit eum in maxillam. *Secundo*, vt impleretur Prophetia Thren. 3. *Dabit se percutienti maxillam.* III.

Deinde ductus fuit Iesus ligatus ad domum Caiphæ; & hæc fuit secunda fabrica, in qua Christus fuit durius percussus & fabricatus. PRIMÒ, malleatus fuit à Petro in secunda negatione, quarum vnam fecit coram ancilla, Matth. 26. Cum dixit. *Hic cum Iesu Nazareno fuit*. Ad quam Petrus; *Mulier nescio quid dicis*. Secundum fecit, cum

cum iuramento coram multis, qui astabant circa ignem, & dicebant ei; *Verè tu ex illis es*; scilicet, qui cum Iesu erant. *Nam & Galilaus es, & loquela tua manifestum te facit.* Quod audiens Petrus, cœpit anathematizare & iurare, id est, sub maledictionis inuocatione negare, quod non nouisset hominem; quasi diceret. Per Deum viuum iuro, & maledicor ab eo, si mentior, quia hominem non noui, nec discipulus eius, vnquam fui.

Ista negatio Petri fuit durus malleus verberans cor Christi, & non solum cor Christi, sed & Virginis Mariæ, quia tunc dicere potuisset: Petre, quem constituit filius meus in Pontificem Ecclesiæ suæ, cui iam tradidit claues regni cœlorum, quo modo sic apertè loqueris, quod etiam sub inuocatione maledictionis diuinæ non nouisti hominem.

Si enim non nouisti, quis dedit testimonium; Matt. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Ideò cessa à negatione, & age pœnitentiam. Ideò postquam Christus Petrum oculis misericordiæ respexisset, *exiuit* foras, & post trinam negationem *amarè fleuit*, Matth. 26.

SECVNDO, in domo Caiphæ malleatus est Christus à Principibus Sacerdotum, in falsorum testium productione. Quia sicut dicitur Marci 14. *Multi dicebant falsum testimonium*, intellige ad complacentiam Principum. *sed non erant conuenientia.* Et certè credendum est, quòd non solum contra Iesum falsa dixerunt testimonia, sed etiam contra Matrem benedictam, dicentes. Tu es mater vilissimi seductoris. Sed mēdax fuit illud testimonium, quia ipsa est mater verissimi Saluatoris. Idcircò nos, qui sumus amici Regis, flere debemus cum ea hodie, quia huius figura præcessit, Daniel. 13. Quando *duos senes dabant falsum testimonium contra Susannam*, omnes amici eius, qui hoc audiebant, cum ipsa flebant.

TERTIO, malleatus est Christus à Caipha, per blasphemiæ impositionem. Sicut enim legitur Matth. vigesimo sexto, quod ipse interrogauit Christum, si esset filius Dei, ipse respondit, Marci decimo quarto. *Ego sum; & ille scidit vestimenta sua, & ait, Blasphemauit.*

QVARTO, in domo Caiphæ malleatus est Christus communiter ab omnibus in domo existentibus in plagarum impositione. Alij enim *exspuerunt in faciem eius*, vt dicitur Matth. 26. Ita, vt Christus ex fœtore saliuæ mori potuisset; sicut contigit Hur: qui fuit vir sororis Moysis, qui nolens populo in peccato idololatriæ consentire, in faciem eius spuerunt, & ipsum sputo occiderunt. Sicut dicunt Gloss. Hebræorum super Exod. 34.

I Aliqui autem, vt dicit Marc. 14. *Faciem eius velauerunt*, quia in eam videre non potuerunt. Et hoc figuratum fuit. Exod. tricesimo quarto, quando Moyses venit de monte, in quo cum DOMINO locutus fuit, facies eius tam lucida fuit, vt nullus in eam respicere potuerit, ideò pannum super faciem posuit, vt cum illo loqui possent. Cùm igitur sic faciem CHRISTI velassent, alij ipsius collum percutiebant, alij quoque colaphis faciem eius percusserunt, dicentes; *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Lucæ 22. Nam vnus ad vnam maxillam, & alius ad aliam percussit, vt compleretur illud Malach. 6. *Percusserunt in maxillam Iudicis.* Alij caput eius percusserunt Luc. 22. Alij ipsum crinibus ad terram prostecerunt, & pedibus eum conculcauerunt, vt adimpleretur illud Psalm. 56. *Conculcauerunt me*

inimici mei tota die. Alij etiam malleis super dorsum eius fabricauerunt, vt impleretur illud Psalm. 128. *Supra dorsum meum, fabricauerunt peccatores.* Quia hoc prædixit longè ante Pater de Filio. Ezechiel. 21. *Dabo te in manus fabricantium.* Ecce homo fabricatus est Christus tanquam aurum. Sed quia purissimus fuit, adeò nullum signum impatientiæ de se dedit, sed potius pietatis, vt testatur B. Bernardus, dicens; O Iudæi, lapides estis, sed percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum caritatis.

Audiuit, inquam, caritas vestra, cùm serui alicuius aurifabri aurum in incude malleant, præsentant illud Magistro ad diiudicandum, qui si voluerit esse securior de auri puritate, mittit illud aliquando superiori Magistro ad discernendum, & demum cum ipsum perforauerit, & purum omninò inuenerit, clenodium de ipso facit. Ita factum est de Christo. Nam iniqui serui ipsum tota nocte malleis prædictis percusserunt, & sic percussum, facto mane, vt dicitur Matth. 27. Iudici Pilato præsentauerunt, & de tribus ipsum accusauerunt.

Primò, quòd tributum Cæsari dari prohibuisset. *Secundo*, quòd regem Iudæorum se nominasset. *Tertiò*, quod filium Dei se fecisset. Et contra has tres accusationes, dicimus hodie in persona Christi in tres excusationes, cum crux leuatur. PRIMA est. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te? Responde mihi? Quia eduxi te de terra Ægypti, & tu parasti crucem Saluatori tuo. Hic exprobrat eis liberationem ex Ægypto, quasi diceret, Accusas me de rediditione tributi, & potius gratias agere deberes, quod liberaui te de tributo. SECVNDA excusatio est. Eduxi te per desertum quadraginta annis, manna cibaui te, & introduxi te in terram satis opimam, tu contra parasti crucem Saluatori tuo. In quo exprobrat eis Regem in deserto, quasi diceret. Accusas me quia dixi me Regem, potius deberes gratias agere, quia regaliter paui te in deserto. TERTIA est. Quid vltra debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantaui te vineam meam speciosissimam. Et tu facta es mihi nimis amara; aceto mixto cum fello sitim meam potasti, & lancea perforasti latus Saluatori tuo. In quo exprobrat eis plantationem vineæ in loco optimo, quasi diceret; Accusas me, quia Filium Dei me dixi, potius gratias agere deberes, quia te in vineam meam elegi, & in loco optimo te plantaui.

K

Excusationes in persona Christi.

I. II. III.

Sed quia Iudæi illi gratias de his tribus nolunt reddere, ideò sancta Ecclesia in suis filijs hoc supplet; nam post quamlibet excusationem canitur flexis genibus, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis.* Et hoc cum viderint laici, similiter debent genua flectere, & DEO gratias agere de tribus. *Primò*, quòd per præsentiam eos iam duxit de tenebris peccati. *Secundo*, quia cibauit, & adhuc cibat eos manna sui sacramenti. *Tertiò*, quòd in vineam suam sanctam Ecclesiam sunt plantati

Laici de quibus Deo hoc die gratias agere debeant.

Deinde misit Pilatus Christum ad Herodem tanquam ad alium Iudicem, vt & ille discernere deberet de Christi puritate. Igitur Herodes interrogauit Christum multis verbis. Sed ipse tacuit propter tria. *Primò*, quia non erat dignus audire eius responsionem. *Secundo*, quia Eua peccauit per loquacitatem, ideò voluit satisfacere per taciturnitatem. *Tertiò*, quia quicquid respondisset, totum damnasset. Ideo non respondit secundum illud Eccli. tricesimo secundo. *Vbi auditus non est, non ef-*

fundas sermonem. Et quia Christus tacuit; Herodes eum derisit veste alba induendo, & Pilato remittendo. Et quia Christus hodie in veste alba est derisus, idcirco presbyteri hodie albis indutis crucem Christi portando, & ante ipsam geniculando, pro tali derisione adorant, & honorant. Videns ergò Pilatus sibi Christum remissum, ipsum ad complacentiam Iudæorum flagellari permisit.

M In cuius figura diabolus flagellauit Iob *vlcere pessimo*. Iob. 1. Sic filius Diaboli Pilatus flagellari fecit Christum verum Iob, quo verificata fuit Prophetia Isa. 1. *A planta pedis vsq; ad verticem non fuit in eo sanitas*. Et quia hodie ad instantiam Iudæorum gentiles sic flagellauerunt Christum, ideò hodie in officio hodierno, quando solenniter pro omnibus generibus hominum orando dicitur, *Flectamus genua*, pro Iudæis non flectuntur.

N Deinde fecit Pilatus fieri coronam de spinis, & capiti Iesu imprimi, ita vt secundum Bernar. Spinæ vsq; ad cerebrum subintrauerunt. Et sic tam per flagellationem, quàm coronationem corpus Christi vndiq; perforauit, vt in corpore eius quinque millia ducenta sexaginta vulnera essent secundum Bernardum. Versus.

L. X. & C C. superaddito millia quinq;
Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.

Idcircò ô homo sis gratus vulneribus Christi, & dic quotidiè quindecim Pater noster, & tunc per integrum annum cuilibet vulneri dixisti solum vnum Pater noster.

O Perforato sic Corpore Christi Pilatus tradidit ipsum voluntati Iudæorum, vt crucifigeretur. Iudæi igitur habita licentia, conduxerunt milites Pilati, qui Christum vsq; ad locum Caluariæ deduxerunt, quem ibidem cum duobus latronibus crucifixerunt. Ecce homo, nunc paratum est clenodium nostræ salutis, & suspensum in altis, vt omnes, qui ipsum inspexerint, liberentur à peccatis. Sicut contigit cuidam peccatrici, de qua legitur, quod fuit publica peccatrix, & multum indurata ad pœnitentiam, hæc tamen in hac die Christi Passionis venit ad Ecclesiam adorare Crucem, & recolere Domini passionem. Cùm igitur videret imaginem, & quasi de latere eius stillare sanguinem, statim compuncta ait. Iste sanguis propter te effusus est; tandem venit ad confessionem: & cum confiteretur peccata sua, magno præ contritionis dolore, est mortua ante confessorem. Qui dum desperaret de salute eius, respexit sursum ad parietem, vbi erat scriptum aureis literis ille Versus:

Exemplum illustre contritionis.

Gaudeat in cælis, quo regnat quisq; fidelis.

Si igitur tanta gratia facta est hodie huic peccatrici, nullus desperare debet de venia; sed confidenter hodie Christum in cruce intueatur, qui, vt dicit Bernardus: Caput habet inclinatum ad osculandum te, brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedes affixos ad nobiscum manendum, corpus extensum ad se nobis totum impendendum, vt hic per virtutem suæ passionis possimus venire in gratiam, ibiq; in æternam gloriam, Ad quam nos Deus perducat. Amen.

SER.

SERMO DE RESVRRECTIONE DOMINI.

Sol egressus est super terram, Genes. 19.



Idemus multoties, quòd tempore veris, flos qui delicatè oritur, interdum à transeuntibus tàm hominibus, quàm animalibus conculcatur, & ex hoc languet & marcescit, & quasi mortuus apparet. E contrà, si ipsum ros matutinus solq; tetigerit, virtute illorum denuò reuiuiscit & surgit, & ad maiorem pulchritudinem sæpius restauratur; secundum illud Metristæ.

Flos conculcatur, vi solis, sed reparatur.

SPIRITVALITER. Per florem intelligitur Dominus noster Iesus Christus, qui secundum Bernardum est flos candidus, quo ad vitæ puritatem: Et est flos rubicundus, quantum ad mortis acerbitatem. Hic, inquam, flos delicatè ortus est de vtero virginali; Sed tamen in bona sexta feria à perfidis Iudæis fuit conculcatus & contritus Sicut de hoc prædixerat Iob. 14. *Quasi flos egreditur*, scilicet, delicatè de vtero agri virginalis, *& conteritur*, scilicet à malis hominibus. Idcircò ex hac contritione Corpus Christi languet. Iuxta illud Naum. 1. *Flos Libani elanguet*, & quod plus est totus emarcuit, quando sanguis eius totaliter emanauit, & tandem in terra mortuus fuit, secundum illud Dan. 9. *Occidetur Christus.* Sed hodie è contra idem flos Christus Dominus virtute roris, id est, diuinitatis, quæ vnita fuit corpori mortuo, & virtute solis, id est, animæ clarissimæ de limbro Patrum venientis resurrexit, & maiorem claritatem sui corporis recepit. Iuxta illud Psalm. 27. *Refloruit caro mea.* Et hoc innuitur in verbis propositis: In quibus duo tanguntur. *Primo*, qualitas resurgentis, ibi; *Sol.* *Secundò*, veritas apparentis, ibi; *Egressus est.* A

Circa PRIMVM NOTANDVM. Dicunt Naturales, Sol naturalis cum occiderit. & cum per occasum à nobis assumptus fuerit, partes inferiores circumit ac gyrat, & illas sua præsentia illustrat quibus creaturis ibi luceat. non scitur veraciter. Quidam tamen fingunt fabulosè, quòd ibidem lucet quibusdam hominibus pedes suos aduersus nos habentibus, qui, secundum illos, sunt Antipodes nominati. Sed hos homines reprobat B. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei. cap. 10. Quòd quidam Antipodes esse fabulantur, vt homines à contraria parte terræ, vbi sol oritur, quando occidit, nos aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. Hæc ille. Sed quia tales homines non sunt; ideò sol non lucet eis, sed complet cursum suum in circulo suo, quo completo, iterum manè resurgit. B

SPIRITVALITER. Per solem intelligitur Christus; quia sicut sol secundũ Ambros. in hexam. Est oculus mundi, ipsum sua præsentia illustrando: sic Christus Deus præsentia corporali, tanq̃ sol iustitiæ, hunc mundum tenebrosum sua doctrina saluberrima illustrauit. Ideò dixit Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.* Sed hic sol verus prædicta sexta Feria in cruce occubuit hora nona, ad inferiores partes descendit, sicut dicitur de summa Trinitate & fide Catholica, cap Firmiter, vbi dicitur; *Descendit ad inferos.* Vbi dicit glos. Secundum carnem quieuit in sepulchro, sed secundum animam descendit ad inferos, vt fortior superueniens fortiorem superaret armatum. C

D Sed diceret quis. Quid Christus descendens ad inferos, sua claritate illustrauit? *Ad hoc sciendum*, dicunt Doctores, quòd ante Resurrectionem & mortem fuerunt quatuor receptacula & loca in quibus animæ defunctorum tenebantur. Primum habitaculum est damnatorum sub terra. De quo dicit Iob 10. Quod terra est *miseriæ & tenebrarum, & vmbræ mortis, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Ad hunc locum Christus non peruenit, nec lumen suæ claritatis eis luxit. Quia non sunt filij lucis, nec Christi doctrinam impleuerunt. Quia vt dicitur Ioan 12. *Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Et quia hanc doctrinam implere neglexerunt, ideò filij lucis præsentis non fuerunt digni.

Habitacula defunctorũ. I. Damnatorum.

Moraliter, in hoc ostendit Christvs, quod peccatores hactenus in peccatis mortalibus iacuerunt, nec cum alijs Christi fidelibus in quadragesima confessi fuerunt, neque vsque in diem præsentem pœnitentiam egerunt, indigni, sunt luce Dominicæ Resurrectionis, & verè est timendum, quòd difficulter, aut nunquam sunt digni, quia de talibus dicit Psalm. 48. *In æternum non videbunt lumen.*

Indigni resurrectionis Dominicæ, qui?

Secvndvm habitaculum est puerorum sine baptismo decedentium, & hoc est supra infernum damnatorum, sed ibi non habent pœnam sensus, sed damni. Et dicunt quidam Doctores, quod idem habent magnum gaudium, quod excellit magnitudinem omnium gaudiorum mundanorum. Nam gaudent de hoc, quod creatorem suum non offenderunt peccando peccato actuali. Sed quid de illis sit sentiendum, vide Augustinum de consecrat. distinct. quarto capit. Firmissimè in Gloss. fin. vbi videtur velle, (eò quòd in originali discedunt) oportere eos mitissimam pœnam sustinere, & Gloss. dicit, quia in tenebris erunt. Petrus autem de Palude super 2. sentent. distinctione tricesimo tertio. Articul. tertio. dicit; Ex quo nunquam fuerunt apti, (quia non baptizanti) ad visionem diuinæ essentiæ, non erit eis pœna, quia eam non videbunt, scient enim, quòd non sunt apti, vt videant, ergo &c. Hæc ille.

II. Infantium sine baptismo morientium.

Tertivm habitaculum est locus purgandorum, & hoc est supra infernum Puerorum. Ibidem Christvs similiter non luxit, neq; locum hunc destruxit, sed qui ante passionem Christi ibi purgati fuerant, ad limbum mox sanctorum Patrum ascenderunt. Nunc autem postquam purgantur, sine medio in cœlum assumuntur.

III. Locus purgandorum.

Qvartvm habitaculum fuit sinus Abrahæ, vel limbum Sanctorum Patrum. Ad hunc descendit Christus suæ mortis, & illis ibidem existentibus luxit, vsque ad horam suæ Resurrectionis, quousq; eos educeret. Nam illi statim viderunt Deitatem Christi, & gaudium habuerunt cœli. Quia dicitur in communi Prouerbio: Vbi est Papa, ibi est curia Romana: Sic vbi erat Diuinitas, ibi erant cœli gaudia. Et hoc est, quod Dominus dixit latroni adhuc pendens in cruce: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. Quod intelligitur de paradiso cœlestis gaudij; quia S. Thomas dicit in 3. parte, quod animæ in limbo statim habuerunt claram & facilem Dei visionem, & habuerunt suæ beatitudinis præmium, sed non locum. Sed quia latro cum anima Christi in limbum descendit, quare cum alijs patribus Diuinitatem vidit.

IV. Limbus sanctorum Patrum.

Sed

Sed diceret quis. Quid Christus apud inferos fecit? *Dic*, quod satiauit, occidit, liberauit, & hoc patet in hac dictione sol, quæ habet tres literas, scilicet, S. O. L. quæ significant triplicem effectum apud sanctos Patres in limbo factum. E Christus quid apud inferos egerit.

PRIMA quidem litera est S. & significat, quod Christus Patres in limbo sua Diuinitate satiauit; & hoc figuratum est Dan. 14. *Nam Babilonij miserunt sanctum Danielem in lacum leonum, in quo erant septem leones & dabantur eis quotidie duo corpora, & duæ oues, & tunc non sunt data eis, vt deuorarent Danielem. Fuit autem Habacuc Propheta in Iudæa. & ipse coxerat pulmentum, & nutriuerat panes in alueolo, ibatq; in campum, vt ferret messoribus. Dixitq; Angelus ad eum. Habacuc, fer prandium, quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacus leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui, & clamauit Habacuc: Daniel, serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* I.

SPIRITVALITER. Babylonij interpretantur confusi, & significant dæmones, de quibus exponi potest illud Psalm. 52. *Confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Illi, inquam, miserunt in lacum, scilicet limbi, Danielem, qui interpretatur causa Dei, & significat sanctos Patres in limbo existentes, qui fuerunt causa quare Filius Dei de cœlo descendit, & crucem ascendit, sicut & canitur in Symbolo Nicæno. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Sed Habacuc, qui interpretatur fortis, significat Christum; qui, vt ait Beda, in homilia, superbissimum Goliath solus vicit & peremit, quando in cruce mortuus est, & tunc statim in lacum limbi secundum animam descendit, & prandium suæ Diuinitatis eis attulit, quod ipsos in suis desideriis satiauit, secundum quod prædixit Dauid Psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Tunc enim quilibet in limbo existens, dicere potuit illud, quod dixit in lacu, quando vidit prandium sibi portatum. *Recordatus es*, inquit, *mei Deus, & non dereliquisti quærentes te.* Dan. 14.

SECVNDA litera est O. & significat, quòd verus sol iustitiæ Dominus noster potentiam diaboli occidit, ab eo, vt quod amodo nullum possit trahere ad inferos, nisi volentem. Et hoc figuratum est Iudicum 3. vbi legitur, quod Aod intrauit ad regem Eglon, qui erat pinguissimus, & filiorum Israël sæuissimus. *Ingressus*, inquit, *ad ipsum, portauit ei munera, & cum ipse accipere vellet, extendit Aod manum dextram, & infixit gladium ancipitem in ventre eius & aufugit.* II.

SPIRITVALITER. Aod interpretatur denotans gloriosum, & significat Christum, qui statim deuicta morte intrauit ad regem Eglon, qui interpretatur vitulus mœroris, & significat diabolum, cui portauit munera pretiosissima, scilicet animam clarissimam, Deitati vnitam, quam cum ille capere vellet, ventrem eius perforauit: quando portas inferni gladio suæ potentiæ penetrauit, & sic potentiam denotans necauit. Idem figuratum 2. Regum 23. vbi legitur, quòd Banaias descendit cum virga, quam ferebat in manibus, in cisternam, pugnaturus cum leone, & cum virga sua ipsum prostrauit. Sic Christus cum virga suæ crucis prostrauit diabolum, & sanctos Patres lætificauit, ita vt quilibet tunc dicere potuisset cum Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Eglon designat diabolum. Figura.

TERTIA litera describens ly, sol est L. & significat, quod Christus tertia die sanctos Patres de limbo liberauit. Et hoc figuratum est in rege Salemone. Legitur in III.

Scholastica Historia, & allegatur in Gloss. 3. Regum 7. quod Rex Salomon incluserat pullum struthionis in vase vitreo, vt inde exire non posset. Quod videns struthio volauit in desertum, & tulit inde vermiculum & eius sanguinem super vitrum comprimebat, & ad tactum sanguinis vitrum frangebat, & pullum suum liberabat.

F Figura. SPIRITVALITER. Salomon interpretatur retributor, & significat Patrem cœlestem, qui est retributor omnium bonorum, iuxta illud Iacob. 1. *Omnem datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Hic, inquam, Pater cœlestis incluserat pullum suum Adam, quem de terra formauerat, Genes. 2. cum genere suo, & hæc inclusio fuit in vase vitreo, hoc est in limbo, qui dicitur vitreus, eò quòd fuit fragilis, & non perpetuus: vt infernus. Sed hoc videns struthio id est, Christus Patris Filius Vnigenitus, volauit in desertum huius mundi, & tulit inde vermiculum, quando de Virgine Maria sumpsit corpus suum; de quo dicit Psalm 21. *Ego sum vermis & non homo.* Et sanguinem eius expressit totaliter in cruce, cuius virtute limbum destruxit, & Patres inde eduxit. Sicut hoc testatur Psalm. 87. *Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis.* Idem testatur Zachar. 9. *Tu quoque*, scilicet, Christe, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ideo dicit B. Augustinus in libro de amore Dei & seculi. Si vis, homo: sanguis eius datus est pro te; si nolueris, pro te datus non erit. Nec dicas, quia iam passus est, & totum sanguinem dedit, quid vltra remansit, vt nunc pro me dari possit? Hoc, inquit, est magnum, quia semel dedit, & pro omnib. dedit, & sanguis eius volentis est pretium, nolentis autem est supplicium. Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, est NOTANDVM; quòd Rex terrenus; & diues, deuictis hostibus suis, de terra hostium suorum egreditur, ille vtique procederet; exultanter cum cantoribus, glorianter cum conductoribus, radianter cum armorum splendoribus, suffraganter cum intercessoribus, vnienter cum excessoribus, & transmigranter cum honoribus.

SPIRITVALITER. Dominus noster Iesus Christus dicitur secundum Psal 46. *Rex magnus super omnem terram.* Et in eius fœmore, & vestimento vidit B. Ioannes scriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium*, Apoc. 19. Iste, inquam, Rex inclitus egrediens de inferno, de terra videlicet suorum hostium, illis deuictis, processit secundum consuetudinem regum terrenorum, vt supra dictum. Et hoc notatur in illo verbo, *Egressus est* in quo sunt sex literæ, hoc idem denotantes.

G Figura. Primò, audiuit deuotio vestra, quòd rex exiens de terra hostium, istis superatis, procedit exultanter cum cantoribus: Sicut figuratum est 1. Regum 18. vbi legitur, quòd Dauid exiens de prælio, percusso hoste suo Philistæo, egressæ sunt mulieres de vrbibus ducebant choros, & concordanter canebant ante ipsum. *Saul percussit mille, & Dauid decem millia in militibus suis.* Sic Dominus noster Iesus Christus, suis hostibus deuictis, egressus est hodie limbum exultanter cum cantoribus. Et hoc designat prima litera, quæ est E. Cantores enim, qui ante Christum surgentem canebant, fuerunt, Adam, Abel, Abraham, Isaac & Iacob, & alij Sancti diu in limbo detenti, & egredientes cum Christo exultanter canebant dicentes Exodi 15. *Cantemus Domino canticum letitiæ*, propter suam victoriam gloriosam, & nostram liberationem gratiosam; *gloriosè enim magnificatus est.* Gloss. in sua resurrectione iubilosa, quia *equum & ascensorem proiecit in mare*, id est, superbiam & diabolum ascensorem eius damnauit in-

in abyssum. Ille quidem cantus sanctorum Patrum fuit euidens lætitiæ signum: Quis enim inter nos, si fuisset in carcere tenebroso per multos annos, non gauderet, si de illo postea exultanter euaderet: Sic & sancti Patres per multa millia annorum in limbo detenti, gauisi sunt, quando educti sunt de carcere tenebroso, vbi diuina visione carebant, quando liberati sunt de ergastulo horrendo; vbi dæmonum societatem habebant, quando extracti sunt de lacu ignominioso, in quo sub terra miserè latebant, quando sumpti sunt de carcere tam longo, vbi per multa curricula annorũ persistebant. Idcirco de hoc gaudio prædixit Isa. 52. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.* Quod exponit Gloss. Gaudium habuerunt, quia sanati sunt diuina satiatione, per visionis aspectum, habuerunt lætitiam, quia euaserunt tam horribile consortium; fugit dolor ab eis, quem habuerunt, propter diuturnum gaudium.

Sic certè quilibet Christianus debet hodie Christo cantare canticum lætitiæ, eo quòd iam per veram pœnitentiam prædictæ Quadragesimæ est de tenebris peccatorum eductus, & tandem diuino aspectui æternaliter sociandus. Ideo per totam hanc Paschalem hebdomadam sancta Ecclesia canit exultanter; *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*: & est sumtum de Psal. 117.

SECVNDÒ, audiuit vestra caritas, quod rex terrenus egrediens de finibus inimicorum, illis prostratis, procedit glorianter cum conductoribus, quia multi ipsum conducunt, & alij de ciuitatibus exeunt, & vt decet, reuerenter ipsum suscipiunt. Sicut figuratum est Iosuæ 10. Gabaonitæ audientes, quod Iosue *superasset Iericho, & alij venerunt ei obuiam, & eum conduxerunt*: Sic Christus Rex cœlorum, exiens de finibus dæmonum, venit hodie resurgendo glorianter cum conductoribus, & hoc declarat secunda litera G. Sed qui fuerunt illi conductores? Dic, quod societas sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, necnon, & aliorum Electorum, hi namque Christum gloriosè de limbo conduxerunt. Illi autem, qui ei obuiauerunt, fuerunt sancti, quos Christus resurgens suscitauit: de quibus dicitur Matthæi 27. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quod exponens Hieronymus: Non autem surrexerunt, quin resurgeret Dominus, vt ipse esset primus dormientium; quamuis monumenta eorum in sexta Feria fuerunt aperta. Et quod hoc sic fuit, declarat Matthæus: clarius vbi supra. *Exeuntes de monumentis post Resurrectionem* Christi scilicet, *& in sanctam venerunt ciuitatem, & apparuerunt multis.* Figura.

Et vt legitur in Euangelio Nicodemi, de numero illorum, qui cum Christo surrexerunt, fuerunt Carius & Leuntius filij senis Simeonis, qui Annæ & Caiphæ & Nicodemo & Ioseph apparuerunt, & ab eis adiurati, quæ Christus apud inferos gesserit, narrauerunt.

Sed (heu) timendum, ne, sicut corpora mortuorum ante Resurrectionem Christi non surrexerunt, quamuis sepulchra essent ante aperta ita sint aliqui adhuc nostrum, qui nondum à morte animæ perfectè surrexerunt, licet sepulchra oris eorum aperta fuerint confitendo. Quia dicit Beatus Hieronymus: Facilius inuenio, quod virtus teneat innocentiam, quàm qui perfectam agat pœnitentiam. Hæc ille.

Et certè isti Christum resurgentem minimè conduxerunt; vtinam adhuc à peccatis suis surgerent, & Christo, qui iam surrexit, obuiam irent, ipsumq; deuotis cordium laudibus honorarent.

TER-

TERTIO, audistis dilectissimi, quod Rex terrestris exiens fines hostium suorum, facit hoc; Radianter cum armorum splendoribus, quia induit se suosq; milites armis splendentibus. Sicut legitur & figuratum est 2. Macha. 6. de rege Antiocho, qui tam splendentia arma habuit: vt, *quando sol refulsit in clypeos aureos, resplenduerunt montes ab eis & campi, sicut lampades ignis*: ita Christus Dominus noster egressus est, resurgendo fines suorum hostium radianter cum armorum splendoribus, & hoc denotat tertia litera R. Dicunt enim sancti Doctores, quod Christus surrexit cum corpore glorioso, & super solem radiosum portans in eo arma splendentia, & hæc arma sunt quinque vulnera, quibus se in die iudicij armabit contra malos. Et erunt secundum Chrysostomum super radios solis lucidiora, quæ ostendet peccatoribus dicens. Ecce pretium redemptionis sanguinis mei, quem dedi in redemptionem animarum vestrarum; Vbi seruitus vestra est mihi impensa, quam pro effusione pretiosi sanguinis mei mihi dedistis? Quasi diceret Christus; Ideò meritò damnemini, quia fuistis ingrati. Quare, mei fratres sororesque, intueamur Christum radianter resurgentem, splendidaq; vulnera portãtem, ne in die iudicij ipse se contra nos iracundè armet, sed potius simus grati, vt ipse nos misericorditer saluet dicens. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, paratum vobis ante constitutionem mundi.* Matth. 25.

Figura.

Vulnera Christi super Solis radios lucidiora.

QVARTO, Rex terrenus exiens terminos inimicorum suorum, egreditur suffraganter cum Intercessoribus; quia tunc de habito triumpho solet esse magis misericors & benignus. Et si aliqui essent in indignatione Patris sui, pro eis intercederet, & ob maiorem cautelam sumit secum certos intercessores, quibus mediantibus se sperat citius exaudiri. Sicut legitur figuratum 1. Regum 18. quando Dauid vicerat Goliath Gigantem, & mulieres egressæ, sibi maiorem laudem, quàm Saul dederant, quando canebant: *Saul percussit mille*, &c. cecidit in indignationem Regis. Ideo, vt citius exaudiretur apud ipsum, & ei placaretur, habuit secum intercessorem Ionatham filium Regis, qui pro ipso loquebatur, & multipliciter intercessit.

Sic Christus Rex vniuersæ creaturæ, egressus est de sepulchro, victo Diabolo, suffraganter cum intercessoribus, & hoc innuit quarta litera scilicet S. Hæc namque est causa potissima, quare Christus surrexit, & in cœlum ascendit, vt apud Patrem pro nobis fidelis Suffragator existat, & peccata nostra deleat. Quare dicit B. Ioan. in prima Epistola cap. 1. *Si quis peccauerit*. (Gloss. ex humana fragilitate) *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Vt ipse autem citius exaudiretur, sumsit secum exaudibiles Intercessores; Et hi sunt suorum vulnerum cicatrices, quæ intercedunt pro nobis. Quia vulnerum præsentatio, est pro nobis aduocatio. Rectè sicut miles tacens ab Imperatore impetrat, quando vulnera, quæ pro eo protulit, demonstrat. Sicut legitur in Scholastica Historia: Antipater Idumæus pater magni Herodis in quodam prælio, in seruitio Imperatoris multis vulneribus est confossus tandem ab æmulis apud ipsum est accusatus. at ille; reiectis vestibus, dixit; Ego Cæsar, nolo me verbis excusare apud te, sed ista vulnera, quæ suscepi pro te, loquantur pro me, num ego diligam te. Quod videns Cæsar, ipsum in gratiam suscepit.

SPIRITVALITER. Antipater interpretatur, dans laudem, significans Christum; qui dat laudem & honorem Patri cœlesti, sicut dixit Ioan. 8. *Ego honorificabo patrem meum*. Ipse enim Christus multa vulnera suscepit à Iudæis, scilicet, quinq; millia du-

centa

centa & sexaginta, vt dicit B. Bernardus. Et de illis in sua Resurrectione tantum quinque reseruauit, vt ea velut Intercessor Patri ostenderet. Ideo dicit idem B. Bernardus, Securum accessum habes, ô homo, vbi mater ante Filium, & Filius ante Patrem. Mater ostendit Filio pectus & vbera, & Filius ostendit Patri latus & vulnera; nulla igitur potest esse repulsa, vbi tot concurrunt caritatis insignia. Hæc ille.

QVINTÒ, Rex veniens de terra inimicorum procedit venienter, propriè Vereinlich/ cum Excessoribus. Quia legitur in historiis Romanorum, quando aliquis de bello veniens, qui de inimicis triumphasset, triplex ei honor exhibebatur: *Primus*, quod populus ciuitatis illi cum cantu & lætitia obuiauit, & ipsum gaudiosè suscepit. *Secundus*, quod captiui, qui erant ligati manibus & pedibus, soluebantur, & ipsum triumphatorem sequebantur. Et sic fuerunt vniti, qui prius excesserunt. *Tertius* honor, quod tunica Iouis induebatur, & cum gaudio in terram suam ducebatur. Honor triumphātium Romanorū.

Ex illa historia habetur, quod Rex procedens de bello, vbi de hostibus triumphauit, vnit sibi omnes Excessores, qui secum intrant ciuitates. Sic Christus exiens de limbo processit vnienter cum Excessoribus. Et hoc vult quinta litera, scilicet V. Quia Christus per suam gloriosam Resurrectionem vniuit gentiles cum Iudæis; qui multipliciter contra ipsum excesserunt. Ideo benè figuratus est per lapidem angularem, de quo legitur in Scholastica Historia. Cùm Salomon templum Domino ædificaret, contigit, vt quidam lapis mirabilis ibi adesset, quem ædificatores aptabant, & in nullo loco locare poterant, aut enim fuit nimis longus, aut nimis breuis. Ideo indignati ædificantes ipsum reiecerunt, & lapidem reprobatum vocauerunt. Sed demum cum ædificium compleuissent, ipsum aptissimè pro lapide angulari inueniunt, qui simul duos parietes coniungeret aut vniret. Lapis angularis.

SPIRITVALITER. Christus est *lapis sine manibus de monte abscissus*. Dan. 2. Et ipse est mirabilis secundum Psal. 77. *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Ipse quidem fuit lapis reprobatus in sua passione, Sed tunc factus est lapis angularis in sua lætissima Resurrectione. Ideo capitur nunc hic Prophetia Dauid, quæ habetur in Psal. 117. *Lapidem quem reprobauerūt ædificantes, hic factus est in caput Anguli*. Quia Christus tanquam lapis angularis, duos parietes in templo vniuit, quando de populo gentili & Iudaico vnam fecit Ecclesiā, iuxta illud Ephes. 2. *Ipse est pax vera, qui facit vtraq; vnum*. Sed per quid Christus coniunxit hos duos populos? *Dic*, quòd cum cemento sui pretiosissimi sanguinis, & cum lapidibus sui pretiosissimi corporis.

SEXTÒ, Rex terrestris exiens de finibus inimicorum, quos vicit, procedit transmigranter cum honoribus, quia migrat seu transit de variis periculis. Nam dicitur 2. Regum 11. *Varius est exitus belli*, sed tamen talis Rex procedit cum honoribus, ex quo non fugit hostes. Sic Christus egressus est fines suorum inimicorum transmigranter, cum honoribus. Et hoc denotauit Angelus Matthæi & Marci vltimo, ad mulieres. *Ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*. Et dicit Magister libro trium Regum, cap. 14. quod duæ sunt Galileæ, *Vna* est sita iuxta montem Oliueti, in qua ante Resurrectionem Apostoli Christi consueuerant propter metum Iudæorum habitare: Et de hac loquuntur hic Euangelistæ. quia in ea Dominus post Resurrectionem discipulis suis apparuit. Sed *alia* est terra, quæ est principatus, quæ etiam vocatur Galilæa, & distat à Ierusalem ad tres dietas, vel vltra: & de ista non loquuntur.

Spiritvaliter. Galilæa interpretatur transmigratio, quia Christus dum esset in hac mortali vita, triplicem effectum patiebatur. *Vnum*, quantum ad corpus, videlicet mortalitatem. *Alium*, quantum ad animã. scilicet passibilitatem. *Tertium*, ad vtrumque, vtpote miseriam & pœnalitatem. Sed in Resurrectione facta est transmigratio cum honore, & hoc vult sexta litera S. quia corpus eius transmigrauit de mortalitate ad immortalitatem; anima de passibilitate ad impassibilitatem; Corpus & anima de miseria & pœnalitate ad externam gloriam & felicitatem, sicut hoc testatur Papa dicens: Post passionem Domini, ruptis vinculis mortalitatis, infirmitas in virtutem, mortalitas in æternitatem, & contumelia transiuit ad gloriam.

DE SANCTO GEORGIO MARTYRE.

Sermo primus.

Labora sicut bonus miles Iesu Christi. 2. Timoth. 2.

A

Officium boni militis.



VIDEMVS experientia, quando milites seculares in campo huius mundi vires suas ostendunt, vt dominis suis placeant, & populum suum ab hostibus defendant, non attendentes, quod sint delicati. Bonus miles quando vult benè agere in campis, quantumcunq; delicatus, vel nobilis, non potest parcere membris; Sed oportet vires & corpus expendere, si vult placere & fauorem laudemque humanam obtinere. Et sic legitur 1. Reg. 17. De strenuo milite Dauid, qui, quamuis esset delicatus, vtpote *adolescens pulcher & rufus*, illud tamen non aduertit, sed viriliter pro populo Israël pugnauit cum Goliath gigante, & eum viriliter superauit, caputque abscidit. Ita etiam legitur 2. Regum 23. Quod Dauid existens quodam tempore in campo contra inimicos pugnaturus, dixit audientibus militibus: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam. Quod cum audissent tres fortes milites, noluerunt parcere membris, sed viriliter irruperunt per castra Philisthinorum, qui erant inimici eorum, & aquam regi obtulerunt.*

B

Talis fortis miles fuit B. Georgius, qui strenuè Domino suo Christo militauit, & hic tutius & durius pro fide seruanda laborauit. Quia ad probatum militem requiritur, quòd sedulè laboret, strenuè pugnet, & Domino suo fideliter militet. Sic & ipse viriliter pugnauit contra varios hostes: Nam Draconem homines molestantem, muniendo se orationibus, vicit & occidit. In quo similem se ostendit mustelæ, de qua refert Plinius in speculo naturali lib. 2. cap. 2. quæ volens pugnare cum Dracone vel Basilisco, munit se ruta vndique, cuius virtute securè inuadit Basiliscum, & interficit eum. Sic B. Georgius fecit, qui virtute orationis Draconem interfecit. Et hoc figuratum fuit Danielis 14. vbi legitur, quod *Daniel interfecit Draconem in os eius ponens picem, & adipem, & pilos.* Ita Beatus Georgius ardenti oratione vicit Diabolum & Draconem. Ideo ei benè competunt verba ista: *Labora sicut bonus miles*, &c. In quibus à tribus commendatur. *Primò*, à sedulitate laborandi. ibi; *Labora. Secundo*, à strenuitate militandi, ibi; *Bonus miles. Tertiò*, à fidelitate famulandi, ibi; *Iesu Christi.*

Figura.

Circa

Circa PRIMVM NOTANDVM. Sedulitas B. Georgij in hoc apparet, quod fidem Christi fideliter prædicauit, magnanimiter idola destruxit, & populum Dei constanter ad fidem conuertit. Quod patet in Rege, cuius filiam à Dracone liberauit, & ipsam cum populo ad fidem perduxit. C

Est tamen NOTANDVM, quòd tria sunt, quæ quemlibet militem ad sedulitatem laboris adducunt. Primò est consideratio laboris in re: Quando enim milites viderint regem fideliter agere, viriliter animantur ad strenuè operandum. Sicut patet in militibus Regis Alexandri; qui vt viderunt ipsum fortem ad omnes labores, & ipsi fuerunt multum animati ad pugnandum, vt dicitur in historia eius. Et hæc fuit causa quare Alexander in breui tempore, scilicet in duodecim annis quasi totum orbem sibi subiugauit. Ideò legitur Iudicum 7. Quòd Gedeon cum hostibus pugnaturus exhortatus est milites dicens. *Quod me facere videritis, hoc facite: Ingrediar partem castrorum, & quod fecero, sectamini.* Et hoc ipsi milites fecerunt, & inimicos fugauerunt. Ex quo patet, quod consideratio strenua in rege, animat strenuitatem in milite.

Ad propositum. Rex noster Iesus Christus semper fuit in labore pro salute nostra, vt testatur Psalmus 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea* Nam cum genitus fuit, statim reclinatus fuit *in præsepio & pannis* asperis *inuolutus*, vt habetur Lucæ secundo. In sua iuuentute continuo prædicauit, & terram vndique reparauit, & tandem extremam paupertatem seruauit, vt dicitur Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*: scilicet in sua morte. Similiter quia pœnas acerbissimas sustinuit, ad quarum considerationem nos inuitat, Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* SECVNDVM est aperta conditio in ipso milite, quia miles est nomen exercitij & laboris. Debet enim quotidie Ecclesiam defensare. Ideo dicit Helinandus.

Vsus militiæ ordinatæ est tenere Ecclesiam, defensare iniuriam pauperum, & pacare Prouinciam. *Et subdit.* Nostri autem milites hodie ad bella, quasi ad nuptias dealbati procedunt. In quo dat intelligere, quod modo non multum pro Ecclesia, vel pro defensione patriæ, laborant vel decertant. Sic & quidam homines, quorum cum *vita militia super terram sit*, Iob 7. non laborant pro vita æterna acquirenda, sed sunt desides ad omnem laborem, cum tamen deberet fieri contrarium, tum propter continuæ pugnæ exercitium, quod contra varias tentationes habemus, tum propter dubium triumphi, quia nescimus, an vincamus vel non, vel an in pugna succumbamus. Ideo quilibet ad pugnæ virile exercitium inducitur per Apostolum 2. ad Timoth. 4. *Tu verò vigila, in omnibus labora.* In *primo* innuit, quod vigilanter & non segniter est pugnandum. *Secundò*, quod in tali pugna est viriliter pugnandum & decertandum. D

Nostrates milites qualiter ad bellum procedant.

TERTIVM, quod inducit ad laborem, est consideratio magnitudinis in mercede: quia secundum Augustinum consideratio præmij minuit vim flagelli. Et Iacob multum laborabat pro Rachel, vt dicitur Genes. 29. Die noctuque, æstu & gelu fugiebatq; somnus ab oculis eius, *Videbantur tamen ei pauci dies præ magnitudine amoris*, Ideo dicit Hieronymus, quod nullus labor durus, nullum tempus longum videri

debent, quo gloria æternitatis acquiritur. Et illo modo B. Georgius attendens laborem Regis Christi, valde laboriosus in fide Christi contra malum Dacianum est inuentus.

E

I. Robur virtutis in quibus cõsistat.

NOTANDVM, quod tria sunt, quæ faciunt militem strenuum. PRIMVM est, robur virtutis. Robur autem virtutis consistit in tribus. *Primo* enim strenuus miles debet habere robustum animum ad aggrediendum, propter quo formidolosi & vecordes de prælio vocantur. Deut. 20. Talem animum robustum habuit B. Georgius, qui in medio hostium positus audacter clamauit: Omnes Dij gentium dæmonia. *II.* *Secundo*, debet habere robustam manum ad feriendum, sicut legitur de quodam in historia Alexandri, qui fuit miles Regis Darij, & iunctus militibus regis Alexandri, vno ictu galeam Regis Alexandri perforauit, adeò vt caput eius cruentauerit. Robustam manum habuit Beatus Georgius, qui caput Draconis diabolum figurantis manu propria amputauit, & omnibus eius suggestionibus contradixit. Ideo de ipso potest exponi illud Genes. 49. *Magnus in ciuitatibus inimicorum tuorum*, *III.* *Tertiò*, debet habere robustum dorsum ad sustinendum, sicut Christus, qui dixit in Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores prolongauerunt.* Sic & B. Georgius intrepidè multa tormenta passus est.

Bellica experientia quomodo acquirenda.

SECVNDVM, quod facit militem strenuum, est experientia bellicæ artis. Ista autem experientia tripliciter acquiritur. 1. *Primò*, per sacræ Scripturæ eruditionem, hortantis nos ad virilem congressionem, & armorum assumptionem ad Ephes. 6. *Accipite armaturam Dei*, id est, virtutes diuinitus vobis collatas, *vt possitis resistere in die*, id est, tentationis vitæ præsentis, & rationibus & actibus virtutum perfectè stare. Ideo dicit etiam Vegetius de re militari: Scientia rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo enim facilè metuit, quod bene didicisse confidit. 2. *Secundò*, per ipsorum viriliter pugnantium diligentem considerationem. Per hoc enim homo multum viriliter animatur ad ciuilem congressionem. In cuius figura hasta tangebat ansam, & cortina cortinam Exod. 36. 3. *Tertiò*, per crebram cum aduersario congressionem. Ideò dicit Cassiodorus in epistola. Terribilis est hominibus conflictus, si nõ sit assiduus, & nisi vsu acquiratur, certandi fiducia non habetur. Nam quod in iuuentute non addiscitur, in maturitate non habetur. Idcircò legitur Iudicum 4. Quod Dominus gentem non deleuit, vt in eis erudiret Israëlem. Quia per ipsarum impugnationem continuam, populus Israël magis fuit exercitatus ad bellandum.

Armatura, ex quibus virtutibus consistat.

TERTIVM, quod facit militem strenuum, est copia armaturæ conuenientis. Hæc autem armatura sex virtutibus integratur, vt docet Apostolus ad Ephes. 6. *Prima* est continentia, quæ etiam congruit militibus, quia hæc lumbos, id est, concupiscentias carnis, & mentis constringit, vt dicit Gregorius in homilia. Tunc lumbos stringimus, cum luxuriam, per continentiam coarctamus. (Continentia.) *Secunda* est iustitia, quam Apostolus appellat *loricam*. (Iustitia.) Quia sicut lorica totum corpus tegit, ita iustitia omnes actus virtutum dirigit, docens hominem viuere sobriè quo ad se ipsum; piè & deuotè, quo ad Deum; iustè, quo ad proximum. (Fides.) *Tertia* est fides circa protectionem diuini auxilij, quam appellat *scutum* seu clypeum fidei, quia reprimit, & extinguit ignita tela, id est, tentationes formidolosas. Hunc clypeum portant milites mundi triangularem, vt per hoc fidem Trinitatis confiteantur. (Clypeus triangularis.) Etiam vt super scuto

pupilli

pupilli & viduæ contineantur, si benè faciunt eis. Istud scutum in sinistro latere portamus, quia solum in præsenti vita pugnamus contra vitia. *Quarta* est spes, quam appellat *galeam salutis*, quia mentem, quæ caput est animæ, munit & roborat contra omnes tentationes præsentis vitæ. *Quinta* est caritas, quæ pedes, id est, affectiones munit & roborat, quia ipsam fortiter stare & viriliter currere facit, iuxta illud Ps. 118. *Viam mandatorum cucurri*. *Sexta*, est sapientia verbi Dei, quam *gladium spiritus* appellat. Quia suo acumine pertingit vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, mentem scindens, & omninò eleganter diuidens, à desiderijs carnalibus, & mundi vanitatibus, & diabolicis instinctibus. Et quicunq; talibus armis virtutum armatus fuerit, faciliter poterit cum B. Georgio contra omnes hostes, & omnia vitia triumphare; rectè, sicut miles habens arma prædicta potest se leuiter contra inimicos defendere. Spes. Caritas. Sapientia.

Circa TERTIVM NOTANDVM, quod ille est fidelis mundi miles, qui pugnat pro Domino suo, & exponit se morti, vt dominum ab inimicis liberet & defendat. Quia quidam fuit nomine Stipo, qui cum vidit aliquos missos ad dominum suum (Vrbinium Panopionem) occidendum, ipse vestem mutauit, & dominum suum abscondit, & pro eo mortem sustinuit, vt dicit Valerius lib. 6. c. 8. Sic ille est fidelis miles Christi, qui certat pro amore Christi militans, sustinuit mortem & passiones & tormenta, vt benè dicere potuisset cum alijs Martyribus illud Psal. 43. *Quoniam propter te mortificamur tota die*. Sed quando milites benè certant in campo, benè honorantur, & præcipuè in palatio, quia *nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. 2. ad Timoth. secundo. Idcircò NOTA, quòd ad legitimum certamen tria requiruntur.

PRIMÒ, vt homo non solum à noxijs, & à malis, sed ab his etiam, quæ habent speciem mali, diligenter abstineat, secundum illud Apostoli. 1. Timoth. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos*. Et ad hanc obseruantiam omnes fideles tenentur, teste Augustino in libro de vita Christiana dicens. Ille verus Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla mouetur iniuria, qui alienum laborem & dolorem tanquam proprium sentit, qui terrena contemnit, vt possit habere cœlestia, qui subuenit miseris, qui ad fletum prouocatur, qui posset dicere cum Apostolo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor*. Hæc ille. F Ad legitimũ certamen, quæ requiruntur. Verus Christianus quis.

SECVNDVM, vt in tali conatu, & diligentia vsq; ad mortẽ perseueret, iuxta illud Eccli. 4. Vsq; ad mortem certa pro iustitia, & benedic vsq; ad mortem, quia secundũ Gregorium in moralibus. In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur. Nam frustrà velociter currit, qui prius quàm ad metam veniat deficit. Ideò dicit Bernardus: Absq; perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec fortitudo laudem.

TERTIVM est, vt in certamine non suam, sed domini laudem, & honorem intendat. Ad quod hortatur Apostolus ad Coloss. 3. *Omnia quæcunq; facitis in nomine Domini nostri Iesu Christi facite*, id est, ad gloriam Dei. Rectè sicut miles secularis in prælio, quod est domini sui debet quærere, honorem domini, & non suum. Sicut fecit Ioab, qui dixit ad Dauid regem suum, cum de Absolone triumphasset. *Congrega reliquam partem populi, ne nomini meo ascribatur victoria*, vt habetur. 2. Reg. 12.

Et ista B. Georgius seruauit. Nam virtuosè & sanctè viuens. *Primò*, ab omni opere malo se totaliter custodiuit. *Secundò*, pro fide vsq; ad mortem certauit. *Tertiò*, Dei honorem in omnibus seruauit. Ideò à Domino audire meruit. *Euge serue bone & fidelis*.

DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Similis factus est leoni in omnibus operibus suis, 1. Mach. 3.

A Linius in spec. nat. lib. 8. dicit. Inter omnia animalia leo apparet gloriosus. Non enim abscondit se cum persequitur in siluis, nec latitat, sed in publicum progreditur, vbi à venatoribus & à canibus possit inueniri. Et causam huius audaciæ, quære de sancto Stephano in Arenga huius sermonis. *Esto fidelis*.

SPIRITVALITER. Hæc natura leonis quemlibet instruit Christianum, vt tempore persecutionis seipsum non abscondat à fide recedendo, & Deum abnegando. Marc. 8. *Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista, & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis*. Concordat illud Lucæ 12. *Qui me negauerit coram hominibus negabitur coram Angelis Dei*. Ille autem se abscondit & Deum negat, qui peruersis se socium facit, & peccatis se inuoluit. 11. q. 3. c. Extimant, vbi dicitur. Quoties vincimur vitijs atq; peccatis, toties Deum negamus. Econtra quoties quid boni agimus, Deum confitemur. Ideò subitur Luc. 12. *Omnis qui confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis DEI*. Illud aduertens quidam Abbas dictus Serapion in libro collationum Patrum. In animo, inquit, meo semper hoc constitui, vt prius mille ferre velim martyria, antequam in Deum meum quomodocunq; committam parua criminalia. Sic etiam B. Georgius miles tempore persecutionis Christianorum, noluit occultari, nec Deum negare per infidelitatem. Idcircò benè in leone designatur, quia Leo, vt dicit Isidorus lib. 12. est Rex omnium animalium quadrupedum. Sic B. Georgius est inter alios Martyres præcipuus in numero pœnarum.

B Inter cæteros Martyres sunt tres, qui maiora supplicia pertulerunt, scilicet Vincentius, Laurentius, & B. Catharina. Vincentius passus est equulei extensionem, viscerum effusionem, salis confricationem. Laurentius ignis adustionem. Catharina corporis rotationem. Sed hæc omnia passus est similiter B. Georgius, & maiorem legitur pertulisse pœnam, quia passio illorum Martyrum, fuit tempore martyri consummata; vt B. Laurentius in tribus diebus, & sic de alijs. Passio autem B. Georgij, vt tenent aliquæ Legendæ, durauit multis annis, in quibus multoties dicitur interfectus & diuina semper gratia suscitatus. Sicut etiam leo in venatione non se abscondit, sed voluntariè vadit ad locum vbi possit à canibus inueniri. Sic B. Georgius tẽpore tribulationis Martyrum noluit occultari, sed voluntariè ad conspectum prosilijt Daciani dicens. *Omnes Dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit*. Psalm. 25. Ideò canitur de ipso: Sanctus Georgius tormentorum videns genera diuersa parari, con-

constanter accessit & lætus sustinuit supplicium mortis. De ipso etiam potest exponi illud 2. Machab. 6. *Iste gloriosam mortem magis quàm odibilem vitam amplectens, voluntariè præibat ad supplicium.* Ideò conuenienter possunt de ipso assumi prælibata verba *Similis factus est leoni.* In quibus à duobus laudatur. *Primò,* à fortitudine vigorosa, ibi; *Similis factus est leoni.* *Secundo,* ab operatione virtuosa, ibi; *In operibus suis.*

DE PRIMO est NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod catuli leonum sequuntur mores parentum, & fortitudinem atque audaciam contrahunt aut assumunt ab eisdem, secundum illud Poëtæ. *Sequitur patrem sua proles.*

SPIRITVALITER. Per leonem Christus intelligitur, iuxta illud Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.* Ipsius catuli sunt Martyres gloriosi, quorum principalis est gloriosus Georgius & conspicuus. Sicut de ipso canit S. Ecclesia: Inter Martyres B. Georgius, effulsit fidei puritate conspicuus. Iste igitur similis factus est leoni Christo regi suo, & secutus est eum fortitudine propter duo. *Primò,* ex promissione præmij. Naturale est enim quando catulus leonis sperat consequi prædæ præmium, sequitur eò citius patrem suum. S. Georgius similis Christo leoni.

Item videmus experientia, quando Rex terrenus promittit militi magna dona, tunc eò fortius pugnat cum hostibus, & contra inimicos animatur. Sicut figuratum est. 1. Regum 7. vbi legitur, quòd Goliath vir spurius altitudinis sex cubitorum & palmi, clamauit ad filios Israël: *Eligite ex vobis virum, & ineat mecum singulare certamen si percusserit me, erimus serui vobis, si autem ego præualuero, seruietis nobis Philistæis. Quod audiens Saul & omnes viri eius timuerunt & fugerunt,* Emisitq; Saul promissum dicens: *Virum qui percusserit Philistæum, dotabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius, faciet absq; tributo.* Audiens Dauid hos sermones, qui erat adolescens pulcher & rufus ait. *Quid dabitur viro qui percusserit Philistæum hunc & tulerit opprobrium de Israel? Et referebat ei populus eundem sermonem.* Abijt ergo Dauid audito promisso, *& elegit sibi quinq; lapides limpidissimos,* id est planos, *de torrente, & misit in peram: & processit contra Philistæum.* Quod videns ille despexit eum dicens. *Nunquid canis ego sum, quòd tu venis ad me cum baculo?* Ad quem Dauid, *Non,* inquit, *in gladio nec hasta saluat Dominus, sed ipsius est bellum. Tulit ergo lapidem, & funda iecit, & percussit eum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius & cecidit in faciem suam super terram.* Quem Dauid gladio suo proprio interfecit, abscindendo caput eius. Ex hac figura patet veritas prædictorum. C

SPIRITVALITER. Dominus noster Iesus Christus est Rex pacificus, & *Rex Regum, & Dominus Dominantium* Apoc. 19. Ideò tanquam ditissimus Rex promisit suis militibus dare coronam gloriæ, si firmi essent in fide, dicens. Apoc. 2. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,* & non solum coronam, sed & gentes & regna. Iuxta illud Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes & reget eas:* & dabo illi stellam matutinam, id est, corpus glorificatum claritate refulgens. Hoc audiens B. Georgius fortiter pugnauit, & vires suas demonstrauit quando populum Silenæ ciuitatis à dracone liberauit. Postea diabolum, cum membro eius Datiano præfecto, viriliter superauit, ita vt ipse Datianus testaretur dicens. Deficiens moriar, quia ab hoc homine cerno me superatum.

SECVN-

SECVNDVM, quod animat militem ad fortiter pugnandum est sedulitas seruitij. Naturaliter est quando leo laborat fortiter ad prædam capiendam, tunc catuli illius animantur ad escam quærendam, secundum illud Psal. 103. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant escam sibi.* Ita etiam videmus quando Rex temporalis solicitus est & strenuus in bello, milites sui fortes fiunt, & animantur ad hostibus resistendum.

Figura. Figura legitur in historia Alexandri. Postquam Alexander vicit Darium Regem Persarum, & regnum eius sibi subiugauit, venit contra eum Rex. Quod audientes milites eius dixerunt. Sufficit nobis, quod sub iugauimus Alexandro Persidam, amodo dimittemus eum, eat ipse, quò vult. Quod percipiens Alexander, dixit eis. Recordamini, quando venimus pugnare in campis, & ego solus steti, & ante omnes pro omnibus solus pugnaui, & pro saluatione vestra, & totius regni solus periculis me exposui. Hæc eo dicente erubescebant milites, petentes veniam, dicentes. A modo vita nostra posita est in manibus tuis, quodcunq. volueris fac. Quasi dicerent. Nos tecum parati facere sumus. Ideo valdè necessarium est Dominis manus apponere, & negligentes non esse; quia dicit Aristoteles lib. Oeconom. Dominis existentibus negligentibus, impossibile est seruos esse solicitos.

SPIRITVALITER. Dominus noster Iesus Christus solus pugnat more Alexandri pro nobis, & salute animarum nostrarum. Sicut pro se testatur Isai. 64. *Torcular,* scilicet passionis, *calcaui solus, & degentibus non est vir mecum.* Fuit etiam in labore ab infantia. secundum illud Psal. 87. *Pauper ego sum &c.* Ipse enim retinuit omnia castella, vndique pugnans cum diabolo, & à cordibus hominum expellens, & tantum fatigatus, vt præ lassitudine sederet super fontem, Ioan. 4. vbi legitur. *Iesus fatigatus est ex itinere, & sedebat super fontem.*

Iste igitur labor regalis Christi erat causa fortitudinis B. Georgij, & laboris, quod tam fortiter pertulit passiones propter nomen eius. Nam potuisset frui delitijs huius mundi, si voluisset, sed labore considerato in rege, omnia gaudia mundi postposuit, & opprobria sustinuit. Et potest dicere cum Psalm. 68. *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Et similiter fortes labores sustinuit tormentorum. Ita, vt dicere possit cum Eleazaro 2. Mach. 6. *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo labores: secundum animam verò propter amorem tuum libenter hæc patior; adolescentibus exemplum fortitudinis derelinquens.*

Quantum ad SECVNDVM, commendatur Beatus Georgius quantum ad operationem virtuosam, cum dicitur, *In operibus suis.* Circa quod NOTANDVM, quod virtuosi & boni Domini seculares, milites habentes virtuosos, nolunt malos & immorigeratos habere in suis curijs, quia dicit Sapiens Eccli. 13. *Omne animal diligit sibi simile, & homo similem sibi.* Nam boni diligunt bonos, mali autem malos. Exemplum Dauid Psalm. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Exemplum secundi habetur Numeri 22. de Balac Rege, qui sibi sociauit malum Prophetam Balaam.

MYSTICE. Christus Dominus est optimus & virtuosissimus omnium, quia Mar. decimo. *Nemo bonus,* scilicet essentialiter, *nisi vnus DEVS.* Idcircò bonum & virtuosum habuit militem Beatum Georgium, qui similis factus est ei in operibus suis.

Et

ET NOTANDVM, quòd Christus Rex quatuor habuit virtutes salutares, in quibus ipsum Beatus Georgius imitatus est. *Prima* est, Quod domum Patris sui in magna reuerentia habuit, vt patet Matthæi vigesimo primo. *Quia eiecit ementes & vendentes de templo dicens. Domus mea domus orationis est.* Et subdit Marci vndecimo. *Non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum.* Ideò dicit Psalm. 68. in persona Domini: *Zelus domus tuæ comedit me.* In hac virtute Beatus Martyr Georgius Christum Regem suum imitabatur, quando domum Dei in cura & reuerentia docuit habere, vt dicitur in Legenda, & potuit dicere cum Psalmo vigesimo quinto. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sed sic (heu) non faciunt milites terreni, non est eis cura quomodo Ecclesiam possint defendere & procurare, sed magis student qualiter possint res Ecclesiæ auferre & spoliare, sibi retinendo: & isti vtiq; sacrilegium committunt, Teste Canone. 17. quæst. 4. cap. Sacrilegium vbi dicitur. Sacrilegium est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluptatis studio tentauerit suis stipendijs retinere. Ideò tales puniuntur à Deo.

D

S. Georgius Christum regem imitatur.

I.

Militum nostratium studium.

Sacrilegium quid?

Nam legitur in libro de miraculis Beatæ Virginis. Quidam miles & iudex Romæ nomine Stephanus, tres domos sancti Laurentij, & vnum hortum sanctæ Agnetis, violenter abstulit, & ablata iniustè possedit. Accidit autem, vt moreretur, & ante iudicium Dei duceretur, tunc Sanctus Laurentius cernens eum, cum magna indignatione ad eum accessit, & tribus vicibus brachium eius durissimè strinxit, & dolore nimio cruciauit. Sancta Virgo Agnes cum alijs virginibus in eum respicere noluit. Tunc iudex super eum iudicium ferens dixit: Quoniam aliena abstraxit, munera accipiens veritatem peruertit, in locum Iudæ eum tradam: & nisi sanctus Proiectus coram iudice pro eo intercessisset, damnatus hic miserabiliter fuisset. Orationibus igitur eius concessum fuit ei, vt ad corpus rediret; & tunc apparuit brachium eius adustum, & illud signum apparuit quamdiu vixit, sicq; ablata restituit, & pœnitentiam egit.

Exemplum.

Notant Iudices munere accipientes.

SECVNDA virtus Christi Regis est, quòd sacerdotes honorauit; quod patet Lucæ decimo octauo. vbi dicitur, quòd decem leprosos misit ad sacerdotes dicens, *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Super quo dicit Beatus Augustinus in libro de Baptismo paruulorum, & habetur. 1. quæst. 1 capit. Nónne. quod in isto Christus sacerdotes licet malos, honorauit. In hac virtute secutus est ipsum Beatus Georgius, quando docuit Regem ciuitatis Silenæ, & totum insuper populum, vt honorarent sacerdotes, quia instinctu Spiritus sancti sciuit scriptum Eccli. 17. *Honorificate sacerdotes.* Sed sic non faciunt nostri milites, qui clerum & presbyteros oderunt, & eis inuident. Contra quos dicit B. Gregorius: Peius malum non æstimo, quàm Christianis inuidere sacerdotibus. Et habetur. 11. quæst. 1. In Canone. De persona, & sequenti. Et similiter B. Hieronymus ad Rusticum Monachum in Epistola. Aduersus presbyteros accusationes non recipies, non enim statim de perfecta ætate credendum est.

II.

TERTIA virtus Christi, quòd libenter diuina audiuit, quod patet Lucæ secundo, vbi legitur. *Quod cum parentibus suis iuit ad diem festum*, ibidem officium vsque ad finem audiendo. In quo ipsum Beatus Georgius est secutus, quando docuit Regem & populum, vt diuina libenter audirent. Contra quod faciunt multi, qui in

III.

Dominicis diebus Missa vsque ad finem audienda.


diebus Dominicis nolunt diuina audire; aliqui, si audiunt, non tamen vsque ad finem perseuerant, peccantes contra præceptum Ecclesiæ de consecrat. dist. 1. c. Missas. Ibi dicit Can. Missas totas populo catholico audire præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat; quòd si fecerit, ab Episcopo publicè confundatur. Gloss. id est, grauiter corripiatur, vel excommunicetur, nisi necessitas subsit.

IV. QVARTA virtus Christi, quod pauperum memor fuit, quod patet Matth. 15. quando dixit: *Misereor super turbam, quia triduo iam sustinent me, & non habent, quod manducent: & si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* Idem patet Ioan. 6. *Cum satiauit quinq; millia hominum ex quinq; panibus, & duobus piscibus.* Hanc virtutem imitatus fuit B. Georgius, quando non solum pauperum à Dracone oppressorum memor fuit, sed quando docuit Regem à se conuersum, vt pauperum memor esset. Ideò cœpit, sicut IESVS Magister suus, facere prius, & post hoc docere alios. Rogemus, &c.

IN DIE APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.

Sermo.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Ioan. 14.

A 

DIcunt Naturales, quòd homo passionibus occupatus & tribulationibus, non potest discernere verum & falsum, nec cœlestia mysteria intelligere. Nec etiam est dispositus verba Philosophiæ audire, iuxta illud Aristotelis dictum 1. Ethic. Passionum sectatores, inutiles sunt Philosophiæ Auditores. Rectè sicut ait Amandus in horologio Sapientiæ lib. 1. Tristes non sunt apti ad percipiendum harmoniam; Nam lætos reddit lætiores, & tristes tristiores. Sic est de turbatis animis, quod non possunt percipere arcana. Quod probat venerabilis Boëtius de consolati. lib. 1. Metro vltimo triplici exemplo.

Primum, tantum vult, quod Sol & Luna & stellæ, quæ quoad se, semper lucent. Sol tamen in nocte obscuratur per interpositionem terræ. Sic etiam stellæ in die obtenebrantur propter lumen solis, similiter propter obscurarum nubium interpositionem. Sic intellectus noster qui est lumen, quod Deus infudit animæ, vt habetur. 3. Polit. impeditur perturbatione dolorum.

Secundum exemplum. Rectè, sicut aqua maris clara manens, visus potest eam penetrare & videre, quid in fundo continetur; & cum turbatur, obstat visui. Sic animus hominis quietus à turbatione passionum, non impeditur iudicio rationis. Secus autem est, si est turbatus.

Tertium exemplum. Aqua currens de altis montibus, liberè & sine impedimento directè procedit, sed per obstaculum rupis impeditur. Sic ipsa ratio libera, non impedita obstaculo alicuius passionis, rectè iudicat: Si autem obijcitur rupis affectionũ impeditur in iudicio veritatis. Quia legitur in vita Philosophorum, quòd Socrates noluit

noluit verberare seruum', dum fuit iratus. Sic etiam legitur de quodam Rege, qui cum turbatione cogeretur, consueuit totum numerare Alphabetum in digitis antequam verbum cuidam diceret. Et hoc ideò fecit, vt illa tribulatio interim cessaret, Ideò qui verum vult discernere, debet animum à turbatione excutere, iubente Boëtio, 1. lib. de consolatione, metro vltimo. Remedium contra iracundiam.

Tu quoq; si vis
Lumine claro,
Cernere verum,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugato:
Nec dolor adsit.
Nubila mens est.
Vinctaq; frenis.
Hac vbi regnant.

Idcircò verus Agricola Christus depulit tristitiam de corde suorum discipulorum vt serere possint verbum suum, & ipsum possent intelligere. Ideò dicitur. *Non turbetur cor vestrum.* In quo tria tanguntur: *Primò,* consolatus est eos, ibi; *Non turbetur cor vestrum. Secundo,* ipsos benigne increpauit, ibi; *Tanto tempore. Tertiò,* recessus sui vtilitatem reserauit, ibi; *Si enim.*

Circa quod NOTANDVM. Videmus naturaliter, quòd cœlum corporeum diffundit, & resumit eandem aquam per vapores, quia dicit Aristoteles lib. 2. Metheor. & Albert. lib. 4. quod sol virtute caloris attrahit vapores vsq; ad mediam regionem aëris. Vel secundum alios, ad infimam partem mediæ, & in frigiditate loci in nubem conuertitur, & vlterius in nubem condensatur, & guttatim descendit, & eadem aqua descensa iterum resumitur solis per calorem.

MYSTICE. Sic fecit Christus. Nam prius infudit pluuiam tristitiæ ad corda suorum discipulorum, & hoc cum quatuor verbis quæ eis dixit ante passionem. *Primum* fuit. *Vnus ex vobis me tradet,* & ponitur Matth. 26. & Ioan. 22. *Secundum, Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte.* Matth. 26. *Tertium. Antequam gallus bis cantet, ter me negabis,* vt habetur Matth. 26. Nam videntes hunc virum Petrum, qui erat sanctitate præstantior, fide robustior, amore deuotior secundum Bernardum, Christum negaturum, omnes timuerunt, quod non possent stare cum firmior, casurus esset. *Quartum* verbum fuit; *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Sed citò tollar à vobis per mortem. Et hoc multum doluerunt, nam Christum multum amauerunt, ita etiam, vt eius non potuerunt præsentia carere. Quia dicit Aristotel. 1. Ethic. Vnicuiq; est delectabile illud, quod amat. Et 9. Ethic. dicit; Præsentia amicorum delectabilis est, tàm in bona fortuna, quam in mala. In mala, quia tristati alleuiantur cõdolentibus amicis in bona, quia delectabile est conuersari cum amico. Ideò secundum Bernardum cœperunt præmeditari omnia bona eis exhibita, conuersationes verborum & sermonum dulcium, & multorum miraculorum, & sic de alijs. Et hoc perpendens Iesus, qui secundum Psalm. 43. *nouit abscondita cordis,* resumsit ab eis illius magnæ tristitiæ dolorem, cum proposuit eis præsentia dicens. *Non turbetur cor vestrum.* Et dicit B. Bernardum? quod pie credi potest, Dominum cum eis fleuisse, & flenter hæc verba dixisse. B 1. 2. 3. 4.

Et est NOTANDVM, quod turbati fuerunt principaliter propter duo: PRIMÒ. Quia dolorosum fuit eis carere melliflua conuersatione sua, & hanc carentiam intellexerunt per hoc, quod dixit. *Adhuc modicum vobiscum sum,* & ꝑpter hoc dixit eis id quod sequitur; *Creditis in Deum, & in me credite,* quasi diceret secundum Bernardũ: C 1.

In dapibus Paschalibus ego manifestaui Deitatem meam, quod vtique resurgam, quia non solum homo sum, sed Deus & homo, & cum patre vnum, quasi diceret. Ego qui *Lazarum resuscitaui*, Ioan. 11. Et *filiam Archi-Synagogæ*, Matt. 19. Nec non *filium viduæ* in Naim, sic volo me ipsum resuscitare, & non in morte permanere, secundum illud Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, scilicet corporis mei, *& in tribus diebus excitabo illud.*

II. SECVNDO, turbati fuerunt ex timore damnationis, Quod sumserunt ex his verbis. Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Et ad Petrum. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Nam si cogitabant: O si maximus cadet inter nos & damnabitur, quid tunc de nobis fiet? Contra hoc dixit eis consolatorium. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, quasi diceret. Hac nocte à me fugietis, tamen ex hoc non damnabimini, sed reuocabo vos ad domum Patris mei, quia estis prædestinati. De quibus dicit Augustinus in libro de Fide ad Petrum. Firmissimè tene, prædestinatos perire non posse. Idem de pœnit. dist. 4. c. In domo Patris mei. Prædestinatus non potest perire nec damnari.

Prædestinatos perire non posse.

D

Vlterius est NOTANDVM, dicit Aristoteles 7. politic. Omnia amamus amanda, sed prima magis. Naturale est, quod pater amat filios, sed tamen magis primogenitum. Idem videmus de animalibus irrationalibus, quod plus diligunt fœtum primo natum. ita Pater cœlestis dilexit omnes homines tanquam filios suos, secundum illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, id est, homines mundanos, plus tamen dilexit primogenitos in fide, scilicet Apostolos. Ideò præ alijs consolatus est eos, cum dixit. *Non turbetur cor vestrum*, & aliqua Missalia habent additam illam particulam. *Neque formidet.* Hoc etiam in antiquis ostenditur. Nam legitur Genes. vigesimo octauo. Cum Iacob fugeret Esau fratrem suum, & esset in tristitia, statim consolabatur eum Dominus, cum vidit scalam *cuius summitas cælum tangebat; & Angelos Dei ascendentes & descendentes.* Item 4. Regum 19. legitur, quod consolatus est Ezechiam, qui obsessus fuerat à Senacherib, quando interfecit per angelum in vna nocte, centum octoginta quinque millia armatorum. Item Daniel consolatus est in lacu leonum per Prophetam Habacuc, Danielis decimo quarto. Item Susannam ibidem c. decimo tertio. Sic & nos consolabitur post tribulationes nostras. Sicut de hoc dixit Sara Tob. 3. *Post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.* Et fit tunc quando dicitur; *Non turbetur cor vestrum*, quasi diceret. Ego qui interdum infundo tribulationes, potens tamen sum eas resumere. Ideò dicit B. Ambrosius in lib. orationum: Consolationem à te bone Iesu iugiter exspectamus, quæ mala nostra omnia abbreuiat, in gaudiumq; mutat.

Consolatio in tribulationibus.

Dicit NOTANTER. *In Deum creditis, & in me credite*, quasi diceret, secundum Gloss. Augustini. Si in DEVM creditis, consequens est, quod in me credere debeatis, quod non esset consequens, si CHRISTVS Deus non esset. Et Magister 3. sentent. distinct. 23. Differunt credere DEVM, credere Deo, & in Deum. *Credere DEVM*, est credere, quod Deus sit. *Credere DEO*, est credere vera esse, quæ Deus loquitur: & sic mali etiam credunt. Sed *credere in Deum*, est credendo Deum amare, & per amorem ei adhærere: quod soli boni faciunt. Ideò dicit, *credite in me*, id est, credēdo me amate. Et subdit præmium ipsum amando dicens. *In domo Patris mei*

multæ

multa mansiones sunt, id est, diuersa præmia, vel distinctiones præmiorum secundum qualitatem amantium. Sed non est hoc respectu Dei, sed respectu operantium secundum merita: & hæ perceptiones diuersæ dicuntur mansiones.

Sicut multi, qui sedent ad vnam mensam, & tamen iuxta diuersas complexiones vnum ferculum vni aliter sapit, quàm alteri. Nam albi homines libenter dulcia comedunt, vt lacticinia, sed cholerici amara. Sic quamuis ibi habebunt præmium æquale essentiale, non tamen accidentale, quia secundum Apostolum 1. ad Cor. 15. *Stella differt à stella in claritate*. Vnde qui hic Deum dilexerunt, ibi clarius faciem eius videbunt, & tamen secundum gloriosum Doctorem Augustinum. Tantus erit ardor caritatis in sanctis, vt vnusquisque gaudeat, se in altero accepisse, quod in se non habet. Rectè, sicut pes non inuidet oculo vel capiti: Et sicut filij rusticorum non curant, si non vtantur cibis puerorum regum. E

Ad idem dat exemplum Augustin. de paruis vasis & magnis, quorum quodlibet dum impletur, non potest amplius capere. Et sicut Angeli in superioribus choris clarius vident Deum: Sic & illi qui eis sociabuntur. Et hæ mansiones secundum electionem sunt ab æterno creatæ, secundum illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi*. Tunc subdit declarando, quòd hæ mansiones sunt sufficientes dicens. *Si quo minus, dixissem vobis*, id est, si aliquid esset minus illo dicto præcedente de mansionibus ad saluandos recipiendos, dixissem vobis, scilicet, quod vellem ascendere & parare. Vel sic. Si esset aliter, plus vel minus dixissem vobis, *quia vado parare vobis locum*.

Hic posset dicere aliquis. Prius dixit Dominus, quòd ibi nihil esset deficiens, & nulla carentia, & tamen dicit, *Vado parare*: Et, si fuit sufficiens, cur autem est præparandum? *Ad hoc respondetur*. Nihil deficit ratione prædestinationis, sed vt nos deseruire possemus, voluit Christus pati, vt sic sua suppleret passio, quod opera nostra de condigno non possunt. Et tunc quid facit Dominus in cœlo, certè nihil aliud, quàm quod nobis infundit gratiam, qua mediante digni simus accipere per merita, quæ ab æterno sunt per pœnitentiam disposita. Et secundum Bernard. Quoties vouemus & oramus, ille præparat nobis locum. Quia dicit Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Vel secundum Augustinum. Præparat nobis ex hoc, quod iam abstraxit suam humanitatem, quia fides multum augetur ex hoc, quòd non videmus & credimus. *Si*, id est, quia *abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam ad vos*, scilicet, in fine mortis vestræ, *& accipiam vos ad me ipsum, & vbi sum ego, vos sitis*. Obiectio. Responsio.

Ex hoc patet, quod discipuli potuissent potius exultasse, quàm lacrymasse, & de salute sua gaudere secundum illud Eccl. 9. *Vade & comede panem tuum in lætitia: quia Deo placent opera tua*. Vel dic, quod non vult redire propter salutem animæ; quia anima iusti post mortem statim saluabitur, secundum illud Sapient. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Permittet enim eum redire in die iudicij ad salutem corporum per resurrectionem. Hic fuerunt quidam Hæretici, dicentes quòd Sancti non perueniunt ad salutem in animabus, vsque ad nouissimum diem. Contra quos dicit Apostolus ad Phil. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*.

Hic dubitatur; an homo ex merito condigno possit mereri vitam æternam, ex quo hic dicit; *Vbi ego sum, illic & minister meus*, &c. *Respondet* B. Thomas in 1. 2. quæst. vltima. Nemo ex merito condigno, nec ex gratuitis nec naturalibus donis potest mereri F Quomodo homo mereri

reatur vitā æternam. reri vitam æternam. Quia vita æterna est supernaturale bonum, à natura incomprehensibile.

Vnde si vnus homo haberet omnium merita, adhuc non esset dignus: *Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Ibi enim verificatur illud 3. Regum 10. *Vix media pars sapientiæ est mihi narrata*, quod dicet quilibet saluatus, secundum Hugonem de Arca mystica: Seruasti bonum vinum vsque huc. Et, *Non sunt condigna passiones huius seculi ad futuram gloriam*, &c. Ad Romanos 8. Sed ex merito congruo. Quia congruum est, postquam homo suum posse fecerit, quòd Dominus suppleat imperfectum. Et sequitur. *Quò ego vado scitis. Dicit ei Thomas: Nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire?*

Sed diceres. Hæc sunt contraria; Dominus dicit, *Viam scitis*, & Thomas respondet, *Nescimus quò vadis*. Ad hoc *respondetur*. Dicit Philosophus 1. Phys. quod prima cognitio incipit à communioribus. Vt, pueri vocant omnes viros patres, & omnes mulieres matres, postea iudicant de singulis. Et primò, quando videmus aliquem hominem venire, agnoscimus primò hominem, secundò masculum, tertiò Petrum vel Ioannem. Sic hic intelligitur, quod Apostoli in communi sciuerunt, quod vtique vellet redire ad Patrem.

Sed Thomas dicebat cum cæteris de certitudine viæ, quam nescierunt. Ideo dicit ei Iesus. *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Hæc est porta secundum Gloss. ad vitam æternam, scilicet Christus, per quem secundum Hugonem, omnes Patres iusti intrauerunt, credentes Christum incarnandum. Ideo Iudæi & pagani damnantur, quia non habent viam. Vnde Augustinus de verbis Domini, inquit. Assumens humanitatem, factus est via ad diuinitatem. Et intelligitur sic secundum Bernardum. Ego sum *Via*, per quam est ambulandum; *Veritas*, per quam est festinandum; *Vita*, in qua est manendum. Vel sic. Ego sum via sine errore, veritas sine falsitate, vita sine morte. Vel sic. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Hîc timeat superbus, qui non amat viam in exemplo.

G Ista via habet tres semitas. Prouerb. 4. *Ducam te per semitas æquitatis, quas si ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Prima* semita est paupertas voluntaria. *Secunda*, obedientia. *Tertia*, castitas. Et hæc est arcta via ad cœlum, Matth. 7. Si quis igitur vult intrare in cœlum, oportet ire per viam Christum, quia hic dicit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, tanquam per viam directam. Et verè felix est ille homo, qui vadit per hanc viam, quia vtiq; intrabit regnum cœlorum.

DE INVENTIONE SANCTÆ CRVCIS.

Sermo.

Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Prouerb. 8.

Scri-

A



SCRIBIT Isidorus lib. 17. de quadam arbore, quæ Persides dicitur, & est in India, & hæc profert fructus dulcissimos; ad hanc volant columbæ, & de fructu eius comedunt sero & manè. Draco autem, qui est inimicus columbarum, naturales insidias ponit eis, & cum ad arborem volant, eas transglutit, & occidit, & comedit. Sed Draco in tantum timet arborem, vt nec vmbram audeat attingere, nec in ea latitare. Si autem vmbra extenditur ab Oriente, Draco ad Occidentem declinat, & econtrà. Et hoc naturaliter perpendentes columbæ, semper in vmbra arboris manent, & sic à Dracone sunt securæ. Sed quando arborem dimittunt, & vmbram eius, protinus deglutiuntur.

SPIRITVALITER. Per hanc arborem nobilem sancta designatur crux, de qua dicit B. Gregorius in hymno. *Crux fidelis inter omnes*, &c. Ipsa crux figurata est per arborem, quam vidit Nabuchodonosor, Daniel. 4. *in medio terræ, cuius altitudo ad cœlum pertingebat, & aspectus eius vsq; ad fines vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, fructusq; eius nimis dulcis, & esca vniuersorum in ea: Subter eam habitabant bestiæ, & in ramis volucres cœli conuersationem habebant.* Sic sancta crux erat plantata in medio terræ, secundum illud Psalm. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*, hoc est, in sancta cruce. Altitudo eius pertingebat ad cœlum, quia omnes iusti & electi in protectione sanctæ crucis ascendunt cœlos à dæmonibus defensi. Aspectus eius ad omnes terras, quia omnes fideles habent respectum ad sanctam crucem, quando sunt in aduersitatibus constituti, & non solum fideles, sed interdum infideles, vt patet infra de Iudæo. In hac arbore sanctæ Crucis est esca omnium hominum. Ibi peccatores habent escam Redemptionis, quia in ea sunt misericorditer redemti. Pœnitentes habent escam suppletionis, quia, quod non potest pœnitens, supplet amara passio Domini nostri Iesu Christi crucifixi.

Crucis figura.

Sancta Crux vbi plãtata.

Esca varia arboris S. Crucis.

Ad hanc arborẽ pretiosam volare debent columbæ, id est, deuotæ animæ, si volunt habere vitam æternam, secundum quod Christus admonet Cant. 2. *Surge propera amica mea: columba mea: formosa mea, & veni.* Debentq; simul venientes in vmbra, id est, in protectione illius sedere, sicut fidelis hæc anima, quæ dicit Cantic. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraui sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Sciebat enim deuota hæc anima, quod sub vmbra illius arboris sanctæ Crucis secura esset, quia Draco infernalis diabolus multum timet arborem sanctæ Crucis, & sub vmbra eius non audet apparere; timet enim baculum, quo est percussus, secundum illud Isa. 30. *Pauebit Assur virga percussus.* Vbi per Assur intelligitur diabolus. Ideo dicit B. Augustinus in laude Crucis in principio: O nomen Crucis occultum mysterium. In nomine enim Crucis pax datur. O Crux, quæ hominem Deo vinxisti, & à dominio diaboli captiuitatem magnificè segregasti, & dira serpentis venena salutari poculo depellis. Ex quibus verbis B. Doctoris apparet, quòd arbor sanctæ Crucis defendit columbas, id est, deuotos homines à Dracone infernali. Ideo volentes esse securi fugiant ad eam. Ideo dicitur in verbis præmissis; *Qui me inuenerit, inueniet vitam.* In quibus duo describuntur. *Primò*, vtilitas Crucis operosa, ibi; *Inueniet vitam. Secundò,* illius inuentio gratiosa, ibi; *Qui me inuenerit.* PRIMÒ dicitur, quod in his verbis describitur vtilitas Crucis, & virtus operosa cum dicitur: *Inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino,* vt sit ordo transpositus.

Circa

B Vtilitates S. Crucis. I. Fugat diabolum.

Circa quod est NOTANDVM, secundum Doctores sanctos, quatuor inueniri vtilitates sanctæ Crucis. PRIMÒ, defendit à lupo infernali. Quod probatur in naturalibus, quando homini insidiatur lupus, debet se ad terram inclinare, & facere crucem lupo vidente, tunc lupus eum fugit, & vlterius non insidiatur illi, quia hoc facit timorem lupo, putans quod homo parat rete ad capiendum ipsum.

SPIRITVALITER. Crux Christi est muscipula diaboli siue rete. Teste Beato Augustino: Tetendit Redemtor noster diabolo crucis muscipulam. vbi posuit quasi escam corpus & sanguinem. Ideò timet capi à cruce Christi, & fugit. Si ergo homo vult, vt lupus infernalis ille ab eo fugiat inclinare debet se in terram humilitatis, & sibi crucem Domini imprimere, & sic proculdubio oportet diabolum ab eo fugere.

C Crux per citharam figurata.

Quia crux erat per citharam Dauid figurata. De qua legitur 1. Regum 16. Saul Rex à spiritu malo vexabatur. Dixerunt ad eum serui sui. *Spiritus Dei malus exagitat te, ideo iube quærere virum scientem psallere, & inuentus est Dauid, qui citharizabat ante Saul & spiritum malum effugabat.*

SPIRITVALITER ille Saul interpretatur superbus, & significat peccatorem, quem exagitat spiritus malus; si vult ab eo liberari, quærere debet Dauid, qui interpretatur desiderabilis, & significat Prædicatorem, qui debet prædicare coram eo in cithara, id est, tangere vel narrare laudes Crucis, vt sic spiritus malus effugetur. Ideo dicit B. Augustinus in sermone de laude crucis: Crux Christi à nobis expellit exterminatorem, si tantum cor nostrum habetur Deum inhabitatorem.

D

Idcirco etiam docet nos Papa Innocentius in sua summa, quod in inceptione cuiuslibet operis virtuosi, ne diabolus impediat pectus est signaculo sanctæ Crucis, muniendum. Quia dicit Canon in c. Ecclesiasticarum, distinct. 11. Salubre est fidelibus, signaculo crucis insigniri: Et non solum est salubre Christianis, sed infidelibus & Iudæis Crucis Christi inimicis.

E

Refert enim B. Gregorius lib. 3. dialog. c. 7. Iudæus quidam iter faciens, & sole occidente iuit ad quoddam templum Apollinis, vt quiesceret. Et licet nihil virtutis crederet in Cruce esse, tamen more Christianorum se signauit signo Crucis. Nocte igitur media vigilans vidit subito multitudinem magnam dæmonum venientium, & vnum ex eis quasi prælatum cæteris. Inter cætera autem inquit, quisnam esset, qui in illo angulo templi iacere præsumpsisset? Quem maligni spiritus intuentes, & signo Crucis signatum mirantes, dixerunt: Væ, Væ, vas vacuum, sed signatum, & sic illa turba dæmonum disparuit.

II. Emollit dura.

SECVNDO, Crux Christi emollit dura. Quod quædam est arbor dicta Aloë, quæ reperitur in magno flumine Babyloniæ, quæ cuidam iungitur fluuio paradisi, & à pluribus creditur, quod in ter arbores paradisi oriatur, & casu aliquo, vel impulsu, inde deducta sit. Et dicitur à quibusdam, quod habet virtutem mollificandi dura, & facere ea fluida.

SPIRITVALITER. Per hanc intellige Crucem sanctam. Hæc enim ad instar huius ligni ortum habuit de paradiso: quod Angelus Seth dedit ramum. vt plantaret super patris sepulchrum, vt habetur in Legenda huius, & postea inuenta fuit in piscina probatica. Ideò nunc habet virtutẽ dura corda mollificare, & ea fluida facere. Teste Origene. Quem non emollit ad fluendum peccamina, dulcis inuictissimæ Crucis Domi-

Domini memoria. Et hoc figuratum est in virga Moysi, Num. 20. vbi legitur. Filij Israel venerunt in desertum Sin, vbi non inuenerunt aquas. *Venientes igitur aduersus Moysen & fratrem eius Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Cur induxistis nos in solitudinem, vt nos & iumenta moriamur, quia hic non est aqua ad bibendum. Quod audientes Moyses & Aaron, in tabernaculo corruerunt proni, in terram se prosternentes & dicentes. Domine Deus, audi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio. Apparuitq; Domini gloria super eos, & dixit Dominus ad Moysen. Tolle virgam, & congrega populum tuum, & Aaron, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Accepit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, & populo congregato ait. Audite rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? & eleuata manu percussit bis virga silicem, & fluxerunt aquæ largissimæ, vt filij Israel biberent & iumenta.*

SPIRITVALITER. Per filios Israël rebelles intelliguntur mali Christiani, *qui sunt rebelles lumini.* Iob. 24. Isti morantur in deserto sterilitatis, carentes fructibus virtuosorum operum, quia non habent aquam caritatis. Ideò sunt tanquam dura terra, secundum illud Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua.* Et vt verius dicam secundum Iob. 41. *Cor eorum indurabitur quasi lapis.* Idcircò si debent fieri molles, oportet, quod Moyses, id est, Christus percutiat virga, id est, sancta Cruce cor durum, vt sic fiat fluidum in lacrymarum effusione. Et hoc modo mollitum fuit cor Centurionis, qui stetit circa Crucem Domini, & videns signa, quæ fiebant, & hi, qui cum eo erant, dixerunt. *Verè hic filius Dei erat, & percutiebant pectora sua,* Matth. 27. & Luc. 23. F

TERTIÒ, Crux Christi dulcorat aquas tribulationis. Quod figuratum est Exodi 15. vbi legitur, quod filij Israël venerunt in desertum Sur, vbi aquæ erant amarissimæ, vt eas bibere non possent. Ideò murmurauerunt contra Moysen dicentes; *Quid bibemus?* Nam siti deficimus. *Moyses autem orauit ad Dominum, & ipse ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas, versæ sunt in dulcedinem.* *III.* Dulces facit tribulationes.

SPIRITVALITER. Per filios Israël hic intelliguntur Christiani, qui hîc sunt in deserto huius mundi, & habent aquas amaras tribulationis. Ideò debent clamare ad Dominum, & ille ostendit eis lignum sanctæ Crucis, in quo ipse pependit, & cum miserit in corda tribulata, statim aquæ amaræ dolorum vertuntur in dulcedines consolationum. Et hæc probat deuotus Doctor Amandus in horol. Sap. lib. 1. cap. 14.

De quodam iuuene, qui circa conuersationis suę initia fuit quadã tristitia inordinata tam lethaliter oppressus, vt neq; orare, neq; legere, nec quicquã boni protunc facere potuerit. Iste igitur dum quadã die in cella residens, ab hac passione grauiter vrgeretur, facta est ad eum desuper quasi vox intellectualis dicens; Quid hîc sedes otiosus, & in te ipso tabescens? Surge nunc, & passionem meam, & crucem deuota mente pertracta: Quasi diceret: Mitte hoc dulce lignum in cor tuum, scilicet sanctæ Crucis amarum, & percipies vtiq; dulcedinem spiritualem, & in mea amaritudine tuum vinces dolorem. Quo audito surrexit frater ille, & hoc dulcissimum lignum crucis deuotæ misit in cor suum dulcoratum, & ex tunc omnis amaritudo aquarum tribulationis totaliter abscessit, nec de cætero vnquam passionem talem sensit. Ita & nos quando sumus amari cordis, & tribulati, cogitemus quare Christus in cruce durissimam sustinuit passionem, tunc vtique tribulatio illa mitigatur. Ideo exhortatur nos Apostolus ad Hebr. 12. *Aspicite in Auctorem fidei, Iesum Christum, qui cum gaudio* G

NnN *sustinuit*

sustinuit crucem. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem in verbis & non fatigemini animis vestris deficientes. Et quando passionem Christi sic recogitamus, tunc nostras tribulationes quasi nihil æstimamus, secundum illud Bernardi in sermone. Benignus miles vulnera sua non sentit, dum benigni ducis vulnera intuetur.

IV. Crux aperit cœlum.

QVARTÒ, Crux Christi aperit cœlestem paradisum. Ipsa enim crux est clauis, per quam mittuntur in possessionem cœlestem. De hac clauie dicitur Isa. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet: & non erit qui claudat.* Ista est clauis, quam Christus portauit in suo brachio benedicto. Ista est clauis regia, per quam Christus cœlos aperuit. Hęc latroni paradisum reserauit, qui ferè per quinq; millia & ducentos annos erat clausus. Quia legitur in Euangelio Nicodemi, cum latro audisset verba Domini. *Mecum eris hodie in paradiso,* petiit ab eo signum. Cui Dominus. Cum veneris ad portam paradisi, & si non fueris intromissus, ostende Angelo crucis signum & statim te intromittet. Quod cum audisset, & fecisset, & Angelus crucem vidisset illicò eum introduxit. Quicunq; ergo hac claue caruerit, ingredi cœlum non poterit. Sicut omnes Iudæi Crucis Christi inimici, & pagani.

Ideo S. Crux bene figuratur per quandam arborem aridam, de qua legitur in historia trium Regum, c. 44. quod in ciuitate Susis, in qua Rex Assuerus regnauit, erat templum Tartarorum, in quo fuit arbor olim arida, de qua plura mira narrantur. Hæc vltra modum armigeris & stipendiariis murisq; solicitè custoditur. Et qui hanc arborem habet in potestate, regimen super hanc prouinciam vniuersam habet. Si autem aliquis Rex, vel Princeps efficitur tam potens, quod arborē lucratus fuerit, & scutum suum potenter posuerit, vel pependerit, huic omnes portæ ciuitatis aperientur, & centum viginti quinq; prouinciæ, à Iudæa vsq; ad Æthiopiam, absq; omni contradictione obediunt ei, & cum gaudio eum introducent. Si autem quis ciuitatem lucraretur, & ad arborem non veniret nec scutum ibi penderet, ei minimè obedient. Hæc arbor figuram habet Crucis sanctæ. Hanc Iudæi per longa tempora sub terra absconderunt, vt nemo posset ad eam peruenire. Ideo infideles regnabant non solum in centum viginti quinq; prouinciis, sed quasi per totum mundum. Cum autem Constantino Imperatori ostensa fuit hæc arbor in cœlo, & cum ipse tanquam potens scutum suum, id est, spem suam in eam posuit, gentiles deuicit, & in omnes ciuitates eorum intromissus fuit. Sic etiam SPIRITVALITER, qui ponit spem in eam sanctam crucem: in cœlestem poterit intromitti ciuitatem. Quia secundum Augustinum, libro de efficacia Crucis, hoc signo cœlum aperitur, & homines conseruantur. Et hoc ad primum.

H Quæ huic Nicodemi apocryphæ narrationi fides habenda sit, iudicet Lector.

Quantum ad SECVNDVM. Ponitur Crucis inuentio gloriosa. Et hæc, vt dicitur, facta est post annos ducentos à Resurrectione Domini. In Euangelio Nicodemi legitur, quod cum Adam infirmaretur, Seth filius eius portas paradisi adiit, & oleum misericordiæ, quo patris corpus perungeret, postulauit. Cui apparuit Archangelus Michaël, ait. Noli laborare & flere pro oleo misericordiæ, quia nullatenus illud assequi poteris, nisi quando completi fuerint quinque millia annorum. Et alibi legitur, quod Archangelus ramusculum quendam dedit, & iussit vt in monte Liban. plantaretur. In quadam vero historia Græcorum licet apocrypha additur, quod Angelus de ligno, in quo peccauit Adam, ei tradidit dicens: quando fructum faciet, pater saluabitur,

bitur Rediens igitur, & patrem mortuũ inueniens, ipsum ramũ super tumulũ patris plantauit, qui in arborem magnam creuit, & vsque ad Salomonis tempora perdurauit. Salomon autem tam pulchram arborem considerans, ipsam fecit incidi, & in domo saltus locari. Nusquam tamen, vt ait Ioannes Beleth locari potuit, nec alicui loco apta reperiri valuit. Sed modo excedebat in longitudine, modo deficiebat in breuitate. Ideo indignati artifices, ipsam reprobauerunt, & super quendam lacum, vt esset pons transeuntibus, proiecerunt. Regina autem Saba, dicta Nicaula secundum Iosephum, cum venisset audire sapientiam Salomonis, & prædictum locum transire vellet, vidit in spiritu, quod mundi Saluator in illo ligno suspendendus esset. Ideò super eo transire noluit, sed ipsum protinus adorauit. Vtrum hæc vera sint, Lectoris iudicio relinquitur. Nicaula Regina Saba.

In Scholastica Historia legitur. Quòd prædictum lignum regina Saba in domo saltus vidit; Cumque ad domum venisset suam, intentionem intimauit Salomoni, quod in illo ligno quidam suspendendus esset, per cuius mortem regnum Iudæorum deleri deberet. Salomon igitur lignum inde sustulit & in profundissimis terræ visceribus mergi fecit. Postea ibidem probatica piscina facta, vbi Nathinei hostias abluebant, & non solum ex descensu Angeli, sed etiam virtute huius ligni traditur ibidem fuisse motio aquæ ad sanationem infirmorum. Appropinquante autem Christi passione prædictum lignum supernatauit. Quod cum Iudæi vidissent, ipsum acceperunt, & in Crucem Domini præparauerunt. Æstimantes autem ipsum indignum pati in ligno viridi, & sic ipsum in ea crucifixerunt.

Mortuo autem Christo & sepulto, crucem in terram absconderunt, vbi per ducentos annos & vltra latuit. Quibus completis in tempore illo congregata est iuxta Danubium, propriè Donaw, multitudo innumerabilis Barbarorum, volentes flumen transire, & omnes regiones vsq; ad Orientem suo Dominio subiugare. Quod audiens Constantinus Imperator, contra Danubium fluuium cum exercitu se collocauit. Crescente igitur multitudine Barbarorum, & iam fluuium transeunte, Constantinus nimio timore concutitur videns, quod essent cum eo die crastino prælium commissuri. Sequenti igitur nocte ab Angelo suscitatur, & vt sursum respiciat admonetur. Qui in cœlum respiciens, vidit signum Crucis ex clarissimo lumine factum literis aureis: hunc titulum habens scriptum. *In hoc signo Crucis vinces.* Cœlesti igitur visione confortatus, similitudinem crucis fecit, & ante exercitum ferri iussit, tenensque ipsam hostes ipsos in fugam conuertit, & multitudinem maximam interfecit. Quo facto Constantinus omnes templorum Pontifices conuocauit, & cuiusnam Dei signum esset, diligenter inquisiuit. Quibus se nescire dicentibus, quidam Christiani venerunt, qui ei sanctæ Crucis mysterium narrauerunt. Et ille in Christum credidit. Et ab Eusebio Papa, vel secundum alios, à Cæsariense Episcopo sacrum Baptisma suscepit. Huic historiæ in multis contradicit Tripartita & Ecclesiastica.

Mortuo Constantino, Constantinus eius filius memor victoriæ patris, quàm virtute crucis habuerat, Helenam matrem suam Hierosolymam misit pro Christi Cruce inuenienda. Quæ cum Hierosolymam venisset, omnes sapientes Iudæorum congregauit. At illi nimium formidantes: dixerunt ad inuicem. Quare putatis quòd Regina nos faciat ad se congregari? Vnus autem ex eis nomine Iudas ait. Scio, quòd vult à nobis discere, vbi sit lignum Crucis, in quo Iesus crucifixus fuerat. Videte ne aliquis sibi confiteri præsumat, aliàs lex nostra euacuabitur, & paternæ traditiones

funditus destruentur. Zacchæus enim nuntiauit patri meo Simeoni: qui mihi moriens dixit. Vide, ne confitearis; nusquam enim ex tunc gens Iudæorum regnabit. Sed illi qui crucifixum adorant, quia ipse Christus est filius Dei viui. Cui ego, Pater mi, si Patres nostri ipsum filium Dei esse cognouerunt, cur ipsum crucifixerunt? Respondit; Nouit Dominus, quod nunquam in consilio ipsorum exstiti, sed eis sæpius contradixi. Quia igitur Pharisæorum vitia exprobrabat, ipsum crucifixerunt. Sed ipse die tertia resurrexit, & cœlos discipulis videntibus penetrauit, in quem & Stephanus frater tuus credidit, quem Iudæorum vesania lapidabat. Cui Iudæi. Nos talia nunquam audiuimus sanè vsque hodie. Si ergo inquisitio facta fuerit, vide ne ostendas,

Vocati ergo, Regina sciscitante, cum nihil vellent dicere, iussi sunt omnes in ignem tradi. Et cum timuissent, tradiderunt Iudam dicentes. Hic vir iusti Prophetæ filius, qui nouit vbi crux iacet, quam inquiris. Quem vocans Regina, dixit. Elige quod vis, vitam aut mortem. Si vis viuere in cœlo, & in terra, dic mihi vbi est absconditum lignum Dominicæ crucis. Ille ait. Locum non noui: nec quia ibi eram quando crucifixus est, & quomodo scire valeam? Cum ducenti anni fluxerunt, & nequaquam illo tempore natus essem. Cui Helena. Per crucifixum te interficiam, nisi dixeris mihi veritatem. Iussit ergo eum mitti in lacum siccum vsque ad tres dies sine cibo, quibus transactis clamauit de lacu. Obsecro vos, educite me, & ego ostendam vobis crucem Christi. Cùm igitur eductus esset, pergebat ad locum vbi iacebat crux, & leuauit vocem suam ad Deum, vt sibi manifestaret. Statimq; commotus est locus, & multitudo odoris aromatici ascendit. Ita, vt Iudas diceret in veritate. Tu Christe, es Saluator mundi, gratias ago tibi Domine, nam licet indignus sim, non tamen me fraudasti gratia tua. Tunc accipiens fossorium præcinxit se, & cœpit fodere. Cumque fodisset passus viginti, inuenit tres cruces, quas attulit in ciuitatem. Interrogantéq; Regina, quæ esset crux Christi, sciebat enim alias esse latronum. Et ecce afferaabtur mortuus, circa horam nonam, super quem ponebat duas cruces, & non surrexit; imposita autem cruce Domini, mox surrexit. Tunc omnes qui aderant, glorificabant Deum, sed diabolus in aëre vociferabat, dicens, O Iuda quid fecisti? Iudæ meo contraria operatus es. Nam ille, me suadente, fecit proditionem. tu autem inuenisti crucem Domini. Per illum multorum lucratus sum animas. per te perdam lucratas; Per illum regnabam in populo, per te iam expellor à regno. Vicem tibi rependam, & contra te Regem alium suscitabo, qui fidem deserens crucifixi tui, tormentis te negare faciet crucifixum. Ille audiens diabolum non timuit, sed dixit Christus te damnet in abyssum. Post hæc Iudas baptizatur, & Quiriacus appellatur, & ab Episcopo Hierosolymis Episcopus ordinatur. Cùm igitur clauos Regina non haberet, rogauit Quiriacum; vt clauos quæreret. Veniens igitur ad locum, preces fudit, & clauos velut aurum in terra fulgentes reperit. Quos recepit, & Reginæ detulit. At illa cum magna reuerentia suscepit; Crucis enim partem detulit filio, aliam verò thecis argenteis condidam Hierosolymis reliquit. Similiter clauos portauit ad filium, ex quibus, vt refert Eusebius Cæsariensis, frenos, quibus vtebantur ad bellum, composuit, & aliis galeam suam ornauit. Rogemus ergo Crucifixum.

Iudas in lacum mittitur iussu Helenæ.

Tres Cruces inuentæ.

DE

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA ANTE PORTAM LATINAM.

Sermo.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Ita scribitur Cantic.2.



Olent parentes naturales feruidè diligere filios ingenio fortiores & sapientiores, quia tales sunt lætitia patris, secundum illud Prouerb.10. & 15. *Filius sapiens patrem lætificat, stultus autem est mæstitia matris.* Et ratio talis potest assignari. Quia dicit Aristoteles 1. Metaph. Omnes homines naturaliter scire desiderant; quia, vt idem primo de Anima dicit. Scientia est de numero bonorum honorabilium. Et ex quo parentes sunt illuminati, ideò appetunt hoc in filijs habere, quod eis eorum ingenium voluit denegare. Ideò filios amant sapientes. Figura huius habetur Gen.37. De Ioseph, qui erat puer valde ingeniosus & subtilis. Ideò præ alijs filijs à patre plus amabatur; Et propter hunc amorem ipsi fratres eum in Ægyptum vendiderunt. Ita legitur 3. Reg 2. Quod Rex Dauid præ alijs filijs dilexit Salomonem, eò quòd esset sapientior, & instituit eum post se regem. Quia dicitur Eccles.10. *Væ tibi terra, cuius rex puer est.* Ostendens moribus & sensu. Quia ex hoc subditi insolescunt. A Figura.

SPIRITVALITER. Dominus noster Iesus Christus est pater omnium creaturarum, ideò dicit Matth.23. *Patrem nolite vobis vocare super terram: vnus est enim pater vester qui in cœlis est.* Pater, inquam, misericordiæ & totius consolationis. Hic duodecim principales habuit filios, sanctos Apostolos, ad quos dixit Ioan.13. *Filioli mei adhuc modicum vobiscum sum.* Inter illos filios B. Ioannes ingenio fuit sagatior, ita profundè scribens suum Euangelium, vt pauci sint, qui ad vnguem possint explanare. Quia, vt ait Ambrosius super *Beati immaculati.* Virgo primus Ioannes, dum caput suum super pectus Iesu inclinaret, profunda secreta sapientiæ exhausit. Ideò eum Dominus præ omnibus alijs dilexit, dicens ad ipsum Verba prædicta, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* In quibus duo innuuntur. *Primò*, familiaritas in Christum & Ioannem, ratione singularis amoris. *Secundo*, castitas eiusdem electi Apostoli Ioannis, ratione candoris & puritatis.

PRIMÒ, hîc tangitur familiaritas inter Christum & Ioannem ratione amoris singularis, cum dicit. *Dilectus meus mihi*, scilicet est similis, *& ego illi*, ideò ipsum magis diligo. Ibi NOTA secundum Naturales, & præcipuè secundum Aristotelem 8. Ethicor. Naturaliter vnum quodq; simile diligit suum simile. Et hæc est ratio secundum Isidor. quòd amor est vis causans vnionem. Quodlibet igitur animal diligit magis suum simile. Quia amor nascitur ex similitudine operationum & morum. Ideò dicitur 8. Ethicor. Homines eiusdem gentis & patriæ naturaliter sunt amici. Ideò refert Ambrosius in hexam. & Aristot. 9. Animalium, quod aquila, quæ omnia al-

nia alta transcendit, & clarè solem conspicit, naturaliter diligit, qui sunt sibi similes ad calefaciendum, qui enim de pullis suis clarius inspiciunt solem sine lacrymatione oculorum, illos magis diligit, & præ alijs prærogatiuam in cibatione facit.

B SPIRITVALITER. Per aquilam Christus intelligitur. Quia sicut aquila inter alias aues est regina & liberalis, ita vt prædam raptam nō comedit sola, imò eam quasi communem sequentibus diuidit, nisi nimia fame vrgeatur, vt dicit Plinius in spec. nat. Sic, Christus est *Rex Regum, & Dominus Dominantium* Apocalyp. decimo nono, & est liberalis, quia omnia animalia pascit secundum illud Psalm. 135. *Qui dat escam omni carni.* Sed per pullos eius Apostoli designantur, quorum quidam debilitati visu mentis non potuerunt clarè intelligere Scripturam, vt patet in multis locis sancti Euangelij Matthæi decimo quinto. *Adhuc vos sine intellectu estis.* Inter illos tamen fuerunt duo Petrus & Ioannes, qui aciem oculorum suorum acutè verterunt in Christum verum iustitiæ solem, Num Petrus ait Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Huic Christus fecit prærogatiuam, commendando ei oues suas pascendas, Ioan. vltimo. *Pasce oues meas.* Et in hoc ipsum Principem & Papam Ecclesiæ suæ fecit. Ioannes etiam Cor & oculos ad Christum vertit, & vltra alios se erexit, teste Augustino erexit, se Ioannes non solum super terram, sed super omnem ambitum aëris & cœli, & etiam super exercitus Angelorum, omnemque constitutionem inuisibilium potestatum, & peruenit ad eum, *per quem facta sunt omnia.* Ipse tam acutè intuitus est verbum æternum, quod de hoc miratur B. Hieronymus in Prologo Bibliorum capite quarto, dicens. Ioannes rusticus, piscator indoctus, & vnde sibi ista vox? *In principio erat verbum,* &c. hoc doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit. Ideò de eo canit Ecclesia. Volat auis sine meta, qua nec Vates nec Propheta, euolauit altius. Ideò Christus dilexit ipsum magis, tanquam sibi conformiorem, eiq; prærogatiuas ostendit.

C
I. PRIMA quidem patet in eius naturæ conuersione, & hoc in duobus. PRIMO, quia vocauit eum in iuuentute, de qua dicitur Matth. quarto. *Vidit Iesus duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus secuti sunt eum.* Sic Christo in iuuentute nos vocante statim obedire debemus, & ipsum sequi. Et verè beatus ille homo esset, qui cum Beato Ioanne Christum in iuuentute sequeretur. *Quia bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua* Thren. 3. SECVNDÒ, vocauit eum à nuptijs Virginem. De hoc dicit Hieronymus in Prologo super Euangelium eius. Iste quidem est Ioannes, quem DOMINVS de fluctiuago nuptiarum vocauit, cui Matrem VIRGINEM Virgini commendauit.

Variæ prærogatiuæ Ioannis. Vocationi Diuinæ in iuuentute, obediendū.

II. SECVNDAM prærogatiuam ostendit ei in die cœnæ, & hoc in duobus *Primò,* cum ei reuelauit proditorem, Ioannis decimo tertio, dicens. *Cui intinctum panem porrexero.* Et hoc fuit signum feruentis amoris, quod ei tale secretum, & non Petro, vel alij reuelauit. Quia sciuit Christus scriptum esse, Prouerbiorum vigesimo quinto. *Causam tuam tracta cum amico tuo,* id est singulari, *& secretum extraneo ne reueles. Secundo,* recubuit suprà pectus Domini, Ioannis decimo tertio. *Vnus erat recumbens supra pectus in sinu eius, quem diligebat Iesus.* Fecit enim Christus cum Ioanne, sicut duo amatores, præcipuè qui se sedulè amplectuntur, vt sic corda socient, de quibus procedit talis amor.

TER-

TERTIAM prærogatiuam ostendit ei in passione, & hoc in duobus. *Primò,* quia commendauit ei Matrem, Ioan. 19. *Ecce Mater tua.* Et in hoc vt dicit Hieronymus, fuit thesaurus Christi, Nam cum omnem substantiam diuideret, scilicet corpus Nicodemo & Ioseph, animam Patri, Ecclesiam Petro, Matrem suam commendauit Ioanni, Et sic in sua custodia habuit thesaurum gratiæ, fontem misericordiæ, & vinum cœlestis vitæ. Si ergò vis ditari, hunc thesaurum pete à Ioanne. *Secundo,* quia ipsum tanquam filium charissimum Matri commendauit, dicens ad Matrem, *Ecce, filius tuus.* Fecit enim Christus ad instar regis terreni filium dilectum habentis, quem cum vult recedere, non commendat vilibus in castro, sed suæ dilectæ potius matri, si adhuc viuit, vel alij cariori. III. Maria thesaurus gratiæ.

QVARTVM prærogatiuam ostendit ei in prædicatione. & hoc in duobus. *Primò,* in miraculorum operatione. quia mortuos suscitauit, vt patet de Drusiana, & de his, quos Aristodemus veneno peremit. *Secundo,* in verborum altitudine, quia præ cæteris altius scripsit sicut illud. *In principio erat Verbum.* Vbi dicit Hieronym. Si parum altius intonuisset, totus mundus eum capere non potuisset. IV.

QVINTVM prærogatiuam ostendit ei in passione: & hoc in duobus. *Primum,* quod ipsum à morte gladij voluit conseruare; nec pœnam crucis sustinuit, secundum illud Ioan. vltimo, vbi dixit Dominus. *Sic ego eum volo manere, donec veniam. Secundo,* quòd feruorem olei non voluit eum sentire. De quo habetur in Legenda. Ioannes Apostolus & Euangelista cum Ephesi prædicaret, à Proconsule capitur, & vt Dijs immolet inuitatur, qui, dum renuit, in carcerem mittitur, & ad Domitianum Imperatorem Epistola mittitur, in qua magnus sacrilegus Deorum contemtor, & Crucifixi cultor, Beatus Ioannes nominatur. Iussu igitur Domitiani Romam deducitur, eique omnes capilli pro derisione descinduntur. Ac ante portam vrbis, quæ Latina dicitur, in dolium feruentis olei igne candente de subtus mitti iubetur. Sed nullum dolorem ibidem sensit, & pœnitus exiuit illæsus Ideo in hoc loco Ecclesia à Christianis fabricatur, & dies illa tanquam dies Martyrij celebratur. V. Ioannes Romam ducitur, & in dolium feruēti olei mittitur.

SEXTAM prærogatiuam ostendit ei in morte, & hoc in duobus. *Primò,* quòd mortem & reuelauit dicens. Veni dilecte mi ad me, quia tempus est, vt in mensa cum fratribus tuis exultet. Et cum surgeret, & post eum ire vellet, ait: Dominica die ad me venies. Sed de nobis dicitur illud Eccli. nono. *Nescit homo finem suum. Secundo,* quod non sensit dolorem mortis, quæ tamen est omnium terribilium terribilissima, vt dicit Aristoteles 3. Ethicorum. Ideò dicit Beatus Hieronymus, Beatus Ioannes, tàm à dolore mortis excitit extraneus, quàm noscitur à corruptione carnis alienus. VI.

SEPTIMA prærogatiua fuit post mortem, & hoc iterum in duobus. *Primò,* quod cum Christus cum alijs personaliter antecessit in cœlum, & ipse fuit vltimus in morte, quodque in sepulchro eius inuenitur manna scaturire, in signum incorruptionis. Ideò de ipso potest exponi illud Psalm. 15. *Non dabis sanctum videre corruptionem.* VII.

Quantum ad SECVNDVM in verbis præmissis innuitur ipsius Ioannis puritatis candor, cum subditur. *Qui pascitur inter lilia,* scilicet puritatis, sicut vnum ex illis. Circa quod NOTANDVM, secundum Auctorem proprietatum lib. D

libro decimo octauo. Lilium est herba lactei coloris, & habet candorem, & mitigat seu sanat dolorem.

I. *Candor puritatis.* Sic B. Ioannes *Primo* habuit candorem puritatis & mundiciæ, quia est virgo electus, & in æuum virgo permansit, & hanc puritatem habuit à Christo vero sole, quia dicitur Sapien. 8. *Non possum esse continens, nisi Deus dederit mihi.* Et quantò propinquius fuit Christo, tantò candidius enituit. Quia videmus naturaliter, quod aliter recipiunt pulchritudinem de cœlo, aliter à sole corpora propinqua, aut remota. Corpora enim propinqua à cœlo recipiunt claritatem, non solum exterius in superficie, sed etiam interius, vt ignis & aër. Terra autem est remota à sole, minus depuratur cæteris elemẽtis. Sic B. Ioannes, quia propinquior fuit vero soli Christo per speculationem profundam, ideò virtuosum retinuit candorem puritatis. Sed homines terreni, qui se rarò subleuant ad verum solem, licet exterius luceant per bonam cõuersationem, tamen interius manent tenebrosi. *Secundò*, B. Ioannes habuit candorem Sapientiæ, & hic est candor lucis æternæ, id est, Dei, quia omnis sapientia à Domino Deo est, quam abundanter tribuit B. Ioanni secundum illud Eccli. 15. *Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus.* Ille enim est alter Salomon, cui DEVS tribuit tantam sapientiam, ita vt excederet sapientiam, omnium Orientalium, *& erat sapientior cunctis hominibus*, vt dicitur tertio Regum quarto. Et benè possum hoc dicere de Ioanne, quia secundum Beatum Augustinum: Cœlestis haustum sapientiæ cæteris altius potauit de pectore Christi, in quo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Ad Coloss. 2. *Tertiò*, Beatus Ioannes habuit candorem innocentiæ, quia mala omnia in mansuetudine sustinuit, & nõ mordaciter, & iracundè murmurauit. Quia dicit Euax de sigillis lapidum, quod lilium extinguit iram & discordiam vniuersam. Et ratio huius est, quia exstinguit cunctas cholericas passiones, vt dicit Auicenna. Fons autem iræ est sanguis, & cholera. Sic Beatus Ioannes virtute candoris innocentiæ & patientiæ, exstinxit in se omnes motus iræ, & non solum in se, sed etiam in alijs, quos ad mititatem animæ reduxit. Sicut patet de Pontifice idolorum Aristode, quem videns ex prædicatione sua iratum, ipsum bibitione veneni placauit, vt patet in Legenda.

II. *Sapientiæ.* *Ioannes alter Salomõ.*

III. *Innocentiæ.* *Virtus liliorum.*

Secundo, lilium habet odorem, quem longè lateq; diffundit, & maximè quando à vento agitatur. Sic B. Ioannes fuit multæ redolentiæ, & maximè in vento tribulationis. Nam cum in dolium feruentis olei missus fuisset, diffudit de se odorem, vt creditur, benedictionis cum Psalm. 33. dicens. *Benedicam Dominum in omni tempore*, scilicet etiam tribulationis, *semper laus eius in ore meo.* Non sufficit, sicut modò impatientes, qui ad modicam persecutionem, vel tribulationem, emittunt de se fœtorem maledictionis, & detractionis. Et similes sunt ardeæ, de qua dicit Isidorus libro 12. quod in aqua stare consueuit, quærens pisciculos, quos comedit, & tunc est bonæ mentis. Si autem ab accipitre, vel alia prædante aue persequitur, in aëre volans emittit stercora, & sic fœtore ipsum retardat persequentem. Sic & illi cum audierint eis aliquem detrahentem, statim ad alta superbiæ rapiuntur, & à tergo emittunt stercora detractionis. De quibus dicit Ioann. 19. *Cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.* Sed sic non fecit B. Ioannes, qui habuit odorem patientiæ, cum gratiarum actione, mala sustinendo.

Tertiò,

Tertiò, lilium mitigat dolorem, quia dicit Barthol. in prima practica, quòd membra igne læsa lilium sanat. Quia succus est maturatiuus & sanatiuus adustionum, apostematum & tumorum. Vel secundum Auctorem propriet. lib. 17. Lilium & folia eius decocta & imposita, videlicet ad loca combusta, dolorem mitigant. Sic corda humana cupiditate læsa sanat B. Ioannes, qui tàm sedulè & ardenter contra auaritiam prædicauit, dicens illud Senecæ ad Lucilium in Epistola. Nemo est Deo dignus, nisi qui opes contempserit, quasi dimittendo inordinatum amorem. Et hoc patet in duobus iuuenibus auaris in Legenda. Item lilium emollit, valet enim contra duritiam splenis, si eius succus oleo veteri admixtus & benè coctus splenis tergo inungatur. Sic B. Ioannes emollit ad pietatem, quorum *cor induratum erat, quasi lapis*, Iob. 41. Et per se miserias hominum non solum spirituales, sed etiam corporales releuauit. Nam gemmas valde pretiosas, quas Crato Philosopus ob mundi gloriam in foro frangi fecerat, facta oratione solidauit, & illis venditis pretium pauperibus erogauit.

IN DIE SOLENNI PENTECOSTES.

Sermo.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Ita scribitur Thren. 1.

Valde necesse est homini, qui vult ire ad alienam regionem, vt habeat bonum conductorem. Et probatur in natura hirundinum, quæ cum volunt ire ad maris insulam, hyeme veniente simul in magna multitudine cumulantur circa litus maris, & non statim volant per mare, nisi venerit eis bonus ductor, & iste est ventus flans, qui directè eos pellit ad insulas, ad quas tendunt: & nisi statim ventum huiusmodi habebunt, iter non statim arripiunt. Et vt dicunt experti, quando fatigantur in volatu, ad mare se deponunt, alam dexteram erigunt pro velo, & sinistra se regunt tanquam gubernaculo, & sic vsq; ad insulas perueniunt, interdum volando, & interdum nauigando. A Hirundinũ natura.

Ad idem refert Ambrosius in hexam. de ciconijs, quando volant per mare, habent duces coturnices, quæ contra aues infestas se opponunt. Idem probatur, quia nautæ nauigationem non incipiunt, nisi viderint ventum prosperum. Illud etiam ponitur in scriptura Exodi 13. de filijs Israël, qui cum deberent in terram promissionis, ductorem diutius exspectabant, & absq; duce ire noluerunt. Veniente autem Moyse, qui fuit ductor, cum eo exierunt.

SPIRITVALITER autem peccator propter peccatum suum longè est à DEO, & Deus longè ab eo, secundum illud Prouerb. 15. *Longè est Dominus ab impijs.* Cui concordat Psalm. 118. *Longè à peccatoribus salus*, quia ipse abijt, scilicet, peccator in terram longinquam, *cum filio prodigo*. Luc. 15. Ideò si contrà in viam salutis ire voluerit, oportet, quod habeat ductorem bonum, & iste est S. Spiritus, quem desidera- B

bat Propheta Dauid, cum errasset dicens: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Psalm. 142. Similiter de hoc ductore dicitur Nehemiæ nono. *Spiritum bonum tuum dedisti eis, qui doceret eos & duceret.* Et hic ductor figuratus est Exod. 4. *In columna nubis*, quæ protexit filios Israël *ab ardore solis per diem*, & ducebat eos. Similiter & *per columnam ignis*, qui lucebat eis per noctem. De ista columna dicitur Nehemiæ nono. *Per diem ignis, per noctem columna nubis.* Per diem ignis, per noctem non defuit eis columna, *vt duceret eos per viam.* Et SPIRITVM bonum tribuisti eis.

Figura.

C Spiritus sanctus dicitur columna nubis. Quia in die claritatis & puritate cordis præstat homini refrigerium, sed in nocte peccati illuminat peccatorem. Ideò B. Augustinus dum fuit in nocte peccati, petijt, vt Spiritus sanctus eum illuminaret, quando dicit in libro soliloquiorum. O lux, quæ semper luces, & non extingueris illumina me: O vtinam arderem ex te ignis sancte, quoniam dulciter ardes, sacrateq; luces, & quàm desideranter: Væ his, qui non ardent, in te. Hæc ille. Quia ad hoc missus est Spiritus sanctus, vt homines in eo ardere deberent & erudiri, secundum, quod testatur Propheta in verbis præmissis. *De excelso misit ignem*, id est, Spiritum sanctum in ossibus meis. In quibus verbis duo tanguntur. *Primò*, missionis Spiritus sancti vtilitas. ibi; *De excelso misit. Secundo*, ad ignem illum sollicitans ibi; *ignem.*

Spiritus sanctus cur dicatur columna nubis.

Spiritus sanctus fit missus.

D De PRIMO est NOTANDVM, quod Spiritus sanctus missus est principaliter propter quinque. PRIMÒ, vt mortua viuificaret. Quod probatur in natura solis. Sol enim habet virtutem viuificatiuam, quia nihil potest viuere, vbi non potest virtus solis pertingere. Ideò dicit Aristoteles 2. Physicorum. Homo generat hominem & sol. Dicit etiam Commentator, 3. Metheorum, quod calidi cineres viuas faciunt muscas, dicens. Muscæ, quæ sunt in aqua mortuæ, si calidis immergantur cineribus, mox euolantes reuiuiscunt. Et hoc si potest facere natura, multò fortius hoc potest facere creator naturarum; Spiritus sanctus, cum descenderit in cor hominis illud viuificat, & à peccatis excitat. Ideò legitur in Vitis Patrum, quod Abbas nomine Ioannes dixit: Sicut pluuia rigat arbores, & terram, vt incipiant virescere, & reuiuiscere, & benè producere ramos & herbas; sic est, quando Spiritus sanctus descendens in corda peccatorum, virescunt quodammodo, & renouantur, & proferunt folia bonorum operum in timore. Idem legitur Ezechiel. tricesimo septimo. Et Spiritus sanctus eduxit Ezechielem in medio campi, plenum ossibus mortuorum, quæ erant sicca vehementer & dixit: *Fili hominis, putásne viuent ossa ista?* Et subditur post pauca. *Ecce ego introducam in vos spiritum, & viuetis. Et dixit Dominus ad Ezechielem, Vaticinare, fili hominis, & dices ad spiritum: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Quod factum est.*

I. Vt mortuos viuificet.

Simile.

SPIRITVALITER. Per campum mundus potest intelligi, in quo sunt multa corpora peccatorum mortuorum sicca, id est, animæ mortuæ in peccatis, carentes pinguedine gratiæ. Ille, inquam, si debent reuiuiscere, necesse est Spiritum sanctum ad se vocare. Ideò dicat quælibet talis fidelis anima. Veni sancte Spiritus ab Orientali vento, quia cognitionem das qua te intelligimus. *Et hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioann. 17. Veni à vento Australi, fæcundans animam meam, vt fluant aromata gratiarum actionum. Veni à vento Occidentali, & occide in nobis vitia, vt tibi soli viuamus. Veni à vento Aquilona-

ſonari, & repelle à nobis omne malum. Veni ergo & infla, id eſt, inſpira gratiam tuam ſuper interfectos, id eſt, nos homines mortuos in peccatis, & reuiuiſcant, id eſt, gratiam vitæ recipiant.

SECVNDÒ, miſſus eſt Spiritus ſanctus, vt immundos purificaret. Et hoc probatur in ſole, qui habet virtutem purificatiuam. Quia radiorum ſuorum diſperſione ſubtiliat aërem, & fugat auram peſtilentem, vt dicit Auctor proprietat. lib. 8. Videmus etiam, quod in menſe Iunio, in quo modo ſumus, quando ſol intrat Cancrum, deſiccat humores in radicibus & lutum exſiccat in plateis, & via mundatur. Sic ſol ſpiritualis, Spiritus ſanctus, cum venerit in mentem hominis, expellit omnem immunditiam vitiorum, & inflammat eam caritate. Et hoc teſtatur Ambroſius; Dulcis eſt ignis Spiritus ſancti, qui conſumit rubiginem peccatorum, & cor accendit in amore Trinitatis. Ideò canitur in ſequentia Trinitatis hodierna. Tu purificator omnium flagitiorum ſpiritus; Purifica noſtri oculum interioris hominis. Et eſt NOTANDVM. Res quæ debet perfectè purificari, debet lauari in aqua, & poſtponi in calore. Quia dicit Theophilus. Vniuscuiusque lotio conſiſtit in cinere & calore. II. Vt immundos purificet.

Ad propoſitum. Spiritus ſanctus dicitur aqua munda. Ezechielis triceſimo ſexto. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Qui hanc aquam Spiritus ſancti gratiam vult habere, debet eſſe humilis. Quia ſcimus, quòd aquæ in montibus non permaneant, ſed ad valles fluant, & ibi requieſcant. Sic gratia Spiritus ſancti corda purificans, non manet in ſuperbis. Quod figuratum eſt. 1. Reg. 9. Et capitibus ſequentibus de Saul. Qui cum eſſet humilis, factus eſt Rex in Iſraël, & Dominus dedit ei ſpiritum bonum; ſed poſtquam factus eſt ſuperbus, tulit ab eo Spiritum ſanctum, & ſpiritus malus eum exagitabat. Ideò dicit Iacobus in Canonica ſua, capite quarto. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, id eſt, denegat ſuperbis dona gratiæ. O homo, ſi vis mundari diſcas humiliari, vt in te requieſcant aquæ gratiæ Spiritus ſancti. Quia dicit Iſaias 66. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem.* Super quo dicit Ambroſius: Eſto humilis & quietus, vt in tuo affectu requieſcat Dominus. Etſi, ô homo, vis adhuc perfectius mundari, adhibe cinerem contritionis, & calorem caritatis. Quia dicit Auguſtinus de ſpiritu & anima: Ita familiaris eſt Dei caritas, vt ibi eſſe nolit vbi caritas non fuerit. Cum autem quis caritatem habere incipit, Spiritum ſanctum habebit. Et hoc probat Dominus in Euangelio hodierno Ioann. decimo quarto. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* E Spiritus ſanctus aqua munda. Cinis contritionis ad perfectam mundationem neceſſarius.

TERTIÒ, miſſus eſt Spiritus ſanctus, vt indoctos doceat. Quod probat Beatus Gregorius in homilia hodierna. Libet oculos fidei in virtute huius opificis attollere, & ſparſim Patres veteris teſtamenti conſiderare. Ecce apertis eiuſdem oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum, &c. intueor. Et Spiritus iſte ſanctus qualiter ſit artifex conſiderare volo, ſed in ipſa conſideratione deficio. Impleuit namq; citharœdum puerum & Pſalmiſtam fecit; Impleuit paſtorem, & Prophetam fecit; Impleuit abſtinentem puerum, & iudicem ſenum fecit; Impleuit piſcatorem, & prædicatorem fecit; Impleuit perſecutorem, & doctorem gen- III. Vt indoctos doceat.

tium fecit; Impleuit Publicanum, & Euangelistam fecit. O qualis est artifex iste spiritus. Nam ad discendum mora non exigitur. Mox enim, cum tetigerit mentem, docet, solumq; tetigisse, docuisse est.

IV. Vt calidos refrigeret.

QVARTO, missus est Spiritus sanctus, vt calidos refrigeret. Dicunt Naturales, quòd ardor inordinatus multum est nociuus; vt in febricitantibus, qui maximum aliquando patiuntur calorem. Ideò tales appetunt in frigidari, vel refrigerari: & hæc refrigeratio potest fieri per ptisanam, proprie Gersten Wasser. Qui est potus vtilis febricitantibus, & calidas passiones habentibus. Quia vt dicit Plinius in spec. nat. Et Gloss. super 2. Regum primo. Hæc aqua mitigat calorem, & alterat, sitimque sedat.

SPIRITVALITER. Totus mundus est in ardore inordinato auaritiæ, luxuriæ, superbiæ, secundum illud 1. Io. 2. *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ideò dicit in eodem Canone, quod *totus mundus in maligno positus est*, id est, in malo igne concupiscentiarum prædictarum. Et hunc ignē fecit diabolus, vt totus mundus inde inflammaretur, & est valde nociuus, quia tandē producit ad mortem culpæ gehennæ. Idcircò contra hunc malum æstum datus est Spiritus sanctus in specie flatus, vel venti, secundum illud Actor. 2. *Factus est repentè de cœlo, sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*, id est, venti. Et hoc ideò, vt talem ardorem refrigeraret, & hunc debemus ad nos trahere. Rectè sicut facit Draco, qui est animal ad calidum & sitibundum, vt dicit Gloss. super Leuit. 14. quod vix potest in aqua satiari, & ideò aperit os suum contra ventum, vt sic exstinguat ardorem sitis. Et quia maximus ventus venit cum velo nauis, volat ad ipsum, vt ibi hauriat ventum frigidum, & quandoque propter magnitudinem corporis subuertit nauem. Sed nautæ quando vident appropinquare ipsum, deponunt velum, vt euadant periculum. Et per hoc intelliguntur potatores, qui ita sunt sitibundi, quia in aquis luxuriæ, & auaritiæ non possunt satiari, ideò aperire debent os suum contra ventum Spiritus sancti, vt sic sitim suam exstinguant. Sic fecit Dauid, qui dixit Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*

V. Adiuuat infirmos.

QVINTO, missus est Spiritus sanctus, vt infirmos adiuuet. Et hoc probatur in simili. Videmus enim, quod nauis per se descendit, dum est in mari aut flumine, sed non potest ascendere nisi per adiutorium flantis venti in velo. Etiam molendinum venti, non potest molere sine vento. Ita ex nobis labimur in peccatum, & in infernum, & non possumus ascendere in cœlum, nisi per adiutorium Spiritus sancti. Ideò dicit S. Paulus ad Roman. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Et Psalm. 32. *Spiritu oris omnis virtus eorum.* scilicet hominum.

Figura.

Quantum ad SECVNDVM, est NOTANDVM, quòd Dominus largus, vbicunque venerit, portat secum dona multa, ditando illum, ad quem venit, quod figuratum est Genes. 30. vbi legitur, quod Patriarcha Iacob pergens in Mesopotamiam ad virum, cui nomen Laban, apud quem per aliqua fuit tempora, & ex illius præsentia Laban fuit ditatus. Ideò dixit ad eum Iacob. *Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues factus es, benedixitq; tibi Dominus ad introitum meum.* Et ibidem affirmat Laban dicens. *Inueni gratiam in conspectu tuo, & experimento didici, quòd benedixit mihi Deus propter te.*

SPI-

SPIRITVALITER. Spiritus sanctus est Dominus largissimus. Ipse enim est *Pater pauperum*, scilicet pascens pauperes, ipse *Dator numerum* omnium. Ideo petiit Ecclesia dicens. Veni Pater pauperum. Quasi diceret; In aduentu tuo omnes pauperes spiritualiter ditantur, & omnes generaliter remunerantur. Scit enim sancta Ecclesia, quod aduentus huius Domini largissimi non est inanis, sed multum proficuus, quia portat secum septem dona in proprietatibus ignis designata, quibus ditat illos, ad quos venit. F

Septem dona Spiritus sancti.

PRIMVM est donum *timoris*. Et signatur in prima ignis proprietate, quæ est, quod purgat metalla, quæ aliàs non possunt purgari à rubigine & scoria, sed ad ignem proiecta purgantur, vt dicit Magister lib. 10. proprietatum. Sic donum Spiritus sancti timoris purgat mentem à rubigine peccati, iuxta illud Eccl. 1. Timor Domini expellit peccatum. Cui concordat B. Hieronymus: Nulla res ab omni peccato nos seruat sic immunes, sicut timor Domini, quia expellit peccatum, & timor supplicij. Et hoc patet Exod. 1. *de Obstetricibus, quæ Deum timuerunt*, ideo à peccato recesserunt, & pueros non occiderunt. Idem patet 2. Macha. 6. de Eleazaro, qui Deum timuit. Ideò dixit. *Propter timorem Domini hæc libenter patior.* G

I. Timor.

ET NOTANDVM, quod per hoc donum timoris, Spiritus sanctus ditat homines spiritualiter, & interdum corporaliter. Quia dicit Psalmista 33. *Non est inopia timentibus eum.* Et idem intellexit Tobias, qui dixit filio suo cap. 4. *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum.*

Et hoc probat Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus de duobus sutoribus, qui compatres fuerunt, quorum vnus bonus artifex fuit & pauper, alter verò simplex artifex, & semper habuit multa bona. Cui semel dixit pauper. Impossibile est, quin alia fruaris arte cum ego melior artifex, semper egeam, & tu semper abundas. Cui ille. Carissime, scias me inuenisse thesaurum, & si iuraueris secretum velle te tenere, ducam te mecum ad locum. Et fecit. Surgentes igitur manè videntes Ecclesiam, dixit abundans pauperi. Intremus Ecclesiam, & rogemus Deum primò, ne faciamus aliquid vnde malum accidat nobis, & fecerunt: & audientes Missam, facta est dies clara. Tunc dixit alteri. Ecce dies est, redeamus domum vsque in aliam diem, & sic secunda die, & multoties fecerunt, & tandem illi dixit. Scias, carissimè, quod non inueni alios loco thesaurorum nisi Ecclesiam, & timorem Domini, & confido in eum; sic fac & tu & similiter abundabis. Quod cum ille faceret, similiter abundauit. Ideo possum dicere in his mechanicis, quod subtilitas artificij eas non ditat, si timor Dei ibi non fuerit. Timeant ergo Deum, & certè abundabunt. H

SECVNDVM donum Spiritus sancti est donum *pietatis*. Et significatur in hoc natura ignis, quia liquefacit dura, vt aurum & argentum, & facit ea fluxibilia. Sic Spiritus sanctus veniens in cor hominis per donum pietatis, facit illud molle, & ad fundendum lacrymas, secundum illud Psal. 147. *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ*, scilicet lacrymarũ. Sicut patet de Maria Magdalena Lu. 7. quæ habuit cor durum dum fuit in peccatis. Sed quàm cito venit Spiritus sanctus per hoc donum, cor eius statim factum fuit flexibile. Ita vt pedes Iesu largissimè madidaret. Sic etiam Spiritus sanctus per hoc donum facit dura corda ad compatiendum proximis valde mollia, & ad largiter tribuendum. Et hoc legitur in exemplo.

II. Pietas.

I Exemplum de Petro eleemosynario.

Fuit quidam diues nomine Petrus tam duri cordis, vt nunquam alicui pauperum de bonis suis aliquid daret. Quadam die multi pauperes conuenerunt, & de eius parcitate tractauerunt. Tunc vnus illorum ait, Volo vadiare, quod à Petro eleemosynam portabo. Iuitq; ad domum eius, & cœpit ante mensam eius infestare, nec ille voluit illum exaudire. Cumq; sæpius repulsam pateretur, illud videns pauper, cœpit petere vehementius, nec abire voluit. Contigit autem, diuiti quod calidus panis apportaretur, quod videns pauper cœpit iterum vehementius pro eleemosyna rogare. Ille autem arrepto pane mendicum proiecit, dicens. Vade ad diabolum. Quem ille accipiens ad socios iuit, & eis gesta narrauit. Sed quare fuit tam durus ad dandum pauperibus? Certè ideo, quia Spiritum sanctum non meruit accipere cum dono pietatis. Postquam autem Spiritus sanctus venit in cor illius, valde misericors est effectus. Cum enim prædictus diues quadam vice iuit ad Ecclesiam occurrit ei pauper nudus petens ab eo vestimentum, qui statim exuens optima vestiméta, dedit ei. Et qui prius dare pauperi noluit frustum panis, iam tribuit misericorditer optimum vestimentum. Et qui prius cum indignatione pauperem repulit, iam omnibus petentibus indifferenter piè tribuit. O admirabile donum Spiritus sancti, quod dura corda facit mollia, & tenaces diuites facit tam subitò misericordes. Veni igitur ô sancte Spiritus cum dono pietatis, perfla hortum nostri cordis, & fluent aromata largitatis.

III. Donū consilij.

TERTIVM donum Spiritus sancti est donum *consilij*. Et significatur per hanc naturam ignis, qua se eleuat, & tendit in altum, sicut videmus de flamma. Sic Spiritus sanctus veniens cum dono consilij, facit vt mens hominis ad Deum se eleuet, & quæ sursum sunt, quærat & sapiat. Quia consulit ei illud Apostoli ad Coloss. 2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam, & auaritiam fugite.*

Et hoc donum Spiritus sancti habuit Ioseph, de quo legitur Genes. 39. Quod vxor Putipharis videns Ioseph, quod esset pulcher facie, & decorus aspectu dixit ei. *Dormi mecum.* Ille autem in hanc immunditiam noluit ei assentire. Sed vnde habuit hoc? Certè à Spiritu sancto, qui suadet fugere fornicationem & adulteria, dicens secundum Apostolum ad Hebr. 13. *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*, id est, condemnabit.

IV. Intellectus.

QVARTVM donum est donum *intellectus*. Et signatur per hanc naturam ignis, quia lucet, & loca tenebrosa illuminat. Sic Spiritus sanctus per donum intellectus veniens, illuminat corda nostra tenebrosa. Ideo petebat Dauid Psal. 118. dicens. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua Domine.* Illud donum petere debent luxuriosi, in quibus luxuria non fugatur melius, nisi per intellectum scripturarum. Ideo dicit Hieronymus in epistola ad Rusticum Monachum. & ponitur de consecr. distinct. 5. c. Nunquam. Nunquam deuia sit manus tua ab vsu scripturarum, & vitia carnis non amabis. Et hoc patet de quodam iuuene, nomine Polemo, luxurioso, de quo refert Valerius in Policrate lib 6. cap. vltimo. Quod semel intrans scholas Philosophorum tertiæ noctis manè, & totam noctem consumpsit in petulantia, quem videns Magister cœpit disputare contra vitia carnis: & ille audiens, reliquit omnem immunditiam. & coronam de capite detractam, proiecit in terram, ac subitò in alium adolescentem est mutatus.

QVINTVM donum est donum *fortitudinis*. Et hoc signatur in natura ignis, quod consolidat testam vel ollam. Sic Spiritus sanctus per donum fortitudinis. confortat homines ad fortiter sustinendum, sicut patet de S. Stephano, quem in tantum roborauit, vt posset resistere omnibus aduersariis Actor. 7. Similiter de S. Paulo ad Romanos 8. cum dixit. *Quis nos separabit à charitate Christi? an gladius? an fames?* Quasi diceret, certè non. Idem patet de aliis Apostolis. Nam Petrus, qui prius ancillæ vocem pertimuit, postquam accepit in die Pentecostes Spiritum sanctum, tria millia hominum Iudæorum audacter inuasit, eis prædicando Christum, & vicit eos, ad fidemque conuertit Actor. 2. Similiterque & de aliis Apostolis dicitur Actor. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij.* V. Fortitudo.


SEXTVM donum est donum *scientiæ*. Et signatur per naturam ignis, qui redigit multa ligna in modicum cinerem, & multa metalla in vnam massam. Sic Spiritus S. per donum scientiæ. Ideò dicit B. Bernardus: Perfectè scire, dat cuncta gaudia cognoscere. IV. Scientia.

SEPTIMVM donum est donum *sapientiæ*. Et notatur in natura ignis, qui frigida accendit. Sic Spiritus sanctus per donum sapientiæ cor hominis ignit Ideo dixit Dominus Lucæ 11. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt ardeat.* VII. Sapientia.

IN SOLENNI FESTO CORPORIS CHRISTI.

Sermo.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ioan. 6.



SAPIENS paterfamilias quando viderit diem exitus sui, siue mortem appropinquare, solet filios filiasque suas, & amicos congregare, bona eis distribuendo, & testamentum eis faciendo. Sed dum sanus est & superstes, vtitur pro se bonis secundum consilium Sapientis. Eccl. 33. *Audite me magnati, & omnes populi. Filio & mulieri, fratri & amico, ne des potestatem super te in vita tua: & non dederis aliis possessionem tuam: ne fortè pæniteat te. Dum adhuc superes, & aspiras non immutabit te omnis caro. Melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.* Et subdit. *In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.* Hæc ille. Ita legitur figuratum Gen. 48. De Iacob Patriarcha, qui iacens in lecto suo vocauit filium suum Ioseph, & dixit. *En ego morior. Idcirco do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Ita legitur 1. Mach. c. 1. De Alexandro, qui cum esset triginta duorum annorum, & duodecim regnasset, decidit in lectum suum & cognouit quod moreretur. Vocauitque pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute: & diuisit illis regnum suum. A Figura.

Ad propositum. Dominus noster Iesus Christus sapiens paterfamilias, qui habet duplicem familiam in cœlo & in terra. Videns tempus mortis suæ appropinquare, vt transiret de hoc mundo ad Patrem suis sanctis Apostolis & charissimis filiis instituit Testamentum, corpus suum in cibum, & sanguinem in potum tribuendo. Sicut

de

de hoc dicit B. Augustinus in sermon. Vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum sumendum fidelibus

Figura. dereliquit. Et hoc figuratum est Esther 1. Quia Assuerus *in tertio anno imperij sui fecit grande conuiuium principibus suis & pueris multo tempore.* Quod exponens Nicol. de Lyra dicens. Per Assuerum intelligitur Christus, qui in tertio anno, hoc est, tempore gratiæ, quod fuit tertium tempus à tempore naturæ, & tempore legis, fecit grande conuiuium, id est, instituendo suum venerabile sacramentum cunctis principibus, id est, Apostolis, de quibus dicit Psalm. 46. *Constitues eos principes super omnem terram.* Et similiter pueris suis, id est, aliis Christi fidelibus, & illud conuiuium durauit multo tempore, quia vsque in finem mundi, secundum illud Matth. 28. *Ego vobiscum sum,* scilicet in sacramento, *vsque ad consummationem seculi.*

Alia figura. Idem etiam figuratum est Iudic. 14. vbi legitur. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo, &c.* Quod intelligitur sic. *De comedente,* id est, de Christo, qui comedit cum discipulis suis, *exiuit cibus,* id est, Eucharistiæ sacramentum, de quo canit Ecclesia. *Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum.* Et *de forti egressa est dulcedo,* id est, mellifluum Sacramentũ. De quo Sap. 16, *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* De hoc nobilissimo atq; suauissimo cibo dicit thema. *Caro mea, &c.* In quibus tria tanguntur. *Primò,* veritas ineffabilis, ibi; *Caro mea verè. Secundò,* vtilitas indicibilis, ibi; *Sicut misit me. Tertiò,* dignitas incomparabilis, ibi; *Non sicut manducauerunt.*

Pro quo NOTANDVM. Post labores magnos & longa bella, necessarius est cibus corporalis propter confortationem virium, & illuminationem oculorum. Quia dicit Aristot. in Problem. Cibati homines cibationis tempore in vultu cæterisque membris sunt amœniores & fortiores. Ideo legitur 1. Reg. 17. Quando Ionathas filius Saul tota die pugnabat contra Philistæos, quod ipse præ lassitudine non videbat. Ideo *extendit summitatem lanceæ: & intinxit in fauum mellis: conuertit q; manum in os suum, comedit & confortatus est, & illuminati sunt oculi eius.* Idem legitur de Elia 3. Regum 19. Qui cum fugeret à facie Iezabel, & lassus sederet subter vnam iuniperum. Venit Angelus Domini, tetigit eum dicens. *Surge & comede: & respexit subcinericium panem ad caput suum, & vas aquæ. Comedit, & bibit, & confortatus est.*

B MORALITER loquendo. Nos sumus quotidie in labore contra diabolum, qui quotidie nos impugnat. Quia dicit Gregorius 24. moral. Quod enim egit in paradiso, hoc antiquus hostis non vult deserere in mundo. Et quia habemus tale bellum contra diabolum, ideo valde necessarium est nobis habere corpus Dominicum. Ideo pro illo orat Anselmus in libro meditationum dicens. Ecce animus meus fatigatus est, veniens de via cogitationum, ab ipsis, quas transierat cogitationibus periculosam patitur esuriem, non habeo quod pono ante illum, sum pauper & egenus. O diues omnium bonorum, da prandium supernæ societatis opulentissime largitor, da lasso cibum dispersum. Ideo proponit nobis Christus cibum hodie delicatissimũ sui corporis, scil. sacramentũ. Cum dicit. *Caro mea verè est cibus: & sangis meus verè est potus.*

C Circa quod est NOTANDVM, quod sub vtraq; specie huius sacramenti totus

Christus sacerdos & sacrificium. Christus realiter & verè cõtinetur, teste B. Ambrosio lib. de officiis. In illo sacramento totus Christus est. Illud habetur de summa Trin. & fide Catholica. c. Firmissimè. Ibi dicitur Christus sacerdos & sacrificiũ, cuius caro & sanguis in Sacramento altaris sub

speciẽ

speciebus panis & vini veraciter continetur. Idem habetur ex ore Christi ad deuotum Amandum in horol. Sap. lib. 2. c. 3. Certissimè, & veraciter, & absq; omni dubitatione in hoc sacramento contineor Deus & homo, cum corpore & anima, carne & sanguine, sicut prodij ex vtero Matris, & in Cruce pependi, ac sedeo ad dextram Patris. Sed qualiter corpus meum in sacramento contineatur, nulla lingua valet explicare, neque sensus aliquis percipere, nec ratio humana valet comprehendere, sed sola fide conuenit hoc scire.

Ex quo dicto patet, quod sub vtraq; specie sacramenti sit Christi diuinitas, anima, corpus, & sanguis, integraliter. Sed tamen aliter & aliter: quia sub specie panis est totum corpus Christi, ex vi sacramenti, tanquã terminus consecrationis, eò quod solum in corpus Christi substantia panis vertitur, anima verò Christi & sanguis sunt ibi ex naturali concomitantia: Diuinitas verò, absolutè considerata, est ibi de per se ratione suæ immensitatis. Similiter sub speciebus vini est tantum sanguis Christi ex vi sacramenti directè, tanquam terminus per se ratione consecrationis: Corpus verò & anima & deitas sanguini vnita, sunt ibi ex reali vel naturali concomitantia.

Ex his iam dictis potest refutari error detestabilis quorundam hæreticorum, qui Dei virtutem iuxta modum rerum naturalium metientes, in tantam ausi sunt prosilire insaniam, vt dicere non vereantur in altari post consecrationem non esse corpus Christi, quod traxit de Virgine: nec sanguinem, quem pro nobis fudit in cruce: nec substantiam panis & vini in substantiam carnis & sanguinis conuerti. De quorum numero fuit Berengarius, de cuius reuocatione, & eius erroris abiuratione facta est conuocatio coram Papa Nicolao, & centum & tredecim Episcopis, vt habetur de consec. dist. 2. c. Ego Berengarius. Sed hunc errorem Magister Wicleff de Anglia reuocauit, asserens Christum non esse in sacramento realiter, & verè in propria persona corporali, quod dixit Christus Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*, quasi diceret. Cibus Angelorum, quem cernitis in altari post consecrationem, est verè caro mea, quam traxi de Virgine, *& potus est verè sanguis*, quem pro vobis fudi in cruce. Natura enim fortificat fidem nostram in sacramento hoc.

Berengarius. V Vicleff.

Nam in Hybernia est lacus, in quem quicunq; palus figitur, exterius super aquam est ferrum, in aqua lapis. Idem in Thuscia est fons, quicquid ibi proiicitur fit lapis. Vnde Fridericus Imperator experiri volens immisit chirotecam cum annulo, quod totum conuertebatur in lapidem. Et si potest hoc natura facere, multò magis creator naturarum conuertere potest panem in corpus suum, & vinum in sanguinem virtute verborum. Tunc subditur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

D

Lacus Hyberniæ. Fons Thusciæ.

Ex his verbis, & aliis in hoc capite Ioan. 6. positis, vbi dicitur. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quidam hæretici pernitiosi traxerunt occasionem sui erroris dicentes: Populum laicalem debere sub duplici specie communicare, non intelligentes hoc esse dictum de spirituali manducatione, scilicet, qui in caritate est, & in fide manducat spiritualiter. Iuxta illud Augustini: Crede & manducasti. Et Alexander de Halis in scripto suo super illud Ioan. 6. dicit. Quod solus sacerdos communicat sanguini, reliqui verò non consecrantes corpori. Idem dicit Lyra in Gloss. quod non est intelligendum, quod hoc sacramentum sub vtraque specie fidelibus sit exhibendum, sed tamen hoc modo à sa-

Error hæreticorum de vtraq; specie.

 cerdote

cerdote celebrante est sumendum. Licet enim populus in primitiua Ecclesia sub vtraq; specie communicaret, postea tamen prouidè ordinatum est, vt non communicet sub specie vini, propter periculum effusionis.

E

Communio laicorū sub vtraq; specie illicita. Probatur I.

Quod autem talis communicatio laicalis est illicita sub duplici specie, probatur. Quia est contra scripturam, figuram, & naturam. Quo ad PRIMVM probatur Ioan. 6. vbi dicitur. *Hic est panis, qui de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur*. Et ibidem. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Item ibidem. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Ecce hæretice perniciose, quod Dominus dicit tantum de pane & non de vino, per hoc innuens, manducationem Eucharistiæ sufficere sub vna specie tantum, pro vita æterna capessenda. Item habetur Luc. 15. quod pater occidit filio prodigo reuertenti ab errore *vitulum saginatum*. Per quod Christus signatur gratia pinguedinis. Vbi nulla fit mentio de bibitione. Item probatur Matt. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6. Quod Dominus satiauit quinq; millia hominum de quinq; panibus. Vbi tamen nulla fit mentio de vino. Quod tamen Hæretici non perpendunt, sumentes pro se Verba Domini Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. ad defendendum suum errorem, sed illud quod sequitur, nolunt respicere, quando Dominus dixit Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat*, & spiritualis sensus vitam confert, quasi diceret; Dicta mea oportet spiritualiter intelligere, quia *caro nihil prodest*. Quasi diceret. Si secundum sensum corporalem intelligetis, nihil vobis proderunt, sed nocebunt. Et sequitur ibidem Ioan. 6. *Verba quæ locutus sum vobis*, scilicet de manducatione carnis meæ & sanguinis, *spiritus & vita sunt*, id est, spiritualia & vitalia. Idem legitur de duob. discipulis euntibus in Emaus Lucæ vltimo, quibus solum tradidit corpus suum.

II. Probatur in figuris.

Quod ad SECVNDAM probatur in figuris, quæ sunt quatuor secundum Magistrum in lib. 4. sententiarum distin. 8. scilicet sacrificium Melchisedech. Agnus Paschalis. Manna. Sanguis & aqua, quæ de latere Christi profluxerunt. Quantum ad PRIMVM habetur, quod solum sacrificantes debent sub duplici specie Eucharistiam percipere. Quod figuratum est in oblatione Melchisedech, Gen. 14. *qui erat sacerdos Dei Altissimi, & obtulit panem & vinū*. De quo dicit Ambrosius super illo verbo Matt. 26. *Accipite & manducate*; Christus in cœna obtulit suis discipulis, quod Melchisedech repræsentauit in figura. Item Leui. 17. *Sanguinem dedi vobis, vt super altare meum expietis illum pro animabus vestris*. Item Deut. 12. de hoc habetur. Vbi figuratur, quod soli sacerdotes debent Eucharistiæ sacramentum sub duplici specie sumere, & si non consecrarent, & sumerent sacramentum sanguinis Christi, diuiderent sacramentum, quod sine grandi sacrilegio prouenire non potest, vt habetur de consecr. dist. 2. cap. Comperimus. Et inciderent in Canon. pœnam, quæ est repulsio ad vnum annum, à communione. Sacerdotes autem non sacrificantes, possunt cōmunicare sub vna specie tantum, secundum illud 1. Reg. 2. *Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, & comedam buccellam panis*. Et sic refert Eusebius ad Damasum Papam de morte gloriosi Hieronymi, qui sacramentum Eucharistiæ sub specie panis tantum accepit. Eodem modo Eusebius communicauit in extremis, vt de eo scribit Cyrillus Epistola ad B. Augustinum. Sic etiam communicauit B. Augustinus in extremis de manibus B. Honorati Episcopi.

Melchisedech figura.

Sacerdotes non sacrificantes communicāt sub vna specie.

Agnus Paschalis &

Item agnus paschalis & manna figurabant Christum. Et in immolatione agni, Exod.

Exod.13. Et in manducatione mannæ, eiusdem 16. nulla fiebat mentio de potatione. Ideo non est dandum Laicis sub vtraq; specie Eucharistiæ Sacramentum. Manna figuræ Sacramenti.

Quo ad TERTIVM, probatur in natura. Quia aliqui naturaliter non bibunt vinum, nec possunt odorare, & per consequens, nec sub speciebus vini communicare possunt. Vnde refert B. Gregorius in tertio dialogorum cap. 3. Quod S. Agapitus Papa quendam claudum & mutum communicauit sub vna specie, dum Missarum solennia celebrauit. Et cum corpus Christi in os eius mitteret, ad loquendum est soluta lingua. *II.* Probatur in natura.

Item Alexander de Halis in parte 4. summæ suæ, de natura sacramenti, quærit; Vtrum licet corpus Christi sumere sub specie panis tantum, sine sumptione specie vini? *Et respondet*, quòd corpus integrè sumitur sub vtraq; specie: benè tamen licet sumere Christum sub vna specie panis tantum, siue vini tantum. Quod autem dicit supra Canon in capite Comperimus, intelligitur de conficiente. Ecclesia autem illud sacramentum dispensare consueuit sub specie panis tantum, propter periculum effusionis. Item propter vitium infidelitatis, quod se non immerito in fide simplicium mentium ingereret, si semper sub specie panis & vini daretur. Possent enim simplices credere, quòd Christus non contineretur sub altera specie integer.

F

Dicit tamen Thomas Aquinas, quòd Laicis debet dari simplex vinum non consecratum, aut aqua pro ablutione, non tamen propter aliquod mysterium, sed vt lauentur ora sumentium, ne remaneant aliquæ reliquiæ Eucharistiæ infra dentes. Vel etiam, vt non seruetur Eucharistia in ore, propter maleficium exercendum, vt expertum fuit tempore Ambrosij Episcopi. Quando in trunco apum hostia consecrata per mulierem fuit absconsa, vt apes augerentur. Cuius miraculi signum, quod ibi accidit, habetur hodie Mediolani, scilicet monstantia cerea, quam apes corpori Christi tunc fecerunt. *Et addit Thomas*, quòd sacerdoti semel in die sufficit communicare, aliis autem probatis, & perfectis sufficit de octaua in octauam. Communi autem populo, qui se non cum magna deuotione occupat, semel in anno sufficit. Idem dicit: Sacerdos porrigens aliis Eucharistiam sub vna specie, potest illa vel consimilia verba dicere; Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam æternam. Et non solum corpus Domini nostri. Et dans vinum simplex potest dicere in nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Item Nicolaus de Lyra super illud Ioan. 6. dicit. Sacramentum Eucharistiæ non solum sacerdoti sumenti, sed toti Ecclesiæ, ac etiam illis, qui sunt in purgatorio prodest. Ratio est, quia non tantum est sacramentum, sed & sacrificium Ecclesiæ, in quantum continet Christum passum. Et ideo proficit omnibus fidelibus. Si autem sumitur alio modo, vt à laico, tunc proficit solum sumenti, Quia officium eius non est offerre sacrificium, sed tantum suscipere sacramentum. Item Scotus in 4. dist. 8. dicit. Sacerdos post consecrationem habet rigidissimum mandatum Ecclesiæ ad hoc, quod percipiat vtrumque. Quoties liceat communicare. Sumtio Eucharistiæ à Sacerdote, etiam animabus in purgatorio prodest.

G

Sed quæritur hic. Vtrum quotidie sit celebrandum, vel communicandum? Videtur quod non. Quia dicit B. Augustinus, & ponitur de consec. dis. 2. ca. Quotidiè celebrare nec laudo, vel vitupero. In contrarium habetur dictum sancti Ambrosij in libro de Sacramentis, & ponitur de consec. dist. 2. c. Non iste. Vbi dicitur, quòd panis iste est quotidie sumendus, vt quotidie tibi prosit. Sed sic viue, vt quotidie merearis accipere. An quotidie celebrandũ vel communicandum.

Circa quod NOTANDVM. In primitiua Ecclesia *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Actor. 4. Et *caritas Dei diffusa erat in cordibus hominum*, vt etiam pro fide Christi certatim ad mortem currerent. Ideò hoc sacramentum necessarium erat quotidie ad mortem præparatis. Tunc enim quotidie communicabant. Post verò crescente Ecclesia, & cessante deuotione, institutum fuit, vt de octaua in octauam fideles cõmunicarent, adhibito hoc remedio, vt pro eo singulis diebus osculum pacis daretur, vt dicit Gulielmus in Rationali Diuinorum. Sed (heu) crescente malitia hominum statuit Fabianus Papa, vt dicit Magister in 4. dist. 12. & habetur de consec. dist. 2. vt, si non frequentius, tamen ad minus ter in anno, scilicet Pascha, Pentecoste, & in Natiuitate Domini, communicarent. Sed (heu) crescente malitia de nouo, decreuit Innocentius, & habetur de pœnit. & Remis. capite. Omnis vtriusque sexus, vt saltem ad minus semel in anno quilibet Christi fidelium communicaret, sub pœna excommunicationis, & carentia Ecclesiasticæ sepulturæ. Istis sic stantibus dicit Bonauentura. Si quis videat se esse in statu primitiuæ Ecclesiæ, laudabile est quotidie celebrare & communicare: si autem in statu finalis Ecclesiæ, vt potè frigidus & tardus consulendum est, vt raro communicet. Si autem medio modo, debet se habere medio modo, & aliquando debet cessare, vt discat reuereri; & aliquando debet accedere, vt inflammetur in amore. Quia tali hostiæ debetur honor, debetur & amor. *Et subdit.* Omnes rationes, quæ videntur valere ad quotidianam communionem, intelliguntur statuta præparatione, quæ in paucissimis est, vt semper. Vnde credo, quod maiorem efficaciam recipit homo in vna Missa vel communione cum bona præparatione, quàm in multis, si non se bene præpararet & diligenter. *Et subdit.* Vterque enim dabit gloriam Deo, & qui manducat cum reuerentia, & qui ex reuerentia dimittit. Hæc ille.

Communio annua Papalis.

Celebrare quotidie, laude dignum.

Dicit tamen Albertus, quod quando apes infirmantur tunc plus solito comedunt mel, propter auiditatem, quam habent ad ipsum. Per mel intelligitur ipsum corpus Christi, qui sicut mel est cibus hominibus, & venenum serpentibus & Draconibus, vt dicit Constantinus. Sic corpus Christi est bonis dulcis & æternus, secundum quod dicit Euangelium. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, si quis manducauerit hunc panem, viuet in æternum*: sed malis, serpentinis hominibus est venenum, secundum quod canit Ecclesia; *Mors est malis, vita bonis*, & Apostolus 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*


Modo, sicut cum apes infirmantur auidius comedunt, sic boni Christiani ex venialib. peccatis, & interdum ex mortalib. oblitis in anima infirmi debeat frequenter sumere hoc melleum sacramentum, quod deleat venalia peccata teste Bernardo, qui ait; In sacramento altaris peccata venialia delentur, homo in gratia roboratur, anima cœlesti dulcedine inebriatur. Et idem dicit Ambrosius. Et habetur de consecr. distinct. 2. cap. In calice, quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur. Debeo semper accipere, quia semper pecco, debeo accipere medicinam. Hic tamen Albertus dicit, intellige de sacrificantibus, & valet tantum *quoties effunditur*, id est, in altari offertur, in remissionem peccatorum effunditur, id est, offertur. Delet etiam hoc mellifluum sacramentum peccata oblita secundum illud Augustini. Cum corpus Christi manducatur, mortuus suscitatur, id est, peccator, qui adhuc iacet in peccatis oblitis, ille per hoc sacramentum surgit ad gratiam. Ideo frequenter est

est sumendum. Sed ad Augustinum, qui dixit; Quotidie communicare nec laudo, nec vitupero, dicit Gloss. Brixiensis, quod hoc dixit Augustinus ignorans mentes sumentium, vtrum sint digni, tanquam qui mentem alterius videre non poterat.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Sermo Primus.

Vir bonus es, & bonum portas nuntium. Ita scribitur. 2. Regum decimo octauo.



Agister lib. 12. de proprietate rerum dicit, Turtur est auis casta & pudica valde, diligens loca solitaria & deserta, fugiens hominum consortia. Quod sit auis casta patet ex eo, nam semel viduata, non vult habere parem, teste Alano in lib. de planctu naturæ. Turtur, inquit, suo viduata consorte, amorem epilogare, id est, repetere dedignans, in altera bigamie refutabat socia. Hæc auis vernali accedente tempore aduenit, & nouitatem aduenientis temporis denuntiat, querula quoq; voce prodit. Ideò dicitur Can. 2. *Iam enim hyems transiit, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, & vox turturis audita est in terra nostra.* A

SPIRITVALITER. Per turturem B. Ioannes Baptista intelligitur. Quia rectè sicut in Aduentu turturis, homines ad gaudia excitantur: Sic adueniente natiuitate S. Ioannis, multi lætantur, quemadmodum Angelus prædixerat patri suo Zachariæ: *Erit*, inquit, *tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Luc. 1. Iste amabilis turtur Ioannes fuit valde castus, quia perpetuus virgo. Quod patet ex eo, quia vitauit omnia, quæ solent ad libidinem incitare, quorum principaliter sunt quatuor; Iuxta illud Poëtæ, B

Vestis pulchra, cibus largus, otium quoq; somnus.

Nam Vestis sua non fuit delicata, nec pulchra, sed aspera *de pilis Camelorum*, quam super nudo corpore portabat, vt habetur Matth. 3. Cibus suus fuère locustæ, quæ secundum Chrysostomum sunt volatilia munda & parua, quæ cocta in oleo pauperem præbent victum. Similiter comedit mel syluestre, quod secundum Rabanum & Thomam de Aquino folia sunt lata & rotunda lactei melleique coloris. Hæc Ioannes comedit neque vinum bibit, sicut prædixerat Angelus Luc. 1. *Vinum & siceram non bibet.* Ipse autem fugit consortia hominum, secundum quod canitur de ipso.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti, &c.

Ideò in suo aduentu tempus nouum denuntiauit diuq; cupitum, cum dixit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*, quod patet Matth. 3. Et fuit hoc valde inauditum, idcirco verba de ipso possunt conuenienter assumpta illi applicari

cum dicitur: *Vir bonus es*; in quibus duo describuntur. *Primò*, virilitas triumphantis, ibi; *Vir bonus es. Secundò*, sublimitas nuntiantis ibi; *Et bonum portas nuntium.*

De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt naturales de lapidum naturis tractantes, Quod quidam lapis nomine Pantheron, sumens denominationem à Panthera animali, habet hanc virtutem, quòd manè visus, illo die facit audacem hominem & inuictum. Eius bonitas claret ex hoc, quod ferè cum omnibus lapidibus pretiosis participat in colore. Cum albis enim est albus, cum pallidis, pallidus, cum nigris niger, cum roseis roseus, cum purpureis purpureus, & sic de alijs.

MYSTICE. Per hunc lapidem B. Ioannes figuratur. Quia rectè sicut lapis iste, si manè videtur circa ortum solis, facit hominem inuictum contra inimicos. Sic qui manè, hoc est, in natiuitate huius sancti Ioannis Baptistæ ipsum inuocauerit, & viderit oculis mentis, inuictus manebit ab inimicis. Quia dicitur per Sapientem. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.* Prouerbiorum 8. Ipse enim in primordio natiuitatis diabolum superauit, & ab eo inuictus fuit. Ideò dicit B. Bernardus in sermone de Natiuitate Sancti Ioannis: Erubesce Lucifer, qui mane oriebaris, quia in nouissimo die tanquam perdix stultissimus apparebis, siue remanebis; tuis enim machinationibus factum est, vt humani generis vniuersitas in peccatis conciperetur, & nasceretur in tristitia. Sed iste in vtero sanctificatur, oritur in gaudio, lætitiamq; mundo sua natiuitate infudit. Sed ecce genus armaturæ, quod tibi constitueris ad victoriam, Ioanni nascitur ad coronam. Apprehende arma & scutum, & toto malignitatis tuæ spiritu debacchare, nec irrumpere poteris Ioannis priuilegium, quod benigna scribentis manus, proprio charactere signauit, multum deceptus, multum delusus es. An ignoras, quia tibi vir bellator ab adolescentia, etiam à matris vtero consurgit? Attende igitur ordinem rei, etiam ab ipsis initijs suæ conceptionis, & inuenies hunc validiori conamine tuam fortitudinem eripuisse. Hæc Bernardus.

C — S. Ioannes cum omni bus sanctis participat.

Ecce quam viriliter à die natiuitatis suæ contra hostem triumphauit. Cuius bonitas & excellentia patet ex illo, quod cum omnibus sanctis, qui sunt veri nobilissimi lapides, plateas cœlestis Ierusalem summopere decorantes, participat in specie & colore.

I. — Cum Angelis.

PRIMO participat cum Angelis. Angeli enim, secundum Dionysium: in libro cœlestis Hierarchiæ habent officium purgandi, illuminandi & perficiendi. Quæ B. Ioannes habuit. Purgauit enim ab hostibus scoriam peccatorum, quia habetur Luc. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur.* Ideò *facite dignos fructus pœnitentiæ*, & instruxit communem turbam, publicanos & milites. Habuit etiam officium illuminandi. Ideò dixit de ipso Psalm. 131. *Paraui lucernam Christo meo.* De hac lucerna dicit Chrysostomus: Filius ille erat *lucerna lucens & ardens*. Ioan. 5. De qua dicit Spiritus sanctus per os Zachariæ. *Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Luc. 1. habuit etiam officium perficiendi, iuxta illud, quod dixit Angelus ibidem. *Parare Domino viam rectam.* Et propter illa benè Angelis similatur, ideò dicitur Mala. 3. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et quia B. Ioannes habet illa officia Angelorum, audeo tamen dicere, quod maior est Angelis. Quia in quem angeli desiderant prospicere, ipse manibus tetigit & baptizauit, Ideò dicit B. Bernardus de eius natiuitate. Stupet terra, Iordanis

S. Ioannes illuminandi officium habet.

S. Ioannes maior Angelis.

arri-

arridet, mirantur DOMINVM Sabbaoth, intra manus baptizantis includi. Quid est Ioannes, quem Cherubin & Seraphin vix audent respicere, tu etiam nudum tenere præsumis? *Et subdit*. Adest Ioannes totius diuinitatis medius testis, qui terram excedit, transit cœlum, ipsamq; virtutem Angelicæ dignitatis attingit.

SECVNDO, participat cum Patriarchis & Prophetis. Patriarchæ habuerunt perfectam fidem & libertatem. Prophetæ autem habebant spiritum ad cognoscendum præsentia, præterita & futura. Sic Beatus Ioannes cum Patriarchis habuit fidem de Christo, cum dixit. *Ecce Agnus Dei*. Ioan. 1. & hoc quo ad humanitatem. Et etiam de eius diuinitate, cum dixit, Luc. 3. *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus corigiam calceamentorum eius soluere.* Super quo dicit Rabanus. Ego sum fortis ad pœnitentiam inuitando, ille fortior peccata remittendo. Ego regnum cœlorum parando, ille donando. Fuit etiam liberalis, quia omnia libenter dimisit, & in deserto mansit. Quod testatur Beatus Bernardus in sermone de natiuitate eius. Reliquit Ioannes homines, mundum fugit & nescit, parentes aspernatur, & in solius diuinitatis apice beatæ contemplationis requiescit. Mira conuersio rerum, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, & seculi cupiditates. Hæc ille. *II. Cum Patriarchis & Prophetis. Ioannis liberalitas.*

Habuit etiam cum Prophetis cognoscendi spiritum de præsenti, præterito & futuro, Ioann. 1. *Qui post me venit, ante me factus est.* Quamuis enim Beatus Ioannes cum illis in prædictis participauit, fuit tamen maior quàm Propheta. Sicut testatur de ipso os veritatis Matthæi 11. *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Vtique dico vobis plusquam Prophetam.* Quare autem maior sit quam Propheta aut Patriarcha, probat Bernardus in sermone de natiuitate eius. Omninò, inquit, illorum siue Patriarcharum, siue Prophetarum copulatus sum societate, nullam in sermonibus, vel in rebus de Patre, & Filio, & Spiritu sancto apertè fecisse memoriam legitur. Veni ergo, vide filium Zachariæ, Deum & hominem proprijs manibus continentem, vide quia cœli aperiuntur, descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, & vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus.* Vide, ad sacratissimam natiuitatem cœlorum, palatia reserantur. Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, in specie columbæ Spiritus sanctus demonstratur. Hæc ille.

TERTIO, participat cum Apostolis, qui fuerunt à Deo missi, & Spiritu sancto repleti. Ita B. Ioannes fuit missus à Deo, secundum quod dixit Angelus, Luc. 1. *Ipse præibit ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Fuit & Spiritu sancto repletus, sed prius quàm discipuli. Ipse enim repletus est Spiritu sancto in vtero matris, quod nulli Apostolorum est concessum. Ideò B. Bernardus in sermone de eius natiuitate dicit. Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, cum Spiritum sanctum de Saluatoris cæperunt afflatu, vix quinquagesimo post resurrectionem die ad illum gradum potuerunt venire, vt diceretur de eis: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Hoc tamen legitur in vtero Ioannem esse assecutum, quod Apostolica celsitudo tandem longiore promissione meruit obtinere. Hæc Bernardus. *III. Cum Apostolis participat.*

QVARTO, participat cum Martyribus, qui fuerunt sapientes, sicut patet in eorum responsis: patientes, sicut patet in iniurijs: constantes, sicut patet in eorum tormentis. Sic Beatus Ioannes fuit sapiens in responsis & verbis, vt dicit Chrysostomus: *IV. Cum Martyribus.*

Sapientia Ioannis.

mus: sermone sequi ... fuit. Nam cum populo Iudæorum viriliter & frequenter cum Rege audacter, cum proprijs discipulis leniter conferebat. Ipsius sapientia in responsis patet, Luc. 3. Quia sapienter cum interrogantibus respondebat. & salutares doctrinas dabat. Habuit etiam patientiam pro iniurijs illatis. Quia secundum Chrysostomum super Matth. quod Herodes ei faciebat pro iniuria, recepit pro beneficio, & ira illius quasi misericordia Dei fruebatur: quia verum gaudium Sanctorum est, exire de mundo. Habuit constantiam in tormentis, quia pro iustitia constanter mortem tolerauit. Ideò dicit Chrysostomus super Matth. Sicut seruus postquam commisso opere & completo gaudet ante faciem Domini sui apparere: sic Ioannes commisso prædicationis mysterio & consummato lætabatur ad Deum transire. Et non solum de morte non contristabatur, sed etiam dilationem vitæ suæ pœnam putabat. Hæc ille.

Fuit constans.

V. Cum Confessoribus.

QVINTÒ, participauit cum Confessoribus, qui carnem suam mortificauerunt, secundum quod præcepit Christus Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Sic B. Ioannes carnem suam macerauit, quia vestis sua erat de pilis camelorum, cibus locustæ, vt ante præmissum est. Sicut Confessores lucidam conuersationem habuerunt, iuxta illud Luc. 12. *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, ita B. Ioannes fuit tam lucidæ conuersationis, vt ab omnibus Christus putaretur Ioann. 1.

VI. Cum Virginibus.

SEXTÒ, participauit cum Virginibus, quia fuit mente & corpore virgo. Ideò canitur de ipso. *Nesciens labem niuei pudoris.* Ideò in confirmationem omnium prædictorum Bernardus dicit in sermone, vbi suprà. Ioannes est Patriarcha, imò Patriarcharum vltimus, & caput Prophetarum, imò plus quàm Propheta. Nam venientem nuntiauit, & digito demonstrauit. Ioannes Angelus, sed inter Angelos electus est. Ioannes Apostolus, sed inter Apostolos primus princeps, quia *primus fuit missus à Deo.* Ioannes Euangelista, sed Euangelij inceptor, prædicans Euangelium & regnum. Ioannes Martyr, sed & Martyrum lumen, inter natiuitatem & mortem Christi constantissimi forma Martyri. Ioannes Virgo, imò Virginitas in signis pudicitiæ, titulus & exemplum castitatis. Hæc Bernardus. Et tantum de primo.

Quantum ad SECVNDVM, ponitur sublimitas nuntiantis, cum dicitur: *Et bonum portans nuntium.* Circa quod NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod Lucifer inter omnes stellas, sole & luna exceptis est lucidior, & nuntiat solem proximè oriturum, quando super nostrum hemisphærium appropinquat. Hæc stella eadem via, sicut sol oritur, & clarius alijs oriri videtur, gaudium etiam facit ægris in suo ortu. Et sic de alijs.

D MORALITER. Per Luciferum B. Ioannes optimè præfiguratur. Rectè enim, sicut Lucifer eadem via, qua sol oritur, & clarius alijs oriri videtur: Sic B. Ioannes natus est, quando Christus sol iustitiæ venit. Nam ab eodem Angelo, videlicet Gabriele fuit nuntiatus. Et sicut Christus mirabiliter conceptus, quia Ioannes à matre sterili fuit cóceptus. Ab eodem quoq; Angelo fuit illi nomen impositum, vt in Euágelio Luc. 1. potes videre, sed vltra hanc prærogatiuam dicit Bernardus in sermone de natiuitate eius, Ioannem in hoc vltra Christum tollendo. Considera, inquit, nuntiantis sublimitatem, loci dignitatem, Dei reuerentiam, & tunc intelligere poteris, quàm superexcellenti gloria Ioannis Baptistæ genitura Christi. Salua igitur Saluatoris reuerentia (quia non derogamus regi, si regis militem honoramus, cum ille domi-

dominus, hic seruus: ille creator, hic creatura) dignior præmonstratione Ioannes nuntiatur, quàm Christus. Christus fortassis in thalamo, Ioannes in templo; & non solum in templo, sed etiam ante sancta sanctorum, & insigni die solennitatis eorum. Ioannes ab eodem Archangelo, in loco digniori, tempore sanctiori, apertior miraculo prædicatur. *Et subdit*. Recole Isaac, ab Angelis nuntiatum: Samson, per Angelum prædicatum: & vniuersam Nazaræorum sectam conspice, & solum Baptistam tam in hoc, quàm in alijs inuenies digniorem. Genes. 18.

Secundo, Lucifer præ alijs stellis gaudentius splendet & fulget. Ideò dicitur iubar, eò quòd iubar radiosum lumen à se emittit; & quia ita gaudenter oritur, ideò lætificat ægros, qui humiditate noctis sunt grauati, vt dicunt Naturales. Sic ortus natiuitatis B. Ioannis fuit præ alijs gaudiosus & solennis, secundum quod dicit Beatus Bernardus in sermone de natiuitate eius. Natiuitas hominis istius est gaudium & solennitas præclara. Lætatur orbis, & per quatuor climata mundi circumsonat gloriosæ festiuitatis instantia, ipsis etiam cœlis celebris est famosa. Hæc Bernardus. Hoc est, quod Angelus dixit; *In natiuitate eius multi gaudebunt*. Luc. 1. Hodie enim gaudeant peccatores ægritudinem animarum habentes, quia per Ioannem ad pœnitentiam prouocantur, & portæ cœli eis reserantur, quando dixit: *Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*, quod à nullo antea est auditum. E II.

Ideò dicit B. Bernardus in sermone. A principio mundi vsq; ad Ioannem vniuersitatis humanæ electionem recollige, nec in sermone, vel opere, illius sanctuarij poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Ioannem; & audi vocem exultationis, vocẽ nouitatis, vocem lætitiæ, verbum misericordiæ, sermonem gloriæ, largitatem gratiæ, quod celauerat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ nescierunt. *Pænitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cælorum*. Verbum pœnitentiæ dulce & gloriosum; verbum regni cœlorum lætum & adorandum, illi soli primo conueniens, qui primus noui Testamenti fundamenta posuit. Hæc est vox, de qua maxim' ille contemplator cœlestium visionum, in hæc verba prosequitur. *Et vox prima quã audiui, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis*. A diebus Adæ vsq; ad Ioannem Organum nostrum versum est in vocem flentium; quia peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia: Occidis? occidi iuberis; Sabbatho ligna colligis? lapidari iuberis. Et ille, cui misereri proprium est, & parcere, nisi ferire non nouit. Dederat quippe eis præcepta non bona præceptorum dator, & iustificationes in quibus viuere non possent, hoc est, quod iustus mirabatur dicens: Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Ioannes natus ostendit medicamentum, peccato pœnitentiam, iniquitati veniam. Hæc est prima vox, quam vox clamantis in deserto proposuit, & *vox turturis audita est in terra nostra*. Canticor. 2. Nunc peccatoribus parcitur regnat pietas, iustitia dissimulatur, & misericors efficitur Dominus. Hæc ille. Ideò meritò hodie gaudere debent peccatores. Hodie etiam in ortu B. Ioannis gaudebat, & mater sancta Elisabeth, quia eam à maledictione absoluit. Gaudebat Deus, quia suus legatus nascebatur. Gaudebant, & illi qui erant in limbo, de sancto Ioanne Baptista, quia eis de Aduentu Christi nuntiauit, quia eos de captiuitate diaboli liberauit. Gaudebat & pater eius, quia loquelam perditam restaurauit. Gaudebant vicini & cognati, quia natus fuit ille, qui stirpem omnium eorum dignificauit.

III. Ioannis Baptistæ ortus purissimus.

TERTIO, Lucifer clarissimum habet ortum, quia in eo non apparet aliqua macula, sed quasi igneum prætendit colorem & scintillam. Ideò B. Ioannes purissimum habuit ortum. Qui, quamuis in peccato originali fuerit natus, tamen in vtero materno sanctificatus est, vt mortaliter peccare non posset. Quod & Ieremiæ donatum esse cernimus. Ideò dicit Bernardus in sermone de natiuitate eius. Quicunq; de massa præuaricante mundum ingredimur, longam testem originalis peccati nobiscum trahimus: solus ille, qui peccatum non fecit excipitur, quem virginalis vteri thalamus ignorantis virum terris effudit. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam & Ioannem Baptistam; quanquam & de singulari illa Virgine Maria nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit; Sed minor longè Ieremiæ sanctificatio, quàm Ioannis. Ille quidem in vtero matris sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur. Multò quippe excellentius est Spiritu sancto repleri, quàm sanctificari. Hæc Bernardus. Et quia purissimè ortus est, clarissimè vixit, absq; omni peccato, actuali scilicet, veniali & mortali. Et hoc testatur B. Augustinus in serm. 3. de eius decollatione. Quis, inquit, nostrum audeat dicere B. Ioannem actu, vel dicto, vel habitu, vel victu peccasse? Cuius austeritatem indumenti, cuius parsimoniam cibi Euangelica narrat historia, cuius omne, quod legitur, aut veritati testimonium reddidit, aut eos qui contradicunt redarguit? Quis in eius præcordijs peccati poterat esse locus, quem ante natiuitatem consecrauit Spiritus sancti aduentus? quasi diceret; Nullus. Hæc ille.

IV. QVARTO, Lucifer inter omnes Planetas est maior, præter Solem & Lunam, sicut patet cuilibet intuenti. Ita B. Ioannes excepto Christo & Matre eius benedicta, maior est omnibus Sanctis & electis. Cui testimonium protulit os veritatis Christus. Matth. 11. *Inter natus mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista:* In hoc, quod dicit *Natus*, excludit virginem Mariam. Sed in hoc, quod addit *Mulierum*, Christum excipit, quia talis natus est de Virgine. Idcircò dicit B. Bernardus in sermone de natiuitate eius. Non opponas mihi Euangelistam inter cæteros Apostolos magis dilectum, non Apostolorum principem omnibus Apostolis antelatum, non vas electionis ad cœli tertij secreta translatum; nec Apostolicus splendor audeat occurrere præcursori: quia omnes isti ad adolescentiæ metas excesserant, cum à veritate prolatū est; *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Considera mansiones regni, & vniuersum ordinem humanæ generationis circumuola: solumq; Ioannem, tam veteris, quàm noui Testamenti Patribus videbis esse præpositum vel æquatum. *Et subdit.* Ioannes vbiq; maior in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriosè annuntiatus est? Quis ita specialiter in vtero matris sancto spiritu legitur fuisse repletus? Quem legistis intra matris vterum exultasse; quasi diceret, nullum. Hæc ille.

V. QVINTO. Solem Lucifer nuntiat in proximo oriturum. Quia videmus, quando oritur, quòd sol non diu tardans nostrum ascendit hemisphærium. Et sic Lucifer est bonus nuntius his, qui in tenebris sunt grauati. Ita B. Ioannes fuit bonus nuntius, quod Christus Sol verus iustitiæ in breui esset nasciturus, secundum quod dicit B. Augustinus in serm. 4. de eius natiuitate. In die Beatissimi Ioannis laudibus, cuius

nata-

natalem hodie celebramus diem, quid potissimum prædicem, nescio. Nascendo enim nuntiauit saluatoris aduentum, moriendoq; condemnauit Herodis incæstum. Hæc ille. Ideò benè dictum est in themate. *Vir bonus es, & bonum portas nuntium.* Et hoc quò ad secundum. Rogemus Dominum, &c.

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Sermo secundus.

Ille fuit lucerna ardens & lucens. Ita scribitur Ioan. 5.



Dicitur in communi prouerbio. Quilibet sacerdos laudat suas reliquias. Et causa huius laudis est, vt per commendationem reliquiarum & sanctorum, populus ad deuotionem excitetur. Et sic legitur. 2. Paralip. 5. Quod Salomon templo ædificato, posuit in illud arcam Testamenti, in qua erant reliquiæ, Virga Aaronis, quæ floruit, & fronduit, & amigdalum produxit. Tabulæ Testamenti, & Vrna aurea habens Manna. Vt ergo populus ad deuotionem excitaretur, Sacerdotes & Leuitæ canebant tubis, & voces in sublimi tollentes cœperunt laudare & dicere. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Psalm. 105. A

Moraliter. Christus hic per sacerdotem certissimè designatur. Quia de ipso prædixit Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Iste sacerdos Christus habet duas Ecclesias: *Vnam* militantem; *aliam* triumphantem. In prima habet pretiosas reliquias sanctorum corpora. In secunda animas Electorum. Iuxta illud Psal. 36. *Custodi innocentiam & vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Has reliquias ipse in scripturis hinc inde multipliciter commendauit, dicens per Apostolum Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* Et laudes cuiuslibet sancti consueuit Ecclesia recitare, vt populus ad deuotionem & venerationem sanctorum excitetur.

Inter has reliquias Christus habuit valde pretiosas, quæ fuerunt corpus & anima B. Ioannis Baptistæ, quas ipse per se multipliciter commendauit, vt habetur Mat. 11. vbi dixit, eum esse Prophetam, & inter cætera dixit: *Amen dico vobis inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista.* Et hæc est approbata, secundum quod dicit Apostolus 2. Corin. 10. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Ideò ꝓpter maiorem approbationem suæ dignitatis laudat ipsum Christus in verbis præassumptis dicens; *Ille,* scilicet Ioannes, *erat lucerna ardens & lucens.* In quibus verbis B. Ioannes principaliter à tribus commendatur. *Primò,* à fidei Christianæ directione, ibi; *Ille erat lucerna.* *Secundò,* à frigiditatis humanæ ascensione, ibi; *Ardens.* *Tertiò,* à tenebrositatis mundanæ illustratione, ibi; *Et lucens.*

De Primo est Notandum. Consuetudo est ciuium, qui habitant in ciuitatibus, quando vnus in noctis tenebris voluerit alium visitare, vel alia negotia sua B

expedire, faciunt ante se præire lucernam luminosam, in qua sunt diuersa lumina applicata. Et hoc faciunt tum propter viæ periculi euitationem, tum propter gloriæ seculi ostensionem, tum etiam propter latronum euasionem. Ita Christus, qui fuit ciuis & incola huius mundi, secundum quod dicit Psalm. 118. *Incola ego sum in terra.* Et volens visitare humanum genus in nocte legis Mosaicæ, & in tenebris vitiorum, quando peccata totum mundum obfuscabant, præmisit ante se lucernam lucidissimam sanctum Ioannem Baptistam, quem Pater ab æterno Christo filio præparauit, secundum vaticinium in persona Patris. *Paraui lucernam Christo meo.* Et hoc fecit propter inimicorum confusionem, & gloriæ suæ ostensionem. Ideò subditur. *Inimicos eius induam confusione; super ipsum autē efflorebit sanctificatio mea* Ps. 131. Quia videmus, quando in nocte lucerna præmittitur, si latrones sint in insidijs, videntur & confunduntur. Sic per ipsum Ioannem Christi lucernam confusi sunt insidiatores & latrones cum sua clara doctrina, cum dixit. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Matth. 3. & Luc. 3. Ideò dicit Christus hic; *Ille erat lucerna ardens,*

C

I.

Cur Ioannes lucernæ cōparetur.

Circa quod vlterius est SCIENDVM, quòd Christus comparat Ioannem lucernæ multis de causis. PRIMÒ, ideò. Quia lucerna lucet his, qui retrò vadunt, aut qui eam in manibus portant, ne obstaculis se offendant. Sic B. Ioannes in vita sua luxit doctrina, quia in vita sua fuit omnibus exemplaris, & luxit sua doctrina illis, qui erant in tenebris peccatorum, quando dixit. *Facite dignos fructus pœnitentiæ; Iam enim securis ad radicem posita est. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Luc. 3. Ideò dixit de ipso Ioannes Chrysostomus, super illud Matthæi 6. *Herodes tenuit Ioannem.* Ioannes schola virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, iustitiæ norma, virginitatis speculum, fidei disciplina, tutor pudicitiæ, castitatis exemplum, via pœnitentiæ. Ioannes maior homine; par angelis, peccatorum venia, Legis summus scriba, quia omnia præcepta legis summatim seruauit, & specialem legis intellectum habuit. *Et subdit,* Ioannes Euangelij sanctio, silentium Prophetarum, vox Apostolorum, lucerna mundi, præcursor Iudicis, mediator Christi, Domini testis, & totius nuntius Trinitatis. Hæc ille. Ecce, quod B. Ioannes fuit lucidissimus manu ductor errantium.

Encomium Ioannis.

SECVNDÒ, exstingui non potest lucerna à ventis flantibus, quia circumquaque est obstructa, si autem apertè lumen portaretur, à ventis fortassis exstingueretur. Ita Beatus Ioannes non potuit exstingui à ventis tribulationum. Ideò benè figuratus est per lucernam, quæ erat in templo quodam idolorum. Refert Isidorus libro 16. capit. 1. de gemmis, de quodam lapide pretioso, qui Abeston nominatur. Ex hoc factum fuit candelabrum, & in templo Veneris collocatum. In hoc candelabro erat lucerna sic ardens & lucens, quod nullo imbre, nec vlla potuerit exstingui tempestate. Quia dicit Solinus de mirabilibus mundi, quod prædictus lapis, si semel accensus fuerit, exstingui non potest. Ideò Beatus Ioannes, cum semel à DEO fuit accensus, vt esset lucerna mundi, exstingui non potuit, nec blanditijs hominum, nec tribulationibus tormentorum; quamuis sederet in tenebris lucerna lucens omnipotentis amicus. Ideò dixit CHRISTVS ad turbas Matthæi vndecimo. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* quasi diceret secundum Gregorium in homilia. Arundo à vento agitata, non erat; quia à flatus

Abeston lapis inexstinguibilis.

status sui rectitudine nulla rerum varietas eum inflectebat. Ideò de ipso potest exponi illud Prouerb. 31. *Non exstinguetur in nocte lucerna eius.*

Tertiò, Lucerna non habet lucem à seipsa, sed mutuat aliundè, quia ex se nullo modo luceret. Sic sanctus Ioannes non lucebat à seipso, sed à Christo. Sicut videmus in simili in natura stellarum. Nam Lucifer, qui clarè oritur, & lucet, illud lumen non habet à seipso, sed à sole. Et si sol lucem sibi non mutuaret, nequaquam terram illustraret. Ita B. Ioannes, qui Lucifero comparatur, vt in sermone præcedente membro secundo, lucebat à Christo non à seipso. Ideo dicit Ioannes Chrysostomus: Vocando Dominus lucernam Ioannem ostendit, quoniam non à se lumen habebat, sed à Spiritus sancti gratia. Ideo dicitur de ipso Ioan. 1. *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine,* id est, Christo. De quo subditur. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem.* Et hoc considerans Ioannes, quod ipse non erat vera lucerna, & lux, quando ad eum venerunt Sacerdotes & Leuitæ interrogantes, an esset Christus? Confessus est, quia non esset Christus. Sed vox clamantis in deserto. III.

Et hoc est contra multos Doctores, clericos, vel laicos, qui lumen intelligentiæ sibi infusum, & mutuatum habere æstimant à se ipsis, nolentes scire, quod omnis sapientia *à Domino Deo est, & fuit cum eo, & est ante æuum.* Eccl. 1. Ideo tales merentur lumine sibi mutuato nonnunquam spoliari. Sicut de hoc legitur de Alano Doctore magno, qui tantæ fuit superbiæ, vt omne lumen sibi infusum intelligentiæ non à Deo, sed à seipso putaret. Hic quodam die ascendens cathedram, sermonem ad clerum volens subtiliter formare & fabricare & cum incipere vellet, Deus omnem scientiam ab eo abstulit, ita vt loqui non posset Latinum Idioma. Idcircò de sede descendit confusus, & Deo satisfacere cupiens humilis factus est, & claustrũ subintrauit, in quo per multos annos pauit porcos. Tandẽ surgentibus hæreticis facta est congregatio clericorum ad hæreticos deuincendos, ad quam quidam Abbas illius claustri est vocatus. Quod cum audisset Alanus, Abbatem rogauit, vt cum eo iret, & cum ille renueret, Alanus sequebatur currum, & cum ibi venisset, vbi hæreticos superare non potuissent, Alanus iam humiliatus, ab Apostolico petita licentia, hæreticos subtiliter deuicit. Ecce, qui prius superbus perdidit lumen scientiæ, postea humiliatus reassumpsit. Ideo B. Ioannes humiliter cognouit & confessus est, quòd *non esset Christus,* vt habetur Ioan. 1. scilicet, quod ipse à se lumen non accepisset. Sic & nos exemplo illius facere debemus, & omnem mentis illuminationem Deo ascribamus, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, descendens à Patre luminum,* Iacobi 1. Quia dicit B. Bernardus in sermone de natiuitate beati Ioannis. Quid est, quod tot & tantis cum præconiis extollimus, si ipsum neglexerimus in moribus imitari? Tales enim essemus quales sunt, qui benè pugillantes laudant, cùm ipsi tamen pugnare non audeant. Ideo oportet vt ipsum in humilitate ista imitemur.

D

Alani Doctoris superbia humiliata.

Quartò, B. Ioannes lucernæ comparatur propter suæ lucis obumbrationem. Quia videamus, quando lucerna accenditur, si maior apportatur, illa obumbratur. Rectè, sicut videmus in lucernis mundi. Nam Sole veniente lumen Lunæ minuitur & obumbratur. Sic fama Ioannis veniente Christo fuit diminuta. Ideo dicit B. Ioannes; *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioan. 3. IV.

Sic etiam naturaliter videmus, quod non solum Sol obumbrat Lunam, sed alias

stellas, & etiam Luciferum; quamuis fulgeat radiosè, & non exspectat eius occasum. Secundum, quod dicit Chrysostom. Sicut enim Solem præcessit Lucifer, & sicut lux Solis non exspectat occasum Luciferi, sed eo præcedente egreditur, & lumen Solis obscurat eius candorem? Sic & Christus non exspectauit, vt Ioannes cursum suum expleret, sed adhuc eo docente venit. Ad idem dicit Theophylus. Sicut maiori lumine adueniente, lumen minus exstingui videtur, cum non sit secundum veritatem exstinctum. Sic præcursor, tanquam stella à Sole cælatus minuebatur.

V. QVINTÒ dicitur lucerna, propter suam consumptionem. Rectè enim sicut lucerna aliis seruiendo se consumit, ita B. Ioannes propter nostram vtilitatem & exemplum, substantiam suam consumpsit, corpus suum porrigendo; consumpsit vitam suam pro iustitia moriendo: consumpsit famam suam, ipsam minuendo, quia cum à Iudæis Christus crederetur, famam istam exstinxit, & se valde humiliauit dicens, se non esse Eliam, nec Ieremiam, nec Prophetam, vt habetur Ioannis primo. In hoc debemus Beatum Ioannem imitari, & si non in toto, tamen in parte possibili. Ideo dicit Beatus Bernardus in sermone de natiuitate eius. Si non possumus eum imitari in contemptu mundi & diuitiarum, temporalia bona dimittendo, & in vita Eremitica, imitemur tamen in temperantia, habentes victum & vestitum, & his contenti simus, alia pauperibus erogantes. Et si non possumus sequi in vitæ austeritate, & carnis maceratione, sequamur tamen his temporalibus non abutendo delitiis, vestes & superflua desideria resecando. Hæc Bernardus. Et tantum de primo.

Ioãnes quomodo imitandus.

Quantum ad SECVNDVM describitur à fragilitatis humanæ accensione, cum dicitur *ardens*. Circa quod NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod Lucifer quando manè oritur, splendorem habet rubeum & candentem, electro similem, & quasi ardens videtur scintillare. Ita Beatus Ioannes in ortu suæ natiuitatis ardebat igne caritatis. Nam cum abundaret iniquitas, & frigescebat multorum caritas, ipse tactus dolore intrinsecus, surrexit velut Helias tanquam ignis ardens, & verbum eius quasi facula ardebat, ita vt accenderet corda frigiditatis humanæ. Ideo dicit Beatus Ambrosius in sermone de Natiuitate Domini. Istum Solem mundi priusquam oriatur, adhuc ante lucem præcedit lucerna ardens: Sic & Christus Sol habet lucernam suam, quæ ante ipsum præcessit. Subdit Propheta. *Paraui lucernam Christo meo.* Quæ autem sit ista lucerna, ostendit Dominus de Ioanne. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et subdit. Annon ardebat, cum Pharisæis dicebat. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira Dei?* An non ardebat, quando Herodem corripiebat. *Non*, inquit, *licet tibi habere vxorem fratris tui*, &c. Hæc Ambrosius. Beatus Hieronymus dicit. Verè B. Ioannes ardens vehementer accensus fuit, quem præoccupauit flamma cœlestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui nondum poterat sentire seipsum. Et propter talem ardorem assimilatur Ioannes carbunculo lapidi pretioso, de quo refert Isidorus lib. 17. cap. 13.

E Carbunculus vt carbo est, cuius fulgur nec in nocte vincitur, nec obscuratur, lucet enim in tenebris, adeo vt flammas ad oculos vibret. Et ille melior est inter alios, qui fulget & emittit radios vt ignis. Ita B. Ioannes fuit more illius lapidis pretiosus seu nobilis. Quia fuit ex nobilibus parẽtibus. Quia pater eius Zacharias fuit summus sacerdos, & mater eius de filiabus Aaron. *Et erant ambo iusti, ambulantes in mandatis Dei*, Luc. 1. Et sic fuerunt nobiles in corpore & anima, in quib. Ioannes est eos imitatus.

tatus. Vt verificetur illud Poëticum. *Sequitur patrem sua proles.* Ideo dicit Beda: Ioannes non solum ex iustis parentibus, sed ex pontificiali stirpe natus est. Ex iustis quippe parentibus, vt eo confidentius iustitiæ præceptum populo daret. De sacerdotali verò, vt eò potentius imitationem sacerdotij prædicaret.

Fuit etiam Ioannes ignitus & ardens, vt carbo in diuino amore, & proximi correctione & dilectione: quia pro salute hominum seipsum quemadmodum carbo ignitus consumebat, & alios peccatores inflammabat, quando dixit. *Ego vox clamantis in deserto parare viam Domini.* Et sequitur. Quoniam ex illo fuerunt igniti & illuminati: Quia omnis Ierosolyma & Iudæa, & *omnis regio circa Iordanem exibant ad eum, & baptizabantur ab eo confitentes peccata sua,* vt habetur Matt. 3. Quod vtiq; nõ fecissent, nisi igniti fuissent. Vtinam, & nos etiam hodie accenderemur ab eo, vt peccata nostra cõfiteremur. Qualiter ignitus, & ardens fuit quoad Deum, patet in vita sua. Quia habebat vestimẽtum *de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Escæ suæ erant *locusta & mel siluestre.* Matt. 3. Hæc manducabat Ioannes pœnitentiam & patientiam præferens, qui sine peccato viuens, fuit Spiritu S. repletus. Nos autem non sumus, prô dolor, in dilectione Dei, sicut Ioannes, ardentes & igniti. Nam plus pœnitentiam agere debemus, qui plus peccauimus. Non solum ita pœnitemus abstinendo, verumetiã si attendamus campos, ambulantes ad messem, pisces nantes in aquis, bestias vagantes in siluis, & aues volantes in aëre velociter: quæ vix nostræ gulæ sufficiunt, superaddimus herbas, vt vix sufficiant campi, & vastæ solitudines, & fossata ad conficiendum ab Apothecariis confecto. Ioannes in cilicio, de pilis camelorum confecto, pœnitentiam egit. Nos autẽ etsi à patre nostro Adam pelliceas tunicas ferre possumus, tamen processimus postea ad cortices herbarum, id est, ad linum; deinde ad stercus vermium, hoc est, ad sericum; tandem ad lapides pretiosos, quod tamen amabilis carbunculus B. Ioannes nunquam fecit. Ipse nunquam exstingui potest, nec potuit ab ardore caritatis. Nos autem multoties extinguimur. Ideo potest de nobis dici illud, *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Ideo esset nobis summopere necessarium, vt adhuc circa nos haberemus sanctum Ioannem corporaliter qui nos reaccenderet, & igniret, & flammas suæ caritatis, mentis nostræ ad oculos vibraret. Et hoc, quo ad secundum.

Ioãnes ignitus carbo diuini amoris.

Luxus reprehensus.

Ioãnes Carbunculus non exstinguitur.

Quantum ad TERTIVM, commendatur B. Ioannes à tenebrositatis mundanæ illustratione, cum subiungitur. *Lucens.* Pro quo SCIENDVM, dicit Isidorus lib. 12. quod est quædam bestia nomine nocticula parua in statura multos habens pedes, hęc in tenebris lucet, vt candela, in luce autem plena est obscura, noctis enim tenebras illuminat, sed hæc lux in die obscuratur. Per hanc bestiolam Ioannes designatur, qui luxit in tenebris primo, hoc est, in vtero materno, quando Spiritu S. repletus est, qui est verum lumen & cordium illustrator, Christum adesse cognouit, cum in præsentia sua exultauit. Ideo dicit B. Augustinus: Cœlum & terram nondum vidit, creatorem cœli & terræ cognouit. Et sic ista lucerna luxit sub modio, contra illud. *Nemo lucernam accendit, & ponit sub modio, & in abscondito, sed ponit super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Luc. 11. Quia hæc lucerna B. Ioannes posita est sub modio, hoc est, in vtero occulte & tamen luxit, quando Christum cognouit. Etiam matri luxit, vt Domini Matrem etiam recognosceret, quando dixit; *Vnde mihi hoc, quod Mater Domini mei veniat ad me?* Luc. 1. Quia videmus, quod lumen accenditur, & lucerna illustratur, sic Elisabeth illuminata fuit à Ioanne.

F

A

Ista

Ioãnes quomodo luxerit.

Ista autem lucerna postea posita super candelabrum mirabiliter luxit. Quia Christum digito monstrauit, cum dixit. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Luxit in mundo per suam sanam doctrinam, quæ fuit ad pœnitentiam faciendam, cum dixit. *Pœnitentiam agite.* Matt. 3. Luxit per conuersationem bonam, teste Chrysostomo super Matthæum: Conuersatio Ioannis omnium hominum vitam culpabilem apparere facit. Quemadmodum si videris vestem candidam, dicis, quia satis pulchra est, quàm si supra niuem locaueris, incipit respectu niuis sordita esse, quæ tibi satis prius decora videbatur, quasi diceret Chrysostomus: Si conuersationem aliorum videris, dices, quia bona est. Si autem ad conuersationem Ioannis comparaueris, sordita incipit apparere. Luxit etiam B. Ioannes Christo sibi viam faciendo; quia videmus antequam sol perfectè oritur, radios præmittit, qui cœlum illuminant, & ei faciunt viam. Sicut hoc testatur Chrysostomus super Matthæum: Sol, inquit, appropians antequam appareat, mittit radios suos, & albescere facit Orientem, vt præcedens aurora aduentum diei demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareret per doctrinam spiritus sui fulgore transmisso, illuminauit Ioannem, vt præcedens ille aduentum denuntiaret Saluatoris. Hæc ille. Et quamuis B. Ioannes sic in vtero & in mundo luxit, hoc tamen fuit in nocte. Ideo cum venit lumen verum diei gratiæ, tunc obscuratus fuit. Et per mortem extinctus, & sic luxit illis, qui erant in tenebris inferni, secundum quod prædixerat Zacharias pater eius. Luc. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Ideo benè dicitur, quod Ioannes fuit lucerna lucens, tam in vtero & in mundo, quàm in limbo. Et hoc quo ad tertium.

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Sermo tertius.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Ioan. 1.



CONSVETVDO est magnorum dominorum, quando venire volunt ad aliquam regionem, varios præmittunt nuntios, qui eorum aduentum annuntiant incolis illius regionis. Cum autem in proximo iam aduenerint, solenniorem dirigunt nuntium, qui aduentum in breui affuturum annuntiat. Idem videmus in natura, quod Sol, qui est rex omnium Planetarum, & Dominus, secundum Ambrosium in hexam. antequam venit ad terram nostræ regionis, varios præmittit nuntios, scilicet stellas, ortum suum prædicantes, cùm autem propè est circa ortum, solennissimum destinat nuntium Luciferum, qui eum in proximo nuntiat oriturum. Idem etiam legitur in figura Num. 13. Quod Moyses, qui fuit dux filiorum Israël, educens eos ex Ægypto antequam veniret ad terram promissionis, multos præmisit nuntios, vt viam sibi adeundi præpararent, tandem misit solenniores Caleb & Iosue, vt terram illam explorarent.

Figura.

A SPIRITVALITER. Christus est ille Dominus, in cuius vestimento & femore vidit B. Ioannes scriptum, *Rex regum & Dominus dominantium*, Apoc. 19. Ipse etiam

etiam est Sol iustitiæ. Ideo hanc consuetudinem habuit secularium dominorum, qui veniens ad mundi huius mirabilem regionem, multiplices præmisit nuntios, scilicet Prophetas, qui à longè aduentum suum annuntiauerunt, quorum vnus Zacharias sic ait. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Zachariæ 9. Et multi alij eum præuenire dixerunt. Ad vltimum autem præmisit solennissimum B. Ioannem Baptistam, qui quasi Lucifer præclarissimus, Christum venturum iam prædixit, secundum quod dicit Chrysostomus super Matth. Multæ stellæ lucem præcedent, nuntiantes lucis aduentum, & nulla ipsarum nomen Luciferi meruit habere, nisi vna, quia cum ipsa luce procedit. Sic omnes Prophetæ ante faciem Christi præcesserunt, solus autem Ioannes cum ipso, qui ipsum digito demonstrauit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit.* Hæc Chrysostomus.

Et bene solus Ioannes dicitur Lucifer, quia secundum Naturales, Lucifer est planeta beneuolus, ideo ponitur sub Marte, vt eius malitiā refrænet, vt dicit Ptolomæus in libro de iudiciis astrorum. Sic B. Ioannes fuit beneuolus & mansuetus, vt ex hoc cunctis amabilis redderetur, & omnis Ierosolyma ad eum *exibat ad Iordanem*, & pœnitentiam ab eo acceptabat. Matth. 3. Sicut etiam Lucifer terminat noctem, & annuntiat diem: quando enim oritur, est signum quod nox præcessit, & dies accessit. Ita Ioanne veniente, vetus lex per noctem figurata fuit terminata; quia habetur Matthæi 11. *Omnis lex & Propheta vsque ad Ioannem prophetauerunt*, ipse autem verum diem Christum annuntiauit, quando dixit: *Veniet fortior post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*, vt scribitur Matt. 3. & Luc. 3. Sic etiam Lucifer, qui vt Venus omnes laudabiles virtutes tenet in se, iuxta illud Poëticum.

Solus Ioannes dicitur Lucifer.

Veneris hic natus, cunctis exstat benè gratus.

Ita Iudæi ipsum Christum æstimantes, Ioan. 1. Et habet in se virtutes Patriarcharum, Prophetarum, & Angelorum vt patet in primo sermone, parte prima. Hic præclarissimus Lucifer hodie missus est in mundum à Deo per suam natiuitatem, vt viam prępararet, & venientem in proximo nuntiaret. Sicut testatur Euangelista in verbis præassumptis dicens. *Fuit homo missus à Deo.* In quibus verbis B. Ioannes à duobus commendatur spiritualiter. *Primò*, à benignitatis affluentia, ibi; *Fuit homo. Secundo*, à sanctitatis euidentia, ibi; *Cui nomen.*

B

PRIMÒ EST NOTANDVM. Dicit Aristoteles in libro de animalibus, quod Elephas inter omnia animalia est animal valde benignum, quia dicitur felle carere. Accidentaliter dicitur esse sæuus, quando nimis prouocatur, vel vino inebriatur, vel quando ei sanguis demonstratur.

MYSTICE. Per hoc animal intelligitur homo, qui secundum Philosophos est dignissima creaturarum creatura. Es secundum Aristotelem 1. Politicorum. Homo est animal ciuile, politicum, & mansuetum. Et in signum huius bonitatis & benignitatis natura non dedit illi cornua, vt ceruis & tauris, nec vngues vt leonibus, nec venenum vt serpentibus; vt homo dictis & factis mansuetus deberet esse, & interius & exterius mansuetudinem demonstraret. Ideo si homo est litigiosus & iracundus, non homini, sed bestiæ comparatur, teste Boëtio, qui ait lib. 4 prosa. 3. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet; cani comparabilis, &c. Iræ intemperans, fremit, leonis animum gestare creditur.

Et quamuis homo naturaliter sit benignus, debet tamen fieri iratus; & hoc prin-

cipaliter, quando ostenditur ei sanguis, hoc est, peccatum proximi, secundum quod monet Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Quia dicit Augustinus, & ponitur in Canone dist. 86. Odio habenda sunt peccata, & non homines. Idem dicit Augustinus, & ponitur 23. q. 4. Canone. Duo, inquit, ista nomina, cum dicit *homo peccator,* non vtique frustra dicuntur, quia peccator est corpore, & homo miseriæ. Et hoc seruauit Moyses legislator, de quo legitur Num. 12. Quod fuit *vir mitissimus super omnes homines,* qui cum accenderetur, sæuus factus fuit. Nam vt legitur, Exod. 32. Cum fuit in monte cum Domino, ostendit ei Dominus peccatum populi dicens. *Descende, quia peccauit populus tuus.* Ipse autem audiens iratus effectus est, descendensque dixit. *Si quis Domini est, iungatur mihi. Et congregati sunt ad eum filij Leui, quibus ait. Ite de porta ad portam, & occidat vnusquisque fratrem suum.* Et sic propter peccatum quasi viginti tria millia occiderunt. Simili modo B. Ioannes dictus est homo, quia fuit benignissimus hominum, ad concordiam intendens reuocare vniuersos, vt prædixit Angelus Zachariæ de Ioanne. *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum.* Luc. 1.

C Ideo comparatur Berillo lapidi pretioso. De quo dicit Dionys. quòd est lapis modicus, & magnæ beneuolentiæ, ad faciendam pacem inter dominos terrenos & reges, & alios homines communes, quia valet contra pericula hostium, & contra lites inuictum reddit, & amorem diligit coniugalem. Sic B. Ioannes fuit paruus in humilitate, quia *nec Propheta, nec Elias* voluit nominari, vt habetur Ioan. 1. Et multæ exstitit beneuolentiæ & benignitatis, vt de ipso potest dici. *Vir iste mitissimus in populo apparuit*, quia studuit omnes ad se venientes ad pacis concordiam reuocare. Quod principaliter patet in militibus, quos instruxit: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris,* Luc. 3. Est autem concutere, aliquid petere vltra debitum ratione officii vel amicitiæ, vt 23. q. 1. c. Militare, quod semper inducit discordiam, quam Ioannes volens sedare. Ideo dixit. *Neminem concutiatis.* Quam doctrinam milites, & domini terrestres debent obseruare, quia dicit Augustinus, & ponitur in Canone 23. q. 1. c. Militare. Milites boni vltra stipendia sua nihil debent sibi vsurpare, si amplius quærunt, tanquam calumniator & concussor à Ioannis sententia condemnatur. Habetur & originaliter de verbis Domini. Et si hanc doctrinam Ioannis teneremus, benignè & quietè viueremus. Quia dicit Seneca in libro de moribus. Quietissimam vitam homines agerent in terris, si hæc duo pronomina MEVM & TVVM tollerentur. Ideo tolle meum & tuum, & omnia in pace erunt. Et licet in suis B. Ioannes sic beneuoles fuerit, & benignus, tamen videns peccata Pharisæorum eos sanè redarguit, dicens: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira Dei? Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ.* Matth. 3.

Concutere quid est?

Tolle meũ & tuum, & pax erit.

D Hic homo benignissimus B. Ioannes missus est à Deo sicut radius à sole. Videmus enim, quod Sol à se mittit radios, qui subintrant terram, & calore suo terram dissoluunt, & humiditatem desiccant. Sol Christum significat, qui misit vnum de maioribus radiis B. Ioannem, qui calore suo, hoc est, amore, quem habuit ad homines, exsiccauit à multorum corporibus, humiditatem luxuriæ ab Herode, & ab Herodiana præualuit exsiccare cum dixit. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Marc. 6. Sed acquiescere noluerunt, ideo perierunt. Scimus enim vbi radius solis admittitur, & non resistitur, ibi lutum expurgat vbi autem est resistentia ibi manet immunditiës. Ideo qui vult ab hoc radio B. Ioanne mundari, non debet facere obstaculum per peccatum

catum, quia tanquam mundissimus immundos dedignatur, nec ad se trahit, sed expellit. Sicut refert Paulus Diaconus in historia Longobardorum.

Rotharis Rex Longobardorum, iuxta Ecclesiam sancti Ioannis Baptistæ cum multo ornatu sepultus fuit; quidam verò cupiditate illectus nocte sepulchrum aperiens, prædauit. Cui B. Ioannes apparuit, dicens. Quare ausus fuisti tangere mihi commissum? Ecclesiam meam de cætero ingredi non valebis. Quod vtique sic euenit. Nam quando prædictam Ecclesiam intrare volebat, quasi à validissimo pugile eius guttur feriebatur, quod subito retrocessit. Ecce spernit immundos peccatores.

SECVNDÒ, missus est, sicut scintilla ab igne, cuius quidem scintillæ radius clarissimus est, ad modum stellæ luminosus, & diuisione suæ igneitatis in aëre apparet vndique luminosus, vt videmus. Sed secundum Apostolum ad Hebr. 12. *Deus noster ignis consumens est.* Hic emisit à se scintillam B. Ioannem, qui fuit clarissimus absque omni macula natus, & *Spiritu sancto repletus adhuc in vtero matris suæ.* Lucæ 1. Et propter illam magnam claritatem cœlestis pater ipsum nominat Angelum Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum:*

Et dicit Chrysostomus: Puto, & si audeo dicere, quòd gloriosior est Ioannes, quàm Angelus, quia fuit homo, & propter magnitudinem virtutum vocatus est Angelus. Fuit etiam Ioannes ad modum stellæ Luciferi luminosus. Ideo potest dici de illo Iob 38. *Nunquid producis Luciferum in tempore suo?* Ideo apparuit vndiq; radiosus ad modum scintillæ, quia à Christo cœpit virtutem inflammandi, sicut scintilla ab igne. E

TERTIÒ, missus est à Deo, sicut odor à flore. Flos est Christus iuxta illud Cantic. 2. *Ego flos campi.* Illius floris odor fuit B. Ioannes, qui ab eo accepit virtutem delectandi. Nam delectauit Deum, vt de ipso dicere possit illud Gen. 25. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Odor enim eius sanctitatis nō fuit clausus, sed apertus. Nam vicini & cognati isto odore sunt refecti, quia super omnia mōtana, *iste odor diuulgabatur & diffundebatur*, vt patet Lucæ 1. Hodie etiam non solum Christiani, sed etiam Saraceni odore illius sanctitatis reficiuntur. Quia secundum Gulielmum in Rationali Diuinorum. libr. 7. Ipsi dicuntur etiam hoc festum secundum ritum suum colere, & iubilanter celebrare, vt adimpleretur illud Angeli dictum. *Et multi in natiuitate eius gaudebunt*, Et B. Ioannes non solum fuit odor agri, sed etiam *agri pleni.* Sed tunc odor agri plenus est, quando diuersis floribus redolescentibus est ornatus. Ita B. Ioannes floribus virtutum, vtpote violis humilitatis, solsequiis supernæ contemplationis, rosis rubentibus acerbæ passionis. Ecce non solum fuit odor agri pleni, sed etiam benedicti. Tunc enim ager est benedictus, si laudabiles fructus producit. Sic B. Ioannes fructum tricesimum, in quantum prædicator eximius; sexagesimum in quantum Martyr; centesimum, in quantum Virgo permansit, & illi sunt laudabilissimi fructus, qui possunt reperiri.

Saraceni colunt festum S. Ioannis.

QVARTÒ, missus fuit à Deo, sicut legatus à Principe. Christus est *Princeps pacis.* Isaiæ 9. Ipsius legatus fuit Ioannes, & immediatè à latere missus, secundum quod dicit Propheta Abdias in capite vnico. *Legatum auditu audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit;* vt indulgentias faceret. Quia dicit Chrysostomus super Matthæum: Solent Reges nato sibi filio indulgentias in regno suo dare, & exactiones prætermittere. Deus autem nato filio suo, volens indulgentias peccatorum donare, præ- IV.

misit Ioannem quasi exactorem & dicentem, *Pœnitentiam agite*, &c. *Et subdit.* O dilectio, quæ non facis pauperes, sed diuites reddis. Nam qui debitum suæ iustitiæ Deo reddiderit, nihil Deo præstat, sed sibi lucrum acquirit salutis.

Dilectio diuites facit.

V. Qvinto, missus est à Deo, sicut riuus à fonte. Christus est fons vitæ iuxta illud Psal. 35. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Iste fons indeficiens emisit à se riuum largissimum Ioannem Baptistam, qui, inquam, repletus est aquis gratiarum, teste Psal. 44. qui ait, *Flumen Dei repletum est aquis*, scilicet gratiarum & Spiritus sancti. Et aquas matri suæ Elisabeth est largissimè impertitus, quam adhuc in vtero prophetissam fecit, quando ipsa dixit. *Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me?* Lucæ 1. Ideo dicit Chrysostomus super Matth. Quis Prophetarum alium Prophetam facere potuit? Elias vnxit Helisæum in Prophetam, non tamen ei gratiam Prophetarum tribuit. Ille autem in vtero matris existens, diuini intuitus scientiam donauit, & os ad prophetandum aperuit, vt cuius non viderat gloriam, agnosceret dignitatem dicens: *Vnde hoc nomen mihi, vt mater Domini veniat ad me.* Ad idem Augustinus: Ioannes prius fuit suæ matris magister, quàm filius. Primò ipse eam docuit, quàm illa eum lactauerat. Hæc ille.

Istas aquas etiam impartitus est patri Zachariæ, vt habetur Luc. 1. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens. Benedictus Dominus Deus Israel.* Illas insuper aquas gratiarum Spiritus sancti omnibus tribuit abundanter. Ita vt de ipso conuenienter exponi possit illud Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Et hoc quo ad primum.

Quantum ad Secundum commendatur sanctus Ioannes à sanctitatis euidentia, cum subiungitur. *Cui nomen erat Ioannes.* Circa quod Notandum. Consueuerunt Reges & Domini seculares suis militibus multas facere prærogatiuas & honores, si viderint negotia expedire sagaciterque complere, & hoc est indicium amoris. Si autem easdem prærogatiuas exhibent, vel facere quasi iubent, est euidentissimum signum bonitatis eorum, aut sanctitatis, quia secundum Aristotelem 4. Ethicorum. Solus bonus & virtuosus est honorandus. Quia prauus homo honore non est dignus.

F Moraliter Rex cœlorum, & Dominus dominorum Christus, milites suos Apostolos, Martyres, Confessores atque Virgines, multis hic prærogatiuis in terris honorauit. quod fuit signũ specialis dilectionis. Nullum tamen ita honorare voluit, sicut beatum Ioannem Baptistam, cui has prærogatiuas sicut & sibiipsi voluit exhiberi. Quod patet ex isto, quod sicut nomen Christi scilicet Iesus, à Deo patre sibi fuit impositũ, secundum illud Prophetæ. *Vocabitur nomen tibi, quod os Domini nominauit.* Isaiæ 42. Et ab Angelo Lucæ 2. vocatum est nomen eius Iesus, *quod vocatum est ab Angelo.* &c. Ita & hoc nomen Ioannes fuit sibi impositum à Deo, quemadmodum ipse de hoc Isaiæ 49. gloriatur: *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Etiam ab Angelo est vocatum. Luc. 1. Cum dicit ad Zachariam: *Elisabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannes.*


Obiectio. Sed diceret aliquis. Sunt tamen aliqui antiqui sancti sibi in hoc æquales: quia natiuitas Isaac, Genes. 18. & Samsonis, Iudicum 13. per Angelum fuit nuntiata. *Sed ibi* nomen Angeli ignoratur, nec eis nomen est impositum ab Angelo. Hic autem fuit idem Angelus, qui Christum nuntiauit, qui & Ioanni nomen imposuit, & hunc hono-

honorem Christus nulli alij fieri voluit. Etiam patet hoc ex nomine, quod est Ioannes, in quo eius sanctitas euidenter commendatur, quia interpretatur gratia Dei. Ex quo apparet, quod ipse non tantum fuit Deo gratus sicut alij sancti, sed omnium gratissimus. Ideò in signum dicebant cognati Elisabeth, *Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*, quasi dicerent: Nullus ante istum natus fuit, qui esset dignus vocari gratia Dei. Ideò de illo potest exponi illud Esther 15. *Vidi te Domine quasi angelum Dei, & turbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Si de hoc latius vis habere, recurre ad sermonem primum, id est, *Vir bonus est*, &c. ibi inuenies, quod gratiam omnium sanctorum habuit. Et hoc quantum ad secundum.

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Sermo Primus.

Ionatas & Saul amabiles & decori in vita sua, in morte quoque sua non sunt diuisi. Ita scribitur 2. Reg. 1.



Dicunt Naturales, quòd in India regione, sunt duo lapides igneæ naturæ, qui sibi naturalem, sic loquendo, ostendunt charitatem. Nam quando vnus alteri vult appropinquare & se vnire, in tantum exardescunt, vt magnus efficiatur ignis, qui videtur in montibus & vallibus, & iste ignis sic aggregatus per longum durat tempus, vt etiam à longè positis valeat intueri.

Spiritvaliter. Per hos duos lapides hi duo beatissimi lapides, id est, Apostoli Petrus & Paulus designantur. Nam Petrus interpretatur vno modo quasi petra, ratione firmitatis in passione. Similiter Paulus in aduersitatis toleratione. Et totaliter fuerunt igniti igne charitatis quo ad Deum, proximos, & se ipsos. Sicut de Petro scribit Egesippus, quòd pendens in cruce, dixit. Tu Domine omnia mihi es, totum quoque tu mihi, & nihil aliud nisi tu solus mihi es. Sed de Paulo habetur ad Roman. 8. *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; aliqua creatura poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu.* De charitate proximorum liquet de Petro, quod Dominus oues ei commisit nutriendas dicens, Ioan 21. *Pasce oues meas*, tanquam feruentior omnium amator. De Paulo habetur 2. Corin 12. *Ego*, inquit, *libentissimè impendam*, scilicet non tantum spiritualia, sed etiam temporalia, & sup impendat ipse, scilicet ad patiendum, pro animabus vestris. De charitate ad seipsos patet, quod in tantum fuerunt inflammati, vt neque in vita, neq; in morte potuerint ab inuicem separari. Ita vt illis competere potest illud dictum prælibatum, *Ionathas & Saul amabiles.* In quibus verbis duo principaliter tanguntur. *Primò*, gratiositas conuersationis, ibi; *Ionathas & Saul. Secundò*, societas passionis, ibi; *In morte.* A

De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt Naturales, quòd columbæ inter cætera volatilia bonæ & amabilis sunt conuersationis, quando enim aliæ aues homines fugiunt, & à longè nidos faciunt, & pullos educant, solæ columbæ manent in domibus circa homines, & pullos ibi parturiunt, & cum hominibus conuersantur.

MORALITER. Beatus Petrus dicitur Bar-Iona, quod interpretatur filius columbæ. Et hic per Ionatham, qui interpretatur domus columbæ, Paulus designatur. Et rectè Petrus dicitur columba, qui inter alios Apostolos bonam conuersationem habuit, vt ab omnibus amaretur, & alios docuit habere bonam conuersationem, quando dixit 1. Pet. 2. *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam conuersationem vestram bonam habentes inter gentes.*

B Columbæ proprietates. Et est NOTANDVM, quod columba habet sex proprietates, quæ beato Petro possunt rectè conuenire. PRIMO, columba citò domatur, si ad columbarium recentis mensibus ponatur, hoc est, mense Iulij, Augusti & Septembris, quia tunc de facili possunt cibum inuenire in propinquo, & sic non longius diuagantur, vt dicit

I. Cito domatur certis mensibus. Petrus de Crescen. de rusticanis commodis lib. 9. Ita B. Petrus de facili, fuit vocatus à Christo in Apostolum, vt in columbario sanctæ matris Ecclesiæ iugiter permaneret, quia sicut legitur Matth. 4. Cum quoddam tempore Dominus iuxta mare Galilææ ambularet, *vidit Petrum & Andream mittentes retia in mare; & vocauit eos, dicens: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt Dominum,* & apud eum manserunt, nec ad propria redierunt. Quare hoc? quia cibum Angelorum, & panem vinũ pro se habuerunt Christum Iesum. Ideò dicit B. Gregorius: ad vnius iussionis vocem, Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt redemptorem. Et hoc est contra multos peccatores stultos, & inobedientes, qui hui9 sanctissimi viri, & capitis Ecclesiæ Petri obedientiam sequi designantur; quia nolunt domari à prædicationibus, vt intrent ad Ecclesiæ columbarium. Sed sicut stultæ columbæ & curiosæ, quæ sperunt venire ad columbarium resident super arbores, circumspicientes ad q̃ partem velint volare, & quasi deliberantes collum vndique circumflectunt: sæpè autem dum de volatu deliberant, antequam arripiunt volatum, sagittæ eas transfigunt, aut ab accipitre rapiuntur. Ideò propositum non faciunt nec perficiunt, quia quod diutius facere volunt, non in tempore congruo perfecerunt.

C Sic peccatores miseri nolunt venire ad sanctæ Ecclesiæ vnionem, & si vocantur, venire dedignantur, vt de eis verificetur illud Sapientis. *Vocaui & renuistis, extendi manus meas, & non est qui aspiceret.* Prouerbiorum 1. Sed quod ait Psalm. 108. *Nutantes transferantur, & eijciantur,* scilicet à diabolo, *de habitationibus suis.* Ipse enim continuò deliberant ad quam partem, velint declinare, aut bonorum aut malorum. Et cum sic deliberant, venit sagitta mortis, & eos transuolat, & sic ab accipitre, inferni diabolo rapiuntur. Sicut patet de milite regis Tancredi prouinciæ Mercolis, de

Miles confiteri nolens damnatur. quo legitur Vitis patrum libro 4. Qui pro industria exteriori regi placebat, sed tamẽ propter vitam malam displicebat. Ideò monebat eum rex, cum infirmus esset ad pœnitentiam, ille autem noluit, dicens: se hæc velle facere cum ab infirmitate conualeret, sed cum sic deliberaret, venit mors, & data est super e[illegible] sententia damnationis

tionis, & anima eius capta est ab accipitre tenebrarum. Ergo si volumus hæc vitare, sequi debemus patronum nostrum B. Petrum, & ad dominum properare. Ad hoc monemur 3. Reg. 18. *Vsque quo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum.*

SECVNDO, columba est magnæ dilectionis, Patre enim viuente diligit eum, & absque eo volare non consueuit. Ita Beatus Petrus maximè diligebat Dominum, quia ob eius amorem omnia mundana reliquit; Ita vt audacter dicere posset illud, Matthæi decimonono. *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te.* Etiam, vt refert Leo Papa, Petrus inter cæteros Apostolos maioris dilectionis fuit & feruoris. Et scire traditorem voluit Domini, cum annuit Ioanni, qui iacebat super pectus Domini in cœna, vt interrogaret, quis esset? quem, si sciuisset, vt dicit Augustinus, dentibus discerpsisset. Ideò DOMINVS noluit eum nominare, quia si eum nominasset, vt dicit Chrysostomus, continuò Petrus surrexisset & ipsum trucidasset.

II. Columbæ sunt magnæ dilectionis.

Dilectio eius etiam patet ex hoc, quòd cum Dominus voluit mori, dixit præ cæteris. *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matth. 26. Luc. 22. & Marci 14 ait, *Domine paratus sum tecum in mortem ire, & in carcerem*, quod licet dispensatoris permissione tunc non impleuit, imò ipsum negauit, vt verbum Domini impleretur: Constat tamen hoc ipsum ex immensa confidentia amoris in Christum dixisse, quia recordatus postea sermonis Domini exiuit foras, & fleuit amarè, vt infrà patebit. Idcircò quia ipsum præ cæteris feruenter dilexit, ideò cum ipso semper esse voluit. Et rarò sine Domino fuit. Quia Dominus, sicut legitur in Euangelio, semper in arduis causis Petrum secum sumpsit, tanquam magis dilectum. Nam fuit cum illo in puellæ resuscitatione. Quia vt dicitur Luc. 8. *Cum Dominus venisset ad domum cuiusdam principis, non permisit intrare quenquam, nisi Petrum, Ioannem & Iacobum.* Fuit & in monte, in transfiguratione, vt habetur Matth. 17. vbi legitur. *Sumpsit secum Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem, & duxit eos in montem seorsum, & transfiguratus est coram eis.* Fuit etiam in monte Oliueti in oratione Matth 26. vbi legitur. *Assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi cœpit contristari.* Hic Beatus Petrus dedit nobis exemplum, vt sicut ipsum Dominum dilexit, sic & nos facere debemus, iuxta illud Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & si ipsum diligimus veraciter, nos reamabit, iuxta illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.*

D Varia indicia dilectionis Petri erga Christũ.

TERTIÒ, Columba pro cantu habet gemitum, sicut dicit Gloss. super illud Canticorum primo. *Oculi tui columbarum.* Et principaliter tunc gemit, quando pullos de nido perdidit, aut parem suum amisit. Ita B. Petrus spiritualium filiorum, hoc est, bonorum operum, & Christi amissionem per peccatum trinæ negationis, iugiter pro lætitia gemitum habuit & fletum, quia non diu tardauit, sed statim *exiuit & fleuit*, vt habetur Matth. 26. Et dicit Egesippus, Quando Petrus culpam negationis ad memoriam reducebat, lacrymas vbertim emittebat, & illud adeò in consuetudinem duxit, vt eius facies tota exusta lacrymis videretur Et dicit Clemens Papa, quod audito in nocte galli cantu, ad orationem surgere consueuit, & tunc similiter ad fletum prorumpere solebat. Nouerat enim quod peccata lacrymis purgentur.

E III. Columbæ pro cantu gemunt.

Peccata lacrymis purgantur.

Ideò

Ideò dicit B. Ambrosius. Et habetur de pœnit. dist. 1. circa principium. in cap. Petrus. Doluit Petrus & fleuit, quia errauit vt homo, hoc est, mortaliter peccauit. Scio quod fleuit, lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Hæc ille. Hæ fuerunt lacrymæ doloris ex eo, quòd præsentia Christi post ascensionem caruit. Ideò, vt refert Clemens Papa, semper in sinu suo sudarium portabat, quo crebrò lacrymas tergebat. Quando dulcis allocutionis & præsentiæ Domini memor erat, præ nimia amoris dulcedine lacrymas continere non potuit. O peccatores, sequimini & hunc pœnitentem & lacrymantem, si secuti estis deuiantem. Quia dicitur in Canone de pœnitentia dist. 1. c. Lacrymæ, per Chrysostomum. Lacrymæ lauant peccatum, quod pudor est confiteri. Quasi diceret; Si aliquod peccatum est tam magnum, quod cum pudore confiteatur, non est propterea desperandum, quia per lacrymas illud deletur, si tamen confessio prius præcesserit, si fuerit opportunitas; alias lacrymæ non sanarent. Et Petrus solum lacrymis deleuit peccatum, quia fortassis confessio non erat instituta.

Mortaliter peccantes negant Christum.

Sed prò dolor sunt infiniti peccatores, qui licet secuti sunt errantem, imitari tamen nolunt & lacrymantem. Petrus duntaxat ter Dominum negauit, sicut ei prædixerat Dominus. *Amen dico tibi antequam gallus cantet, ter me negabis.* Matth 26. Isti autem centies, & fortassis millesies ipsum abnegauerunt, quamuis non verbis, tamen factis: Quoties enim mortaliter peccant, toties Christum negant, & tamen de illo nolunt gemere neq; flere, sed se iactare potius & gaudere. Et de his verificatur illud Sapientis. *Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis,* Prouer. 2. Si autem audiunt B. Augustinum in libro de salutaribus documentis dicentem. Nec quodlibet scelus coram Deo, tam abominabile est, quàm præterita peccata vnicuique reminiscendo gaudere, & inde exultare, & in eis semper iacere. De hac etiam Poëta. *Dupliciter peccat, qui se de crimine iactat.*

IV. Inducunt alias columbas in rete.

QVARTÒ, columba aliquando habet hanc proprietatem, alias ad rete ducendo, sicut de hoc refert Magister libro proprietatum. 12. Quod columba aliquando domatur, & ad deceptionem siluestrium informatur, quemadmodum sciunt aucupes. Illa autem cum sic est instructa siluestribus se sociat, & eas ad rete ducit, & vt callidus decipiat, rete cum alijs consueuit subintrare. Istam proprietatem etiam habuit B. Petrus, à Christo namq; fuit domatus, & à Spiritu sancto in die Pentecostes plenius informat⁹, ad columbas siluestres, h. e. infideles, capiendas. Ideò illis se sociauit, quando eis prædicauit, & eas ad rete fidei duxit, quia, vt legitur Act. 2. Vna prædicatione *tria millia adduxit*; alio autem die duxit ad rete fidei *quinq; millia hominum.* vt habetur Act. 4. Vt autem duceret ipsos cautè ad rete Christi, cum eis rete subintrauit, quia cum eis captiuus fuit non semel, sed pluries. *Nam vno modo* à Theophylo præside Antiochiæ ciuitatis, de qua captione habetur in Cathedra Petri. *Alio modo* captus fuit ab Herode Agrippa, sed Angelus Domini ipsum liberauit. Act. 12. *Tertio*, captus fuit à Nerone, & hoc fuit hodie, sed illa captio eum non impediuit, quin ad rete fidei adduceret duas columbas spirituales, scilicet Marcellum & Martianum Paulini militis seruos. Et illi ipsum liberè abire permiserunt. *Vltimò*, captus fuit à militibus, & Præfecto Agrippæ præsentatus, vt dicitur in Legenda. Ita facere debent Prædicatores moderni, vt ad rete fidei adducant columbas indomitas, scilicet peccatores, & si necesse fuerit se cum eis capi, hoc est, occidi permittant.

Marcellus & Martianus conuertuntur.

QVINTO, columba est auis partim medicinalis, quia dicit Constantinus medicus in Viatico, quod habet sanguinem medicinalem, quia sanguis columbæ sub dextera ala extractus, & calidis oculis instillatus, dolorem mitigat, & pellem sanat. Ita Beatus Petrus fuit medicus, tàm corporis, quàm animæ. Nam multis infirmis medelam præstitit, *cum vmbra sui corporis*, ipsos sanauit, Act. 5. Etiam mortuos suscitauit, vtpote Actor. 9. vbi legitur, quod in Ioppe fuit quædam mulier nomine Tabita, quæ cum mortua esset, miserunt discipuli ad Petrum, rogantes vt veniret, & eam suscitaret. Ipse autem veniens omnes de cœnaculo, in quo iacebat, eiecit, *& ponens genua sua orauit, & conuersus ad corpus dixit. Tabita surge. At illa oculos aperuit, & continuò resurrexit.* F V. Est auis medicinalis.


Refert etiam Leo Papa, quòd quadam die misit Petrus duos discipulos ad prædicandum, quorum vnus nomine Franco, alter Maternus est vocatus. Et dum viginti dies iuissent Maternus defunctus est, rediit autem alius discipulus ad Petrum, & ei nuntiauit. Petrus autem tradidit ei baculum suum, vt super defunctum poneret, quod cum fecisset, qui iam per quadraginta dies mortuus fuerat, resurrexit. Ex quibus verbis elicitur, quod fuit bonus medicus corporum, multò autem melior animarum, quia multis animabus præbuit salutem, vt de illo exponi possit illud Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Maternus baculo S. Petri suscitatur.

SEXTO, columba instruitur, vt sit literatur gerula, & prouinciæ ad prouinciam mitis nuncia; quia secundum Naturales, columba naturaliter diligit locum, vbi primitus est nutrita, & quantumcunque defertur ad longinquas partes, semper redit ad propria, si suæ libertati fuerit restituta, & tali columbæ solet alligari litera sub ala, & si dimittitur se eleuat in aëra, & nunquam cesset donec redeat ad suæ natiuitatis prima loca. Sed quando ab hostibus cognoscitur in via, sagitta impetitur, & sic pro literis, quas defert, vulneratur, vt dicit Magister 12. lib. proprietatum. Ista proprietas conuenit beato Petro, qui fuit instructus à Christo, vt esset gerulus literarum sacræ scripturæ, & ei competit illud Ierem. 1. *Ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæ mandauero tibi, loqueris ad eos.* Sed quia dilexit locum, ad quem fuit natus, hoc est, cœlestem Ierusalem, iuxta illud Psalm. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Ideò assumpsit literas Dominicas & portauit de vna prouincia in aliam, de Ierusalem in Antiochiam, de Antiochia in Italiam, vt sic portando veniret ad locum concupitum, hoc est ad cælum. Sed antequam eò peruenit, cognitus fuit ab hoste Christianorum Nerone, à quo hodie propter literas sacri Euangelij & veritatis occisus. Et quomodo hoc factum est, patet in Legenda. VI. Sunt literarum latrices.

DE EISDEM SANCTIS APOSTOLIS.

Sermo secundus.

Saul & Ionathas amabiles. vbi suprà.



Icunt Naturales quantò animal nobilius est & dignius, tantò alia ipsum honorant, & locum dant, quod principaliter videmus de leone, qui est Rex animalium, de quo refert Solinus de mirabil. mundi, quòd in eo loco, vbi voluerit manere nullum animal pro tunc audet apparere, sed fugiunt, locum illi solitarium tanquam dignissimo, relinquentes, & alia sibi mansionis loca vsurpantes.

A MORALITER, sic est etiam in sancta Ecclesia, quod quantò persona est nobilior dignitate, tantò etiam alij debent illam honorare & ei locum dare. Sicut docuit sapiens Cato, dicens. *Maiori cede.* Sed quia B. Petrus fuit summus Pontifex, nobilissimus in dignitate, maior homine, minor tamen Deo, vt Extra. de Translatione Prælat. cap. Inter corporalia. Ad hoc etiam denotandum, Dominus alijs dixit Apostolis, *Laxate retia vestra in capturam*, ad Petrum ait: *Duc in altum.* Ideò decens fuit, vt Paulus, qui erat minor in hac dignitate, cederet Petro in officio hodierno, & ei solitariè locum daret. Quapropter Gregorius Papa instituit, vt dicit Guilielmus in Rationali diuinorum lib. 7. Vt tantum officium Petri primo die celebraretur, quia omnis cautus tam in primis Vesperis, Matutinis, quàm in Missa de ipso solo fuit: Tum quia Ecclesia B. Petri fuit dedicata; tum quia ipse prior fuit conuersione; tum quia maior dignitate, vt habetur 2. q. 7. cap. Paulus. Quia Romanæ Ecclesiæ tenuit primatum, sed hodiè statuit Ecclesia festum B. Pauli celebrari, qui tamen sicut Petrus heri est occisus, & in morte ab eo non est diuisus, vt dicunt verba prælibata. In quibus à duobus commendatur. *Primo*, à vitæ coniunctione, ibi; *Saul & Ionathas. Secundo*, à mortis inseperabilitate, ibi; *In morte non sunt diuisi.*

B DE PRIMO est NOTANDVM. Rabanus dicit, quod Paulus antè dictus est Saulus, à Saul superbo rege, sed post conuersionem dictus est Paulus, quasi paruus, à modico & humili spiritu. Sed potest Beatus Paulus Saulo Regi in aliquibus comparari.

Cur Paulus Saulo Regi cōparetur. I.

PRIMÒ, propter sanctæ Ecclesiæ pro ipso petitionem facientes. 1. Regum. 8. Quando Saul petitus est in regem, congregati sunt vniuersi maiores natu Israël ad Samuelem, & dixerunt, *Ecce senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis regem, vt iudicet super nos, sicut vniuersa habent nationes. Samueli autem displicuit sermo iste, & prædixit eis ius regis. Filios vestros tollet, & faciet sibi equites. Sed noluerunt audire eum, & dixerunt. Nequaquam. Rex erit super nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Et Samuel dedit eis Saul in regem.* Quid per populum Israël nisi vniuersitas Christi fidelium, qui vident Deum per fidem, designatur, hi congregati sunt vnanimiter in orationibus suis ad Samuelem, qui interpretatur postulatus, significans Christum, qui ante aduentum suum à Prophetis sanctis fuit instanter postulatus, & petebant ipsum, vt daret eis Regem, hoc est, Ecclesiæ fidelem Rectorem B. Paulum, qui prius erat Ecclesiæ ferus deuastator. Et præcipuus qui hoc petiuit, fuit B. Stephanus, qui pro ipso solicitè orauit, quando lapidantium vestimenta seruauit. Et piè credendum est, quòd Paulus precibus Stephani est factus Ecclesiæ defensor & rector.

Samuel designat Christum.

Illud etiam declarat B. Augustinus in sermone de sancto Stephano, dicens; Vt noueritis quantum valuerit oratio sancti Stephani recurrite nobiscum ad illum adolescentem nomine Saulum, qui cum sanctus Stephanus lapidaretur, omnium vestimenta seruabat, & tanquam eorum manibus eum lapidabat. Cui Christus dixit.

Con-

Contra talia mala quæ committis in me, ob hoc quidem olim debui perdere te, sed Stephanus meus orabat pro te. *Et infra.* Si Stephanus Martyr non sic orasset, Paulum Ecclesia non haberet, sed ideò de terra est Paulus erectus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. Hæc Augustinus. Ex illo dicto elucet manifestè, quod rectè sicut Saul petitus est in regem, sic Paulus postulatus est in rectorem. Samuel autem, hoc est, Christus, vocem audiuit postulantium, & dedit eis Paulum in rectorem, quando ipsum de lupo fecerat agnum, de proditore sæuissimo prædicatorem fidelissimum, vt habetur Actorum nono. Sed quia decet Ecclesiæ rectorem esse sapientem, ideò Christus verus Samuel instruxit eum, sicut Samuel Saul, de populo regendo. Ideò dicit ad Galatas primo. *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non ab homine accepi illud, sed per reuelationem IESV Christi.* Rector Ecclesiæ sit sapiens.

SECVNDO, comparatur Saul propter vitæ perfectionem, quia legitur de Saul. primo Regum duodecimo, quòd in principio sui regni, & suæ vnctionis multum profecit in virtute. Et dicitur ibidem. *Saul erat puer vnius anni, cum regnare cœpisset.* Quod exponens Nicolaus de Lyra dicens. Hoc est, erat ita innocens & purus à peccato, sicut est puer vnius anni: quia Dominus dedit illi gratiam iustificantem, & ipsum disponens ad suum officium exercendum, & ipse non posuit obicem diuinæ sapientiæ & gratiæ protunc, licet factus sit malus. Ita Beatus Paulus statim in principio suæ conuersionis non modicum profecit in virtute, sed multum, quia statim prædicauit CHRISTVM, quem prius persequebatur. Actorum nono. Quod ingressus est in synagogas, prædicabat Dominum, *quoniam hic est Filius Dei.* Et hoc factum fuit statim post baptismum. Et sequitur ibidem. *Paulus autem magis conualescebat,* scilicet procedens de bono in melius, *& confundebat Iudæos, qui habitabant Damasi, affirmans quoniam hic est Christus.* Quod autem in tota vita proficiebat in bono, & salubri fine terminauit, ipse testatur, dicens. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi DOMINVS in illa die iustus iudex* ad Timoth. quarto. Vtinam & nos hunc beatissimum Apostolum in hoc sequeremur peccata dimittendo, in bono proficiendo, & cursu bono vitam nostram finiendo; vt quilibet nostrum dicere posset. *Bonum certamen certaui.* II.

Sed (heu) quidam nostrum inchoant in principio virtutes sectando, sed in fine malè terminando. Rectè, sicut rex Salomon, qui dum esset iuuenis fuit virtuosus, & sapientiam à Deo petiuit, *vt posset regere populum suum*, vt habetur 3. Reg. 3. Sed postquam senuit, *cor eius fuit deprauatum per mulieres, vt idola adoraret*, qui prius verum Deum Israël adorabat. 3. Reg. 11. Sed vtiq; scriptum est, *Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Matth. 24.

TERTIÒ, comparatur Saul, propter perfectionem, quia legitur de Saul. 1. Reg. 9. quod erat de tribu Ben-Iamin electus & bonus, *& non erat vir de tribu Israel melior eo; ab humero sursum eminebat super omnem populum.* Sic Beatus Paulus fuit de tribu Ben-Iamin, vt ipse testatur ad Philipp. 3. *Et fuit vas electum & bonum.* Iuxta illud Actorum nono. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel.* Quod etiam fuit optimus in omni populo declarat Chrys. in lib. de laude Pauli dicens, Nihil errant, qui pratum quoddam insigne virtutum, & paradi- III. Propter perfectionem.

ſum ſpiritualem Pauli animam nuncupauit. Et ſubdit, oſtendens, quod ipſe omnia bona priorum Sanctorum habuit & ipſos excelluit, vt habetur in ſermone, *Ben-Iamin lupus rapax*, vtpote de eius conuerſione.

C

IV. Quia feruẽter dilexit ſibi commiſſos.

QVARTÒ, comparatur Saul, propter eius feruentem dilectionem. Quia legitur de Saul, quod erat feruens amator ſibi commiſſorum, vt habetur. 1. Reg. 11. Cum Naas viros Iabes obſedit, miſit ille nuntios ad Iudæos, vt eis auxilium præſtarent. Et hi nuntij etiam venerunt ad Saul, quia iam erat rex electus. Cùm igitur veniſſent nuntij, venit Saul de agro ſequens boues, *& illi narrauerunt ei verba virorum Iabes; Et inſiluit ſpiritus Domini in Saul, aſſumensq; vtrumq; bouem conſcidit in fruſta, & miſit in omnes terminos filiorum Iſrael per nuntios dicens. Quicunq; non exierit, & ſecutus fuerit Saul, ſic fiet bobus eius.* Inuaſitq; timor populum, & congregata ſunt trecenta millia filiorum Iſraël, ſed & filiorum Iuda triginta millia; & cum iſtis Saul populum ſuum liberauit.

Ita B. Paulus feruidus erat amator populi ſui commiſi, & pluſquam Saul, quia plerumque opus proprium deſerebat, & prædicationi inſiſtebat, vt ſolum peccatores à poteſtate Naas, hoc eſt, à ſerpente infernali liberaret. Dicit enim Haymo: A pullorum cantu vſq; ad quintam horam labori inſiſtebat manuum, deinde prædicationi vacabat, ita, vt plerumq; vſq; ad noctem ſermonem protraheret. De eius amore erga populum legitur, quòd Ioannes Chryſoſtomus in libro de laude Pauli dicit; Vt ferrum in ignem miſſum, totum ignis efficitur; Sic Paulus caritate ſuccenſus effectus eſt caritas. Qui quaſi totius mundi eſſet Pater, ita & in amore Domini, & ipſe totus imitabatur parentes, immò cunctos, non ſolum carnales, ſed etiam ſpirituales ſolicitudine, ac etiam pietate. ſuperabat. Omnem enim prorſus hominem Deo exhibere cupiebat. Quaſi enim vniuerſum orbem genuiſſet ipſe, ſic omnes in Dei regnum feſtinabat inducere, corpus & animam pro his, quos diligebat impendendo. Sicut & ipſe teſtatur 2. Corinthiorum 12. *Ego libentiſſime impendam*, ſcilicet non ſolum ſpiritualia, ſed etiam temporalia, & ſuper impendar moriendo pro animabus veſtris.

D

Refert etiam Gregorius Turonenſis, quod etiam quendam deſperatum à diabolo liberauit, dicens? quod quidam deſperans, laqueum ſibi parauit, nomen tamen Pauli deſperando ſemper inuocabat dicens. Adiuua me ſancte Paule. Tunc quædam vmbra pallida hortans eum dicens. Eia vir bone, age quod agis, & moram ne feceris. At ille ſemper parans laqueum dixit: Beatiſſime Paule adiuua me. Expedito iam laqueo affuit alia vmbra tanquam hominis dicens; Fuge miſerrime, quia Paulus aduocatus venit, tunc ſqualida vmbra euanuit, & homo ad ſe rediens laqueum in terram proiecit, & pœnitentiam condignam ſuſcepit.

V. Propter deplorationẽ.

QVINTÒ, comparatur Saul, propter deplorationem. Nam legitur 2. Regum 1. Quod Saul mortuus eſt, & à Dauid deplanctus. Nam cum audiſſet mortem Saul & Ionathæ, apprehendens veſtimenta ſua ſcidit, in ſignum triſtitiæ, *& omnes viri, qui erant cum eo, planxerunt & ieiunauerunt vſq; ad veſperam.* Sic mors B. Apoſtoli Pauli à viris Sanctis, & mulieribus deuotis deplorata eſt, & præcipuè à diſcipulo Dionyſio, qui in Epiſtola ad Timoth. dicit. Quis dabit oculis meis aquas, & pupillis meis fontem lacrymarum, vt plorem die ac nocte lumen Eccleſiarum, quod extinctum eſt. Quis non induet gemitum, aut non veſtiatur lugubribus, & mente

atto-

attonitus non obstupescat. Ecce enim Petrus fundamentum Ecclesiarum, & gloria sanctorum Apostolorum à nobis recessit, & orphanos reliquit: Paulus verò gentium familiaris, consolator pauperum deficit nobis, & vlterius non inuenitur, qui fuit Pater Patrum, Doctor Doctorum, Pastor Pastorum. Abyssum sapientiæ, fistulam altisonam, prædicatorem veritatis, infatigabilem dico Paulum nobilissimum Angelum. Hic Angelus terrestris & homo cœlestis, imago & similitudo Deitatis, & spiritus septiformis omnes nos dereliquit; nos, inquam, inopes, & indignos in hoc mundo contemptibili, & maligno reliquit, & ingressus est ad Dominum Deum suum. *Et infrà.* Quis non ploret & vlulet? Nam qui meruerunt gloriam apud Deum, tanquam malefactores traduntur in mortem. Heu mihi, Pater mi, Doctor & Magister, non quidem reus tali morte extitisti. Nunc ergo quo ibo te quærere Christianorum gloria, & laus fidelium? Quis conticescere fecit vocem tuam fistula Ecclesiarum, plectrum psalterij decachordi. Ecce introisti ad Dominum tuum, Dominum quem toto affectu concupisti. Hæc ille. Nos siquidem etiam hodie debemus partim flere, partim gaudere. Flere quidem, quia de terris recessit tam egregius prædicator, & gentium illustrator. Gaudere verò, quia ad Christum abiit, vt sit pro nobis sedulus implorator. Ideo clamare debemus ad ipsum & dicere illud, quod canit Ecclesia, *Sancte Paule Apostole prædicator veritatis, & Doctor gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.* Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, commendantur à mortis inseparabilitate, cum dicitur; *In morte non sunt diuisi.* Circa quod NOTANDVM. Dicunt Naturales, quòd turtur cum suo pari semel in dilectione fœderatus, amodò simul manent, simul volant, & sedunt, donec morte corporaliter separantur; & hoc est magnum signum amoris naturalis. Per turturē hic intelligitur B. Petrus, quia rectè sicut turtur semper gemit, sic ipse fuit in continuo gemitu post peccatum. Hic semel sociatus in dilectione Pauli pari suo, quo ad meritum, vt dicitur 2. q. 7. c. Paulus, nunquam voluit ab eo separari per desideratam caritatem, quamuis essent interdum localiter separati. Nec etiam in morte sunt diuisi, quia dicit Pelagius Papa, & habetur dist. 21. c. Quamuis, & dist. 22. c. Sacro. Quod eadem die, eadem hora sunt occisi sub Nerone Imperatore Anno XIV. Imperij eius. Sed vt ait Vincentius in spec. hist. lib. 9. c. 9. quod hoc vicesimo quinto anno fuit, à promotione Petri in sedem Romanam, & vicesimo nono à conuersione sancti Pauli. Ideo canit Ecclesia. *Gloriosi principes terræ quomodo in vita dilexerunt se, &c.* E

Petrus & Paulus eadem die ac hora Romæ passi sunt.

Ad hoc etiam, quod simul passi sunt, sonat dictum B. Dionysij in Epistola ad Timotheum dicentis. O frater Timothee, si vidisses agones consummationis eorum, defecisses quidem præ tristitia & dolore. Quis non fleret illa hora, quando præceptum sententiæ egressum est in eos, vt Petrus crucifigeretur, & Paulus decollaretur; Vidisses tunc turbas Iudæorum, & Gentilium percutientes eos, & exspuentes in facies. Adueniente autem terribili tempore consummationis eorum, cum separarentur ab inuicem, ligauerunt columnas mundi non vtique absq; fratrum gemitu & ploratu. Tunc ait Paulus Petro: Pax tecum fundamentum Ecclesiarum, & pastor ouium, & agnorum Dei. Petrus inquit ad Paulum: Vade in pace prædicator bonorum morum, mediator & dux salutis iustorum. Cumq; elongassent eos ab inuicem, secutus sum magistrum meum, non enim eodem vico eos occiderunt, Hæc ille. Nec etiam

Petrus crucifigitur, Paulus decollatur.

iam post mortem sunt ab inuicem diuisi. Quia idem Dionysius in eadem epistola ad Timotheum dicit. Præsto eram in die victimationis eorum, & post mortem vidi eos inuicem manu ad manum intrantes portas vrbis, indutos veste luminis, & coronis claritatis & lucis ornatos. Hæc ille. Et nunc in æternum nunquam ab inuicem diuidentur, sed summa pace & claritate perfruentur. Quomodo Paulus ad hanc peruenerit gloriam, patet in Legenda.

DE EISDEM SANCTIS APOSTOLIS.

Sermo tertius.

Fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento. Ita scribitur Gen. 1.



DICVNT Naturales, & videmus experientia, quod firmamentum est multis luminaribus multum decenter ornatum, inter quę sunt maiora & clariora Sol & Luna, quia secundum Ambrosium in hexam. Sol est oculus mundi, iucunditas diei, pulchritudo cœli; sed Luna est decor noctis, æmulatrix Solis & dominatrix maris.

A MYSTICE. sic sancta Mater Ecclesia multis est sanctis Doctoribus illustrata & ornata, qui dicuntur luminaria mundi, iuxta illud Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Inter hos tamen sanctos maiora & lucidiora lumina sunt beati Apostoli Petrus & Paulus, de quibus dicitur Apoc. 12. *Hi sunt duo candelabra lucentia ante Dominum.* Per solem, qui est Rex Planetarum, diem illuminans & iucunditatem ei præstans, Petrus intelligitur: qui est princeps & caput omnium Apostolorum, vt habetur 2. q. 7. c. Puto. Et fuit illuminator diei, hoc est, Iudæorum, in quo fuit lux fidei & legis diuinæ. Per lunã, quæ est illuminatrix noctis, & decor, Paulus intelligitur, quia fuit decor populi gentilium, in quo erant tenebræ ignorantiæ & infidelitatis, quas ab ipsis depulit, & lumen fidei infudit, vt de ipso verificari possit illud Isa 49. *Dedi te in lucem gentium.* Ideo figurati sunt Gen. 1. vbi legitur, quod Deus fecit duo luminaria magna; *Luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus, vt praeesset nocti.* Vbi per luminare maius ad præsens intelligitur Petrus, qui erat maior in dignitate Papali ipso Paulo, vt habetur in Canon. 2. q. 7. c. Paulus. Sed per luminare minus ad præsens Paulus intelligitur, qui paruus fuit in humilitate, sed magnus in sanctitate & prædicatione, secundum quod canit Ecclesia. *Magnus sanctus Paulus vas electionis*, & hoc etiam volunt verba prælibata. *Fecit Deus duo luminaria magna.* In quibus verbis à duobus collaudantur. *Primo*, ratione maioritatis, ibi; *Fecit Deus duo luminaria. Secundo*, ratione firmitatis, ibi; *Posuit ea in firmamento.*

B De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt Naturales, stellæ in firmamento situatæ sunt magnæ & multum excellentes, quia minima stella visu notabilis est maior tota terra: Tamen Sol & Luna magis præeminent in quantitate, & maiora nobis apparent, & multo fortius illuminant quàm aliqua aliarum stellarum, vt videmus.

Sic SPIRITVALITER in Ecclesia sunt, & fuerunt multa & magna spiritualia lumina, sancti Doctores & Apostoli, sed inter illos præeminent Petrus & Paulus, re-

ctæ.

ctę, sicut Sol & Luna inter alia astra, teste Ambrosio in sermone hodiernæ festiuitatis. Beati, inquit, Petrus & Paulus eminent inter vniuersos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, quem inter eos alteri præponam, incertum est. Puto enim illos æquales passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos similes videmus ad Martyrii gloriam peruenisse. Et S. Maximus Episcopus, homil. 5. de SS. Apostolis, ait. Non sine causa factum putemus, quod gloriosissimi Christianæ fidei principes Petrus & Paulus, vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Romæ deesset; sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo, puto, pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco Martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum. Qua auctoritate claret, quòd sint magni quoad Martyrium & ad locum. Ideò cum dicitur. *Fecit Deus duo luminaria*, est SCIENDVM, quod per Solem & Lunam, hi duo discipuli rectè designantur, multiplici de causa.

Cur per Solem & Lunam Petrus & Paulus designẽtur. C

I. Propter eclipsim.

PRIMÒ, ratione eclipsis, quia videmus naturaliter, quod sol interdum patitur eclipsim. Et hoc fit in coniunctione nouilunij, cum corpus lunare interponitur inter solem & aspectum nostrum, & sic videtur obumbrari. Idem videmus in Luna, quia luna recipit lumen à Sole, & quantum à Sole non illuminatur tantum eclipsin patitur. Sicut quando terra interponitur inter Solem & Lunam. Tantum enim luna obumbratur, quantum solis lumen occultatur, vt aiunt omnes Naturales. Sic ista gloriosa lumina eclipsin passa sunt. Petrus, quando Christum negauit, tunc peccauit mortaliter, & obumbratus fuit. Et hoc prædixit Ioel Propheta cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras, antequam veniat dies Domini*, scilicet passionis, quia ante passionem *Christum negauit*, vt habetur Matth. 26. & habetur transsumptiuè. 45. dist. c. Licet plerumque. Paulus etiam eclipsim patiebatur, quando fideles persequebatur, & Ecclesiam Dei, *cum accepit literas à principe sacerdotum in Damascum*, vt si quos inueniret huius viæ viros, vinctos perduceret in Ierusalem. Sicut habetur Actor. 9. Et hoc ipse testatur ad Gal. 1. *Audistis*, inquit, *aliquando conuersationem meam in Iudaismo, quomodo supra modum persequebar Ecclesiam Dei & expugnabam illam.*

Sed quia naturaliter eclipsis Solis & Lunæ non diu durat, sed aliquando ad horam, vel dimidiam, vel plus aut minus. Sic & ipsi non diu in tenebris permanserunt: Nam Petrus lumen cognitionis per aspectum pij Magistri statim recepit, & amarè peccatum defleuit, quia *exiens foris fleuit amarè*. Matth. 26. Sic & Paulus statim vt cognouit quòd erraret, errorem correxit. Quia dicitur ad Gal. 1. *Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelarem filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: Continuò non acquieui carni & sanguini*, scilicet Iudæis legem carnaliter intelligentibus, quasi diceret. Sed euangelizo & correxi errorem. Quia dicit Ambrosius super 1. Timot. 1. quòd post peccatum Paulus tantam spem didicerat in eo, quòd ante negabat, vt plus gauderet patiendo, quàm prius exultauerat in persequendo, quia non malitia hoc agebat, sed errore, cui facilè potest, cum resipiscit, ignosci. Hæc ille.

Ita nos discere debemus ad istis gloriosis Apostolis, vt si fuerimus obtenebrati peccatis, quod non in tenebris maneamus, sed peccata corrigamus, sicut ipsi quia dicit Clemens III. Papa, & ponitur, Extra: de eo, qui duxit in matrimonium, quam

Ab Apostolis quid discere debeamus.

quam polluit per adulterium c. Cum haberet, quod peccata non diminuuntur diuturnitate temporis, sed augentur. quia secundum Gregorium in moralibus. Peccatum quod non per pœnitentiam diluitur, mox pondere suo in aliud trahit.

Sed hoc non perpendunt miserrimi peccatores, qui (heu) non per annum vnum, sed per multa annorum curricula in peccatis perseuerant. Sed attendant dictum Isidori in libro sententiarum. Nequissimum est peccare, sed peius est consuetudinem peccandi facere; ad illud facilè tenditur, ab illo autem cum labore, surgitur. Nec etiam aliud considerant. Extra: De simonia. c. Cum in Ecclesiæ corpore. Tantò grauiora sunt peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam.

D II. Propter potestatem operationis. In cœlo. Super terram. Infra terrã.

SECVNDO, Petrus & Paulus comparantur his planetis, propter potestatem operationis. Quia videmus naturaliter de Sole, quòd habet optimam potestatem super his, quæ sunt in cœlo, super terram, & infra terram. In cœlo quidem, quia omnes stellas illuminat, & illud lumen capiunt à sole, quemadmodum Aristoteles dicit in libr. de elementis. Sol, inquit, habet lumen proprium, stellæ & luna habent lumen acquisitum. Super terram autem, quia superficiem terræ floribus & herbis vestit, & nihil crescit vbi sol non pertingit. Ideo dicit Aristoteles 2. Physicor. Homo generat hominem & sol. Infra terram autem, quia lapides pretiosi virtute solis infra terram generantur, & nisi virtus solis cooperaretur, nequaquam in virtutem lapidis pretiosi verterentur. Ita etiam potest dici de Luna, quia virtute sua in superioribus boni est generatiua, quia de terra aufert sterilitatem, & sic super terram habet operatiuam potestatem. Sic isti duo Apostoli habent operatiuam potestatem supra cœlum, super terram, & infra terram. Supra cœlum quidem, quia dicitur de ipsis Apocal. 11. *Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum.* Habent enim potestatem claudendi cœlum, & aperiendi portas eius: quia linguæ eorum claues cœli factæ sunt. Nam Dominus specialiter contulit Petro claues cœli, cum dixit Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum.*

Encomium Apostolorũ Petri & Pauli.

Ideò dicit B. Augustinus sermone 10. de eis: O omnipotentia & ineffabilis gratia Saluatoris! Quis persecutorem Saulum Martyrem credidit esse futurum? Quis plebeium piscatorem, Apostolorum venturum crederet Principem, & regibus obsistere, Reges sanctificare, Regibus omnibus imperare, mundum frænare, cœlum hominibus aperire, cœlum claudere, & cum placeret, immortale regnum conuersis donare, negare peruersis, merita mundi cognoscere, culpas & crimina hominibus relaxare. O ineffabilis & immensa potestas: hominibus in terra positum, tenere cœlum. Ecce nunc ad nutem Petri diuini regis claustra patescunt. Accepit à Christo claues regni cœlorum, vt solutis miraculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. O quàm vicina, ô quàm profunda remedia: cum iuxta se habet mundus Dei regna, si currat ad Petrum. Hæc ille.

Ideo dictum est Petro. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlo,* &c. Matth. 16. Similiter infra terram, hoc est, super infernũ & dæmones, iuxta illud Matthæi 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eum.* Patet etiam ex illo, quod infernus Petro obediuit, quando defunctum peccatorem restituit, quem Petrus resuscitauit, vt dicitur in Legenda. Quod habuit potestatem super dæmones, claret de illis, qui Simonem Magum per aëra ducebant, quibus potenter imperauit, vt ipsum cadere permitterent, quo imperio obtemperantes cadere velociter permiserunt.

De:

De Paulo patet, quòd dæmonem de homine desperato effugauit. Sicut patet in exemplo in sermone præcedente. Ideo dicit Augustinus in sermone, vbi suprà. Paulus factus est gentium magister, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum. Ideo nos volumus à diabolo esse securi, qui *quasi leo rugiens circumit, quærens quem deuoret*, accedamus ad Paulum, quia Paulus depingitur cum gladio, vt diabolum fuget; si autem volumus intrare cœlum, Petrus habet clauem ianuam referandi. Ideò oportet, vt eum rogemus, vt nobis aperiat. Quia dicit Ambrosius in sermone, qui incipit. Propitia diuinitate. Puto cœlos aliter aperiri non posse, nisi claues Petri Apostoli sumpserimus, quas Domini de largitate suscepit, sicut ipse dixit. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Immò rogemus Beatum Petrum, vt ipse nobis tanquam bonus ianitor, ianuam regni cœlestis aperiat. Hæc ille.

TERTIÒ, comparantur hi Planetis, ratione ardoris & frigiditatis. Quia naturaliter percipimus, quòd sol est causa ardoris, quando ad nos accedit sicut in æstate, tunc enim magnum calorem consueuit generare hìc in terris. Econtrà Luna est causa frigoris, sicut in nocte notamus, quæ communiter frigidior est quàm dies. Ita Beatus Petrus fuit magis calidus, quàm alij Apostoli, quod patet in omnium diuisione, iuxta illud Matth. 19. Quando dixit. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo*, &c. De quo habes plura in sermone primo, & causa huius feruentis amoris fuit, quia Christus cognouit verum Deum & hominem, quando dixit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16.

I III. Propter ardorem & frigiditatē.

Quod autem nos non tantum diligimus, signum est, quod ipsum non cognouimus. Ideo dicit Chrysostomus: Vis scire quare non ardenter diligis Deum? quia ipsum non cognoscis: quanto enim in cognitione eius bonitatis profeceris, tanto in eius amore exardescis. Hæc ille.

Paulus autem comparatur Lunæ ratione frigoris, non quod calidus non fuisset in dilectione, quia totus erat ignitus in amore Dei, sicut ferrum ignitum, Sed quia non caluit igne concupiscentiæ & luxuriæ, sed fuit purus ab omni libidine à iuuentute sua. Ideo multum docuit de Virginitate. 1. Cor. 7. vbi inter cætera dicit. *Volo omnes esse sicut ego sum*, scilicet Virgines. Et verè felix esset, qui eum in munditia sequeretur, quia nulla virtus familiarior Deo, sicut virginitas. Quod patuit in Paulo, quia in tertium cœlum raptus fuit.

Virginitas familiaris Deo.

Sed econtrà sunt quidam, qui in iuuentute nolunt fieri continentes, de quibus ait Isidorus in libro de summo bono. Quidam in iuuentute luxuriosè viuentes, in senectute fieri continentes delectantur, & tunc eligunt seruire castitati, quando libido eos seruos contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in iuuentute luxuriosè vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt, eos enim exspectat gloria in qua fuerunt. Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, commendantur ratione firmitatis, cum dicitur; Et posuit ea in firmamento, Circa quod NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod stellæ sunt firmæ & perpetuæ, neque deficient, & præcipuè Sol & Luna ita stabilita sunt, vt nullo modo corrumpantur, neq; post diem iudicij, quia, vt ait Isidorus post iudicium sol sui laboris inbebit mercedem. Nam secundum Isa. c. 30. *Sol lucebit septempliciter*, & non veniet ad occasum, nec luna. Sed in ordine, quo creati sunt, stabunt,

I Sol & Luna nō corrumpantur post diem iudicij.

bunt, iuxta illud Habacuc. 3. *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo.* Sol in Oriente, & Luna in Occidente stabunt in firmamento.

G Ecclesia cõparatur firmamento.

MORALITER. Per firmamentum sumitur Ecclesia. Et hoc triplici ratione. PRIMÒ ratione situs, quia firmamentum est in medio aquarum. Sic Ecclesia semper est in medio tribulationum, tam ex parte hæreticorum, quàm etiam ex parte malorum Christianorum. Ideo dicit Psal. 35. *Multæ tribulationes iustorum.* Sed quia firmamentum his aquis non concutitur; Sic anima in tribulationibus non deficiet, teste Hilario de Trinitate. Hoc proprium habet Ecclesia, vt dum persequitur, floret; dum opprimitur, crescit, dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit; & tunc stat, cum superari videtur.

I. Propter situm.

II. Propter motum.

SECVNDÒ, ratione motus. Firmamentum ascendendo mouetur & descendendo. Sic Ecclesia modo ascendendo & descendendo. Ascendendo, per contemplationem; & descendendo, per vitam actiuam, & humilitatem, vt testatur Psal. 106. dicens: *Ascenderunt vsq; ad cœlos, & descenderunt vsq; ad abyssos, anima eorum in ipsis defecit.*

III. Propter cõtentum. Tria in nuce consideranda. Amurca. Testa. Nucleus.

TERTIÒ, ratione contentus. Quia sicut firmamentum diuersarum continet multitudinem stellarum, quarum vna clarior est, quàm alia, iuxta illud 1. Corint. 15. *Stella differt à stella*, sic in Ecclesia differunt in sanctitate, vt virgines à continentibus, continentes à coniugatis. De hoc dicit Gregorius: super Cantica. In nuce tria considera, amurcam, testam, & nucleum, & habebis tres ordines sanctorum. Per *amurcam* coniugati mundi tribulationibus amaricati intelliguntur. Per *testam* continentes contra vitia fortiter dimicantes; & per *nucleum* virgines Deo placentes, & dulciter adhærentes.

In hoc firmamento posuit Dominus duo luminaria magna Petrum & Paulum, qui erant firmi & stabiles in fide, quod nullo modo à fide trahi potuerunt. Et quod erant firmi in caritate Dei, patet quod Romam, quæ erat olim quasi furibunda, & occasio martyrum, intrare minimè timuerunt. Sicut de hoc dicit Leo Papa in sermone festiuitatis hodiernæ. Ad hanc vrbem beatissime Petre Apostole venire non metuis, & consorti gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, siluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constantior, quàm super mare graderis: nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam. Nunquid autem iudicium Pilati, aut sæuitia Iudæorum minor erat, vel Iudaica potestas, vel in Nerone crudelitas? Sed vincebat formidinem martyrij, magnitudo amoris. Hæc ille. Et sicut in passione stabilem habuerunt firmitatem, ita in iudicio stabilem sessionem. Tunc enim in habitaculo suo stabunt, quando super duodecim thronos sedebunt, ad sententiæ prolationem. iuxta illud Matth. 19. *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*, &c. Et hoc quoad secundum.

IN COMMEMORATIONE S. PAVLI APOSTOLI.

Sermo.

Vas electionis est mihi iste. Ita scribitur Actor. 9.

Con-



ONSVEVERVNT domini terrestres & potētes in domo sua varia habere vasa, aliqua pro aqua, aliqua pro vino, & reliqua pro potagio, aliqua verò pro nobili balsamo: & illa, in quibus seruari debet vinum vel balsamum, debent esse electa & noua, aliàs vinum destrueretur, iuxta illud Matth. 9. *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpentur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur.*

Sic etiam balsamum nobile in vasa non corea, sed argentea mittunt, vt patet de rege Soldano, de quo legitur, quod balsamus fluit ex virgis, quæ sunt modicum vlnis altiores, & sunt formatæ quasi rubus rosarum, & vnusquisq; rubus habet custodem Christianum, qui eum colit, quia se coli ab infidelibus non sinit. In mense autem Martij Soldanus per se est præsens, & tunc virgæ in modum vitis præscinduntur. Et scissuræ bombice circumligantur, & subtus bombicem & scissuram parua vascula argentea iubet poni, ad quæ balsamus stillat. Et cum illa vascula sunt repleta, tunc fundit in amphoram argenteam, & illud balsamum magnis personis ad se venientibus impartitur. A Origo Balsami.

SPIRITVALITER. Christus est Dominus cœli & terræ, & est *rex super omnem terram*, secundum Ps. 46. Ideò more secularium dominorū habuit, & adhuc habet vasa spiritualia, hoc est, corda sanctorum; in aliquib. tenet aquam sapientiæ, iuxta illud Eccli. 15. *Et aqua sapiētiæ salutaris potauit illum.* In aliquibus vinum lætitiæ, de quo Ps. 103. *Vinum lætificat cor hominis.* In ceteris autem balsamum gratiæ, & tale vas fuit B. Paulus, cum Dominus in ipsum perfectè infuderit aquam sapientiæ, vt claret in suis Epistolis. Ideò figuratur 4. Reg. 2. vbi legitur. *Postquam Elisæus venit Iericho, dixerunt ei viri habitantes, bona est ciuitatis huius habitatio, sed aqua pessima, & terra sterilis: Rogantesq́; eum, vt prece sua sanaret aquas. Ille autem postulauit vas nouum, & fortè terreum immisitq́; sal, & imposuit aquam fontis, & aquas dulcorauit.* Per Eliseum hìc Christus intelligitur, qui venit in Iericho quæ Luna interpretatur, hoc est, in mundum instabilem, non tunc corporaliter, quia iam ascendit in cœlum, sed per gratiā suam & auxilium. Figura.

Vidit itaq; quod aquæ essent malæ, quia sapientia hominibus infusa ad terrena vtebatur. Ideo postulauit vas nouum & electum, sanctum Paulum, id quod misit aquam sapientiæ, ipsum docuit per se, non per alium, in cœlo & non in mundo, sicut ipse testatur ad Galat. 1. dicens. *Notum vobis facio Euangelium quod à me euangelizatum est*, &c. Infundit etiam in ipsum vinum lætitiæ, hoc est, bonū conscientiæ. Quia sicut ipse testatur 1. Corint. 4. *Nihil mihi conscius sum*, & vbi est talis conscientia, ibi mentalis lætitia iuxta illud Prou. 15. *Secura mens; quasi iuge conuiuium.* Infudit etiam Christus in ipsum baptismum plenæ gratiæ, secundum quod ipse testimonium perhibet, *Gratia eius in me vacua non fui.* 1. Cor. 15. Ideo dicit benè in propositis verbis: *Vas electionis est mihi iste.* In quibus egregius prædicator à duobus commendatur; *Primò*, à diuinæ gratiæ receptibilitate, ibi; *Vas. Secundo*, à diuinæ dilectionis singularitate, ibi; *Electionis.* B

DE PRIMO est NOTANDVM. Experimur hoc naturaliter, si aliquod vas debet esse alicuius nobilis contenti receptiuum, requiritur quod quatuor habet in se. *Primò*, vt sit profundum, vt in eo materia asseruetur tutius infusa. *Secundo*, quod sit aplū, quia ad amplum magis quàm ad strictum funditur. *Tertiò*, quod sit vacuū; quia Proprietates boni vasis.

si esset plenum, inhabile esset ad recipiendum. *Quartò*, quod sit solidum, quia aliàs de facili frangeretur, & superaddi posset. *Quintò*, vt sit mundum ne liquor in eo infusus corrumpatur.

C SPIRITVALITER. B. Paulus esse debuit vas nobilissimi contenti, scil. gratiæ Dei, & sapientiæ receptaculum, ideo hæc prædicta habuit in se, ita vt de ipso possit

I. verè dici illud Eccl. 43. *Vas admirabile opus excelsi*. PRIMÒ igitur fuit vas profundum per humilitatem, quia profundè se humiliauit, quando cadens in terram vocem Iesu audiuit, se totum ad se deiiciens, diuinæ voluntati, vt humilis obediens, se subiecit dicens? *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. quasi diceret. Ecce nunc sum paratus tibi in omnibus humiliter obedire, qui prius nequiter tibi repugnaui. Ideo comparatur Lunæ, qui est infimus Planetarum. Sic ipse fuit inter omnes Apostolos infimus, vltimus & minimus, hoc est, humillimus, ipso attestante, qui ait 1. Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, & non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Quod autem fuerit humilior aliis, ostendit Ioannes Chrysostomus in libro de laudibus Pauli, dicens: Tanta Paulus tamque crebra cum Deo habuit eloquia, quanta nec aliquis Prophetarum & Apostolorum habuerunt, propterea ipse in se humilior habebatur. Hæc ille.

B. Paulus vas profundum.

D Nouerat etiam beatus Paulus illud, quod dicit Auicenna libro quarto de diluuiis terræ: Quod profunda laria terræ, maiorem suscipiunt humiditatis participationem, & influxum, quia scimus quod fundus terræ est plenus lapidibus pretiosis, & aliis metallis, quæ extra fodiuntur; vt dicit Auerroës de natura locorum. Sic profundiora corda hominum, id est, humiliora, magis lumen cœlestis gratiæ recipiunt. Iuxta illud Prouerb. 32. & Iacobi 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Idcirco Paulus se profundius humiliauit, vt maiorem gratiam reciperet, mediante quâ tenebras ignorantiæ & peccatorum à se repelleret. Quia secundum Augustinum: Gratia diuina est, quasi candelabrum accensum, expellens tenebras, vt homo modicitatem suam melius cognoscat. Ideo dicit Gregorius: Quanto quis maius lumen gratiæ recepit, tantò se minorem esse cognoscit. Quis autem maiorem gratiam accepit quàm Paulus, quæ ei adhuc in vita data est, vt in tertium cœlum raperetur, & ibi arcana Dei audiret? Sicut ipse testatur 2. Cor. 12. dicens; *Scio hominem raptum ad tertium cœlum, & audiuit arcana, quæ non licet homini loqui*; quia secundum Doctores, vt piè creditur, ipsi Paulo reuelatum est, quod ex primo intuitu in omnibus hominibus cognouit, quis esset de prædestinatis ad gloriam, & quis ad pœnam, & tanta gratia nulli legitur Apostolo collata. Ideo fuit cæteris humilior.

S. Paulus fuit vas humilitatis.

II. SECVNDÒ, fuit vas amplum per charitatem, quia tanta charitate ad salutem

E hominum æstuabat, quod non solum ardenter salutem eorum affectabat, sed pro peccatis eorum flebat, & pro damnatione eorum sua gloria excludi cupiebat. Teste Chrysostomo, vbi suprà. Nullus quippe tanto affectu deflet mala propria, quantum deflebat Paulus aliena. Quemadmodum enim illum opinaris afflictum, cum de perditione fleret peccatorum, qui vt illi salui fierent à cœlorum gloria cupiebat excludi. Nam non saluari illos multò acerbius æstimabat, quàm seipsum perire. Hæc Chrysostomus. Et sumpsit Chrysostomus ex verbis eius ad Romanos 9. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis*.

S. Paulus vas amplũ.

Sed

Sed diceret aliquis: Hæc verba esse contra verum ordinem caritatis, quia vnusquisque debet plus petere salutem propriam, quàm alienam, secundum illud Augustini super Ioannem: Ordinata charitas incipit à seipso. Et si tunc Paulus voluit separari à Christo pro salute proximorum, tunc fecit contra ordinem charitatis. *Ad hoc dico*, quod auctoritas est vera absolutè loquendo. Ideò dictum Pauli secundum glossam Nicolai de Lyra intelligitur. Quod optabat separari à Christo per dilationem suæ gloriæ ad tempus, vt incenderet conuersionem Iudæorum ad fidem Christi, Vel debet intelligi sub conditione. Si hoc esset possibile appeti, quod vellet pro salute aliorum excludi. Cuius simile legitur Exodi 32. De Moyse, qui populo peccanti petiuit, dicens: *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro in quo me scripsisti*. Intelligendum, si hoc esset possibile. F Obiectio.

Quantum autem Paulus dilatatus erat, & amplus in charitate, ostendit Chrysostomus vbi suprà. Hic siquidem pro illius amore & dilectione non Angelorum aut Archangelorum dignitatem, nec quicquam horum concupiuit, quod enim erat maius omnibus, Christi amore fruebatur, cum hoc, enim beatiorem cunctis se putabat, sine hoc autem neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat, Sed cum hac dilectione magis desiderabat esse vel extremus, immò etiam ex numero infimorum, quàm sine hac inter summos honores sublimari. Hoc enim erat illi singulare & maximum tormentum ab hac charitate discedere; hoc illi erat gehenna, hoc sola pœna, hoc infinita & intoleranda supplicia. Sed perfrui charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc regnum, hoc promissio, hæc bona videbantur innumera. Hæc ille.

TERTIO, fuit fas vacuum, non à gratia Dei, qua plenus fuit. Sed rerum temporalium à se omnimodè euacuando: vt benè posset dicere illud Matt. 19. *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*. Ideò dicit Chrysostomus, vbi suprà. Abraham mirantur omnes, quod ad Dei præceptum patriam atque cognatos reliquit, vt habetur Genes. 12. Vbi dixit Dominus. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam*. Sed quomodo æquari posset Paulo, qui non solum patriam vel cognatos, sed seipsum & mundum reliquit, immò & cœlum cœli, & hæc omnia Christum suscipiendo, propter Christum despexit. Ideò ait ad Philippens. 3. *Et propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam*. In cuius signum & figuram, iussit Propheta Eliseus mulierem habere vasa vacua non pauca, quibus habitis, oleum fuit multiplicatum, vt habetur 4. Reg. 4. III. S. Paulus contemptor rerum temporalium.

QVARTO, etiam fuit vas solidum & serenum, quia vas cordis sui nulla aduersitate potuit frangi. Vt enim ait Chrysostomus: Ipse tyrannos & populos spirantes furorem, velut quosdam esse culices æstimabat; mortem verò atque cruciatus & mille supplicia, quasi ludum esse puerorum putabat, dummodò pro Christo aliquid sustineret. Decorabatur autem magis vinctus catenis, quàm coronaretur diademate. Etenim coartatus in carcere, cohabitabat in cœlo, ac libentius verbera recipiebat, & vulnera, quàm alij brauia diripiant, & dolores non minus quàm præmia diligebat, cum ipsos vtiq; dolores duceret loco præmiorum, propterea ipsos etiam gratiam nominabat; quoniam quæ nobis sunt causa tristitiæ, hæc illi maximam pariebant voluptatem. Hæc ille. Ideò potest de illo verificari illud Sapientis. *Firmabitur in illo, & non flectetur*, Eccli. 4. IV. G S. Paulus constans in aduersitate.

H S. Paulus fuit virgo.

QVINTO, fuit vas mundum per continentiam & castitatem, immò, vt creditur, virginitatem iugiter seruasse: & vt dicunt alij doctores, quod ante conuersionem virgo ex superbia permanebat, se reputans meliorem quàm cum mulieribus commisceri: Post conuersionem autem per gratiam hoc habuit, quod omnis delectatio carnis aut luxuria ei fuit luctuosa. Quare igitur illud vas nobilissimum, fuit ita profundum, amplum, vacuum, solidum, sicq; mundum. Ideò magnarum gratiarum & multarum fuit receptiuum. Et hoc quoad primum.

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Solent habere Reges mundi præ alijs vasa electissima, in quibus eis ministrentur potagia, & non vasa communia. Ad quod probandum legitur Danielis secundo. Quia Balthasar habuit *aurea & argentea vasa electa*, in quibus ei potus portabatur. Idem legitur de Assuero Rege, *qui de aureis poculis bibebat*. Esther 1. Ita Christus rex regum habuit electissimum vas beatum Paulum, qui non fuit vas simplex, sed *vas electionis*. Vnde de ipso intelligitur illud: *Ecce seruus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*. Isaiæ quadragesimo secundo capite. Et dicit signanter *electus meus*, vt de ipso verificetur illud Canticorum quinto. *Dilectus meus candidus, rubicundus, electus ex millibus*. Et benè ex millibus, quia inter mille sanctos non inuenitur ei similis, sicut declarat Ioannes Chrysostomus in libro de laudibus Patrum, vbi laudat ipsum super omnes patres veteris Testamenti & Noui. Vltra Abel in sacrificio, vltra Noë, qui genus humanum in arca reseruauit. Quam auctoritatem plenius inuenies de conuersione eius, ibi, *Beniamin lupus rapax*.

I S. Paulus fuit præditus triplici sapientia.

In TERTIO principaliter est NOTANDVM, quod illud vas venerabile dictum est principaliter quoad tria. PRIMO ad DEI sapientiam; & rectè potest dici vas sapientiæ, quia præditus fuit triplici sapientia, scilicet Mosaica, Angelica & Diuina. *Primam* didicit in schola Iudæorum, sicut ipse testatur Actorum vigesimo secundo. *Ego sum vir Iudæus, nutritus secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis*. *Secundum* didicit in schola Apostolorum, in qua magistrum solum habuit Christum, quia non *suum Euangelium fuit secundum hominem, nec recepit ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi*. Ad Galat. primo. *Tertiam* didicit in schola Angelorum, quando raptus fuit in tertium cœlum, vt patet suprà. Et quia in his scholis gradatim se excedentibus hanc triplicem sapientiam didicerat, ideò perfectus fuit prædicator, quia nomen Christi tripliciter prædicauit verbo, exemplo, & martyrio. Et in signum suæ sapientiæ depingitur ipse cum libro, quem gerit in manu, vt suum magisterium demonstretur.

Labores S. Pauli.

SECVNDO fuit vas electum ad laborum suppletionem, quia tam laboriosus fuit, quod secundum Chrysostomum, vbi suprà, nec vnum diem in otio quiete passus est transire: quod probat per hoc, quia vix in spacio triginta annorum Romanos, Persas, Parthos, Medos & Æthiopes iugo subdidit veritatis. Nam adeò laboriosus fuit, quod noctem pro maiori parte in labore consumpsit manuum, diem verò in exercitio prædicationis: Dicit Haymo, quod à cantu gallorum vsque ad quintam horam manibus laborabat. Deinde prædicationi vacabat, & plerunque vsque ad noctem prædicationem protraxit, & residuum tempus in refectione, somno, & orationibus consumpsit, quare hoc etiam ipse dixit 1. Corinthiorum decimo quinto. *Abundantius omnibus alijs laboraui*, nullus enim legitur in tot terris prædicasse, nec pro-

pro suo victu sic manibus proprijs laborasse, quia sciebat, quod otium & voluptas sunt arma antiqui hostis, vt habetur de renunciatione. Nisi cum pridem hoc verum. Hic de malo otio, si videris expedire.

TERTIÒ, vas illud fuit electum, ad passionum tolerationem quod patet in triplici genere passionum. PRIMVM consistit in corporali afflictione, quia à seipso pertulit voluntariam corporis castigationem, à laboribus, ieiunijs, *à fame, siti, frigore & nuditate*, vt habetur 2. Corinthiorum 11. Ab aduersarijs etiam pertulit multifariam machinationem periculorum, quia Pseudoapostoli machinati sunt in mortem eius quia in ciuitatibus à falsis fratribus sustinuit periculum proditionis: in solitudinibus periculum occisionis; in fluminibus sustinuit periculum submersionis; quia illi qui non poterant in ciuitatibus ipsum per proditionem perdere, nec in solitudinibus interficere, conati sunt ipsum in flumine submergere. Et hoc innuitur 2. Corinthiorum vndecimo, cum dicit: *In periculis fluminum, in periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus.* Sed Christo ipsum protegente multorum pericula euasit. Ab ipsis etiam domesticis, scilicet Iudæis, pertulis varias pœnarum illationem. Quia, vt testatur, quinquies, id est, quinque vicibus accepit quadragenas percussiones minus vnâ; Nam secundum Glossam, ne viderentur immisericordes, vnum ictum remittebant; & plures alias passiones ab eis sustinuit, vt lapidationes Actorum 19. Et cum impiorum sæuitiam declinaret ter naufragium pertulit.

K

S. Paulus triplices passiones sustinuit.

I. Corporalem.

SECVNDVM genus passionum fuit in mentali affectione, secundum quem affectum tripliciter passus est. *Primò*, pro Ecclesiarum dilatatione & profectu fidelium, maximam solicitudinem habuit. Quia dicit ad Corinthios, vbi suprà. *Præter illa quæ intrinsecus sunt* (id est, quæ patior in interioribus) *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Et Chrysostomus in libro de laude S. Pauli, ait, quod nullus angelus proprium sibi creditum ita solicitè gubernauit, vt Paulus de profectu omnium Ecclesiarum solicitus fuit. *Secundo*, pro debilium & infirmorum releuatione habuit magnam compassionem, secundum quod dicit ibidem. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* hoc est, mentaliter affligor. *Tertiò*, pro aliorum tristitia habuit tristitiam maximam, secundum quod dicit ad Romanos nono. *Tristitia mihi magna est pro vobis, & continuus labor cordi meo.*

II. Mentalem.

TERTIVM genus fuit in tormentali passione, ideò dicit 2. Corinth. 7. *Non enim volumus vos ignorare de tribulatione quæ facta est in Asia, quia supra modum grauati sumus, & supra virtutem, ita vt tæderet nos viuere.* Et propter eius inuictam mentis constantiam ait Chrysostomus, quod fuit omni saxo durior, omni columna immobilior, & omni Adamante fortior, Fuit enim tantæ constantiæ, quod nunquam alicui cedebat aduersitati, sed eam per mentis constantiam viriliter reprimebat. Rogemus, &c.

III. Tormentalem.


DE VISITATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Sermo Primus,

Bene-

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Ita scribitur Lucæ 1.

A Lunæ descriptio.



Dicunt Naturales & Astronomi, quod Luna est nobilis Planeta, propinquior nobis inter alias Planetas. Nam secundum Astronomos solum distat à terra XV. millibus milliaribus sexcentis & XXXV. Cùm alij sint multò remotiores iuxta situm. Et ex quo est nobis ita vicina, hinc est in nobis humorum augmentatiua. Quantò enim magis appropinquat, tanto magis humorem in carne in ossibus medullam, in capitibus cerebella, & sanguinem scilicet in corporibus augmentat. Ideò etiam in infirmitatibus est Luna à medicis inspicienda, quia, vt dicit Galenus in quinto de diebus criticis: Quod quando Luna est coniuncta cum stella fortunata, tunc ægritudines & debilitates in hominibus terminantur ad bonum, & quando est plena luminis tunc crescunt in hominibus medullæ & humores.

B Beata virgo comparatur Lunæ.

SPIRITVALITER per Lunam beatissima virgo Maria ritè designatur; Nam sicut Luna, est nobis Planeta vicinior, & quando terræ per pluuiam nō succurritur, & ab alijs Planetis dimittitur, tunc Luna de se rorem mittit & terram fructificare facit, vt videmus. Sic MARIA Luna pulcherrima in omnibus necessitatibus nostris est vicinior, & quando ab aliis sanctis imò à Christo propter peccata nostra relinquimur, sola Maria nos non relinquit in necessitatibus nostris. Ita dicit Bernardus in quodam sermone, quod ille solus ô virgo, tuas laudes sileat, qui te fideliter inuocatam, sensit vmquam in suis necessitatibus defuisse. Et quid mirum si inuocata adest, quæ etiam præsta est non vocata. Hæc ille. Rectè sicut legitur de Esther, per quam figuratur Maria, in necessitatibus fuit pro Iudęis coram Assuero: reconcilians ipsos, qui gratiam impetrans populo Israël nesciente, vt habetur Esther 7. Et quia virgo MARIA est nobis tam propinqua, ideo generat nobis humorem gratiæ & misericordiæ, secundum quod dicit Bernardus: MARIA omnibus omnia facta est, omnibus charitate debitricem se facit, omnibus sinum misericordiæ suæ aperit, vt de plenitudine eius recipiant vniuersi. Rectè, sicut Luna quando est plena, tunc magis generat humores hîc in terris: Ita ipsa, ex quo est plena gratiarum iuxta dictum Angeli, *Aue gratia plena*. Ideò hanc nobis largiter impartitur. Et illud ostendit in Elisabeth cognata sua & Ioanne, quia ad partum eius iuuencula ad senem properauit, vt eam in necessitatibus adiuuaret, teste Bernardo in sermone de natiuitate Ioannis, qui ait. Virgo festinauit ad Elisabeth, & tribus mensibus cognatæ dignatur inhabitare hospitium, donec noni mensis fine concluso, natiuitas immineret patriarchæ. *Alij* qui libros sanctorum diligentioribus oculis inspexerunt, se vidisse testantur, quod ipsa Dei genitrix felicem puerum primò de terra leuauit, & cognatæ partum omni prosecuta est seruitute. Hæc ille. Et cum hæc propinqua esset Maria Elisabeth, humorem gratiarum in Ioanne infantulo augmētauit, vt qui prius erat debilis in membris, præ gaudio exultaret, vt dicitur Luc. 1. Et *etiam Elisabeth repleta spiritu sancto*, vt quæ prius vix præ debilitate senectutis loqui poterat, statim iubilanter exclamauit verbum prælibatum, dicens, *Benedicta tu in mulieribus*. In quibus sanctæ mulier

Esther figura Mariæ.

Christi

Christiferam extollit quoad tria. *Primò*, in sanctitate, quam probat diuina dedicatio. *Secundo*, in singularitate, quam probat comparis exclusio. *Tertio*, in fœcunditate, quam probat baiulatio prolis.

C

De PRIMO, quod Maria extollitur in sanctitate, quam probat diuina dedicatio, cum dicitur benedicta. Dicunt Naturales, qui tractant de naturis herbarum, quod benedicta est herba vtilis, & multæ virtutis. Nam de ipsa legitur, quod in quacunq; domo vel camera posita fuerit: ibi nec vermis venenosus, nec serpens, nec rana potest latere, vel manere, propter eius odorem. Habet etiam virtutem, quod omnem potum reformat, quia qui primam virtutem perdiderat, si imponitur Benedicta ad priorem ordinem reducitur, & qui de ipsa biberit, rubeum vel bonum colorem habebit.

Virtutes benedictæ herbæ.

Per hanc herbã B. virgo Maria intelligitur, quę hic ab Elisabeth benedicta nominatur. Rectè enim sicut benedicta vbi in domo cordis ponitur, vel nominatur, ibi nullus serpens potest manere infernalis. Teste Ambrosio in libro præfationum. Ad vocationem nominis Mariæ, tota concutitur & terretur potestas cantationis malignæ; 1
Mariæque præsentia inæstimabilia infert dæmonibus supplicia. Sicut benedicta rubeum reformat potum ad statum pristinum. Sic benedicta Domina, diuinam gratiam quam Eua neglexerat, & perire dimiserat, reformauit, secundum quod dixit Angelus: *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Lucæ primo. Ideò dicit Hieronymus de assumptione eius: Quicquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper & gratiam refudit Christi ortus quam prius non habuit omnis mundus. Hæc Hieronymus. Ideò si de hac virgine sedulò benedicta 3
Maria biberimus, eius gratiam postulando, perducet nos ad regnum filij sui, vbi facies bonum & pulchrum habebunt colorem. Iuxta illud Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu patris sui.* Etiam sicut herba prædicta inter cæteras herbas obtinet hoc nomen benedicta. Sic Maria inter alias mulieres prædicatur benedicta. Ita 4
vt ei competat illud Iudith decimo tertio. *Benedicta tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Similiter illud ibidem capite decimo quinto. *Manus Domini confortabit te, ideò benedicta eris in æternum.* Et illud Ruth. 3. *Benedicta es à Domino filia, quoniam priorem misericordiam posteriore superasti.* Etiam benedicta 5
herba non solum est dotata hoc nomine inter herbas, sed etiam inter flores; quia de nullo flore legitur, quod esset præditus hoc nomine benedicta. Ita Maria non solum hoc nomine benedicta honoratur inter mulieres, sed etiam inter viros quod probat Chrysostomus in sermone Annunciationis dicens: Abel per sacrificium commendatur, Enoch per contemplationem membratur, Melchisedèch imago Dei prædicatur, Abraham per fidei meritum collaudatur, Isaac per nomen obedientiæ commendatur, Iacob per luctamen beatificatur, Moyses sicut legislator, Samson velut victor, Helias zelator, Isaias sicut legis Dei Euangelizator, Daniel sicut prudentissimus salutis desiderator. Ezechiel sicut arcanorum inspector: Salomon sapientissimus nominatur, sed nullus talis fulsit in mundo, qualis Maria Dei genitrix benedicta; quem enim illi omnes in ænigmatæ præuiderunt, ista in vtero incarnatum portauit. Hæc ille. Quia ipsa portauit in vtero Christum, quando in montana ad Elisabeth festinauit; Et hoc quoad primum.

B. Virgo quare benedicta dicatur?

2

D Quantum ad SECVNDVM extollit Elisabeth Mariam propter singularem comparis exclusionem, quam probat cum dicit: Tu scilicet sola non habes similem inter omnes mulieres. Ambrosius in hexam. & Isidorus in naturalibus dicunt de phœnice: Quod est auis singularissima, non habens parem, sed est vnica in toto orbe terrarum, & apud Arabes vocatur singularis, & præ alijs auibus pulcherrima, habens pennas velut pauo occultas. Per hanc auem virgo Maria specialiter designatur, quia fuit in terris, & est nunc in cœlis præ omnibus singularis in dignitate; nec aliqua mulierum in toto vniuerso fuit ei coæqualis. Ideò canit de ea Ecclesia;

Phœnix auis singularis.

B. Virgo comparatur phœnici aui ob singularitatem.

Nec primum similem visa est, nec habere sequentem.

I. In dignitate.

De hoc etiam dicit Chrysostomus in sermone de Annunciatione. Laudatur Sara populi princeps, honoratur Rebecca, proponitur in cauernis primogenitur. Laudatur delbora super naturam fœmineam ductrix populi, & victrix inimicorum, Beatificatur Elisabeth partu sterili exaltata. Beata autem virgo Maria super omnes, quia facta est ancilla Domini, & thalamus & arca dominatoris. Hæc ille.

II. In pulchritudine.

Hæc etiam Beatissima Virgo Maria in pulchritudine est singularis, vt de ipsa verificetur illud Canticorum primo. *O pulcherrima inter mulieres abi post vestigia gregum tuorum.* Fuerunt enim multæ pulchræ mulieres ante ipsam, quantum vna fuit Rebecca, de qua Genesis vigesimo quarto, quòd *erat puella decora nimis, virgo pulcherrima.* Abia fuit Esther, de qua capite secundo, quæ erat *formosa & incredibili pulchritudine* omniumque oculis gratiosa videbatur. Sed omnium illarum pulchritudo non potest eius speciositati comparari. Quia dicit Doctor Bertitius in libro de vestigio, quod omnem pulchritudinem, quam omnis creatura potest suscipere, Maria inter omnes creaturas primogenitas suscepit, in magna affluentia præ consortibus. Nam solem iustitiæ, quando primò egressus est de sinu Patris, Mariæ cor inter cæteras creaturas suscepit. Hæc ille. Cui concordat Hieronymus in sermone. Si Mariam inspexeris, nihil virtutis, nihil decoris, nihil est speciositatis, quod non in ea resplendeat. Hæc Hieronymus. Illa pro tanto dicunt, quia sciunt quod virgines specialiter de pulchritudine delectantur. Ideò hanc ipsam virginem laudant de decore. Et quare non laudaret talem virginem, in qua decor & pulchritudo nunquam defuit nec deficit, quia adhuc in anima habet filium & omnem thesaurum beatissimæ Trinitatis. Sed quomodo ego pauper ingenio hanc pulcherrimam collaudabo? quia si omnium Doctorum membra verterentur in linguas, ipsius pulchritudinem exprimere nullus sufficeret. Sed quia seculares amatores, suas laudant virgines amatrices, ideò ego meam Dominam gloriosissimam atque dilectissimam amatricem, secundum posse meum commendabo. Hæc est, inquam, hortus conclusus, soror mea sponsa, de quo dicit sponsus Canticorum quarto, *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Hunc delectabilem fecerunt concentus volucrum, hoc est, Prophetarum, qui de ipsa vario modo præcinuerunt, viriditas herbarum virentium, id est, virtutum, amænitas florum & fructum, id est, bonorum operum.

Encomium B. Virginis.

Maria est hortus conclusus.

E Rectè, sicut hortum materialem hæc prædicta faciunt delectabilem & amænum, quando auditur cantus auium in hortis, vbi est viriditas herbarum & arborum amœnitas fructuum atq; florum. Ille hortus pulcher diceretur ratione illius, quia materia pulchra est.

Hæc

Hæc eſt vitis pulcherrima, quam rex Aſſuerus habuit in veſtibulo ſui horti, cuius ſtipites erant argentei, palmites aurei, & botri ex gemma & auro inſerti, ſicut dicit Petrus Comeſtor in hiſtoria ſcholaſt. Fuit enim vitis, quemadmodum ipſa teſtatur, Eccli. 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*, &c. ſtipites autem, ſcilicet parentes Ioachim & Anna, huius nobiliſſimæ & pulcherrimæ vitis, fuerunt argentei, hoc eſt, puri & iuſti. Quia dicit Lucas, quod fuerunt ambo iuſti ſine reprehenſione in omnibus mandatis Domini incedentes. Maria vitis.

Hæc eſt mulier illa ſpecioſiſſima & pulcherrima, quam Ioannes vidit in Apocalypſi. 12. *Quæ erat ſole amicta & luna ſub pedibus eius, in capite autem corona duodecim ſtellarum.* Maria autem amicta erat ſole, quia Chriſtus verus ſol iuſtitiæ, ipſam tam interius exteriusq; repleuerat, quando Eliſabeth viſitauit, vt habetur Luc. 1. Quando ipſa angelo conſenſerat dicens: *Ecce ancilla Domini.* Statim concepit filium Dei, & ſic in illis diebus circumdata ſole, *exurgens abijt in montana.* Habuit etiam Lunam ſub pedibus, quia iam de mundo non curauit, & potuit dicere cum Apoſtolo ad Galat. 5. *Mihi mundus crucifixus eſt*, id eſt, concupiſcentia eius mortua eſt, *& ego mundo.* Habuit inſuper coronam duodecim ſtellarum in capite, quia habuit duodecim virtutes decentiſſimas, quæ in diuerſis fulſerunt ſanctis, & tamen ſingulariter ipſam exornauerunt. Maria eſt amicta ſole. Corona 12. ſtellarum in capite Mariæ

PRIMA eſt *Puritas*, quæ eſt in Angelis, qui natura puri ſunt, ſed in virgine & Domina noſtra gratioſa, ſuper abundanter hæc effulſit. De qua dicitur Sap. 7. *Hæc eſt ſpecioſior ſole, quia eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* Et meritò debuit eſſe ſuper omnes Angelos puriſſima virgo glorioſiſſima, de qua naſci voluit ſplendor Patris æterni, Ieſus Chriſtus, ſecundum quod dicit Anſelm. in lib. de conceptu virginis. Decebat vt illius hominis conceptio de puriſſima matre fieret, vt ea puritate niteret, quâ ſub Deo nequit maior intelligi. F I. Stella eſt puritas.

SECVNDA ſtella eſt *Conſtantia*, quæ fuit in Patriarchis, qui aduentum Domini conſtanter exſpectabant, quorum vnus Iacob dixit. *Salutare tuum Domine expectabo*, Gen. quadrageſimo nono. Sed hac multò decentius decorata fuit Maria, quia monitu Angeli in Ægyptum fugit, & ibi conſtanter reditum in terram Iſraël exſpectabat, vt dicitur Matth. 2. Sic et per triduum cum magna conſtantia filium quæſiuit, *& tandem in templo inuenit* Luc. 2. Et principaliter conſtans fuit in propoſito caſtitatis: quia Angelo diutius recuſauit conſentire, & modum *quomodo fieret*, voluit ſcire. Luc. 1. Sed quia noſtræ mulieres valdè in earum animis ſunt inconſtantes, & rarò in bono propoſito perdurantes, quia iam ſibi proponunt aliqua bona ſeruare, ſcilicet caſtitatem, & citò animus immutatur, diſcere debent ab hac virgine conſtantiſſima, ne tam leues ſint ad credendum, quia ſecundum verbum Sapientis. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Eccli. 19. II. Conſtantia. Inconſtantia mulierum.

TERTIA ſtella eſt *Cognitio*, quæ fuit in Prophetis, quia multa futura de Deo per Spiritum ſanctum cognouerunt, ſed in hoc præcellit Maria, quia hunc in vtero geſſit, quem Prophetæ futurum agnouerunt. Ideò dicit Anſelmus. Quid illa de DEO non ſentiebat & ſapiebat, in qua ſapientia Dei latitabat? III. Cognitio.

QVARTA ſtella eſt *Fides*, quæ fuit in Apoſtolis, quia duodecim articulos fidei in vnum collegerunt. Sed hanc excellentius habuit Maria, quia alijs dubitantibus & à Chriſto recedentibus tempore paſſionis, ipſa nunquam fidem perdidit, nec à filio receſ- IV. Fides.

recessit: quod designat Ecclesia in candela ardente in matutinis tenebrosis remanente. Nam sicut illa candela alijs exstinctis non extinguitur, sic alijs Apostolis diffidentibus, Maria lumen exstinctum nunquam habuit.

G Inuectiua in superstitiosos. Sed hanc stellam fidei præclarissimam non portant certè mulieres sortilegæ incantatrices, quæ veram fidem deserunt Christianam, & Diabolicam consectantur. Nam solent prædicere ex quadam pactione, quàm habent cum diabolo, quæ tamen excogitata mendacia dici potius, quam vera inueniuntur, capita etiam & alia membra solent in infirmis mensurare, & benedictiones facere suas, quæ potius maledictiones diabolicæ dicuntur, quibus credunt in esse aliquam virtutem sanitatis. Contra hoc dicit Augustinus, & habetur 26, q. vlt. c. Admoneant, inquit, fideles sacerdotes populos, vt nouerint artes nicromanticas, incantationesq; quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedij conferre, nō animalibus languentibus, claudicantibus, vel etiam morbidis quicquam mederi; sed esse laqueos antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Et si quis hoc exercuerit, si est clericus, degradetur, laicus excommunicetur. Hæc Augustinus. Videant nunc tales infideles incantatrices, quod earum infidelitas nihil proficit ad salutem, sed magis ad perpetuam damnationem. Ideò qui in se exstinxerunt lumen fidei Christianæ, sunt etiam per mortem exstinguendæ: secundum quod iubet scriptura Exod. 22. *Sortilegas ne patiaris viuere super terram.*

Incantatio via est ad damnationem.

Obiectio. Sed diceres: Quare tales sunt exstinguendæ? Cum tamen videntur interdum sanare homines & iumenta. Ad hoc dico, quòd Vetulæ incantatrices, vel etiam quicunque sortilegi, benedictionibus falsis, vel etiam bonis, cum aliquo pacto diabolico expresso, vel tacito videntur sanare; non est ibi aliud, nisi quod diaboli propter talium infidelitatem desistunt ab omni afflictione, quàm miserabiliter inferebant; quod & Deus iustè permittit, vt probet hominem, an potius velit infirmari, vel mori, quàm diabolicam sic quærere ab hominibus sanitatem.

Responsio.

V. Charitas. QVINTA stella est *Charitas*, quæ fuit in martyribus, quorum charitatem exstinguere non potuerunt exquisitæ passiones, vt dicitur Cant. 8. Et hanc præ alijs habuit virgo Maria, de qua dicit Hieronymus. Beata mater Dei, cuius candor virginitatis sicut platanus in Iericho specialius effulsit, & splendidius emicuit, officio circundata charitatis.

VI. Humilitatis. SEXTA stella est *Humilitatis*, quæ fuit in Confessionibus, de quibus canitur.

Qui pius prudens, humilis pudicus,
Sobrius castus, &c.

Hanc excellentius habuit virgo Maria, quia per eam meruit fieri mater Dei, & sine qua nullo modo mater Dei esse meruisset, quod Gregorius in Registro probat. Quantumcunq; beata Virgo casta fuisset, nunquam tamen Dominum concepisset, nisi summam humilitatem habuisset. Ideò de sua humilitate gloriatur in Euangelio hodierno. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ.*

VII. Exemplaritas. SEPTIMA stella est *Exemplaritas*, quæ fuit in Doctoribus, quibus dictum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Matth. 5. Sed hanc similiter habuit Virgo Maria, cuius tota vita inclita fuit omnib⁹ in exemplum sanctitatis. Sed de hoc dicit Ambros. in lib. de Virginitate: Per arbitrium mentis, non hominem, sed Deum studuit quærere; omnib⁹ benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere,

fugere, rationem sequi, & amare virtutem. Hæc ille. Sed nostræ virgines & mulieres, non sunt taliter benè exemplares, sed malæ, quę gestibus suis malis multos maculant. Sed audiant illud Gregorij, 11. q. 3. c. Præcipuè. Tot mortibus dignæ sunt, quot exempla mala in alios transmiserunt.

OCTAVA stella est *Diligentia* ministrandi, quæ debet esse in sacerdotibus, quia debent esse diligentes circa populum eis commissum, ne aliâs negligentia eorum cadant in discrimen, vt habetur 40. dist. c. Si Papa. Sed diligentiam singularius habuit Maria, quæ fuit diligens, circa instructionem virginum secum commorantium. Quia secundum Vincentium in spec. histor. lib. 7. erat valde sollicita & diligens in claustro circa sorores suas, ne aliqua ex eis peccaret, vel ne iniuriosa existeret. Hanc etiam diligentiam exhibuit hodie Elisabeth suæ cognatæ, quia ad ipsam hodie properauit venire, vt ei famulatum exhiberet diligentem, vt dicit Ambrosius. *Et subdit.* Discite & vos mulieres sedulitatem quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis; vt patet in homilia hodierna. Etiam hanc diligentiam circa Christum infantulum fecit, vt dicit Augustinus: Firmiter credo, quod Maria multoties de nocte surrexit, & lactauit infantulum, vt eius vagitum præueniret, quem vagientem sine dolore audire non poterat. Hæc ille. VIII. Diligentia ministrandi.

NONA stella est *Deuotio*, quæ olim fuit in religiosis, sed hanc excellentius habuit Maria, quia spiritus eius semper in cœlestibus fuit fixus; & hoc probat canticum deuotissimum hodiernum, quòd ex ingenti deuotione protulit virgo, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Ideo dicit B. Bernardus. Sancta Maria, sobria virgo deuota, nunquam castior illa, nunquam deuotior. IX. Deuotio.

DECIMA stella est *Castitas*, quæ fuit in virginibus, sed hanc singularius habuit Maria propter quod dicitur Virgo virginum. X. Castitas.

VNDECIMA stella fuit *Fœcunditas*, quæ fuit in coniugatis. Sed hanc specialius habuit Maria, quæ peperit virgo perpetua permanendo, & proles eius est super omnes benedicta, secundum quod hic dicitur. *Et benedictus fructus ventris tui.* XI. Fœcunditatis.

DVODECIMA stella est *Patientia*, quæ fuit in Viduis, quibus multæ molestiæ inferebantur. Illam autem habuit excellentius Maria, quæ cum videret filium illudi, crucifigi, & vndiq; vulnerari, nullum impatientiæ signum ostendit, nec Iudæis propter hoc maledixit, secundum quod testatur Ambrosius in libro de Virginitate. Nec quicquam in oculis Mariæ, vel in verbis, vel in actu inuerecundum, vt species corporis similitudine mentis fieret figura probitatis. Hæc igitur virgo benedicta taliter solis pulchritudine amicta, Luna sub pedibus eius calceata, stellisque virtutum decenter adornata, hodie cognatam suam Elisabeth visitauit, & Spiritu sancto sua præsentia adimpleuit. Quæ cum repleta esset, illud verbum laudabile & laude dignum humiliter eructauit, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus*, &c. XII. Patientia.


DE EODEM FESTO.

Sermo secundus.

Exsurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione. Ita scribitur Luc. I.

A

Luna habet breuissimũ & nobilissimũ cursum.



ICVNT Naturales. Luna inter omnes planetas, aut stellas erraticas, est nobilissimi cursus: non enim tardat in motu suo, sed citissimè vltra alios planetas pertransit suam sphęram, quod sic patet. *Saturnus* complet cursum suum in triginta annis. *Iupiter* in duodecim annis: *Mars* in duobus annis: *Sol* autem CCCLXV. diebus, & sex horis. Similiter *Venus* & *Mercurius*. Sed *Luna* in triginta diebus. Et causa istius est, non ratione tarditatis motus, quod alij Planetæ tardius complent cursum, sed ratione inæquitudinis sphærarum. Sed Luna habet breuissimam sphæram, ideo percurrit omnia signa in totidem diebus, quæ Sol tantum in anno pertransit.

B

SPIRITVALITER. Per Lunam gloriosissima Virgo Maria designatur, de qua dicitur Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Cui consonat Psal. 88. Maria est *Luna in æternum perfecta*, & meritò Lunæ comparatur. Videmus quidem in Luna, quod apparet quædam macula, & tamen non est in veritate. Quia secundum Aristotelem cœlum non recipit in se peregrinas impressiones, vt dicitur de cœlo & mundo. Et quia Luna est pars cœli, vtputa luna & stellæ, quæ sunt eiusdem naturæ cuius est cœlum, vt dicitur ibidem. Sed hæc macula, vt dicit Auerroës super de cœlo & mundo: Surgit ex illo, quod Luna est corpus rotundum & rarum in medio. Et ideo in medio propter raritatem non potest reuerberari. Ideo penetrat ipsum in medio. Et ex hoc surgit illa macula. Martianus autem dicit, quod prouenit, cum ad terram propinquat, ex cuius vicinitate & nebulositate trahit quasdam sordes. Quantum autem ad altiores ascendit circulos, claret nuda, & nullis maculis obnoxia tunc videtur.

Maria comparatur Lunæ.

Cur Luna maculosa appareat.

B. Virgo fuit Luna immaculata.

Ita pulcherrima nostra Luna B. Virgo, in isto mundo apparuit inter peccatores, quasi macula, quæ tamen in veritate nullas maculas habuit, nec cogitationibus, quæ semper fuerunt sanctæ, nec affectionibus, quæ semper fuerunt mundæ, nec intentionibus, quæ semper fuerunt rectæ. Ita vt de ipsa verificetur illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et illud figuratum fuit Genes. 42. Quando tempore famis tota terra Ægypti fuit tributaria Pharoni septem annis, sola terra sacerdotum regis priuilegio erat exemta. Ita etiam tempore famis gratiarum in mundo quando omnes homines fuerunt tributarij Diaboli, sola Maria ex priuilegio summi regis fuit exemta, quia non fuit solum de ordine Sacerdotum, sed & Regum, secundum quod canit Ecclesia. *Germine regali nec non pontificali*, &c. Si enim habuisset aliquam maculam peccatorum, concipere non potuisset regem Angelorum, quem nuper iam conceperat, antequam Elisabeth visitauit. Ideò quia fuit expers mortalium peccatorum, & dignissima & mundissima omnium, propterea velox fuit in suo motu ad omne bonum, & nullus homo in toto vniuerso ita velox legitur ad bonum fuisse faciendum sicut Maria domina benedicta. Quare hoc? Quia habuit sphæram breuissimam, hoc est, paruam, vel vt verius dicam, nullam ad hæc transitoria. Ideò fuit velocissima ad omnia bona opera, quod principaliter patet in Euangelio hodierno, quia festinanter ibat ad Elisabeth, vt ipsam benignè salutaret, Ioannem Spiritu sancto ex præsentia filij repleret, & postea matrem, eiq; in partu humiliter deseruiret. Et hoc est quod dicit Euangelista: *Exsurgens Maria.* In quo tria tanguntur. *Primò*, virginis salutatio cordialis, ibi; *Exsurgens Maria.* *Secundo*, Ioannis exultatio incarnalis, ibi; *Et factum est.* *Tertiò*, humilis commendatio virginalis, ibi; *Repleta est.*

Figura.

B. Virgo cur velox fuerit ad omne bonum.

De-

DE PRIMO est NOTANDVM, quod Plinius in spec. nat. dicit, quod canicula est huius naturæ, quando se sentit prægnantem & citò parituram, festinanter vadit in montana, & minus timet semitas rectas siue tritas ab hominibus, quàm semitas à feris cognitas, quia est animal placidissimum, & si à cane fugiens vrgeretur, ad hominem fugit vltrò. Et significat Virginem Mariam, quia cum sensit se prægnatam à Spiritu sancto, & in vtero habere filium Dei, confestim ascendit in montana ad Elisabeth salutandam. De qua dicit Bernardus in sermone de natiuitate Ioannis, dicens: Ascendit virgo cum festinatione in domum Zachariæ ad salutandum Elisabeth, portans in vtero filium Dei, regem gloriæ, dominum maiestatis, læta ad congaudendum, prompta ad seruiendum, consueta ad benedicendum. Occurrit illi Elisabeth, & antiquis sterilitatis carens opprobriis, amicum sponsi, præconem verbi, felicissimo ventre deportauit, iunguntur amplexibus, veniunt ad oscula felices vteri, regemq; & militem nisi duo tenerrimi parietes disiungunt. Quis miratur, si exultet puer ad tam proximæ diuinitatis affatus? Hæc ille. Et hoc innuit Apostolus qui sic inquit. *Misit Deus filium suum vnigenitum*, scilicet in temporis plenitudine, *qui factus est*, quo ad corpus, *ex muliere, vt eos, qui erant sub lege, redimeret*, ad Galat. 4. quando cœli desuper rorauerunt, & nubes iustum pluerunt, quod secundum sanctos patres diu fuit desideratum, iuxta illud: *Rorate cœli desuper*, &c. Isa. 45. Quando montes dulcedinem stillauerunt, secundum quod dixit Propheta Ioel. 3. *In die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*; quando Virgo animo angelo consenserat, dicens? *Ecce ancilla Domini*. Iam conceperat & angelus discesserat. In illis diebus exsurgens Maria de loco contemplationis, orationis, & deuotionis, in quo erat clausa, quando Angelus sibi conceptum filij Dei nuntiauit; abiit in montana scilicet à Nazareth in Ierusalem, quæ erat in montanis, sicut & tota Iudæa. Quia dicit Magister in propriet. libr. 15. quod Ierosolyma abundat cedris, palmis, & cypressis, & nobilissimis aliis arboribus, & insignibus plena virens malogranatis & oliuis, quæ omnia solent crescere in montanis ideo dicit Euangelium quod *Maria exsurgens abiit in montana*.

Caniculæ prægnantis natura.

MYSTICE intelligitur, quod Maria, quæ est nobilissimis his arboribus comparata, iuxta illud Eccl. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades*, quod hic vna Cedrus aliam visitauit, &c. Cum omne simile applaudet suo simili. 9. Ethicorum.

Hoc ex loco à Maria, quæ sedebat in conclaui, id est, in contemplatione, discere nos oportet, si volumus vt Deus sic nobis inclinet. Quia dicit Fortunatus in homilia. Nequaquam se Deus deuotæ animæ applicat nec inclinat, nisi se totam in contemplatione erigat, & occurrat. Sed sicut Maria de hac contemplatione surrexit, & se in vita actiua etiam exercere voluit, ita non semper oportet nos esse in orationibus & contemplationibus, sed interdum actiuam vitam contemplationi præferre; quia actiua vita, quamuis magis laboriosa & minus secura, est tamen magis fructifera, vt Extra de renunciatione. c. Nisi cum pridem. Et hoc bene perpendens Maria prudentissima, exsurgens de quiete contemplationis, abiit in montana ad laborem & hoc cum festinatione, vt Elisabeth antiquæ seruiret. Quod probat S. Ambrosius in homilia hodierna, dicens; Angelus cum abscondita nuntiaret, vt fides astrueretur exemplo fœminæ sterilis, conceptum scilicet virginis nuntiauit, Vbi hoc audiuit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec dubitans de exem-

C

Actiua vita contemplatiuæ subseruire debet.

exemplo, sed læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio in montana perrexit, & visitauit Elisabeth. Dicit Gloss. Quamuis Maria festinanter iuit pro desiderio seruiendi, tamen multò magis pudorem virgineum retinendi, quia non gaudebat diu videri in publico, nec sibi contrahere colloquia virorum.

D

1. Morale documentum pro virginibus.

Sic etiam nostræ virgines faciant, & sumant exemplum ab ista Virgine pudorosa: similiter & mulieres, ne in plateis solæ sine necessitate frequenter currant, & colloquia cum viris misceant, ne eis contingat sicut Dinæ virgini filiæ Liæ, de qua legitur Genes. 34. quod sola egrediebatur de domo, vbi debuisset manere, tanquam verecunda. *Ideo exiuit vt videret mulieres illius regionis, sed cum vidisset eam Sichen filius Hemor, qui erat princeps ciuitatis, rapuit eam* per potentiam, *& dormiuit cum ea, vi opprimens virginem.* Ideo tu virgo, & tu mulier, si contigerit te ire de domo parentum, aut propria, exemplo Mariæ; Non stans in plateis maneas, nec cum adolescentibus sermones commisceas? quia Eua incauta cum serpente colloquia habuit, ideo lapsa in peccatum, mandatum fregit, vt habetur Genes. 3. Ideo fac secundum exemplum Mariæ & doctrinam Ambrosij in homilia, qui ait: Discite virgines non circumcursare alienas ædes, nec commorari in plateis, non in publico commiscere sermones Maria in domo serata, festina in publico, mansit apud cognatam suam. Hæc ille.

Sed (prô dolor) hoc exemplum Virginis verecundissimæ, multum spernitur à virginibus & mulieribus impudicis, quæ dimittunt hominum ædes, & currunt ad theatra, ad spectacula chorizantium, & hoc faciunt frequentius in diebus festiuis, quod tamen in iure prohibetur, de consecr. dist. 1. c. Qui die. Qui die solenni prætermisso Ecclesiæ conuentu, ad spectacula vadit, excommunicetur. Nec tamen tales mulieres inuerecundæ cessant à sermonibus in plateis, se cachinnationes cum viris faciunt, vt in quarta domo aliquæ audiantur. Seneca in epistola ad Lucilium: Risus tuus sit sine cachinnatione. Sed sic non fecit felicissima Virgo Maria, quæ dimissa inhonesta loca intrauit in ciuitatem Iuda, hoc est, in Ierusalem, quæ interpretatur visio pacis, ad domum Zachariæ patris Ioannis Baptistæ intrauit, ad designandum quod loca suspecta non amaret, nec etiam vox eius vnquam audita est in plateis, quia secundum Ambrosium in libro de virginitate nihil procax in verbis, in actu nihil inuerecundum, non gestus, non vox, vt ipsa corporis species, imago fieret mentis, figura probitatis. Hæc ille. Vox autem virginis, quæ erat consueta ad salutandum Elisabeth salutauit, vt dicit Euangelista, ideo dicit Bernardus in sermone de Natiuitate Ioannis. Felix Elisabeth, ad quam mater properat Saluatoris, quam salutaribus obsequiis cœlorum imperatrix impertitur. Hæc ille. Salutauit enim Maria prior sicut humilis virgo, & sicut minor maiorem, vti tunc moris erat. Quia secundum Ambrosium: Decens est, vt quanto castior sit virgo, tanta sit humilior. Noueritq; deferre senioribus honorem sicut in gratia humilitatis, in qua est professio castitatis erat sublimior. *Et subdit.* Discite enim Virgines humilitatem Mariæ, venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem, nec solum venit, sed prior salutauit.

2. Iuuenes mulieres senioribus seruiant.

Sed quare venit, patet aliqualiter ex iam dictis, vt Elisabeth in partu ministraret, & grauedine prægnanti iuuencula deseruiret. Sic debent facere iuuenes mulieres, & humilitate antiquis cognatis in puerperio seruiant, & eas visitent, secundum quod docet Ambrosius in homilia hodierna. Discite, inquit, vos mulieres sanctæ, quam prægnantibus exhibere debeatis cognatis reuerentiam. Maria quæ ante sola in intimis

mis penetralibus conuersabatur, non à publico virginitatis pudore, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Hæc ille. O quam beatum puerperium Elisabeth, & beata natiuitas Ioannis, qui Dei gratia interpretatur, ad quod Maria humilis venit.

E

Sed nunc ad puerperia diuitum mulierum, non nisi veniunt superbæ mulieres, ad pauperem autem venire dedignantur. Veniunt enim in peplis & vestibus pulchrioribus quas habent. Ibiq; vna præ alia apparere vult & videri, & singula gesta tractant, & exponunt, quæ etiam turpia sunt aliàs, inebriantur & rixantur. Idcirco credendum & timendum est, quod ibi non Ioannes Dei gratia nascatur, quia Dominus dicit Matt. 18. *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum.* Sicut hoc hic claruit in Maria & Elisabeth: nam legitur quod repleta est Spiritu sancto. Sed in cuius nomine istæ mulieres superbæ congregantur? Nescio: operibus tamen ostendunt, quod non in nomine Domini, quia vbi deberet esse gratia Dei, ibi portantur canthari ampli, & resonant cantilenæ theatrales & scurrilles. Et si ibi esset gratia Dei, ipsam prorsus effugarent. Et hoc quoad primum.

3. Etiam pauperes puerperæ visitādæ, nō tantum diuites.

Quantum ad SECVNDVM, breuiter est NOTANDVM. Naturaliter scimus, quando aquila vel alia auis habet pullos suos in nido nondum euolatos, si illa volat ab eis, & diu abest, pulli interim fame angariantur; si postea mater venit, pulli in aduentu ipsius plaudunt, & exultant, & signa lætitiæ secundum modulum suum exprimunt & ostendunt, tum quia venit illos ad cibandum, tum quia venit ad excubandum.

F

MORALITER. Per aquilam Christus Dei filius intelligitur, ab alto cœlorum descendens in vterum virginalem. Hic habet pullos diu derelictos, quorum aliqui adhuc fuerunt in nido, videlicet limbo, sancti patres, sed vnus scilicet Ioannes pullus principalis fuit in nido vteri maternalis, & non euolauit per natiuitatem, ideò quando Christus venit ad ipsum cibandum gratia Spiritus sancti, signa lætitiæ ostendit, & in præsentia ipsius motu corporis & plausu manuum exultauit. Et benè potuisset dicere verba quæ dixit Virgo Maria; *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. Et hoc cognouit mater Elisabeth: ideo dicit Euangelista: *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Vbi dicit Gloss. quia sensit aduentum Domini & Redemptoris sui, in cuius præsentia exultatio & iucunditas summa. Ideò nunc Ioannes tristari non potuit, ideo dicit Bernardus in sermone de natiuitate ipsius: Puer (*Ioannes*) multò *matre* felicior, qui salutantis maiestatem agnoscens, infra tenebras in velamine viscerum gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit. Hæc ille.

Et in hoc miraculo ostenditur per exultationem Ioannis Christum aduenisse, qui primo sensit gratiam aduenientis, secundum quod dicit Ambrosius in homilia: Vide distinctionem singulorum, & verborum proprietates; vocem prior Elisabeth, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa natura ordinem audiuit, iste ratione mysterij exultauit; illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. Tunc impleta est prædicatio Angeli, qui dixit: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ.* Sed ante non fuit Spiritu sancto repletus, secundum Origenem, nisi assisteret illa, quæ Christum gerebat. O si Ioannes tantum exultauit, qui Christum oculis carnalibus, adhuc existens in vtero, nondum vidit, quomodo tunc illi exultabunt, qui Deum facie ad faciem

ciem in manifesta reuelatione videbunt? Ideo dicit Psalm. 48. *Exultabunt sancti in gloria.*

C Quantum ad TERTIVM, est NOTANDVM. Refert Solinus de mirabilibus mundi, quia Elephantes luna crescente petunt amnes, & spargi liquore; solis ortum salutant motibus, quibus possunt; quo facto, ad saltus & habitacula reuertuntur.

MYSTICE. Per Elephantes, qui sunt animalia magna & benigna, sunt Maria & Elisabeth rectè designatæ, quia misericordiæ magnitudo & benignitas Mariæ non potest mensurari, secundum quod dicit B. Bernardus in quodam sermone. Quis misericordiæ tuæ, ô beata Virgo longitudinem, latitudinem, profunditatem, atq; sublimitatem queat inuestigare? Nam longitudo eius vsq; ad nouissimum diem inuocantibus eam subueniet. Latitudo eius replet orbem terrarum. Sublimitas eius supernæ ciuitatis inuenit restaurationem. Et profundum eius nunc sedentibus in tenebris & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Hæc ille.

Elisabeth cur magna dicatur.

Elisabeth etiam dicitur magna, propter magnum Prophetam, quem gestabat, qui & *maior fuit, quàm Propheta*, Matth. 11. Idcirco more elephantum conuenerunt in domo Zachariæ, quando nequitia huius mundi, quæ per Lunam designatur, creuit & abundauit. *Et charitas multorum refrixit*, vt dicitur Matthæi 13. Sed quia ambæ perfusæ erant gratiarum liquore, ideo ortum noui solis iustitiæ deuotè salutauerunt, sicut patet manifestè de Maria, quæ dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Similiter: *Elisabeth repleta est Spiritu sancto*, & clamauit voce magna, hoc est, deuota & clamorosa, & Christum nouum Solem salutauit, sed quia erat plena Spiritu sancto, cognouit secundum quod ait Hieronymus in libro de prærogatiuis Beatæ Virginis, quod magis munerat Deus cultum, qui matri suæ impenditur, quàm sibi ipsi. Ideo primò laudat & salutat eam dicens: *Benedicta tu inter mulieres*, hoc est, super omnes, quia nomen tuum laudabunt in secula, iuxta illud Prouerb. 6. *Surrexerunt filiæ eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.* Et tunc subiungit salutationem Christi: *Benedictus fructus ventris tui.* Et capitur hic secundum Theologos ET pro QVIA, vel etiam pro VERE, quasi diceret. Verè Christus nouus sol, qui iam est fructus ventris tui, est benedictus.

Cultus B. Virginis exhibitus, remuneratur à Deo.

Dubium.

Sed diceret quis, vnde sciuit Elisabeth, quod virgo esset prægnans, & haberet fructum in vtero suo? *Per sensum* non potuit cognoscere; quia vix erat vnus mensis, quod conceperat, & mulieres non apparent grauidæ infra spatium vnius mensis, nec etiam Maria dixit se concepisse. Quia secundum Chrysostomum super Matth. nec credit Maria, ab aliquo posse fidem adhiberi mirandis relatibus.

Responsio.

Ad hoc dicit Bernardus Doctor, quod per sensum non potuit recognoscere ipsam prægnatam, quia licet corpus Christi in primo instanti suæ conceptionis formatum & animatum fuerit, tamen infra vnum mensem non fuit deductum ad notabilem quantitatem, quod mater sua posset prægnans appellari. Quomodo ergo cognouit? Per Spiritum sanctum, quo statim fuit repleta cum virgo eam salutauit, non tamen ante fuit repleta quàm filius, sed filio repleto resultabat in parentem. Etiam per ipsum Spiritum sanctum, Mariam esse matrem Domini, cognouit per hoc, quod dixit. *Et vnde mihi hoc, quod veniat mater Domini ad me?* quasi diceret; Quibus meis meritis accidit hoc mihi sterili & seni, & secundum reputationem hominum maledictæ, vt veniat mater Domini mei ad me? scilicet Virgo benedicta & fœcunda,

hoc

hoc secundum Ambrosium in homilia non dixit, quasi ignorans, sed quia non ex humano merito, sed diuinæ gratiæ munus esse, cognouit. Ideo dicit. *Vnde mihi hoc?* &c. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio*; quia gauisus est mente interius, & exultationem ostendit motu corporis exterius, quia de præsentia sponsæ gaudet amicus sponsi, secundum illud Ioan. 3. *Amicus, qui stat in gaudio, gaudebit propter vocem sponsi.*

Et dicit Augustinus ad Dardanum, quòd hæc exultatio Ioannis potuit fieri duobus modis: *Vno modo*, quod Ioannes per Spiritum sanctum cognouit Dominum præsentem in vtero Virginis. Et sic oportet dicere, quod in eo fuit acceleratus vsus rationis. *Alio modo*, quod Ioannes non cognouerat saluatoris præsentiam, sed mater eius quæ habebat vsum rationis. Illa tamen motio pueri, & exultatio, facta est ad declarationem sanctitatis Virginis & prolis. Non tamẽ determinatè asserit Augustinus, sed dicit, siue hoc modo, siue illo facta sit exultatio, attribuenda tamen est diuino miraculo, quia non potuit fieri per naturam.

Alij tamen Doctores, vt Gregorius & cæteri, tenent quod facta est primo modo: & postquam Elisabeth Mariam ex admirabili vocis & salutationis virtute commendauit, commendat eam consequenter ex fidei magnitudine dicens: *O beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*, hoc est, ab Angelo misso à Domino, qui dicit per Psal. 88. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Et tantum de hoc.

DE SANCTA MARGARETA VIRGINE ET MARTYRE.

Sermo Primus.

Inuenta vna pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia bona sua, quæ habuit, & emit eam. Matth. 13.

EXPERIENTIA hoc videmus, quod si stultus homo, vel fatuus mercator, inuenerit venalem rem pulchram & pretiosam, ipsam non curat comparare, sed potius in re vili delectatur. Hic est similis gallo, de quo Æsopus talem refert fabulam; quod gallus solicitus pro cibo, vertere cœpit fimum, & cum sic, verteret gemmam inuenit pretiosam, quam cum vidisset, ait. O pretiosa res cur vilescis hic in fimo? si sors dedisset te artifici, fulgeres ornata auro puro. Sed mihi non es vtilis, ac de tritico plus gauderem. Sic facit quilibet stultus, qui de pretiosa re non curat, vt vellet comparare eam tanto pretio, quanto hæc valeret. Ideo dicit Sapiens Prouerb. 1. *Sapientiam autem & doctrinam stulti despiciunt. Sapientia pretiosior est cunctis opibus.* Prouerb. 3. Sed econtrà prudentes mercatores rem pretiosam carè emunt, nec pecuniæ parcunt, nec vellent rem vilius emere quàm valeret, quoniam sciunt hoc esse inhibitum in Canone 14. quæst. 14. c. Canonum. Fabula.

SPIRITVALITER per stultum mercatorem Olibrius Præfectus intelligitur, qui fuit de numero illorum, de quibus ait Apostolus ad Rom. 1. *Dicentes se sapientes*

esse in temporalibus, *stulti facti sunt* in spiritualibus, *& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, quadrupedum, serpentum*. Hic more galli vertens se infimo luxuriæ, inuenit pretiosam margaritam, scilicet Margaretam virginem gloriosam, de qua hodie cantat Ecclesia. *Margaretam speciosam, sponsam Christi generosam, veneremur hodie*. Sed cum inuenisset eam virtutibus adornatam fide decoratam, sibi contrariam, respuit, vt verificetur illud Matt. 7. *Nolite sanctum dare canibus, nec mittetis margaritas ante porcos, ne conculcent eas pedibus*. Fuit enim Olibrius proteruus, libidinosus, ideò hæc gloriosa margarita non fuit ei in matrimonium tradita, sed Christo prudenti, qui eam emit sanguine proprio, & in fide desponsauit, iuxta illud Oseæ 3. *Desponsabo te mihi in fide*. Et hoc volunt verba thematis; *Inuenta vna pretiosa margarita*, &c. In quibus beata Margareta à duobus commendatur. *Primo*, ex virtutum varietate, ibi; *Inuenta vna pretiosa*, &c. *Secundo*, ab inæstimabili pretiositate, ibi; *Vendidit*.

Margareta fuit margarita pretiosa.

Propositio.

De Primò est Notandum. Secundum naturales, quamuis vnum animal est minus altero in corporis quantitate non tamen interdum est minoris actionis in virtutum varietate. Sicut hoc probari potest in natura apis. Apis enim habet naturam, valdè paruum corpus, & tamen facit meliorem fructum, quàm miluus habens magnum corpus. Ideo dicit Sapiens: *Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius*, Eccl. 11. Idem patet de margarita, quæ licet inter gemmas est minima, est tamen multorum pretiosorum & magnorum in virtute excessiua. quia secundum Isidorum est omnium gemmarum pretiosarum candidarum præcipua.

A Sic ad propositū. Quamuis Margareta paruula fuit in persona, & teneris in annis, vtpote quindecim annorum, tamen multos antiquos præcellit virtutum varietate, vt dicere possit illud Apostoli ad Galatas 1. *Proficiebam supra multos coëtaneos in genere meo*, scilicet humano. Et etiam supra coëtaneas, quæ multæ virgines fuerunt, & seniores quæ non fuerunt tantarum virtutum, sicut hæc beatissima Margareta. Ideo ratione suarum virtutum de ipsa hodie canitur? *Ibat de virtute in virtutem, ardenter sitiens animæ salutem*.

De eius virtutibus scribit quidam sanctus, sicut refert Theotinus: Beata Margareta fuit timoris Dei plena, iustitia prædita, & religione compta. compunctione perfusa, honestate laudabilis, patientia singularis. nilq; in ea religioni Christianæ contrariū inueniebatur, odiosa patri suo, sed dilecta Domino nostro Iesu Christo. Hæc ille.

B Propter has & plures alias virtutes, quibus fulcita erat peroptimè, margaritæ gemmæ pretiosæ comparatur, in hoc, quod dicit, *inuenta vna pretiosa margarita* propter tres causas. Prima, quia margarita est parua præ omnib. aliis gemmis pretiosis.

Margaritæ proprietates.

1. Margarita est parua. Margareta fuit parua margarita in humilitate.

Cum enim aliæ interdum ad manum vel digitorum reperiuntur quantitatem, margarita vltra quantitatem nucis auellanæ crescere non reperitur, vt dicit Solinus in libro de mirabilibus mundi. Ita Beata virgo Margareta fuit vna de numero humilium, & paruæ circa se reputationis. Attende eius paruitatem & humilitatem, quia cum esset filia pulchra summi Regis gentilium Patriarchæ, non extulit sanguinis nobilitatem, nec corporis speciositatem. Sicut nunc virgines facere consueuerunt, sed humiliter nutrici suæ inferiorem se in dignitate subiecit, & oues ipsius custodiuit, quia animaduertit dictum Sapientis, qui dicit: *Quantò maior es, humilia te in omnibus coram Deo, & inuenies gratiam*. Eccl. 2. Magnam siquidem Margareta inuenit gratiam,

gratiam, Eccli. 2. Magnam siquidem Margareta inuenit gratiam, quia pro terreno Patriarcha, accepit Patrem cœlestem Iesum Christum, qui nunc iubilando sibi dicit: *Audi filia & vide*, scilicet cœlestes choros & cantica, *& vide* meam diuinitatem, in quam angeli desiderant conspicere, *& inclina aurem tuam, quia concupiuit rex speciem tuam.*

Ideò B. Margareta benè olim figurata est per Rebeccam, quia sicut legitur de ipsa Gen. 24. Quod erat puella pulchra nimis, & de bona sapientia, non tamen se de ista iactauit, sed humiliter seruo Abrahæ adaquabat camelos. Ideò propter hoc copulata est Isaac, qui fuit summus Patriarcha. Ita B. Margareta fuit huic in illo similis; quia canitur de ea: *Erat enim nimium formosa in vultus* scilicet, floruit *vt rosa*; sed fuit multò nobilior in genealogia, & clarior diuitijs, & tamen de illis non se præsumpsit. Quia sciuit ex instinctu Spiritus sancti illud Augustini, quod scribit in libro ad sacras virgines, dicentis: Dominica virgo, nec sermonis iactantia, nec diuitiis, nec generis nobilitate, sed debet extollere. Sed in humilitate & paupertate Spiritus sancti à Christo accepta, debet quantum vixerit permanere. Figura.

Attende etiam paruitatem huius nobilissimæ Margaretæ. Cum enim Olibrius Præfectus ita elegerit, vt si licuisset, ipsam ducere vellet in vxorem, vbi magna fuisset, magnamq; gloriam mundi habuisset, ipsa tanta gloria oblata se non extulit. sed potius virginitatis humilitatem, vsque ad mortem contemni eligens, custodiuit, vt dicere posset cum Propheta Psal. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Sic nos abiicere oportet superbiam, & sequi humilitatem si volumus diabolum sic effugere, & in domo Dei habitare.

Vide prudentiam cerui, de quo referunt naturales: quòd habet magna cornua, quę ipsum impediunt per nemus transeuntem, ideò si vult effugare venatores, dum trãsit per siluam cornua super dorsum consueuit declinare, vt sic in cursu non impediatur, nec à canibus capiatur. Ita nos si volumus per nemus huius mundi transire, abijciamus cornua superbiæ, & humiliter incedamus. Quia dicit Hilarius super Matt. Dum hostis noster antiquus humilitatem sibi dominari conspexerit, de alijs vitijs hominem tentare non præsumit. C Ceruos imitari debemus.

SECVNDA causa, quia margarita est candida & pura, & præcipuè omnium gemmarum candentium, vt ait Isidorus. Ita B. Margareta fuit candida per mentis munditiam, vt dicere possit illud quod dixit Sara Tob. 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*, quia sciuit quod virginitas secundum Bernar. est sigillum, & annulus castitatis, gemma virtutum, germana angelorum, lux animæ, lampas Ecclesiæ, semita securissima cœlestis patriæ. Idem patet in authentica C. de noxa. act. L. Sanximus: vbi dicitur, sola castitas & munditia cum fiducia est placabilis Deo. Sed (heu) quàm pauci homines, tàm viri quàm mulieres, hanc nobilissimam margaritam in candore puritatis sequuntur. 2 Margarita est candida.

Quia secundum Sapientem, *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccatis.* Prou. 2. Sed iacent in tenebris peccatorum, nec de hoc candore scire volunt, & signum est, quia semper fuerunt in carcere peccatorum, & nunquam perfectè aspexerunt lumen scripturarum. Cuius exemplum ponit B. Gregorius in principio 4. Dialogorum. Si mulier prægnans mittatur in carcerem, ibiq; puerum parit; natus puer in carcere nutriatur, & crescat, & si fortè mater quę hunc genuit, solem, lunam, D

ſtellas, montes, campos, aues, volucres, equos currentes nominet. Ille verò qui in carcere eſt natus, nihil aliud niſi carceris tenebras ſcit. Hæc ille. Per mulierem prægnantem poſſumus intelligere Eccleſiam, quæ duplices ponit pueros, aliquos in lumine ſcripturarum, & illos faciliter inducere poteſt ad imitandum puritatem Chriſti, qui eſt verus ſol iuſtitiæ, ſimiliter lumen, & ſic de alijs. Quia tales ſciunt mala, quæ inducunt immunditiam, & bona quæ inducunt munditiam, de qua dicit Ambroſius in hexam. Munditia mentis ſola meretur Deum in ſe recipere, cui conſonat Gregorius. Cum ſumma felicitatis dulcedine Chriſtus mundæ animæ applicatur, ſed à fœda mente in infinitum elongatur.

Alios autem pueros ponit in carcerem peccatorum, ſicut ſunt luxurioſi & immundi, qui ſunt in immunditia enutriti, nihil aliud ſciunt, niſi quod ſciunt manere in angulis tenebroſis cum mulieribus impudicis, & opera neſaria exercere, & cum in actu non poſſunt, de illis loquuntur, & nonnunquam hominum vulnerant corda bonorum & caſtorum. Rectè enim faciunt ſicut ſtruthio, de quo refert Solinus in libro de mirabilibus mundi. Seneſcens ſtruthio dum ferrum edere nequit, roſtrum tamen ſtudet acuere contra ferrum. Ita illi quando non poſſunt immunditiam exercere, vel ſaltem locum non habere, ora ſua maledicta acuunt in verbis luxurioſis & fœtoſis, vt de illis benè verificari poſſet illud Pſ. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, &c.* Si illis mater Eccleſia nominaret ſolem iuſtitiæ Chriſtum, qui eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, & lunam, id eſt, Mariam puriſſimam, quæ eſt ſole ſplendidior, Sap. 7. Similiter de ſtellis, id eſt, puritate Angelorum, vel nominet campos, hoc eſt, ſanctas virgines, lilijs virginitatis, & ruta caſtitatis pulcherrimè exornatas, & ſic de alijs: non placet eis, ſed multum diſplicet, & dicunt: Dic nobis placita & audiemus te. Sed quia Eccleſia ſuadet munditiam, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matth. 5. Et non placet eis, ideò non audiunt ipſam ſed diabolum, qui dicit eis placita, Sap. 2. *Venite fruamur bonis, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter; venite coronemus nos roſis, antequam marceſcant, & nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Sed audiant illi Apoſtolum ad Hebræos decimo tertio. *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*, id eſt, condemnabit.

Impudici quomodo ſtruthionē imitentur.

3. Margarita reperitur in mari.

TERTIA, margarita inuenitur in mari, quia quidam piſcis nomine oſtrea concipit rorem, ex quo fiunt margaritæ, quas proiicit in profundum maris, ſed ſapientes inquiſitores has per quendam modum educunt ad portum, ſicut legitur in lib. gemmarum: Ita B. Margareta iuuenta eſt in mari tribulationum & paſſionum, cui tota immerſa fuit, vt ſibi competeret illud Pſal. 76. *In mari vita tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Sed Chriſtus verus margaritarum inquiſitor deſcendit ad ipſam in paſſione adiuuando. Sed & hodie de mari tribulationis, ipſam manu ſuæ potentiæ, & miniſterio Angelorum, ad portum eduxit, æternæ ſalutis, ideò poteſt dicere ad Chriſtum ſuum ſponſum hoc; *Tenuiſti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Et tantum de primo.

Quantum ad SECVNDVM eſt NOTANDVM. Sapiens mercator, ſicut patuit in Arenga, ſi viderit rem in mercimonijs expoſitam ad venendum, quæ eſt prætioſa, multum pro ea exponeret, antequam ea careret, ſi ſaltem ipſa opus haberet.

Ad

E

Exemplum de rege sapientiam a Philosopho emente.

Ad quod probandum refertur in Thoma Cantipratensi lib. 2. Apum. c. 43. part. 2. de quodam nobili adolescente, qui patre mortuo successit in regno. Et factum est vt nundinæ fierent in sua ciuitate ad quam venirent mercatores, inter quos venit quidam senex, quem videns rex, interrogauit: quid venale haberet. Cui ille: sapientiam venalem, habeo. Quod audiens Rex gauisus est, quia sapientia pertineret ad populum regendum secundum sapientem. *Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium.* Eccli. 10. Et quia sapientia est res pretiosissima, secundum illud Prou. 3 *Sapientia pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur non valent ei comparari.* Ideò dicit Rex ad senem: Quantum voles mihi vendere pro centum marcis? Et ille: Vnum dicam tibi, inquit, pro pretio dicto, quod si bene tenueris, per illud optimè regeris & reges. Et ait Rex. Dic, & dixit senex: Temerè, inquit, nihil loquaris, nisi prius cogites quid sequatur. Quo rex audito, pecuniam ei tribui imperauit: per quam sapientiam populum suum in omni iustitia gubernauit, & seipsum à morte liberauit.

F

SPIRITVALITER. Per sapientem mercatorem Christus intelligitur, qui est æterni Patris sapientia. Ipse enim vendit & emit; vendit namq; regnum cœlorum, omnibus emere volentibus. Ideò ad terram nostram venit, & venale exponit, dicens: Venale habeo, quid? regnum cœlorum, quo emitur? paupertate regnum, labore requies, dolore gaudium, morte vita. Hæc ille.

Attende attentius, si vis emere regnum, quòd est valdè gloriosum, sicut canitur: O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti, necesse est te dare diuitias, quas diligis, ipsis pauperibus, *quorum est regnum cœlorum,* Matt. 5. Et hic continuè in bonis operibus laborare, sicut docet Apostolus 2. Corinth. 2. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi.* Et sic requiem obtinebis. Necesse etiam est hic pati tristitiam & dolorem, quia secundum Hieronymum impossibile est de delicijs, vel gaudijs, ad delicias æternas peruenire. Ideò dixit Christus Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Oportet etiam vltimo mori pro Christo, si necesse fuerit, vt per mortem vita habeatur. Ideo dicit Ioann. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam,* alias enim tam charam rem emere non valemus. Ita etiam Christus vendidit regnum cœlorum huic beatissimæ Virgini Margaretæ in hoc, quod dicitur, vendidit omnia quæ habuit, &c. & benè regnum cœlorum dicitur, omnia: Quia secundum venerabilem Boëtium lib 4. Prosa. 2. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & hoc solum habetur in cœlo. Sed vide diligentius in passionali, quod ista prudens emptrix his quatuor regnum cœlorum emit, & inuenies. Elegit enim voluntariam *paupertatem*, spernens patris diuitias, vt solum regnum cœlorum obtineret. Fuit etiam in labore mitis, custodiendo nutricis suæ oues, post sustinendo tortores, vt benè posset dicere illud Psalm. 87. *Ego enim in laboribus sum à iuuentute mea.* Et hoc fecit vt possideret requiem opulentam. De qua dicit Dominus Isaiæ trigesimo secundo *Sedit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Fuit etiam in *dolore*, vt patet in corpore lacerato, vt dicere posset illud Ps. 68. *Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me.* Et hoc fecit, vt gaudium haberet, de quo dicit Isai. 52. *Gaudium & lætitiam habebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Fuit etiam hodie demum *occisa*, vt vita æterna frueretur. Et non fuit mirum, quod

S. Margareta quatuor virtutibus emit cœlum sibi.

tanto

tanto pretio regnum cœlorum emit, quia Christus eam multo pretio prius cariori comparauit, sicut & omnes homines secundum quod innuunt verba hæc : *Et emit eam.* Nam diuinitatem accepit pro ea, iuxta illud Isai. 60. *Erit tibi Dominus Deus tuus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam. Secundo*, dedit animam pro ipsa, iuxta illud Is. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum.* & hoc testatur Ioann. 15. *Filius hominis venit dare animam suam in redemptionem pro multis*, super quo dicit Origenes. Animam suam dedit in mortem, vt in ipsum credentes, & se sequi volentes, ab æterna liberaret morte. Et tantum de illo.

Christus quatuor emit nobis cœlum.

DE EADEM VIRGINE ET MARTYRE.

Sermo secundus.

Virgo veneranda, in magna stans constantia. Ita canitur in hodierno officio.

A PLinius in spec. nat. sic inquit. Muscatum est nux cuiusdam arboris in India, & nobilissima, & habet has virtutes. Quia naribus applicata cerebrum confortat, faciem discoloratam valdè colorat in ciboq; modicè sumpta, capiti iuuamen præstat, sed excessus eidem dolorem accumulat, quia est penetratiuæ naturæ.

SPIRITVALITER. Per hanc arborem nobilissimam, intelligitur Christus, qui est hæc arbor, quam vidit quædam inclusa in tempore consecrationis succidere de calice in altari. Hæc *Primò*, flores candidissimos protulit, quos capita hominum volatilium subitò decerpserunt. *Secundò*, protulit virides. *Tertiò*, autem roseos procreauit, vt in miraculis inuenitur. Ab hac arbore veniunt flores virginei, quorum vnus principalis fuit B. Margareta, quæ benè dicitur venire à Christo. Nam virginitatis florem ab ipso habuit, quem sine ipso nullus potest habere, secundum illud Sapientis. *Non possum esse continens, nisi Deus dederit.* Sap. 8. Hic flos fuit candidus per virginitatem. Ideò dicitur de margarita, quæ secundum Isidorum omnium gemmarum est candidissima. Fuit etiam viridis in virtutem operatione, secundum quod de ipsa canitur. *Ibat de virtute in virtutem*, &c. *Quartò* facta est *rosea* per sanguinis effusionem, quem in tantum effudit, vt riui in terram fluxerint.

Muscatum denotat castitatem.

Sed per muscatum intelligitur sua castitas, quæ in ipsa cerebrum mentalis intelligentiæ confortauit. Quia dicit Fontinus in descriptione vniuersi, quod virgines, quamdiu virgines sunt, tenerior est in eis intellectus. Quod patet in ipsa, quia astutiam Diaboli intellexit, & caput eius contriuit, iuxta illud Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Ipsa etiam castitas faciem eius per optimè colorauit, vt canitur: *Erat enim nimium formosa, in vultu scilicet floruit, vt rosa.* Quia secundum Sallustium in Iugurthino bello. Casti homines diu effigiem præferunt iuuentutis, sic B. Margareta, rectè in verbis præmissis dicitur; Virgo veneranda. In-

quibus

quibus verbis duo tanguntur. *Primò*, mentis & corporis virginitas. *Secundo*, tangitur personæ & vitæ honorabilitas. *Tertiò*, passionis stabilitas. PRIMÒ commendatur Beata Virgo Margareta propter mentis & corporis virginitatem, cum dicitur (*Virgo.*)

Pro quo sciendum, Apes secundum Ambros. in hexamer. Corporis virginalis habent integritatem, nullo enim concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus. Et tamen maximum filiorum examen constituunt. Nam cum aliæ volucres, vix in anno singulos procreent fructus, apes geminos creant, & duplici cæteris fœcunditatem præponderant. Apis natura.

SPIRITVALITER. Per apes virgines puræ mente & corpore designantur, quę licet non commiscentur concubitu, tamen fructum maximum spiritualium fructuum generant, propter quod & fructum centesimum dicuntur ferre. De numero illarum fuit Beata Margareta, quæ naturas apum sagacissimè est secuta. Dicunt enim Naturales cum Ambrosio in Hexameron, quia apes eligunt sibi regem magnitudine & specie magis insignem; & si rex præcipuus fuerit in mansuetudine, eum chariorem habent. Itaque regem electum diligunt affectu naturali, & summa defensione defendunt, & pro eo perire paruum putant. Ita Beata Margareta spreuit Olibrium Præfectum, & elegit Regem regum, Dominum dominantium, qui secundum Ps. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Qui est *speciosus forma præ filijs hominum*, Psalm. 44. Qui est clarissimus in mansuetudine secundum quod docuit Matthæi vndecimo. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* B B. Margareta fuit pura lapis. I.

Ideò refert Theotinus in Legenda, quod Præfectus Olibrius quæsiuit. Quem Deum colis, vel quem adoras? Respondit, Deum omnipotentem inuoco, & Iesum Christum filium eius, qui meam virginitatem custodiuit immaculatam & illæsam, & potuit benè dicere illud, quod canitur de virginibus *Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi.* Pro ipso etiam pugnauit contra Diabolum & Olibrium, à quibus multa sustinuit opprobria & confusiones, vt dicere possit ad Christum regem suum, illud Psalm. 48. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Nam illa facies, quæ prius floruit, vt rosa, in passione facta est vt sanguinosa, & pro ipso Rege suo perire corporaliter festinauit, secundum quod legitur in legenda, vbi dixit; Christus se ipsum pro nobis tradidit in mortem, & ego pro ipso mori non dubito, quia me suo signaculo consignauit. Et nos exemplo suo huius apis sagacissimæ, Margaretæ sanctissimæ, quærere nobis debemus regem magnum Christum, & diligere ipsum. Ad quod faciendum monet nos Augustinus, dicens. Elige tibi illum amicum præ omnibus amicis tuis regem Christum, qui cum omnia subtracta sunt, tibi soli fidem seruabit in die sepulturæ, cum amici tui recedent à te; ille te non relinquet, sed tuebitur te à rugientibus præparatis ad escam, & perducet ad ignotam regionem, ad plateas cœlestis Ierusalem, vbi collocabit te cum Angelis ante faciem suæ maiestatis, vbi est cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia, & omnia bona. Hæc ille.

SECVNDO, apes virgineæ, aërem mundum & serenum diligunt, quia tunc plus de rore inueniunt, tempora autem pluuiosa eas impediunt. Odores etiam fætidos & II. Apes aërem

cæteros fumos maximè fugiunt & odiunt, sed in rebus odoriferis iucundantur. Ita B. Virgo Margareta serenitatem internæ conscientiæ dilexit, iuxta illud Psal. 44. *Omnis gloria eius filia regis ab intus.* Quia sicut conscientia bona secundum Hugonem lib. 1. de anima, est titulus regius, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum, aureum reclinatorium, thalamus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus in die iudicij aperiendus. Hæc ille. Ideò odiuit loca fœtida peccatorum, secundum illud Psal. 25. *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.* Si enim sedere voluisset cum impio Præfecto Olibrio, benè habuisset in eius domo, secundum quod dixit tortor. Crede Margareta Præfecto & benè tibi erit sup omnes puellas; sed noluit, fugiens more virginearum apum, malorum & fœtentium consortium peccatorum. Ita & nos curare debemus de serenitate interioris conscientiæ, quia secundum Sapientem. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Prou. 15. Et si illam habemus, de vituperio curare non debemus, sicut dicit Augustinus, & habetur 11. q. 3. c. Quid obest homini, quod de illa tabula eum vult delere humana ignorantia, si de libro viuentium eum non delet iniqua conscientia.

III. Apes sonũ diligunt naturalem.

TERTIÒ, apes virgineæ diligunt sonum naturalem, siue dulcem, siue etiam instrumentalem. Ideò dicit Aristoteles in libro de animalibus, quando apes de alueario volauerint, si rector apum voluerit eas reuocare, debet cantilenas dulces cantare & suauem sonum facere, quibus citius attrahuntur. Sic B. Margareta apis virginea, multum dilexit dulcem sonum eloquiorum Dei. Quod patet, quando nutrix ei exposuit, quare Deus pati voluisset, & crucifixus esset. Ideò potuit dicere illud Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel ori meo.* Ideò cum dulci cantu Angelorum, ad cœleste alueare introducta est fœlicissimè & attentè. Et quia fuit non mixta concubitu Olibrij, ideò secundum naturam apum spiritualium filiorum examen constituit, quia vna die quinque millia virorum Domino generauit, mulieribus & paruulis exceptis, ita vt de ipsa posset dicere illud Isaiæ Prophetæ 9. *Multiplicasti gentes, sed non magnificasti lætitiam.* Nam quando per ipsam crediderunt, Olibrius non est effectus lætus, sed iratus; quare iussit tortori, vt ipsam decollaret. Et tantum de primo.

C

SECVNDÒ, commendatur B. Margareta à personæ & vitæ honestate, cum dicitur, *Veneranda*; vbi est sciendum Aristoteles 4. Ethicor. dicit, quod solus bonus & virtuosus honorandus est, quia prauus honore non est dignus, & ponit rationem ibidem dicens: Honor est præmium virtutis. Ideò homo si benè & virtuosè viuit, est dignus honore: Sin autem, dignus vituperio, quia per solam virtutem ad honorem peruenitur. Ideò dicit Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei, quod ratio & voluntas ostendit, quod nemo possit ad honorem peruenire, nisi prius vixisset virtuosè. Duo principes aliquando elegerunt, virtutem scilicet, & honorem, & illis templum solenne construxerunt, in quo altaria erexerunt. *Virtutis* in ingressu templi, sed altare *Honoris* retrò in Ecclesia posuerunt, & omnis qui volebat accedere ad altare Honoris, oportuit eum prius altare Virtutis præterire.

Honor virtutis præmium.

Exemplum de templo honoris & virtutis.

MYSTICE, B. virgo Margareta est meritò veneranda, quia per mutas virtutes hic transiuit, secundum quod sancta mater Ecclesia cantando protestatur, dicens: *Ibat de virtute in virtutem,* &c. Habuit enim virginitatem quæ præcipuè est de numero vir-

to virtutum, quæ valdè delectabilis est apud DEVM; teste Eusebio in sermone, O quàm delectabile & iucundum est apud Christum, & beatissima amœnitas, dum quis protulerit corporis venustatem, & originalis munditiæ non amiserit puritatem. Ideò prius præmittitur hoc verbum, (*Virgo:*) deinde (*Veneranda*) quia antiquitus virgines sunt honoratæ paganis.

Legitur enim in gestis Romanorum, quando Cæsar pertransiuit aliquam viam, oportuit, quod omnes illi cedebant, præter solas virgines, quibus ipse solus cessit, in hoc ipsas venerando. Refert Valerius in Policrate, quod Lucretius princeps, dum ciuitatem Bias expugnauit, omnes in ea occidit solas virgines abire permisit. Idem legitur n. 13. & Iudic. vltimo, quando aliqua ciuitas fuit expugnata, alijs occisis, solæ virgines liberæ sunt dimissæ. Et hoc fuit priuilegium tàm diuitum quàm pauperum; quia dicit Arist. 8. Polit. Honor virtuoso sine fastido impenditur, licet de humiliori mundi vita oriatur. Ideò nos etiam cum Ecclesia debemus nostram virginem Margaretam venerari. Et hoc quoad secundum. D

Quantum ad TERTIVM NOTANDVM. Secundum naturales in libro Gemmarum legitur, quod non inuenitur aliqua, quæ esset ita constans & inuicta, sicut est adamas. Nam nulli cedit ferro, sed ferrum contemnit, nec igne vnquam incalescit, nec ab aliqua resuperatur, sed solum sanguine hircino resoluitur. E Adamantis natura.

MYSTICE, huic lapidi comparari potest conuenienter B. Margareta, quia valdè constans fuit in sustinendo martyrium & inuicta, quod de ipsa testatur, hodie cantando Ecclesia, dicens in verbo thematis: *Virgo veneranda, in magna stans constantia, verba contemnens Iudicis, nil cogitans de rebus lubricis, præmij cœlestis spe gaudens, in tribulatione erat patiens*, vnde potuit dicere cum Chrysostomo. Si millesies morior, & si omnes labores in Dei amore expendam, nihil dignum ad ea, quæ de ipsa percipiam, quia respectum habuit ad præmium cœleste, propter quod ita constans fuit, non enim cessit ferro lacerantium, sed contempsit. Quia secundum quod dicit Theotinus in Legenda, quod suspensa fuit in eculeo, & ferreis vngulis acerbissimis corpus eius laceratum, tamen nec flecti potuit ad culturam Idolorum, nec à proposito frangi, sed dixit tyranno, contemnens verba eius; O impie & impudens canis & vorax, si ego carni meæ misereor, anima mea vtique ad interitum vadit, sicut & tua. Idem de ipsa potest exponi illud Ezech. 3. *Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Nec etiam igne potuit calefieri, quamuis lampadibus accenderetur, & corpus eius combureretur, sed dicebat illud Ps. 35. *Vre Domine renes meos, & cor meum, vt non sit in me iniquitas.* Potuit etiam dicere illud Psal. 16. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Non potuit etiam B. Margareta ab aliquo superari. Non à patre, quia fuit idololatra, & voluit vt idola adoraret, quia fugit domum eius, spernens omnia bona hæreditaria, & custodiuit ouiculas suæ nutricis, vt adimpleretur illud Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam.* Habet enim nunc gentes multas, de quibus gloriatur. Nam omnes quos constantia & passione conuertit, quorum multi fuerunt, illi obediunt, & ipsa eis quasi domina dominatur.

Non etiam potuit vinci à tyranno Olibrio Præfecto, quia eius potestatem contempsit & illusit. Et hoc quod ei ad ignominiam fecit, illud ei ad honorem venit, quia in hoc Christum imitata est, Nam sicut Christus nudatus fuit in patibulo, vt nihil secum portaret: Sic Margareta exspoliata est in eculeo & suspensa, in signum, quod omnia

mnia mundana despexerat. Sicut Christus fuit flagellatus ad columnam, vt disciplinam pro nobis portaret; sic corpus Margaretæ Virginis totaliter laceratum, ne post hanc vitam pateretur: Sicut Christus clauis lazeratus, vt claui nobis ianuam paradisi aperirent: Sic B. Margareta fuit vngulis lacerata, vt ab ea nullam omnem vetustatem abraderent. Sicut Christus totus sanguine lauaretur. Sic Margareta fuit sanguine plena, vt in suo sanguine baptizaretur. Et hoc est huic sanctissimæ virgini, tàm in mũdo quàm in cœlo magna gloria, quia in sua passione secuta est Christum, iuxta illud Eccli. vigesimo tertio. *Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

Non etiam superari potuit à Diabolo, qui habet magnam potentiam secundum illud Ioann. 41. *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur.* Quia habet superbiam, vt dicitur ibidem. Ipse *est rex super omnes filios superbiæ.* Habet magnam astutiam, quia secundum Apostolum *transfigurat se in angelum lucis.* 2. Corinth. 12 Habet malitiam, quia Antonamaticè dicitur malus, vnde Matth. 13. *Venit inimicus homo & super seminauit zizaniam.* Sed istis armis non potuit vincere Margaretam, sed ipsa eum vicit, quia fregit potentiam eius, quando ipsum in specie draconis apparentem euanescere fecit. Confregit superbiam, quando super verticem ipsius pedem imposuit, dicens: Sternere superbe dæmon sub pedibus fœminæ. Confregit eius astutiam, quia coëgit eum dicere, propter quid venisset. Confregit eius malitiam, qui semp inuidet felicitati hominis, sicut refert de hoc Theotin⁹ in Legenda, qui dicit se fuisse præsentem in carcere, & oĩa vidisse, & oĩa scripsisse, quando draco horribilis ei apparuit, varijs coloribus deauratus, & barba aurea cũ ferreis dentibus, & oculi eius splendebant sicut margaritæ, & de naribus eius fum⁹ exibat. lingua eius & anhelitus fœtorem faciebant, & lumen factum est in carcere ab igne, qui exibat de ore, q̃ videns Margareta orabat, dicens: Domine Deus inuisibilis, quem abyssi & tartari contremiscunt, respice in me, & miserere mei, non permittas hanc feram nocere mihi, sed placeat tibi Domine vt vincam ipsam. Et cum hoc dixisset, aperiens os deglutiuit eam, sed signum crucis quod prius virgo beata fecerat; creuit in ore eius, & scissus est per medium; & beata Virgo illæsa exiuit. Et respiciens vidit tanquam hominem nigrum sedentem ad ianuam manibus & pedibus ligatis, & cum orationem Margareta fudisset surgens dæmon accessit, & tenuit manum, dicens: O Margareta sufficiunt tibi ea quæ fecisti in personam meam, quia viuere non subsisto, socium enim meum interfecisti & me vis interficere oratione. Tunc illa comprehendit eum per capillos traxit & proiecit in terram, & posuit pedem dextrum super collum eius, dicens: Cessa à me Virgine, generis humani homicida, protector est mihi Deus. Et subitò refulsit lux in carcere, & crux Christi videbatur in ea, & super crucem columba, quæ dixit; Beata es Margareta, exspectant te Angeli ad portas. Illa autem gratias agens, dixit ad dæmonem: Vbi est genus tuum? Cui ille. Tolle pedem tuum de ceruice mea, & opera mea tibi indicabo, quod cum fecisset, ait: Belial est mihi nomen contra omnes pugno, & tu sola me vicisti, & sic terra eum suscepit. Ideò dictum est à Deo de Margareta Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & insidiaberis calcaneo eius.* Vnde patet quod ille fortissimus adamas B. Margareta frangi non potuit, sed solum per sanguinem hœdi ad vesperum immolati, Christi Iesu, ob cuius amorem fracta fuit, & caro eius vndique lacerata, & tandem decollata. Ideò hodie

hodie tanquam sponsa decenter ornata, ad thalamum eius cum canticis musicis ab Angelis est portata gaudenter, secundum illud Apoc. 19. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se.* Et quomodo se præparauit, patet in Legenda eius.

IN DIVISIONE APOSTOLORVM.

Sermo Primus.

Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei. Ita scribitur ad Ephesios 2.

SOLENT Domini terrestres varios mittere exploratores ad ciuitatem, quam volunt per se vel per subditos expugnare & lucrari. Hi cum venerint vadunt quasi peregrini, vt sic non cognoscantur, terram explorare. Quod figuratum est pulchrè Iosue 2. vbi legitur, quod Iosue qui fuit dux filiorum Israël misit explorantes, qui explorarent Iericho, qui pergentes *ingressi sunt domum meretricis mulieris* nomine Raab. Quod cum nuntiatum esset Regi Iericho, quæsiuit eos, sed Raab abscondit eos, & misit per fenestram, vt irent viam suam. Figura.

MORALITER, vt dicit Hieronymus in Epistola ad Paulinum, per Iosue intelligitur Christus; quia de omnibus sacræ scripturæ libris Iosue non solum in gestis, sed etiam in nomine figuram Saluatoris habet. Hic, inquam, misit exploratores, hoc est, Apostolos per hunc mundum, qui per Iericho designatur quia Iericho interpretatur Luna, quæ est multum instabilis & variabilis, quia nunc est sub Sole nunc super Solem, nunc ante nunc retrò euagatur. Quando est sub sole, tunc habet cornua aduersus terram inclinata, sed quando est suprà, tunc habet cornua suprema, velut nauicula, vt dicit Beda. Sic & mundus est instabilis, & in continua variabilitate, & nunc extollit suos amatores, nunc deprimit. In hunc mundum misit Dominus Apostolos, dicens: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ*, Matth. vltimo. Illi autem profecti, ingressi sunt domum mulieris meretricis, hoc est, gentilitatis, quæ publicè cum idolis fornicabatur, secundum dictum Ierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.* Sed cum venissent Apostoli ad gentilium terras, quærebantur à regibus & tyrannis, vt occiderentur. Sed nonnunquam conuersi gentiles illos in domibus absconderunt, sicut patet cuilibet Legendas eorum percurrenti. Sed qui prius in mundo fuerunt hospites, facti sunt nunc cœlestes ciues & milites, sicut innuunt verba thematis. *Iam non estis hospites.* In quibus duo tanguntur. *Primò*, vnum insinuatur, ibi; *Iam non estis hospites. Secundò*, aliud affirmatur, ibi; *Sed estis ciues.* A

DE PRIMO est NOTANDVM, ita dicitur in communi prouerbio. Aduenæ venerunt, & domini facti sunt, & est sensus. Quod sæpè contingit aliquos venire ad aliquam ciuitatem, vel domum, vel regnum, qui sunt extranei hospites, & fauente fortuna, & eorum probitate, & strenuitate interueniente, efficiuntur ibidem domini & magistri. Ita fit in natura, quod sæpe canis portatur ad domum, vbi alij sunt canes B

contra ipsum rixantes, & si ille est audax & strenuus, depellit alios, & fit custos domus. Ita legitur in scripturis Gen. 44. Dum fames crescebat in tota terra, misit Iacob filios suos in Ægyptum in domum Pharaonis, vt emerent frumenta, qui licet venerint, vt peregrini & hospites, ita vt exploratores terræ dicerentur, & in carcere tenerentur; succedente autem tempore facti sunt domini in terra Ægypti, quia dixit ad eos Ioseph: *Omnes opes Ægypti vestra sunt, & dedit eis optimam terram & pinguissimam Iessem*, vt habetur Gen. 45. Ideo potuit de eis dici illud prouerbium: *Hospites & aduenæ venerunt in terram alienam.*

C SPIRITVALITER, Sancti Apostoli fuerunt prius aduenæ & hospites in hoc mundo, vt quilibet ipsorum dicere potuisset illud Psal. 38. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus*, sed cum eos vocasset ad Apostolatum Christus, tam virtuosè se habuerunt in congregatione, vt illos non solum ciues & domesticos, immò principes & totius orbis dominos, diceret secundum illud Psalm. 46. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.*

Sed hodie diuisit ipsos à se, & constituit super omnem terram, secundum quod prædixerat Propheta Dauid Psalm. 44. *Constitues eos principes super omnem terram.* Rectè, sicut rex potens, qui habet in curia sua fideles principes, in signum remunerationis vnumquemque substituit super vnam ciuitatem, vel regnum, vt de hoc sibi cum populo famuletur. Sic facit Christus Rex regum omnium, cuius est vniuersa terra & plenitudo, Petrum, qui fuit caput omnium Ecclesiarum, principem constituit, qui est caput omnium Ecclesiarum & mater, sicut habetur in canone Testes. 2. q. 7. Paulum in Græciam destinauit, vt ibi ducatum obtineret, & populum sibi acquireret, & hoc tangitur in sequentia hodierna. Hinc Petrus Romam Apostolorum princeps, Paulus adiit Græciam, ibiq; docens gratiam. Andream verò misit in Achaiam prouinciam, qui Domino, tanquam fidelis princeps non modicum populum acquisiuit. Ioannem in Asiam; Iacobum in Iudæam; Bartholomæum in vlteriorem Indiam; Matthæum in Antiochiam; Simonem & Iudam in Ægyptum, & Persiam, & Mesopotamiam; Iacobum verò, qui dicitur Frater Domini, dimisit Ierosolymis, Philippum direxit in Ciliciam, Thomam in aliam Indiam, sed Matthiam in Iudæam & Italiam. Et sic principatus eis diuisit, ita vt verificaretur illud Psal. 77. *Diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

Petrus caput Ecclesiarum.

Hoc figuratum fuit 1. Macha. 1. vbi legitur, quod Alexander rex Macedonum vicit Darium & multas nationes, postea decidit in lectum & cognouit vt moreretur. *Ideo vocauit pueros suos nobiles*, qui secum nutriti erant à iuuentute sua, *& diuisit illis regnum suum.* Quid significat Alexander, nisi Christum, qui omnes sibi subiecit nationes, vt sibi famulentur, iuxta illud Psal. 25. *Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine.* Hic cum per passionem vicisset Diabolum, & cognouit vt ascenderet ad patrem, vocauit suos filios, quibus ante dixit: *Filioli adhuc vobiscum modicum sum*, Ioan. 13. Qui etiam erant nobiles morum, & diuisit eis regnum Ecclesiæ, vt præessent populo suo, & non dedit duntaxat potestatem super populum, vt eos in fide erudirent, sed etiam super dæmonia, vt infirmitates curarent, vt habetur Marci vlt. & Matt. 10. vbi legitur: *Conuocatis Iesus duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spiritnum immundorum, vt eiicerent illos, & curarent omnes languores.* Ecce quam potentes sint effecti, qui prius erant hospites & peregrini.

Figura diuisionis Apostolorum.

Ideo

Ideo benè per filios Iacob figurantur, qui venerunt aduenæ in terram Ægypti, & facti sunt diuites & domestici, & nimium multiplicati; secundum quod dicit Chrysostomus super Matth. 1. dicens. Iacob genuit Iudam & fratres eius, & Christus verus Iacob genuit duodecim Apostolos in Spiritu sancto, non in carne, sed in verbo & sanguine. Nam sicut ille, qui cum filiis suis duodecim descendit in Ægyptum, vt multiplicarentur; Sic Christus cum duodecim suis Apostolis descendit in mundum, sicut res ipsa testatur. *Et subdit*: Sicut ille descendit, vt medullam Ægypti manducaret sic Christus cum Apostolis suis intrauit mundum, vt medullam huius mundi sibi acquireret. Medulla huius mundi sancti homines sunt, sicut enim in arbore quamdiu medulla sana fuerit, semper floret, cum autem consumpta fuerit, paulatim marcescendo siccatur. Sic & quamdiu sunt homines fideles in mundo, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus filiis Israël de Ægypto, exterminata est Ægyptus, sic & sancti cum de isto mundo defecerint, casurus est mundus iste. Hæc ille. Ex illo dicto habetur, quam proficui fuerunt huic mundo sancti Apostoli, per quos fideles vndique sunt collecti, & ad fidem perducti, per quos seruatur anima. Et hoc quo ad primum.

Apostoli comparantur filiis Iacob.

Medulla mundi, quid.

Quantum ad SECVNDVM affirmatur, quod Apostoli ciues sunt sanctorum, & domestici Dei. Circa quod NOTANDVM, quando aliqua ciuitas vel regnum, habet Principem apud Regem domesticum, qui cum rege egreditur, & est ei multum specialis, si ciuitas illa vel regnum habet negotia ardua ad expediendum, accedit princeps eius & vsq; ad regem perducit, & causam eius efficaciter & faciliter obtinebit, id patet Gen. 47. Quod Ioseph, qui fuit de genere & ciuitate patris sui Iacob. Quando pater scilicet Iacob cum filiis venit in Ægyptum, accessit Ioseph, & statuit patrem ante regem Pharaonem. Et ille gauisus admodum, tradidit ei quicquid Ioseph dare demandauit.

MORALITER. Per ciuitatem intelligitur mundus, de quo Sapiens Eccl. 9. *Parua ciuitas, & pauci viri in ea*; & benè pauci, quia pauci sunt qui viriliter vitiis resistunt, secundum illud Psalm. 13. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt*, hæc ciuitas, scilicet mundus, apud summum Regem, scilicet Christum, habet non solum vnum Regem vel Principem, sed duodecim Principes gloriosos, scilicet Petrum, Paulum, Ioannem, Andream, &c. Qui sunt figurati per Principes. Num. 7. & electi erant per filios Israël, & instruxerunt eos de mandatis vt curam eorum habuerunt; ita ipsi facti sunt super omnes, qui visuri sunt Deum, vt curam eorum habeant, & cum eis coram Deo compareant, & pro eis intercedant. Ideo dicit Gregorius in homilia: Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducet. Ibi Andreas post se Achaiam; ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu summi iudicis conuersam ducet. Hæc ille. In quo dicto claret, quod quilibet Apostolorum pro populo à se conuerso respondebit, & non solum pro illis, sed etiam pro omni populo terræ intercedent, quia sunt principes constituti super omnem terram. Et merito principes populi intercedent, prout legitur Matth. 15. quod quædam mulier Cananæa à finibus Tyri & Sidonis egressa clamabat post Iesum, dicens: *Domine miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Ille autem non respondebat ei verbum*, nec eam exaudiuit. Discipuli autem miserti ipsius accedentes ad Iesum, rogabant pro ea, dicentes: *Domine dimitte eam,*

D


Figura.

quia clamat post nos. Et si ipsi hoc fecerunt, existentes adhuc in terris, quantò magis faciunt iam ciuibus sociati cælicis, & domestici existunt Dei. Ideò instante necessitate ad ipsos confugere debemus, quia, vt dicit Ambrosius in libro præfationum; Ingruente metu tribulationis & angustiæ, tutum est sub vmbra Apostolorum confugere, vt sic à dolore tribulationis afflictionisq; mundanæ protegamur. Et hoc quo ad secundum.

DE EODEM FESTO.

Sermo Secundus.

Elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis. Ioan. 15.



DICVNT Naturales, & præsertim Martianus, quod Sol, qui est rex Planetarum, in medio inter eos incedens, bis senos radios à se emittit, ex quibus inferiora & superiora illustrantur.

A SPIRITVALITER. Per solem, qui est rex Planetarum, intelligitur Christus, non solum stellarum, sed omnium creaturarum, tam superiorum quàm inferiorum, vt habetur de summa Trinitat. & fide Cathol. c. Firmiter. Hic emisit à se bis senos radios, hoc est, duodecim Apostolos, qui benè radiis comparantur, quia radius solis longè lateq; diffunditur. Sic fides Apostolorum per vniuersum mundum est diffusa, secundum illud Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Etiam quando sol radios emittit, homines infirmi melius habent, & dormientes excitantur, sicut videmus in aurora, & hoc testatur Basilius super illud Matth. 5. *Vos estis lux mundi,* dicens: Veniente auroræ luce, infirmorum dolores alleuiantur, homines à somno excitantur, aues garriunt, bestiæ ad latibula sua fugiunt. Sic adueniente fide Apostolorum, mundus fuit ædificatus in credendo, fæcundatus in bonis operibus, alleuiatus à peccatis, excitatus à negligentiis, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus à potestate dæmonum. Hæc ille.

Apostoli radiis solaribus comparantur.

Figura. Et quia Christus hos duodecim Apostolos misit in mundum, figuratum fuit Iosue 3. vbi legitur, quod Iosue misit duodecim viros, vt considerarent terram promissionis, vt ad eam obtinendam cæterum populum animarent. Sic Christus verus Iosue, misit hodie in vniuersum mundum duodecim solennes viros, vt gentibus & Iudæis dicerent de fertilitate terræ promissionis, scilicet regni cœlestis, & ipsos ad hoc anhelandum prouocarent. Et hoc innuit Christus in verbis præmissis, cum ait: *Elegi vos vt eatis.* In quibus quidem verbis tria describuntur. *Primò,* electio spiritualis, ibi; *Elegi vos. Secundo,* progressio virtualis, ibi; *Vt eatis. Tertiò,* fructificatio spiritualis, ibi; *Et fructum afferatis.*

Propositio.

De PRIMO est sciendum, quod prudens Carpentarius, volens construere pulchram domum, & ædificium solenne, prius vadit ad nemora, quærendo pulchras arbores & ligna, & præconcipit in mente sibi longè ante eligendo, vt tempore constructionis veniente, non impediatur à structura.

MORALITER, Christus est prudens Carpentarius & artifex, qui volens ædificare domum sanctæ Ecclesiæ, elegit ab æterno fortia ligna, tanquam columnas, quæ

domum Ecclesiæ sustentarent,& hi fuerunt Apostoli sancti,in quorum persona dicit Apostolus ad Ephes. 1. *Elegit vos in ipso ante mundi constitutionem,vt essetis sancti & immaculati in conspectu eius,in charitate.* Et hoc figuratum est 3. Reg. 4. vbi legitur,quòd sapientissimus Salomon elegit sibi duodecim Præfectos ex omni tribu Israël, quos constituit supra domũ suam & Curiam,vt cibaria domui suæ prouiderent & omnia benè essent ordinata: per quem Salomon Christus intelligitur. Hic elegit duodecim Apostolos,vt domui suæ in cibariis spiritualibus, scilicet verbo Dei prouiderent. De quo cibo dicitur Deut. c. 8. Et transsumptiuè Matt. 4. *Non in solo pane viuit homo,sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei.* Figura.

Et hæc est prima causa & principalis, quare eos elegit vt populum suum verbo doctrinæ pascerent,ideo dixit Petro,qui fuit caput omnium,*Pasce oues meas*,Ioan.vlt. B Quare Christus elegerit 12. Apostolos.

SECVNDÒ,elegit eos,vt testimonium perhiberent veritati, quod patet Act. 1. vbi dicitur. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*, scilicet constanter Euangelium per mundum prædicantes, in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria *vsque ad vltimum terræ.* I. II.

TERTIÒ elegit eos,vt miracula facerent, secundum quod dicitur Matth. 10. *Conuocatis Iesus discipulis suis,dedit eis potestatem super omnes dæmones,& vt languores curarent.* Super quæ dicit Augustinus in sermone de Apostolis. Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam,vt eam curarent; super dæmones, vt eos vincerent, super elementa, vt ea mutaret; super mortem, vt eam condemnarent; super omnes, vt corpus Christi consecrarent. Hæc ille. Quia tunc in primitiua Ecclesia necessaria erant miracula propter conuersionem incredulorum, qui plus miraculis conuersi sunt,quàm doctrinis. III.

QVARTÒ elegit eos,vt mandatum suum cunctis populis edicerent, & nomen suum per vniuersum mundum veherent,quod figuratum fuit 2. Paral. 3. vbi legitur, quod rex Ezechias misit nuncios & cursores ad omnem populum Israël, vt præceptum regis explanarent. Ezechias interpretatur Dei fortitudo, & significat Christum, quia *est fortis & potens*, secundum Psal. 23. Hic elegit sanctos nuntios Apostolos, vt per mandata sua populum instruerent,& nomen suum notum facerent, secundum quod dixit de Paulo: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Regibus & Principibus,& filiis Israël.* Actor. 9. IV. Figura.

QVINTÒ elegit eos,vt electos de terra meterent,quia legitur Apo. 14. *quod Angelus exiuit de templo,clamans voce magna ad sedentem super nubem; Mitte falcem tuam, & mete,quia venit hora, vt metatur,quoniam aruit messis terræ. Et misit ille, qui sedebat super nubem,falcem suam super terram,& messuit eam.* Falx, secundum Haymonem super Apocalypsin est prædicatio; sed Angelus est prædicator,& præcipuè significat illos prædicatores magnos, sanctos Apostolos,qui hodie cum falce prædicationis missi sunt in vniuersam terram,quia tunc fuit hora debita messionis: quod patuit in Petro, qui vno die messuit tria millia, & alio die quinque millia manipulorum, vt habetur Actor. 2. & 4. cum quibus veniet in die iudicij, portans manipulos suos, & dicet ad Dominum illud Cantic. 5. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*: & tunc mercedem accipiet,& congregabit fructum in vitam æternam. Ita est dicendum de Apostolis cæteris,qui terram Domini fideliter messuerunt. V. Falx quid denotat.

Sed quomodo mercedem Domini nos sacerdotes accipiemus,qui in messe Do-

mini minimè laboramus? messis quidem multa, sed pauci sunt operarij. Quia secundum Gregorium in homilia: Mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei valdè rarò inueniuntur. Officium quidem sacerdotale accepimus, sed opus sacerdotij non implemus. Hæc ille. Ideo vos laici deuotè *rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, quia regiones iam albæ sunt ad messem*. Ioan. 4. Sed sacerdotes hoc non perpendunt, sed languescunt. Quid tamen dicemus in conspectu iudicis, quando Petrus cum Iudæa & Romano populo quos cum prædicatione sua conuertit, apparebit? Paulus cum Græcis & gentibus: Bartholomæus & Thomas cum Indis: Matthæus cum Æthiopibus: Matthias cum Iudæis & sic de aliis, quos quilibet sua prædicatione conuertit, metens in messe Domini, & nos vacui apparebimus. Ibi etiam secundum Gregorium in homilia 17. Omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se trahunt gregem. Cum ergo tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, quid nos miseri dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastoris nomen habemus, & oues ex nutrimento nostro debemus ostendere, & non habemus, hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducamus. Hæc ille.

VI. Sextò, electi sunt, vt cum Christo comedant, iuxta illud Cant. 5. *Comedite & bibite amici mei, & inebriamini charissimi*. Ipsi enim sunt speciales amici Christi, ad quos dixit Ioan. 15. *Iam non dico vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Sed dixi vos amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis*. Et nunc scimus esse in curiis dominorum, speciales amicos secum sedere in mensa sua. Ita etiam in curia cœlestis regis sancti Apostoli sunt ipsius commensales, iuxta illud Luc. 22. *Ego disponam vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Illud figuratum est Gen. 43. vbi legitur, quod Ioseph venientibus fratribus suis ad ipsum in Ægyptum, eos ad mensam suam collocauit; quemlibet iuxta primogenita sua, & Ægyptij seorsum in alia mensa comedebant.

Figura.

VII. Septimò, elegit eos, vt secum iudicarent, vel secum in iudicio sederent. Quod figuratum fuit 3. Regum 10. vbi legitur, quod duodecim Leunculi circa thronum Salomonis erant situati. Quid per duodecim leunculos? possumus notare competenter duodecim Apostolos, qui assidebunt Christo iudicanti, & alios iudicabunt, quia ipsis credentibus credere noluerunt, secundum quod dixit Christus Matth. 19. *Quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me. Amen dico vobis*, &c. Et hoc quo ad primum.

Figura.

D Quantum ad Secundum est Notandum. Secundum naturales, inter omnia volatilia tàm domita, quàm indomita, non est aliud, quod tam sæpe de fructu in fructum eat, sicut columbæ domitæ. Nam interdum duodecies fructificant in anno, cum aliæ bis aut semel tantũ. Per columbas intelliguntur Apostoli sancti, de quibus Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Ipsi enim quotidiè in fructibus spiritualibus profecerunt, scilicet in virtutibus, iuxta illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*. Nam etiam fructum in sancta Ecclesia fecerunt, omnia benè disponendo, & multitudinem peccatorum conuertendo. Hi cœlis comparantur, secundum quod canitur in sequentia: *Hi sunt cœli, in quibus Christe habitas, in quorum verbis tonas*. Et Psalm. 18.

com-

comparat eos cœlis, dicens. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Et sicut stellas cœli numerare non possumus, sic nec virtutes Apostolorum exprimere sufficimus, absq; hoc quod eorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sol & Luna, & si omnium hominum membra in linguas verterentur, & quodlibet secundum suum modulum virtutes eorum narraret, ad plenum tamen exprimere non valerent.

Ipsi namq; sunt, qui extraxerunt duodecim lapides de fluuio Iordanis, designatos per duodecim tribus Israël, Iosue 4. Et per duodecim lapides designantur duodecim articuli fidei. Quorum primum extraxit Petrus, dicens: *Credo in Deum, patrem omnipotentem.* Secundum, Andreas. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Tertium, Iacobus. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Quartum, Ioannes; *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* Sextum, Bartholomæus: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimum, Thomas: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Octauum, Matthæus: *Credo in Spiritum sanctum.* Nonum, Iacobus: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Decimum, Simon: *Remissionem peccatorum.* Vndecimum, Thadæus: *Carnis resurrectionem.* Matthias, duodecimum: *Et vitam æternam.*

E
1. Duodecim lapides Iordanis sunt 12. Apostoli.
2. Sunt 12. articuli fidei.

Hi duodecim articuli, quasi fructus nobilissimi, extracti sunt, per hos duodecim viros electissimos de omni Israël, ex alueo Iordanis, hoc est, de Deitate & humanitate Christi: quia sicut Iordanis componitur ex Ior & Dan, ita Christus ex Deo & homine, vnus in duabus naturis prouenit. Et si sancti Apostoli nullum fructum in Ecclesia fecissent, digni tamen essent colendi, quod nobis fidem tradidissent. Exemplo illorum virorum electissimorum, nos etiam debemus continuè ire, proficiendo in virtutibus, & veloces esse ad bonum, iuxta dictum Sapientis. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Eccl. 31.

F

Sed contra hoc faciunt pigri, qui non proficiunt, sed in quadam tepitudine subsistunt, semper similes tigridi, de quo refert Isidorus in hist. nat. lib. 12. Quod tigris est animal adeò velocissimum, quod à nullo potest capi venatore; cum autem ad ignem, vel speculum, aut aquam venerit, ita pigrum efficitur, vt etiam à quocunq; capiatur. Ideo venatores, qui aliàs capere non possunt, ipso absente capiunt iuuenes tigrides, & fugiunt; quod cum percipit, ipsos insequitur, illi autē videntes se non effugere, spargunt specula magna in via à quibus se contemplantur super pulchritudine sua; vel faciunt ignem, circa quem tardum efficitur, quòd à canibus & venatoribus capitur. Sic homines, qui sunt creati veloces ad laborem, iuxta illud Iob. 7. *Homo natus est ad laborem, sicut auis ad volandum.* Sed circa ignem prauæ concupiscentiæ, & aquis damnosæ voluptatis, & circa specula mundanæ voluptatis seu felicitatis, adeò tardi ad bonū efficiūntur, vt à venatore inferni, id est, à diabolo capiantur, & ignibus æternis nonnunquam crementur. Sic contigit illi diuiti epulanti, de quo Lucæ 12. *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, & epulare.* Dixit autem illi Deus: *Stulte hac nocte morieris*, & diaboli repetent à te animam tuam. Sic etiam accidit regi Sardanapalo, de quo legitur in historia, quod in tantum delectabatur aquis voluptatum, quod semper domi mansit, & cum mulieribus lusit, sed mirabiliter interiit, & à canibus infernalibus captus est. Ideo nos non sic fratres, sed continuè de bono eamus ad bonum, quia ideo sumus electi secundum illud

illud: *Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis,* hoc est, in progressu virtutis, & in gratia proficiatis.

G Sed est sciendum, quod aliter debent ire incipientes, aliter proficientes, aliter perfecti. *Incipientes* debent ire & proficere in tribus: PRIMÒ, in innocentiæ recuperatione, quod fit per pœnitentiam. Quia secundum Augustinum libro de pœnitentia: Pœnitentia peccatum diluit, & angelicæ felicitatis consortes facit. Qualiter autem agenda sit, vt capiatur innocentia, docet S. Ambrosius, dicens: Qui pœnitentiam agit, paratus debet esse, ad opprobria perferenda, & iniurias sustinendas, nec commoueri, si aliquis ei crimen sui peccati obiiciat. SECVNDO, Incipientes debent proficere in peccatorum suorum continua recordatione amara, etiam post pœnitentiam & dilectionem peccatorum, sicut fecit Ezechias rex, qui dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa. 37. TERTIÒ, debent proficere satisfactione, quod pœniteant peccata præterita eis dimissa.

Incipientes debent proficere in tribus. I. II. III.

Proficientes etiam ire debent: PRIMÒ, in propria infirmitatis consideratione. Exemplo publicani, qui propriæ infirmitatis conscius stabat à longè, propter criminum pudorem, & dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori,* Lucæ 18. Ideò dixit Anselmus. Alterius virtutem non vitium debet attendere, qui ad culmen humilitatis & perfectionis cupit ascendere, quia hoc est necessarium, quia secundum Gregorium. Sancti viri, qui ad cognoscendum propriam infirmitatem, suum ingenium dirigunt, propter hoc ad profectum virtutum melius conualescunt. SECVNDÒ, debent ire & proficere in feruida deuotione, & ipsius Christi confirmatione. Ad hoc hortatur Bernardus, dicens: Induere homo insigniis tuis, vt Christo conformeris, quæ autem sint illa signa, ostendit Apostolus ad Col. 3. *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, & super omnia charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis.* Super quo dicit Remigius: Qui habet iustitiam, veritatem, patientiam, charitatem, cæteras virtutes, quas Christus habuit, Christum vtiq; induit. TERTIÒ, debent ire & proficere in bonorum operum multitudine, ad quod hortatur Sapiens: *Quantum potest manus tua instanter operare, quia nec est scientia, nec ratio apud inferos.* Eccl. 9. Idem persuadet S. Augustinus libro de verbis Domini: Semper, inquit, aliquid adde, semper labora, semper ambula, semper profice. Nam in via Dei stare, nõ est proficere, sed deficere, adeò namq; feruidum appetitum debet homo semper habere proficiendi in melius, vt quantumcunq; profecerit semper sibi videri debet, quòd primò incipiat, quia secundum Sapientem: *Cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Eccl. 18.

Proficientes debent in tribus perfici. 1. 2. 3.

Sed perfecti ire debent, etiam in tribus. PRIMÒ, in omniũ rerum mundanarum obliuione, de quibus Psal. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Illis enim secundum Gregorium, affluentia rerum mundanarum debet esse onorosa, vt dicere possint cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* ad Gal. 5. SECVNDÒ, in suæ imperfectionis omnimoda recogitatione, quia secundum Gregorium. Magna est perfectio suæ imperfectionis cognitio. Quod benè vas electionis Paulus ostendit, cum se *minimum Apostolorum* asseruit, vt habetur 1. ad Corinth. 12. Nam, vt ait Gregorius: Sancti Dei omnes, quanto magis in Dei cognitione proficiunt, tanto magis in perfectionem suam recognoscunt, quia nunquam legitur, se Abraham cinerem appellasse & puluerem, nisi quando Dei eloquium habere meruit,

Perfecti ire seu proficere debent in tribus. I. II.

Gen.

Gen. 18. dicens: *Loquar ad Dominum cum sim cinis & puluis.* TERTIÒ, in alienæ imperfectionis perpessione. Et secundum Gregorium; Ille perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui ad imperfectionem alienam æquo animo ferre non potuit, ipse sibi testis est, quod perfectè non profecit. Hæc ille. Et in his statibus quilibet proficere debet. *III.*

Quantum ad TERTIVM est NOTANDVM, secundum Isidorum lib. 12. Oues inter omnia animalia quadrupedia vbique afferunt fructum; in carne, quæ est in cibum; in pelle, quæ est ad varium vsum; in pilis, qui sunt ad vestimentum; in fimo, qui valet ad terræ impinguationem. Per oues intelliguntur Apostoli, de quibus Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Hæ fructiferæ oues fructum attulerunt, in carne, & vndique magnum fructum fecerunt. Tulerunt enim fructum in verbis, & in exemplis, vita & doctrinis. De verbo & doctrina patet, quia *in omnem terram exiuit sonus eorum.* Sed de vita eorum exemplari patet, quia in vita sua mirabilia exempla sanctitatis nobis reliquerunt, quæ tamen possunt reduci ad tria. H **Apostoli comparantur ouibus.**

PRIMVM fuit patientiæ & longanimitatis, quia omnes pœnas & iniurias Patienter pro Christo pertulerunt, & cum gaudio susceperunt, iuxta illud Actor. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni sunt habiti pro nomine Iesu contumeliam pati*, & illud maximæ perfectionis est exemplum. Sed exemplum patientiæ pauci imitantur. Nam pro verbo vno iniuriarum, in magnam impatientiam multoties concitantur, quod conqueritur Augustinus: O nimis dolendum est, quod cum Apostoli nec terroribus, nec tormentis potuerunt à charitate DEI, & patientia separari, & nos interdum otiosis fabulis, & sæpè per omissum commercium, siue paruissimo, immò quandoq; propter signum; ita derelinquimus charitatem, non solum multis diebus, sed etiam mensibus, nec loqui volumus, nec amicitiam habemus. Hæc ille. Et nos qui facimus secundum Gregorium. Omnia bona prius gesta confundimus, & subitò impulsu destruimus, quicquid antè diu prouido labore construximus. Ideò docet B. Augustinus: Noli, inquit, murmurare, fili, contra flagellum Dei, quia quod pateris, medicina est, non pœnæ castigatio, non commendatio: noli repellere si vis consequi regnum. **Triplicia exempla reliquerunt nobis Apostoli.** *I.*

SECVNDVM fuit exemplum mansuetudinis & mititatis, quæ est virtus tanta, quod à solo Christo digna edoceri fuit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ideò dicit Beatus Ambrosius super Lucam: Cum deposuero omne peccatum, & exterminauero omnem malitiam, superest, vt mitis reperiar. Quid enim prodest carere sceleribus, nisi fuero mitis & mansuetus. *II.*

TERTIVM, fuit exemplum beneuolentiæ & charitatis, quæ maximè in hoc apparet, quod pro fidei dilatione & eorum saluatione, mortis amaritudinem alacriter sustinebant; quia in schola studuerunt benè istam lectionem Ioann. 13. quando dixit Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. In hoc cognoscent homines quod mei discipuli estis, si dilectionem ad inuicem habueritis.* *III.*

DE SANCTO ALEXIO CONFESSORE.

Sermo.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Genes. 27.

A Hyssopi virtus.



CAssiodorus super Psalm. 50. dicit: Hyssopus est breuis & modica, quæ in æstate producit flores, & illi debent colligi in loco vmbroso, & mundo, & non fumoso, qui desiccati habent virtutem attrahendi, & mundificandi pulmonem. Hæc herba crescit libenter in locis petrosis, & in radicibus petræ solidè se infigit. Odor eius benè redolet. Si autem fuerit trita, odorem vndiq; dilatat.

B MYSTICE. Per hyssopum Alexius Romanus nobilis potest hic optimè designari, quia sicut hyssop⁹ est breuis herba & modica; Ita B. Alexius quamuis esset ortus ex nobilissimo & alto sanguine Senatorum, veruntamen tenuit humilitatem, & modicitatem, quia dicitur in libro de paradiso animæ. Illa est vera & perfecta humilitas, cum quis gloriam exhibitam contemnit, nec appetit exhibendam. Sic B. Alexius fecit, cui puella de domo regali electa fuit: & magna gloria exhibita. Ipse autem hanc contempsit, & de mane clarus decessit, nec etiam petijt exhibendam. Quia aduertit illud Sapientis: *Gloria eius*, scilicet mundana, *stercus & vermis est, hodie extollitur, & cras non inuenitur.* Iste hyssopus Beatus Alexius produxit florem mundissimæ castitatis & virginitatis, quem collegit Christus, qui est amator puritatis in loco vmbroso thalami, in quo erat cum sponsa sua, ipsum inducens, vt seruaret castitatem, vt dicitur in Legenda. Et cum illo flore virginitatis, multos attraxit ad simile faciendum, quia ex nuptijs diuina gratia præuentus, sponsam deseruit, & mundum, & Christo famulari cœpit. Ita nunc sponsus vel sponsa potest alterutrum dimittere, & sub sigillo castitatis confugere, vt dicit Eusebius Papa, & ponitur. 27. quæst. 2. c. Desponsatam.

Gloria mũdi quid?

Sicut etiam hyssopus crescit in locis petrosis, & adhæret petris: Ita B. Alexius adhæsit Christo, qui petra dicitur, & dixit illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Et sicut hyssopus benè redolet, contrita autem magis. Ita B. Alexius odorem vitæ odoriferæ habuit. Sed cum contritus fuit tribulationibus, odore suo totum mundum repleuit. Ita vt de ipso exponi possint, verba thematis supradicti, quod Christus de ipso dicit. *Ecce odor filij mei.* In quibus verbis à duobus commendatur. *Primò*, ab odoris fragrantia, ibi; *Ecce odor*. *Secundò*, à diuina tolerantia, ibi; *Filij mei.*

De PRIMO est NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod illius floris vel alterius rei naturalis odor, est laudabilis, quando non est occultus, sed apertus, non paruus, sed magnus. Tunc enim non potest occultari, quando res odorifera in igne crematur; sicut thus, quod vndiq; odorem suum diffundit, vel quando inter manus, aut in mortario conteritur; quia aromata integra modicum redolent, trita autem vel fracta odorem habent delectabilem. Ideò sponsus volens excellentem odorem sponsæ ostendere, ait Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Vel quando ex suo naturali odore odoratur. Sicut patet in lilijs, rosis, & alijs floribus redolentibus, quæ nõ

indigent

[in]ligent his prædictis, sed grato colore vernantes odorem suauitatis emittunt, aut quando agitantur aut afflantur per ventum.

MYSTICE. His modis in B. Alexio factus est odor suauissimus. Rectè, sicut res cremata in igne, quæ est odorifera magis diffundit odorem; Ita B. Alexius quamuis interius odorem bonæ conscientiæ plenus fuerit, igne tamen amoris concrematus, quasi thus redolens, odorem emisit, ita vt de ipso exponi possit illud Eccli. 10. *Quasi thus ardens in igne.*

Et benè thuri comparatur; quia dicit Plin. lib. 17. c. 16. Illud thus est optimum, quod est album, & probatur carbone, si statim ardeat & inflammetur. Et masticatione in dentem non recipit, sed statim frangitur in puluerem vel micam. Tale thus fuit Alexius per munditiam virginalem, & hoc ideò, vt fœtidum mundum suo odore recrearet, quia erat per immunditiam carnalem infectus, secundum illud Ioël. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo*, quod exponens Greg. in moralib. dicit: Iumenta in stercore putrescere, est in luxuria vitam finire. Sicut (heu) multi fecerunt, & adhuc faciunt, qui in hac immunditia assuefacti, etiam vitam cum ipsa finiunt. Quia dicit Greg. Cum luxuria mentem semel occupauerit alicuius, vix eum bona desideria cogitare permittit. Ad hoc etiam dicit Hieron. Rete diaboli est luxuria, si quis reti huius mundi capitur, non citò soluitur. C B. Alexius cur thuri cōparetur. I.

Idem etiam thus B. Alexius ita probatus est, quia tactus carbone diuinæ charitatis, statim in principio suæ adolescentiæ arsit in Dei dilectione, & inflammatus fuit in desiderio supernorum, quia anima aduertit illud Thren. 3. *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Nam cum de scholis rediret, duntaxat annum pubertatis attingeret, illicò fuit accensus in Dei charitate, vt sponsam suam desereret, munditiamque sequeretur. Ideò illo odore accensus puritatis non potuit occultari. Sicut & thus ardens in igne, circumquaque se diffundit, ita ipsius odor virginitatis vndique est diffusus, vt benè de ipso exponi potest illud Cantic. 4. *Odor tuus super omnia aromata.*

SECVNDO, odor Alexij ex contritione comprobatur carnis, quia carnem suam per mortificationem attriuit vehementer. Nam decem & septem annis in paupertate voluntaria Domino seruiuit; omnia mundana contemnens, & seipsum abnegans, quod est vnum maximum de carnis pœnalitatibus, quia aduertens illud Matt. 16. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum,* Etiam sciuit illud, quod dicit B. Abbas Ephrem. Si desideras esse cœlestis, semper, quæ terrena sunt exercere despice. Si quis sincerè diligit Deum, huius conuersatio in terris non est, sed sursum est semper, vbi anima desiderat & mens sistit. Anima, quæ terrena sunt, odio habet, & solum Deum auctorem vitæ complectitur, & diligit. Hæc ille. II.

Et qualiter carnem macerauit, iacens sub gradibus, & aqua seruorum perfusus, docetur in Legenda. Ita & nos corpus nostrum conteramus macerando per abstinentiam. Quia secundum Isidorum in libro de summo bono. Abstinentia est ianua regni cœlestis, suffocatio sceleris, extinctio libidinis, principium omnis sacræ actionis fundamentum humilitatis, fons sanctitatis, & perfectio suauitatis, causa totius salutis, origo omnis boni operis & virtutis. Hæc ille. Si autem sumus tàm delicati, quod hunc sanctum virum sequi non possumus in carnis contritione, sequamur tamen eum in cordis contritione. Iuxta illud Ioëlis primo. D Abstinentia quid?

Scin-

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, quia contritum cor maximè Deo redolet. Ita quod secundum Psal. 50. illud non despiciat.

E
III. TERTIO, causabatur odor B. Alexij ex sui naturali odoratione, quia etiam realiter de monumento, in quo iacebat corpus eius, suauissimus odor fragrauit, vt omnibus videretur aromatibus plenum. Nec mirum, quia corpus eius fuit vas plenum
Alexius similis horto. balsamo sapientiæ, quia diabolum & mundum vicit. Ideò potest illud dicere, Eccli. 24. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* Fuit hortus plenus lilijs
Osee. 14. munditiæ, vt de illo posset dici illud Prophetæ: *Iustus germinauit sicut lilium.* Fuit a-
Agro. ger plenus rosis redolentibus patientiæ, quia patienter opprobria sustinuit seruorum, qui ipsum sæpius aqua immunda de lotione scutellarum perfuderunt, quod de
Prato. illo potest dici illud Eccli. 24. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Fuit insuper pratum, plenum violis contemplationis supernæ. Et ob hoc rosarium Patris, & mundi gaudia, & sponsam suam, quæ maximè impediunt in contemplatione supernorum, dimisit, vt se solum cum Christo occuparet. Ideo potest dicere cum Apostolo illud ad Phi-
Theca plena nardo. lippenses 3. *Nostra conuersatio est in cœlis.* Fuit etiam theca plena nardo humilitatis. Nonne hæc est maxima humilitas huius S. Alexij, quod diuitias magnas contemsit, gloriam mundanam subterfugit, sponsam Imperialem dimisit, & de tantis, tamque magnis honoribus subitò fugiens, se mendicis sociauit, immò maior non potest reperiri.

Voluit enim erigere celsitudinem bonorum operum. Ideò prius iecit fundamentum humilitatis; quia secundum Chrysostomum in sermone. Nemo construet celsitudinem bonorum operum & virtutis, nisi prius iaciatur fundamentum humili-
Alabastro. tatis. Fuit deniq; eius corpus, Alabastrum plenum nobilissimo vnguento deuotionis, in qua semper perseuerabat; ita vt deuotionem eius virgo beatissima Maria ap-
Apothecæ plenæ aromatibus. probaret. Cum ipsum ad Ecclesiam introduci imperabat, vt patet in Legenda. Fuit & demum apotheca plena aromatibus, omnium virtutum, vt dicere possit: *In me omnis gratia vitæ & virtutis.* Eccli. 24. Quia tanta virtus & gratia de corpore eius exibat, cum esset mortuus vt cuncti qui tangerent illud, sanarentur. Et vbi in vno aromate tot aromata, totq; flores redolentes congregantur, non mirum, quod de se emittit odorem redolentem.

IV. QVARTO, causabatur odor B. Alexij ex Austri Spiritus sancti afflatione. Sentimus enim, quando hortus est plenus arboribus aromaticis, ille ex flatu venti Austra-
Cantic. 4. lis odorem emittit aromatum. Ideò petit sponsa in libro Canticorum. *Veni Auster perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Hortus plenus aromaticis arboribus, est a-
Amygdalo. nima B. Alexij, plena nobilissimis virtutibus. Fuit enim in ea amygdalus maturi floris, quia hæc arbor inter alias citò floret, sic ipse maturè floruit. Et benè potuit dice-
Cedro. re illud Eccli. 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Fuit etiam cedrus spiritualis roboris, quia cedrus est tantæ firmitatis, quod nunquam teredine corrumpatur. Sic ipse fuit tantæ constantiæ, quòd à nullo potuit proposito moueri, quamuis pater
Oliuæ. eius & sponsa quotidiè flentes præterirent. Fuit etiam in eo oliua misericordiæ, quia omne aurum, quod de domo patris portauit, erogauit pauperibus. Et quando Auster Spiritus sancti hunc hortum deliciarum perflauit sua gratia, tunc suauissimum odorem emisit, & hoc apertius videbis in Legenda. Et hoc quoad primum.

Quantum ad SECVNDVM sciendum breuiter, Magnum est, si aliquis sit seruus magni

magni regis, aut Imperatoris Quia si talem Rex mittit in negotio de curia sua, in litera sua ipsum duntaxat nominando seruum, ille extollitur, & nonnunquam studiosissimè honoratur: quia secundum Linconiensem Qui honorat seruum alicuius, in quantum seruum eius, ipsum dominum honorat; si autem aliquis est amicus eius, ille magis honoratur. Si verò filius regis est naturalis, vel adoptiuus, & à rege filius nominatur, ille plus extollitur & laudatur, & à subditis honoratur.

Ad propositum. B. Alexius fuit seruus DEI, & sicut seruus custodit mandatum Domini sui, ita ipse omnia præcepta Domini custodiuit, nec in tribulationibus prætermisit. Ideò dicere potest cum Psalm. 118. *Tribulatio & angustia inuenerunt me, & mandata tua meditatio mea est.* Ideò signatur per adolescentem, Matth. 19. Qui venit ad Christum, dicens: *Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam possideam?* Respondens Iesus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei.* Cui ille: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi superest vel deest?* Ait illi Iesus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes; & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Vnde scrutare Legendam, an Alexius non sit ille, qui iussum Domini integraliter adimpleuit. Nam mandata Dei seruauit à iuuentute. Insuper omnia, quæ secum tulit de domo patris, aurum & pretiosas vestes, vendidit, & pauperibus tradidit, & Christum in voluntaria paupertate secutus est, vt dicere posset cum Ps. 87. *Pauper sum ego in laboribus à iuuentute mea.*


Fuit etiam B. Alexius amicus Dei, & sicut amicorum interest seruare consilia, ita ipse seruauit consilia, quorum sunt tria, Castitas. Obedientia, & Paupertas, quæ specialiter pertinent ad religiosos, vt Extra de statu monachorum. c. Cum ad monasterium. Et quamuis ipse non esset obligatus ad illa, tamen voluit ob maiorem profectionem ea seruare. Alexius seruauit cōsilia Euangelica.

Fuit etiam filius Dei, sicut hic testatur, *Ecce odor, filij mei,* &c. scilicet Alexij. Et sicut ad filios pertinet patris voluntatem implere, sic ipse omnem voluntatem cœlestis patris sui quotidiè adimpleuit. Ideò nunc apud ipsum sicut voluntarius filius honoratur, quem & nos debemus propter Dominum extollere, & laudare deuotè qualiter hunc laborem acquisiuit; vide in Legenda. Et hoc quoad secundum.

DE SANCTO MARIA MAGDALENA.

Sermo Primus.

Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete ea seruire iustitiæ, in sanctificationem, ad Romanos 6.



DIcunt Naturales de certis animalibus debilia capita habentibus, vt sunt anguillæ, serpentes & dracones, quod ex sono tonitrui multum perturbantur, quia anguillæ, quæ alias campi non possunt, cum semper iaceant in limo, facto magno tonitrui sono, adeò turbantur, quantumcunq; latitent in limo, extra natant, & à piscatoribus capiuntur.

A SPIRITVALITER. Per hæc animalia intelliguntur peccatores, aut peccata. Quia sicut illa supradicta animalia capita debilia habent, & læsis capitibus moriuntur, quæ etiam læsio per leuem punctarum fieri potest. Sic peccatum mortale est adeò debile, quod cum leui displicentia necatur, & fit nihil. Teste Cæsario in dialogo qui ait: Nullum peccatum est mortale, si displicet, & nullum veniale, si placet. Quia secundum Augustinum de vera religione, & ponitur 15. quæst. 1. capit. Quod autem. Non est peccatum, nisi voluntarium, & si displicet, voluntas immutatur, & sic peccatum necatur. Quod figuratum fuit in peccato Dauid, qui adulterium perpetrauit, & militem suum fidelem Vriam, proditoriè interfecit, vt habetur 2. Reg. 11. veniens autem ad ipsum Nathan Propheta proponens sibi parabolam, ex qua correxit eum, qui dixit vnicum verbum, *Peccaui. Cui Nathan Transtulit Dominum peccatum tuum, non morieris, sed filius tuus, qui tibi natus est, morietur.* Idem de publicano, Luc. 18.

Et quia peccata sunt tam debilia ad occidendum, tamen si peccator venerit in profundum, extrahi potest difficulter. Quia secundum Sapientem, *Peccator, si in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Prou. 18. Quid contemnit? dicit Gloss. Lyræ. Deum, cuius monita interiora, & documenta prædicatorum contemnit, id est, non audit. Contemnit etiam seipsum, quia pro quolibet vili dat aurum, pro obulo thesaurum, vt luxuriosus pro delectabili momentaneo æterna gaudia, & sic de alijs. Qui valdè grauiter possunt capi, nisi venerit sonus diuinæ prædicationis, sonantis æterna præmia, vel tonitrua seueræ comminationis, sonantis æterna supplicia. Tunc exeunt peccata de conscientia, sicut dracones & serpentes de cauerna, quod figuratum est Apocalypsis 12. Vbi legitur, quod factæ sunt voces & fulgura, *& ecce visus est draco magnus, habens septem capita,* hoc est, septem capitalia peccata. Hæc bestia est Maria Magdalena, de qua Dominus *eiecit septem dæmonia.* Marci vltimo. Sed postquam audiuit vocem dulciter prædicantis; *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Matth. 4. Similiter austeritatem tonantis; *Nisi pœnitentiam egeritis omnes peribitis,* Lucæ 14. Statim exiuit de fundo vitiorum, & in tantum exarsit in Dei timore, quod omnia membra, quæ prius ad vanitates & peccata extenderat, postea illa Christo seruiebant, complens dictum Pauli, dicentis: *Sicut exhibuistis membra vestra, &c.* In quibus duo tanguntur. *Primò*, excedentiæ memoratio dolorosa, ibi; *Sicut exhibuistis. Secundò*, pœnitentiæ recompensatio fructuosa, ibi; *Ita nunc*, &c.

Figura.

Propositio.

DE PRIMO est NOTANDVM. Dicunt Naturales cum Ambrosio in Hexam. quod apis est valdè diligens in officio seu obsequio sui regis, & si aliquo modo contra ipsum excesserit, aut ei nocuerit, adeò contra se irascitur, quod seipsam tam diu punit, quousq; moritur, vel saltem ab alijs apibus necatur. Idem refert Albertus de Prosis, quod tales homines si exeedunt contra ipsorum regem, se ipsos puniunt, vel ad iussum regis mox suspenduntur.

MORALITER. Per apem hic signatur Maria Magdalena, quia rectè sicut apis multos habet pedes, per quos se inuoluit: Ita Maria Magdalena multas habuit malas affectiones ad peccata, quæ actu perpetrauit, quod testatur Gregorius super illo verbo Marci vltimo. *Surgens Iesus mane primo Sabbati, & apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia,* dicens: Maria septem dæmonia habuit, quæ vniuersis

uersis vitijs plena fuit. Fuit etiam valdè diligens in obsequio diaboli, quia multas
animas præsentauit sibi, quas à summo rege auertit. Ideò dicebatur ante conuersio-
nem magna, quasi manens rea per obligationem ad pœnam æternam. Ideò circa hoc
benè api comparatur, quæ se tot sceleribus turpibus pedibus inuoluit, vt peccatrix
publica, amisso nomine proprio, diceretur; vt habetur Luc. 7. B

Sed diceres. Quare tamen ipsa in tantum vituperatur, cum fuerit mulier, & à plu-
ribus dicatur virgo fuisse, sed lasciua, dissoluta, & superba. *Ad hoc dico*, quod de illa
hæc non ad vituperium, nec contumeliam, sed ad eius extensam commendationem
& diuinæ misericordiæ magnam exaltationem dicantur. Quia maius est de stercore
aurum fabricare purissimum, & ex eo monile fabricare pretiosissimum, quàm de au-
ro existente monile facere. Ita hic. Si Deus fecit tam pretiosum monile ex tam fœ-
tidissima peccatrice, maius certè fuit quàm de alio mundo, siue munda. Nec dico, M. Magdalena non fuit virgo.
quod fuit virgo, licet multi sancti Doctores videntur in contrarium sonare, quorum
vnus est Leo Papa, tractans illud Matth. 26. *Tunc abiens vnus ex duodecim*, dicit: An-
te proditionis tempus, meretrix super caput eius vnguentum fudit, & quando pro-
stituta lupanar exiuit, tunc discipulus ille gehennam intrauit. Cui consonat Augusti-
nus in libro de conflictu vitiorum & virtutum dicens: Meretrix illa Beata omni ge-
nere fornicationum fuit plena. Ad idem est Chrysostomus in libro de Iuda tradito-
re, qui dicit; Paulò antè meretrix subitò pudica processit, & profundis abrepta pec-
catis, serenitatis portum agnouit. Quando illa mercedem sui corporis abdicabat,
tunc ille pretium sanguinis sui magistri postulabat. Hæc ille.

Nec dico quod fuit meretrix, quia multæ propter dissolutos mores dicuntur me- C
retrices, quamuis opere non perpetrent luxuriam. Sed hoc dico, quamuis peccatrix Magdalena non fuit meretrix.
magna tamen veniam inuenit, & optimam partem nunc elegit, sicut scribitur Lucæ
10. Et idcircò, quia accessit multipliciter contra regem Dominum, more apis se pu-
niuit. Nam memorans peccata sua magna, & excessus graues, dolorosè in mente an- I.
xiebatur, & potuit dicere cum Manasse 2. Paralipom. 33. *O Domine peccaui super nu-
merum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudi-
nem cœli præ multitudine iniquitatis, quia irritaui iram tuam, & malum coram te feci*. Po-
tuit etiam dicere cum filio prodigo vel perditionis, Luc. 15. *O pater peccaui in cœlum
& coram te, & non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis*. Et
verè feliciter hæc mulier memorata est tàm flebiliter sua peccata, quia dicit Sapiens:
Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, scilicet in viam salutis, *qui autem confessus fue-
rit & reliquerit, misericordiam consequetur*. Prou. 18.

Perpendit etiam damnum, quod incurrit, ideò potuit dicere illud deuoti Aman- II.
di, quod ponit in horologio Sapientiæ lib. 1. c. 4. Quis det mihi membranas, cœli haben-
tes latitudinem, atramentum maris excedens quantitatem, & calamos tot, quot ar-
borum folia, & pratorum gramina, vt perstringere possim dolorem simulq; damnum
irrecuperabile, quod incurri, quia dilectum meum dereliqui, scilicet per peccatum.
Hæc ille.

Refert Magister duodecimo proprietatum, quod ciconia, quando ex multitu-
dine senij sentit se grauatam, aquam marinam amaram intra rostrum recolligit, quam
per stercora in ventrem mittit, quæ aqua mollit cibi compacti duritiam, & mordicā-
do intestina superflua eijcit & expellit, Ita fecit Beata Maria Magdalena, quia sensit se

grauiam mulris ne peccatorum, vt conuenienter dicere posset cum Psalm. tricesimo septimo. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Ideò vt ab his purgaretur, recepit aquam amaram contritionis dolosæ, quæ erat plena, vt dicere potuerit illud Ruth. 1. *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia valdè amaritudine repleuit me omnipotens.* Ecce quantum dolorem, & amaritudinem habuit in se felicissima peccatrix pro peccatis, quod ista amaritudo largissimè lacrymas expelleret, quibus pedes Domini abundantissimè lauaret; Et quantum se mentaliter puniuerit, nullus exprimere sufficit, nisi ille qui abscondita cordis nouit. Nos igitur peccatores, vel peccatrices, si cum ipsa volum⁹ gratiam inuenire, oportet nos sicut ipsam mentaliter nos punire, quando excessim⁹ gratiam per peccata. Sed secundum Augustinum in sermonibus communibus sermone 43. Impunitum non potest esse peccatum. nec decet; non oportet, nec est iustum. Et quia non potest esse impunitum, puniatur à te, ne à Deo puniatur. Hæc ille. Oportet ergo etiam vt cum illa fleamus, secundum quod nos admonet Ecclesia, dicens: Ploremus coram DOMINO, cum MARIA, vt veniam mereamur cum illa.

D Plorandum pro peccatis ob quatuor. Et meritò facere oportet, propter quatuor, quæ ponuntur in canone de pœn. dist. c. Si peccatum Dauid. *Primum*, quia iniustè peccando Deum, qui est summum bonum, & creatorem nostrum offendimus. *Secundò*, quòd nos peccatis vltor obtulimus, & in illis diu permansimus. *Tertiò* quòd non solum peccauimus, sed interim nos bonis omnibus & virtutibus negligenter spoliamus. *Quartò*, proximum nostrum malo exemplo corrumpimus. Et tantum de primo.

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Secundum Aristotelem in libro de animalibus, Ciconia, cum adulterata fuerit, statim volat ad fontem post coitum se lauando, ne veniens ad masculum, fœtorem adulterij sentiat, & ipsam rostro transuerberet & occidat. Et nisi hoc faciat, ipsam sine dubio conuocatis alijs iugularet. Sicut hoc probat Alexander in libro de naturis rerum, dicens: Ciconia adultera se lauabat post coitum, & hoc quidam miles considerans, balneum impediuit, veniens autem compar ciconiæ; ipsam adulteram præsentiens, inde igitur exiens adduxit ciconiarum cohortem sociamq; deplumauit, & lacerauit, & alteram sibi in sodalem sociauit.

MYSTICE. Per ciconiam intelligitur Maria Magdalena, quia sicut ciconia tempore veris venit, sic ipsa venit tempore gratiæ, scilicet ad fontem gratiæ & misericordiæ, ad Christum, vt se lauaret. De qua Propheta Ieremias 3. *Fornicata es cum amatoribus multis*, secundum certos Doctores corporaliter, vel etiam spiritualiter per peccata à Deo recedendo. Ideò dixit Augustinus de conflictu vitiorum & virtutum. Ecce Maria Magdalena innumeris fornicationum sordibus inquinata, ad fontem pietatis anxia currens, Domini vestigia lacrymis rigans est mundata. De hac idem etiam in alio loco dicit: Venit ad fontem misericordiæ Christum, ante clementis Domini vestigia nihil præ verecundia ore depromens, sed p exteriora obsequij beneficia suæ dilectionis, feruorem intimans, ac si ipsis loqueretur verbis: O Domine Iesu clementissime, tu qui omnia scis, & cordis inspector es verus, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, tu ipse intelligis, quid mei deposcant singultus, quid lacrymæ ab imo eruptæ flagitent, quid meus amarus exoret gemitus, peccatrix

trix sum, immmunda, siue omnium criminum labe polluta. Cui concordat Innocentius III. in sua summa: Venit, inquit, cum fonte lacrymarum, ad fontem misericordiarum, vt cum largo fletu, largam misericordiam eius impetraret.

Ecce quàm fructuosa fuit hæc recompensatio Magdalenæ, quia dicit Cassiodorus super Psalmos: Hic veram agit pœnitentiam, quæ sic mala præterita deplangit, & futura non admittit. Ideo dicit Gregorius in homilia hodierna. Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus, illæ huius peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit namque, quid fecit, & noluit moderari, quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, nō iussa venit, inter epulas, lacrymas obtulit. Discite, quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubescit. *Subdit*; Sed ecce, quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit. Nam quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Liquet fratres, quòd illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deum contemserat in culpa. *Et subdit Origenes.* Aures prius delectabantur auditu vario vel bonorum derogationibus, sed nunc conuertit eas ad verbum Dei audiendum, quia frequenter ad pedes Iesu sedebat, & verbum eius audiebat. Luc. 10. In lingua turpia & vanitates proferebat, nunc conuersa est ad benedicendum, & verbum Dei prædicandum. Fuit etiam doctrix & Apostolorum Apostola, quos omnes in fide dubios in morte Christi ad fidem conuertit. Pectus quod prius ornauerat, nunc Deo dedicat. Manus quas prius prætenderat, nunc ad eleemosynas extendit, & ad lauandum pedes Christi. Pedes, in quibus ad vanitates incesserat, nunc ad sequenda vestigia Domini præparauerat, & vltra totum corpus ad pedes Domini prosternebat, quod ieiuniis & macerationibus & castigationibus castigauerat. Hæc ille. Ecce quam benè aduertit illud Sapientis: *Per quæ quis peccauit, per hæc & punietur.* Et similiter hic doctrinam Pauli: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire,* &c.

F — Homilia 33. in Euangelia.

Sed diceres. Quare ita plenissimè pœnituit Maria Magdalena, & non sicut iam faciunt peccatores dicentes; non possum pœnitere, quia non solus pecco, & quocunque venero, socios habebo, etiamsi ad infernum venero. O peccator non gaudeas, de hac societate, quia dicitur in cano. 2. q. 1. c. Multi. Et est Augustini. Ne, inquit, gaudeant peccatores, quia plures inueniuntur eis similes, nam propterea non minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. Quia quilibet damnatus vna teda est in inferno. Et sicut ex additione ignis crescit, sic ex peccatoribus pœna damnatorum. *Ad quæstionem dico,* quod illa felix mulier ita tam solenniter pœnituit. PRIMÒ, quia triplex damnum purgauit, quia peccatum secundum Cæsarium in dialogo priuat hominem omni bono, quod promeruit, quod bonum Christus nobis fecit & communioni fidelium. SECVNDÒ. pœnituit ita perfectè propter amorem, quo cor eius repleuerat; quia sicut ignis facit calefieri ollas & bullire, sic ignis amoris facit bullire lacrymas &

G — Quæstio.

Responsio. Ob tres causas pœnituit Magdalena.

I.

II.

III. sonare deuotionem. TERTIO, pœnituit propter pœnas inferni, quas sciuit esse secundum dictum Euangelij; *Ibunt mali in ignem æternum.* Matth. 25. O peccator, si ad æternitatem pœnarum inferni oculos attolleres, sine dubio vitam emendares.
Exemplum. Nam sic legitur fecisse quidam vanus ioculator; de quo in libello de dono timoris: Hic, quamuis esset vanitatibus sæculi deditus, semel tamen audiens in Ecclesia de pœnarum æternitate, & cum iocaretur, cogitare cœpit: O si continuè in lecto molli iacere deberes, & inde nunquam recedere, non posses sustinere, quomodo ergo pœnas inferni, quæ sunt perpetuæ, sustinebis? Et hac consideratione perterritus, omnia reliquit, & factus est monachus, & postea magnus vir, & Episcopus miræ sanctitatis.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

Sermo Secundus.

Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: Ad Romanos 5.


RISTOTELES in lib. de animalibus describit cuiusdam animalis naturam, nomine Abiles. *Primò*, habitat in aquis salsis marinis, & in his tanquam sibi conuenientibus delectatur; *Postea* autem species eius immutatur, & fit altera, & exit aquas illas salsas, tanquam admodum sibi contrarias, & nutritur in terra, nec vlterius intrat illas.

A. SPIRITVALITER. Per hanc bestiam quilibet peccator designatur, qui propter peccata sua magis meretur dici bestia, quàm homo. Quod probat Boëtius lib. 4. prosa. 3. dicens: Euenit vt quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. *Sed concludit.* Ita fit, vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam naturam transire non possit, vertatur in belluam. Hæc ille. Quod patuit in rege Nabuchodonosor, de quo legitur Dani. 4. & ponitur transumptiuè in 23. q. 5. c. Remittuntur. §. Hinc enim in corde superbiens, dicebat: *Nonne hæc est ciuitas magna Babylon, quam ædificaui in domum regni.* Statim Deus mutauit rationalem eius mentem, & induit formam bestialitatis, vt ab hominibus fugeret, & cum bestiis viueret. Sic homines bestiales, viuunt & habitant cum prædicto animali, in aquis prædictis voluptatum, quæ quamuis dulces eis videntur, tamen finis est amarus, secũdum quod testatur Sapiens, Prouer. 5. *Fauus stillans labia meretricis,* hoc est, carnalis voluptatis. secundum Glossam Pascasij, *& nitidius oleo guttur eius, nouissima autem amara, quasi absynthium.*

Figura.

Ideo debent ipsi peccatores has aquas maris exire, & speciem bestialitatis econtrà mutare per pœnitentiam in speciem humanitatis, vt possint habitare in terra viuentium. Ita fecit Maria Magdalena, & exemplum pœnitentiæ tribuit, quæ prius totaliter immersa fuit aquis voluptatum & culparum, in quibus diutius habitauit, vt dicere potuisset illud Ps. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.* Hæ sunt aquæ pessimæ & amaræ, quæ fuerunt in Iericho, quæ interpretatur Luna, & significant mundum, in quo adhuc (heu) sunt aquæ illæ amarissimæ & pessimæ aquæ voluptatum, in quibus immersa fuit Magdalena, sicut adhuc illis multi immerguntur. Sed sicut Elisæus Iericho aquas dulcorauit, 4. Reg. 5. *Immittendo sal in vas-*

vas nouum. Sic Deus misit Spiritum S. in cor Mariæ, & illas aquas voluptatis mutauit in aquas sanitatis. Ideo potest dicere illud Psal. 17. *Misit de cœlo*, scilicet Spiritum sanctum, *& assumpsit me*, scilicet in suam sponsam, *& assumpsit me de aquis multis*, scilicet variarum fornicationum, secundum Augustinum, & multarum voluptatum. Et postquam igitur beata peccatrix exiuit aquas voluptatum, vlterius non intrauit, statum suum mutauit, vt quæ plena peccatis erat prius, postea abundaret in gratiis. Ideo benè ad laudem ipsius hæc verba sunt assumpta: *Vbi abundauit delictum*, &c. In quibus verbis status describitur à duobus. *Primò*, ad statum transgressionis, ibi; *Vbi abundauit delictum. Secundo*, ad statum iustificationis, ibi; *Superabundauit & gratia*. In PRIMO describitur quoad statum transgressionis, & tangit immunditiam culpæ, cum dicit, *Vbi abundauit delictum*.

Circa quod NOTANDVM. Miserabilis status huius mulieris peccatricis colligitur ex tribus. PRIMÒ, ex peccati vtilitate. Videmus enim quod prudens & ingeniosus pictor pulchram facit imaginem, ex omni parte benè dispositam, & ornatam in omnibus corporis lineamentis, nullum habens corrigibile, & defectum; ad quam si venit inuidus pictor & superbus, videns eam tam pulchrè exornatam, inuidet illi, & nonnunquam lutum proiicit super ipsam, & totaliter coinquinat & deformat, quo quidem luto imago ad nihilum redigitur, nisi per priorem pictorem mundetur. B Status Magdalenæ miserabilis fuit ob tria. I.

MORALITER. Per ingeniosum pictorem Deus omnipotens designatur, qui sua prouidentia firmamentum depinxit clarissimis sideribus, cœlum Empyrium angelicis spiritibus, animam quoq; hominis creauit, & hanc etiam ornauit ad suam imaginem, capacem virtutibus. De hoc dicit Bernardus: Anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, deputata cum angelicis spiritibus, depicta fide, redempta Christi sanguine, capax beatitudinis, hæres bonitatis, particeps rationis. *Et subdit*, Agnosce ô homo, quàm nobilis sit anima tua, & quàm grauia fuerint eius vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum vulnerari: totus siquidem iste mundus ad vnius animæ pretium æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quàm pro anima humana dedit. Hæc Bernardus.

Vide homo quàm ingeniosus est ille pictor, qui animam tuam tam pulchram decorauit, quia secundum Hugonem: Pulchram eam decebat esse, quæ ad sui regis thalamum introducenda erat. Sed hanc pulchritudinem animæ non perpendens Maria Magdalena, sicut nec (heu) alij peccatores; ideo venit secundus pictor Diabolus, qui est inuidus & superbus, secundum quod dicit Bonauentura super 2. sentent. Mens Diaboli duobus vitiis, scilicet superbia & inuidia, est possessa. Hic proiecit lutum septem peccatorum mortalium super ipsius animam, & eam turpiter defœdauit. Quia dicit Augustinus. Sicut lutum fœtidum proiectum super pulchram imaginem, ipsam fœdat & deturpat, ita peccatum animam maculat & deformat. Ideo potuit dicere illud Thren. 1. *Vide Domine, & considera, quia sum vilis.* Hoc etiam dicit Hugo de sancto Victore. Vide, inquit, quid fecisti, dereliquisti sponsum tuum, & cum aliis prostituisti amorem tuum, corrupisti virginitatem tuam, dispersisti ornamentum tuum, tam vilis & tam turpis facta es, quod iam sponsi amplexibus digna non es. Sponso tuo de tantis beneficiis non gratias egisti, meretrix facta es, & præ nimiis fornicationibus tuis laxata sunt vbera tua, rugosa facies tua, genæ marcidæ, languentes & stupentes oculi, labia pallore obducta, crura exsiccata, virtus confracta, C

omni-

omnibus amatoribus odiosa. Pulchra facta fueras eius munere, fœda facta es in tua iniquitate. Hæc Hugo de qualibet anima peccatrice.

Fuit enim Maria Magdalena facta longè à Deo, non solum in anima, sed in specie corporea, quæ quidem fuit occasio peccandi, quia dicit Sapiens Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* Quia sus non parcit circulo aureo, sed ponit ad lutum. Sic mulier pulchra & fatua quantæcumque pulchritudinis fuerit, ad luxuriæ voluptates conuertit, sicut ipsa fecit, quod testatur Innocentius Papa in sermone. *Rogabat Iesum*, dicens: Mariam Magdalenam respicies, quæ mulier erat in ciuitate peccatrix, ad quam patebat accessus, & nullus ab ea repulsam passus est, sed dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hæc ille. Sed Christus pictor ingeniosissimus lutum absterſit, quod diabolus in eam proiecit, & hoc cum calidis lacrymis, quæ de oculis eius profluxerunt tam largiter, vt etiam pedes eius lauaret. Luc. 7. Ideo ô homo si consideras lutum peccatorum à diabolo proiectum super animam tuam, pete Dominum pro lacrymis, quæ omnem immunditiam animæ abstergunt, secundum quod dicit Cassiodorus super Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ.*

Fletus cibus animarum. Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, & lauacrum culparum. Hæc ille.

D II. Peccati enormitas. SECVNDO, cognoscitur status eius miserabilis ex peccati enormitate. Dicunt medici, si lepra faciem hominis occupauerit, non solum nocet vultui, ipsum enormem faciendo, sed etiam inficit totum corpus & omnia membra corrumpendo. Ita peccatum mortale, quod est lepra animæ, ipsius tollit sensus & corrumpit. Excæcat oculos. Excæcat enim oculos, & visum, ne errorem suum cognoscat, & horrorem extremi iudicij expauescat, *quia excæcat eos malitia eorum.* Sapient. 2. Tollit auditum. Tollit etiam auditum, ne voci Dei obediant. Quia dicit Draco ille antiquus humani generis inimicus, Lucifer, ad quemlibet diabolum: *Excæca cor populi huius, & aures eius, ne fortè auribus suis audiant, & corde intelligant Deum, & conuertantur.* Isaiæ 6. Tollit odoratum. Tollit etiam discretionis odoratum, reddens ei suaue, quod est fœtidum & amarum: quia fœtorem non sentiunt peccatores suorum peccatorum, sed potius in eis delectantur, sicut sus inuolutus luto. Gustum. Tollit etiam spirituale gustum, ne mens possit spiritualibus cibis delectari iuxta illud Psalm. 16. *Omnem escam abominata est anima eorum*, &c. Tactum. Aufert etiam spiritualem tactum, quia quantumcunque peccatores diuinis instructionibus aut sermonibus diuinis moueantur & tangantur, non tamen sentiunt, sed ad bonas affectiones quasi insensibiles fiunt. Ideo dicitur de illis Ioëlis 1. *Iumenta*, hoc est, homines bestiales, vsu rationis carentes, *computruerunt in stercore suo*, id est, in fœtore suorum peccatorum. Maria Magdalena peccatis excæcata. Considera an non peccatum in illa Maria Magdalena fuerit. Fuit enim in tantum excæcata, quod creatorem suum non agnouit, nec etiam potuit audire verbum, &c. Ideo venit cælicus medicus, & lepram cordis ipsius absterſit, & omnes sensus reformauit. Et quæ prius non poterat audire verbum Dei, *sedebat* quotidiè *secus pedes Domini, audiendo verbum illius.* Luc. 10.

III. Basilisci natura. TERTIO, miserabilis status huius mulieris peccatricis, ex peccati sterilitate ostenditur. Dicit Isidorus libr. 12. cap. 4. Quod in illo loco, vbi habitat basiliscus, omnia desiccat, fructus & herbas steriles facit, & exurit non solum tactu, verum etiam sibulo & flatu, circumiacentia omnia destruit, & corrumpit. Ita peccatum per basiliscum designatum, vbi abundat in anima hominis, omnia virentia opera bona desiccat,

ſiccat,& infructuoſa,quo ad vitam æternam,facit. Sicut patuit in Maria Magdalena, quæ in ſtatu culpæ nullam fœcunditatem bonorum operum attulit,nullum imbrem ſpiritualis gratiæ recepit,nec dicere potuit cum Pſal.142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Sed ſecundum Ariſtotelem lib. de animalib. Baſiliſcus occiditur à muſtela, quod eſt animal paruum: nam munit ſe ruta, & intrepidè inuadit ipſum, & occidit. Ita humilitas Mariæ Magdalenæ, quando venit, & ſe humiliter non ante pedes, ſed retro ſtrauit, veniam poſtulando, lacrymis occidit in ea peccatum, vt amodo fieret fructuoſa, vt habetur Lucæ 7. Et hoc quo ad primum. **Baſiliſcus occiditur à muſtela.**

E Quantum ad SECVNDVM, deſcribit ſtatum ipſius iuſtificationis,& tangit gratiæ abundantiam,cum additur, *Superabundauit gratia.* Pro quo NOTANDVM, dicit Galenus libr.3. ſecretorum. Corpora frigida, quæ ſunt calore euacuata, quando igne accenduntur, tunc feruentius, diutiusq; in calore ardoreq; ſubſiſtunt. Quod patet de quodam lapide pretioſo, qui Abeſton vocatur, qui eſt ferrei coloris. De quo refert Solinus in lib. de mirabilibus mundi,quod cum ſemel accenditur ab igne,omninò exſtingui non poteſt, ſed ſemper ignem retinet & conſeruat. Ita peccatores, qui ſunt frigidi,dummodo calore accenduntur ab igne Spiritus ſancti, feruentius ardent in amore & gratia Dei, quàm illi, qui ſemper calidi fuerunt in gratia, & nunquam peccauerunt. Quod probat B.Gregorius,ſic inquiens: Plerumq; illi qui nullius ſe oppreſſos peccatorum molibus ſciunt, ſtant quidem in via iuſtitiæ, ſed tamen ad cœleſtem patriam anxiè non anhelant,& plerumq; pigri remanent ad exercendum bona, præcipuè qui ſecuri ſunt,quod nulla commiſerunt mala grauiora. At contra,hi nonnunquam qui ſe aliqua mala, aut illicita geſſiſſe meminerint,ex ipſo ſuo dolore compuncti,ad maiorem Dei amorem inardeſcunt: & quia erraſſe ſe conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant. Hæc ille.

De hoc etiam dicit Ambroſius in lib.de paradiſo. Magis poſtquam peccauimus ſcelera noſtra cognoſcimus, errores erubeſcimus quos antequam peccauimus, peccata non eſſe putaueramus. Et declarat illud dicens: Maria Magdalena, quia poſt culpas perpetratas turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, ad fontem miſericordiæ currens lauanda,conuiuantes non erubuit. Nam quia interius ſeipſam grauiter erubeſcebat, nihil quod verecundaretur,foris credebat. Hæc Ambroſius. Ex hoc patet, quod iam totaliter fuit accenſa in amore Dei,& amodo nunquam exſtincta fuit.

F Sed hic dicit Gregorius ſuper illo verbo, Ioan. 20. *Maria ſtabat ante monumentum.* Huius, inquit, mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ à monumento Domini, diſcipulis etiam recedentibus, non recedebat. Quem non inueniebat, flebat inquirendo, & amore eius accenſa ardebat deſiderio. Quanta etiam vis mentem eius accenderat,oſtendit Origenes in homilia ſuper illo verbo. Ioan.21. *Vbi poſuiſti eum,ego eum tollam.* Quid eſt,bone Ieſu, quod Maria dixit; Ego eum tollam. Ioſeph timuit,& non fuit auſus tollere corpus tuum de cruce,niſi nocte,& niſi peteret hoc à Pilato, Maria autem non formidat,ſed audacter poſtulat,dicens, *Et ego eum tollam* O Maria, ſi forſitan corpus Ieſu poſitum eſt in atrio Principis ſacerdotum,vbi Apoſtolorum Princeps Petrus ſe calefaciebat ad ignem, quid factura es? Ego eum tollam. O admirabilis huius mulieris audacia. O mulier,nō mulier. Et ſi ancilla oſtiaria interrogauerit te, quid facies? Ego eum tollam. O inæſtimabilis mulieris amor, nullum excipit,nullum anteponit,ſine timore dixit, abſolutè promittit, *Dicito, vbi*

posuisti eum, & ego eum tollam. O mulier magna est fides tua, & magna constantia tua. Hæc Origenes.

Sed quia dicit Gregorius in homilia super Ioan. 14. *Signum dilectionis est exhibitio operis.* Ideò per opera exteriora ipsa ostendit, quod ipsum dilexit veraciter, & principaliter per opera pietatis, quæ Christum induit mentaliter bysso & purpura, scilicet puritatis & charitatis, iuxta illud Prouerb. vlt. *Byssus & purpura indumentum eius.* Ipsum corporaliter pauit, quia Ioan. 11. legitur, quod Martha & Magdalena fecerunt ei conuiuium. Ipsum etiam receperunt hospitio, Luc. 10. Cum Martha sorore eius ipsum in tribulatione visitauit quia cum Maria Matre stetit iuxta crucem, Ioan. 19. Ipsius obsequium sepulturæ præbuit, quia Marci vlt. *Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vnguerent Iesum.*

Mariæ Magdalenæ vita post ascensionem Domini.

Refert etiam Iosephus, & secundum alios Egesippus, quod totaliter erat in amore Dei & gratia Dei accensa, quod post ascensionem Domini, quamdiu vixit, omne solatium humanum declinauit, nec ex tædio præsentis vitæ aliquem virum respicere voluit, vt dulcedine solius Domini frueretur. Ideo de ipsa potest exponi illud Ezechielis 36. *Terra illa inculta facta est quasi hortus voluptatis.* Quia in statu culpæ, fuit terrenis affectibus & carnalibus voluptatibus occupata, sed in statu gratiæ, facta est hortus voluptatis, in quo creuit flos viuæ prędicationis, quia constantissimè verbum Domini prædicauit. Flos olei misericordiæ, quia Christum pauperem *vnguento vnxit*, Luc. 7. Similiter flos rosæ Martyrum, & licet non per sanguinis effusionem, tamen in mente, per dilecti compassionem scilicet Christi: quia animam ipsius Mariæ Magdalenæ pertransiuit gladius doloris. Ita vt etiam de ea possit dici illud Lucæ 1. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, scilicet compassionis. Quia dicit Origenes in homilia, quod spiritus Mariæ Magdalenæ erat tam in corde Christi, quàm in corpore suo. Creuit hodie vnà in hoc horto flos lilij Virginum, non carnalis sed spiritualis. quia amorem suum non ad angelos spargendo diuidere voluit, sed toto corde & integritatis amore, ad sponsum velociter anhelauit. Creuit flos violarum humilium, quia etiam humiliter retrò pedes Dominicos se prostrauit. Creuit & demum flos spicæ omnium perfectionum, quia *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo tertius.

Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Ita scribitur Luc. 7.



ALBERTVS in 4. suæ summæ dicit, quod ventus Aquilonis, est fortissimi flatus, eradicans arbores, & ædificia fortia deiiciens, etiam abscindit pluuias, & claudit poros terræ. Cuius ratio est, quia Aquilo est frigidus multum, & generatur in loco multum frigido & inhabitabili, quia ibi nullus propter frigiditatem potest habitare. Sed econtrà ventus Meridionalis est calidus, & pluuiarum multiplicatiuus, quia aperit poros terræ, sic quod materia potest eleuari, & in pluuiam conuerti, & sic potest terram fœcundare, vt dicit Auicenna in libro de elementis.

SPIRI-

SPIRITVALITER. Per Aquilonem intelligitur diabolus, de quo dicitur Ieremiæ 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum*, quia omne malum peccati ab ipso procedit. Hic est fortissimæ naturæ, iuxta illud Iob. 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei*, quia fortis est, nec vllum timet. Ergo quando flat contra homines, qui ei non resistunt, illos deiicit in locum luxuriæ vel peccati, sicut fecit Regi Dauid, quem proiecit in stercus adulterij, vt habetur 2. Regum 11. Similiter Salomonem, quem iecit in amorem alienigenarum mulierum. 3. Regum 11. Idem fecit Mariæ Magdalenæ, quam proiecit in profundum luxuriæ & aliorum peccatorum, vt conuenienter dici possit illud Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*: Rectè, sicut arbor, quando à vento deiicitur, quæ prius florida fuit, indisposita fit, & marcescit.

Abscindit etiam diabolus pluuias lacrymarum, quia vbi est in mente peccatum criminale, homo non potest flere pro delictis; quando autem flat Auster, hoc est, gratia Spiritus sancti, tunc multiplicantur pluuiæ lacrymarum, quia dicit Leo Papa in sermone; Ab ipso Spiritu sancto sunt lacrymæ pœnitentium. Quod patuit in Dauid, qui afflatus Spiritu sancto, vberrimè fleuit pro peccatis, iuxta illud Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum rigabo.* Ideò dicit alibi; *Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ.* Psal. 147.

Idem patet de Maria Magdalena, quæ in peccato fuit tam frigida, quod flere non potuit; quando autem in ea flauit gratia Spiritus sancti, vberrimas lacrymas effudit. Ideo canit Ecclesia hodie, dicens: *Flauit Auster, & fugauit Aquilonem, quando lauit cor Mariæ pœnitentis imbre Spiritus sancti.* Et hoc patet in Euangelio hodierno, in quo quidem principaliter quatuor describuntur. *Primò*, Christi à Pharisæo inuitatio, ibi; *Rogabat Iesum. Secundo*, peccati à Maria deploratio, ibi; *Et ecce mulier. Tertiò*, Pharisæi contra Christum murmuratio, ibi; *Videns autem. Quartò*, mulieris pœnitentis excusatio ibi; *Respondens Iesus.* Propositio.

De PRIMO est NOTANDVM, quod sapientes homines medicos fideles & magistros consueuerunt multipliciter honorare, iam eis reuerenter inclinando, & salutando, & à via coram eis declinando, & quandoque ipsos ad mensas inuitando, quia præcipitur hoc à Spiritu sancto per os Sapientis, Eccli. 38. *Honora medicum propter necessitatem corporis tui, etenim illum creauit altissimus.* Ita refert Iosephus de se ipso in Cronicis, quod quodam tempore Vespasianus accepta licentia à Tiberio in Iudæam, quæ Romano rebellauerat imperio, est profectus ad quandam ciuitatem, nomine Ionadam, in qua Iosephus erat Princeps; & illam primitus est aggressus, quam cum lucratus esset, venit ad ipsum Iosephus, dicens: Imperator Romanus interiit, & Senatus te in Imperatorem elegit, & cum sic loqueretur, venerunt legati Romanorum, ipsumque in Imperium sublimatum asserunt, & eum Romam deducunt, & ille reliquit Titum filium suum in obsidione Ierusalem. Audiens autem Titus patrem sublimatum, in infirmitatem cecidit, qui cum curatus esset per Iosephum ipsum inuitauit, & in suam amicitiam recepit, & omnes propter ipsum honorauit, qui cum eo venerunt. Ita fecit Princeps ille Pharisæorum Simon, quem Christus summus medicus à lepra curauit. Ideo volens facere ei retributionem & honorem, ipsum inuitauit, secundum quod dicit Euangelium. *Rogabat Iesum quidam Pharisæus*, scilicet Simon leprosus, qui licet fuerat mundatus, tamen, vt ait Hieronymus, adhuc

Exemplum.

Iosephus curat infirmitatem Titi.

reti-

retinuit nomen, vt diceretur leprosus, hic propter beneficia sibi exhibita rogabat Iesum, *vt manducaret cum illo: & ille ingressus domum Pharisæi discubuit.*

C Quærit hic Glossa, quare Dominus rogari voluit, cum tamen ad Zachæum se ipsum inuitauit, dicens, Luc. 19. *Zachæe festinans descende. Respondetur*, quod fideles medici cæteris paribus potius infirmos visitant, quàm sanos, quia *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*, Matth. 9. Sed quia Simon reputauit se sanum, Zachæus autem æstimabat se infirmum, ideo non rogatus venit ad ipsum, & ipse fecit ei conuiuium. Sic Christus multoties venit ad nos, non rogatus, quia summoperè sitit salutem hominum. Ideo dicit Apocal. 3. *Ego sto ad ostium & pulso*, scilicet per infirmitates & admonitiones, *si quis mihi aperuerit, intrabo & cœnabo cum illo.* Et nos debemus ei aperire dicentes: *Ingredere benedicte Domine, quid foris stas?* Gen. 24. Et hoc quo ad primum.

Cur Dominus ad Zachæum non inuitatus venerit.

D Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Aristoteles 1. Meteor. dicit, quòd fontes vel fluuij sic generantur. Nam quandoq; terra est porosa, in quibus poris sunt vapor & aër, qui propter frigiditatem terræ conuertuntur in aquam, quo facto, intrat alius vapor & aër, ne remaneat vacuum, quod & natura non permittit, & sic iterum in aquam conuertuntur, & sic deinceps. Inueniens autem illa aqua exitum per meatus; & si est magna, dicitur fluuius; si parua, tunc fons appellatur. Ita etiam generaliter aqua contritionis in homine peccatore. Nam malus homo, est vtique aliquo modo porosus, hoc est, habet vtique aliquid boni, quia secundum Aristotelem 4. Ethic. Purum malum seipsum destruit. Quod probatur exemplo de Maria Magdalena, quæ fuit mala, quoad statum culpæ, sicut tangit Euangelista dicens: *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Et vt volunt Doctores etiam fornicaria, vt suprà sermone primo. *Sicut exhibuistis*, &c. membro 1. Idem probatur in exemplo.

E Exemplum. Legitur, quod fuit quidem Magister nomine Ioannes de Flandria, & sacræ Theologiæ professor, hic prædicauit Parisiis, eam fore carne non corruptam, qui fuit compulsus per Magistros tanquam erroneum reuocare. Et non mirum, quod fuit talis, quia habuit occasiones ipsam incitantes; nam fuit pulchra, de qua dicit Sapiens Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Fuit & diues & abundans, quæ abundantia occasio est peccati, secundum illud Ezech. 6. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis, & abundantia vini.* Fuit & otiosa, quod etiam est occasio peccatorum: Ideo sequitur in Ezechiele ibidem. *Otium ipsius & filiarum.* Et quamuis ipsa fuit mala, secundum Gregorium, vniuersis vitiis plena, tamen habuit aliquid boni, & hoc fuit, quod sequitur: *Vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisæi attulit alabastrum*, quod secundum Isidorum libr. 16. cap. 5. est genus marmoris, in quo vnguenta seruantur diutius incorrupta. Et hoc genus lapidis ideò portatur, quia secundum Dioscorum dicitur, valere ad amicitiam obtinendam. Sic ipsa per hoc designans, quod amicitiam Christi voluit obtinere. Hoc autem alabastrum impleuit pretioso vnguento, quasi diceret, scio quod habet pedes immundos, quia vadit discalceatus, & habet pedes scissos à vento. Ideò vnge eos, vt citius ad pietatem moueas. Et quia ita fuit porosa, habens in se illud bonum, ideo Spiritus sanctus generauit imbrem fontem q; lacrymarum, quo etiam pedes Iesu lauaret. Quod figuratum est Genes. 2. Vbi legitur, quod *fons ascendebat de terra irrigans vniuersam terræ superficiem.*

Maria Magdalena fuit pulchra. Diues. Otiosa.

Figura.

Et

Et est NOTANDVM, quod Maria Magdalena multò pretiosiora fercula ad conuiuium portabat, quàm Pharisæus. Nam à Pharisæo est inuitatus, Mariæ ferculis saturatus. F

M. Magdalena fercula meliora apposuit Christo, quàm Pharisæus.

PRIMVM ferculum fuit propriæ infirmitatis, & peccatorum cognitio, quod notatur, cum dicit Euangelista: *Vt autem cognouit, quia Iesus accubuisset in domo Simonis leprosi; attulit vnguentum.* Secundum Gloss. Maria deliberauit intra se: Ecce enim tu es peccatrix immundissima, & diu iacuisti in peccatis, vidisti Iesum intrantem in domum Simonis, qui ob hoc venit peccatores saluos facere, & peccata dimittere, & peccatores dulciter recipit, modo obtulit se mihi, certè non recedam ab eo, sed ibo ad eum, & ponam me in manus misericordiæ suæ. Ideò dicit B. Augustinus: Nouit quanto morbo laborauit, & ideò illum ad sanandum esse idoneum, ad quem veniebat, infallibiliter præsumebat. Accessit immunda, & recessit purgata; accessit ægra, & recessit sanata. Ideò nos propriam fragilitatem cognoscamus. Non simus illi de quibus Bernardus in principio meditationum capit 1. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, & semeitipsos deserunt. Accedamus cum Maria ad Christum, quia nobis esse alibi, malum est. Quia dicit Beatus Augustinus in soliloquijs: Scio quia malum est præter te Domine, conferam me ad te, vbi benè mihi sit de te.

I. Peccatorum cognitio.

SECVNDVM fuit confusio, quæ tangitur ibi, *& stans retrò*, non in facie. Talis fuit confusio publicani. Luc. 18. *Hæc est confusio adducens gloriam & gratiam*, Eccli. 4. Ideò super conuiuantes ingressa est, nec propter hos erubuit pœnitere, tamen indignam se considerans, ad pedes retrò stetit, & potuit dicere, Esther 1. *Domine Deus confundor leuare faciem meam ad te, quia multiplices sunt iniquitates meæ.* Hanc erubescentiam debet habere quilibet pœnitens, quia dicit Beatus Augustinus: Laborat pœnitens patiendo erubescentiam, quia magna est pœna, & digna est misericordia. Ideò melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Bernardus in sermone. Melius est nunc erubescere coram paucis, quàm coram multis, Deo, angelis, & hominibus.

II. Confusio.

TERTIVM Ferculum, magna humiliatio, quæ innuitur, ibi; *Secus pedes*, non ad caput. Sed cur se sic humiliauit? quia magnum pondus peccatorum ipsam ad terram ponebat. Secundum Matth. Euangelistam, habuit septem dæmonia, & illa exibant ab ea ante pedes Iesu, iuxta illud Habac. 3. *Egrediatur diabolus ante pedes eius.* Considerauit enim quòd terrena concupierat, & viros incautè inspexerat, ideò per pœnitentiam conterens flebat, vt dicit Gregorius in homilia. G

III. Humiliatio.

Considerauit etiam quod ante conuersionem fuit tenebrosa, frigida, immunda & insipida. Lacryma autem est clara, humida, calida, & salsa, ideò habuit lacrymas claras, vt tenebrosam illuminaret; lacrymas humidas, vt immundam ablueret; calidas, vt frigidam inflammaret; salsam, vt insipidam sale diuinæ sapientiæ condiret. De his lacrymis Chrysostomus: Sicut vehemens imber cum prorumpit, etiam fit serenitas; sic lacrymis effusis, apparet tranquillitas, & perit caligo.

Virtus lacrymarum.

QVARTVM ferculum fuit humilis satisfactio, cum dicit; *Et capillis tersit.* Quia secundum Gregor. capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrymas tergebat.

IV. Satisfactio.

QVINTVM ferculum vehemens Domini dilectio, cum dicitur; *Osculata est* V.

Dilectio. *pedes eius.* Quia vana ore loquendo peccauerat, & superba dixerat, ideò nunc se deuotam exhibebat. Fuit enim hæc osculatio in signum reconciliationis quia fuit Deo inimica, ideò osculabatur pedes Iesu, in signum, quod fuit Deo reconciliata. Illi etiam eum osculantur, qui prius inimini effecti postmodum per pœnitentiam sunt ad pacem reducti.

VI. Eleuatio. SEXTVM ferculum fuit, inenarrabilis eleuatio, cum subditur. *Et vnguento vngebat*, quia multoties se in corpore inunxit, ideò illud nunc Deo exhibuit. Illis ferculis MARIA Christum pauit, licet ipsum Pharisæus inuitauit. Ideò dicit Gregorius in homilia: Ad Pharisæi prandium Dominus discumbebat, & apud pœnitentem Mariam multis epulis delectabatur, apud Pharisæum veritas pascebatur foris, sed apud peccatricem conuersam intus pascebatur. Sed modò nostræ matronæ seipsas magnificantes, habent alium modum confitendi, veniunt enim sine matura deliberatione, & quasi cum risu, nec verecundantur, cum veniunt ad sacerdotem, non se humiliant, sed lateri suo se associant, ac si fabularentur. Et hoc ad secundum.

Modus confitendi quarundam fœminarum.

H Ad TERTIVM ponitur inuitatoris murmuratio, cum additur: *Videns autem Pharisæus, qui vocauit eum, ait intra se: Hic si esset Propheta, &c.* Habuit enim Pharisæus similitudinem captæ, de qua dicit Plinius in spec. natural. quæ vultum habuit placidum, humanum & amabilem, sed intus mordentem, quia semper homini insidiatur, vt ipsum perimat & occidat. Ita ipso Christo in apparentia, placidum & amabilem faciebat vultum, interius autem stimulum detractionis, quia ipsum arguebat, secundum quod dicit Euangelista: *Ait intra se: Si hic esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis*, &c. quasi diceret. Ignarus est, nesciens eam esse peccatricem, quæ tamen est publica meretrix, & eius peccatum tota ciuitas cognoscit. Ideò dicit Augustinus: O Pharisæe Domini inuitator & irrisor, quanta tua præsumptio, quæ reficiendum inficit, non respiciens Mariæ amaritudinem, quæ multo excellentius te eundem pascebat. Contra hunc etiam inuehit. Quod huius mulieris maximè effluunt illi oculi lacrymis, qui quondam effluebant lasciuijs, & nunc conuertuntur ad fletum, qui quondam ad luxuriam, olim capillos composuerat ad decorem, varijs ligaturis aptauerat, vt intuentium prouocaret affectus. Sed ecce spargit eos vndique ac perfundit, & capillis lacrymas tergit, quos in capite delinire solebat vnguentis. Hæc ille.

Luxus in capillorum compositione reprehensus.

Quantum ad QVARTVM ponitur mulieris excusatio, cum dicit Euangelista, *Respondens Iesus*, scilicet ad cogitationem, & se plus quàm Prophetam ostendit, dicens: *Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille: Magister dic. Et dixit Dominus: Duo debitores erant cuidam fœneratori*, id est, vsurario. Iste fœnerator secundum Gloss. significat Christum, qui in baptismo gratiam dat, in iudicio autem requirit eam, tanquam sortem, & bona opera vltra sortem. Ille etiam pro culpa mortali in hac vita perpetrata, & non deleta, exigit pœnam æternam. Isti ergò fœneratori debemus *Primò*, quicquid sumus, 1. Pet. 1. *Empti enim estis precio magno. Secundò*, quicquid habemus secundum illud 1. Corinthiorum 4. *Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* Ideò sequitur: Vnus debebat denarios quingentos, & significat Mariam Magdalenam, qui duplo plus peccauit, quàm Simon, quia scilicet quinquaginta est proportio decupla ad quingenta. Ideò dicit: *Alius*, scilicet Si-

Christus fœnerator.

licet Simon, *debebat quinquaginta denarios, non habentes ergò, unde redderent, donauit utrisq;*, scilicet debitoribus. Quia peccatores non habent, vndè Deo reddant, cum gratiam Dei amiserunt, & consequenter omnia bona, quæ ad vsum debitum receperunt. Possunt enim etiam peccare per se, sed non de peccatis per se resurgere, vt innuit Psal. 77, *Homo est spiritus vadens*, scilicet in peccatum, *& non rediens*, scilicet per se, de peccato. Ideò oportet concurrere misericordem Dei donationem, quod innuit hic: *Donauit vtrisq;*, id est, misericorditer dimisit, *Quis ergo eum plus diligit?* hoc est, diligere debet. *Respondens Simon, dixit: Æstimo quod is, cui plus donauit. At ille respondit, Rectè iudicasti*, quasi diceret, benè respondisti, quod Maria plus me diligit, quàm tu, quia illi plura peccata indulgeo. Gregorius in homilia: Cum sua sententia Pharisæus conuincitur, funem portat, cum quo ligatur. Plus tenebatur peccatrix diligere ex dimisso plus autem Pharisæus ex commisso, quia sibi commissa erat maior conscientia legis. Omnes autem homines tenentur Deum diligere ex dimisso, ex quo *omnes peccauerunt & egent gloria Dei*, ad Rom. 3 saltem omnes prædestinati. Similiter ex commisso, quia commisit vnicuiq; quinq; talenta, Matth. 25. Et sequitur *Conuersus Dominus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem*, quasi diceret, corpore consideras, si non corde. — Sine gratia Dei nemo à peccato surgit.

Et redarguit ipsum ex triplici defectu pietatis, dicens: *Intraui in domum tuam*, sicut humilis ad detractorem; *aquam pedibus*, qui erant fessi, *Non dedisti. Hac autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit*, quasi diceret, sic te in opere pietatis excellit. *Secundò*, redarguit eum ex defectu charitatis dicens: *Osculum mihi non dedisti*, quod est amicitiæ signum, *hac autem ex quo*, hoc est, à tempore, in quo sedi, *non cessauit osculari pedes meos. Tertiò*, redarguit eum ex defectu misericordiæ, dicens: *Oleo caput meum non vnxisti, pedes meos illa vnxit, propterea*, id est, propter opera, quæ mihi exhibuit, & quia se humilem & contritam ostendit, *remittuntur*, id est, dimissa ei ostenduntur *peccata multa, quoniam dilexit multum*, id est, ostendit dilectionis signa multa. *Cui autem minus dimittitur*, id est, Simoni, *minus diligit* quam Maria. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua*, super quo dicit Hieronymus ad Rusticum monachum. Meretrix pedes saluatoris lauat, & crine detergit, & in typo Ecclesiæ meretur audire: Dimittuntur tibi peccata tua, Pharisæi superbia ac iustitia perijt, publicani humilitas peccatorum remissionem meruit. Hæc ille Et *cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se, quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* quia ignorabant ipsum esse verum Deum, sed solum purum hominem iudicabant. *Ideò dixit ad mulierem. Fides tua*, scilicet charitate fundata & firmata, *te saluam fecit, vade in pace.* Rogemus &c. — Christus redarguit Pharisæum ob triplicem defectum. I. I. II. III. IV.

DE SANCTO IACOBO APOSTOLO.

Sermo primus.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, & petens aliquid ab eo, Matth. 20.

Dicunt

A Icunt Naturales, quod arbores, quæ non mouentur per ventum, non faciunt fructum, qui ad mensas possit portari dominorum honorabiliter. Quia secundum Plin. in spec. natur. arbores non motæ vento, illo anno redduntur penitus in fœcundæ, sed eo anno, quod multi perflauerint venti, fertilitas multas arbores comitatur. Cuius ratio est, quia ventis quatiuntur, per quam concussionem fertiles redduntur.

Homo est arbor inuersa.

MORALITER. Per arbores intelliguntur homines, iuxta illud Innocentij lib. 1. de vilitate conditionis humanæ, vbi dicitur. Homo est quædam arbor inuersa; cuius radices sunt crines, truncus est caput cum collo, stipes pectus cum aluo, rami sunt palmæ cum tibijs, frondes sunt digiti cum articulis. Hæc ille. Marc. 8. *Video homines vt arbores.* Hæc arbor non facit fructum æterni regni meritorium, nisi quatiatur vento tribulationis & passionis secundum quod dicit B. Augustinus: Nequaquam ad regnum cœlorum peruenire se iudicet, qui hic in arena tribulata turbedine non conditur tribulatione, nec membra Christi se iudicent, qui caput suum spinis coronatum, in passionibus non sequuntur. Cui consonat Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Quod figuratur Exod. 1. vbi legitur, quod filij Israël, antequam intrarent in terram promissionis, multipliciter fuerunt tribulati à Pharaone in Ægypto. Et hoc non considerabant gloriosi Apostoli & Principes terræ, Iacobus & Ioannes, sed adhuc carnales petebant pro regno, antequam paterentur, & vẽtis tribulationum quaterentur. Ideò responsum est eis. *Nescitis quid petatis? potestis bibere calicem,* &c. quasi diceret, per calicem passionis peruenitis ad gaudium cœlestis regionis: Et hoc dicit Euangelium, in quo principaliter tria describuntur. *Primò,* in discreta petitionis propositio, ibi; *Accessit ad Iesum.* *Secundo,* illius digna reprehensio, ibi; *Nescitis.* *Tertiò,* quibus regnum cœlorum paratur ostensio, ibi; *Sedere autem.*

Figura.

Propositio.

B DE PRIMO est NOTANDVM. Secundum Aristotelem. 1. de animalib. duplicia sunt animalia, aliqua diligunt societatem, vt sunt cerui, & oues. De ceruis dicit Isidorus lib. 12. quando transeunt flumina, simul solent ire & natare, & vt simul maneant, fortiores antecedunt & debiliores humeris se eorum imponunt. De ouibus dicit Aristoteles lib. 8. de animalib⁹. Si remanserit vna sola, & fuerit impregnata, facto tonitru abortit, forsitan præ timore, ideò bonum est, vt in vnum congregentur. Econtrà sunt animalia alia, quæ societatem non diligunt, sicut sunt aquilæ & solitariæ esse volunt & regnare, vt reginæ.

MORALITER. Ita etiam discipuli Christi fuerunt duplices, aliqui diligebant societatem, & tanquam oues timorosæ simul manebant, quales fuerunt illi, de quibus Euangelium dicit: *Audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Illi etiam post passionem Christi erant congregati, *propter metum Iudæorum,* vt habetur Ioann. 20. Alij autem, vt Iacobus & Ioannes, velut aquilæ, societatem fugiebant. Et benè comparantur aquilis, quia sicut aquilæ altius cæteris auibus volant, & maiorem sonum faciunt in volatu, sic illi duo discipuli Iacobus & Ioannes, altius volauerunt, in doctrina, sicut canitur de Ioanne. *Volat auis sine meta.* Et de Iacobo dicit beda super Ioannem, quod tàm altè intonuit, quod si aliquantulum altius intonuisset totus mundus eum capere non potuisset. Ideò dicitur filius tonitrui, ratione sonorosæ prædicationis, qua malos terrebat, pigros excitabat omnes altitudine sua in admiratio-

tionem conuertebat, & ideò dicitur Iacobus maior. Ideò etiam more aquilarum volebant soli cum Christo regnare, nec cum alijs habere societatem. Patet ex illo quod Marci 8. legitur, quod Ioan. & Iacobus filij Zebedæi accesserunt ad Iesum, dicentes; *Magister, volumus quodcunq; petierimus, facias nobis. Quibus dixit: Quid vultis, vt faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.* quia audierunt paulò antè, quod vellet pati, & tertia die resurgere, & ipsum credebant post mortem regnaturum hic. Ideò cupientes præ cæteris ei esse collaterales, informauerunt de petitione matrem, vt pro eis intercederet. Ideò dicit Euangelium: *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis:* Et hæc fuit Maria Salome, quæ, vt ait Chrysostomus, reliquit virum Zebedæum, propter amorem castitatis. Et cum accessisset ad eum, prius adorauit, antequam petitionem proposuit. Quia moris apud antiquos erat, quod quando aliquis ad personam nobilem venit, pro aliquibus petendis, prius ei reuerentiam exhibuit, cadens in terram, sicut legitur 1. Regum 25. Quod prudens Abigail veniens ad Regem Dauid, petitura pro Nabal viro suo, antequam proposuit petitionem, surrexit & adorauit prona in terra, dicens: *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorũ Domini mei.* quo facto, proposuit petitionem. Ita fecit hic mater filiorum Zebedæi, quæ ipsum prius humiliter adorauit, vt ipsam citius exaudiret, & postea petiuit. Ideò sequitur: *Et petens aliquid ab eo.* Sed quia diuitiæ & honores nihil sunt, & adducunt ad nihilum, ipsa autem petiuit aliquid, vt dicit Euangelium. Et dicit Ioannes Chrysostomus super Matth. Non dicimus, quod rectè petierit hæc mulier, sed hoc dicimus, quod non terrena, sed cœlestia filijs suis optabat. Non enim fecit, sicut cæteræ matres, quæ corpora natorum suorum amant, animas autem condemnant; desiderant illos valere in hoc seculo, vt ostendant, quod corporum sint parentes non animarum. *Et subdit.* Æstimato autem, quod hi fratres cum audissent Dominum de passione & resurrectione sua loquentem, cœperunt dicere, eum esse regem, vt fideles. Ecce rex cœlestis ibi, ad regna tartarea, vt regem mortis destruat, cum autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat, nisi regis gloria subsequatur. Ergò quid faciemus fratres, qui non possumus regni ipsius esse participes, scimus quia inuidus non est: qui enim se donauit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia non dubitatur. Ideò submiserunt matrem, quæ si reprehensibilis inueniretur, citius veniam mereretur. Ipse sexus muliebris excusat errorem. Hæc ille.

Sed diceres: Tamen, dictum est suprà, quod discipuli per se ad ipsum accessissent; hic autem dicitur, quod matrem submisissent, ergò cõtrarietas. *Ad hoc respondet* August. in lib. de consensu Euangelistarum, quod mater ex consilio filiorum accessit, & voluntatẽ ipsorũ ad ipsum detulit. Et dicit regula iuris, Extra de regulis iuris, lib. 6. c. Qui facit. Quid aliquid per alium facit, est ac si faceret per se ipsum. Ideò dicit Marc. eos ad Christum accessisse, quanquam mater in veritate accessit, & nõ ipsi; timebant n. ne alios discipulos scandalizarent, tum quia per matrẽ citius impetrarent, tum ne notã ambitionis incurrerent. Ideò accessit mater, dicens, illi: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei*, id est, vt collaterales & maiores sint, *vnus ad dextram tuã, & alius ad sinistram tuam; in regno tuo.* Hic dicit Glossam: Bonum desiderium sed inconsiderata petitio, & ideo non propositum, non voluntas culpatur, sed ignorantia.

C Si impetrare non debet, simplicitas tamen non meretur confundi, quia omnis mater desiderat filijs suis tria, scilicet quietem diuitias, & honorem quod patet in Rebecca Gen. 27. Quæ diligenter laborauit, vt filius eius Iacob primogenita obtineret. Idem patet de Bethsabee 3. Regum 1. vbi sic legitur, senescente Dauid, filius eius Adonias surrexit, viuente patre, dicens: *Ecce regnabo patrem.* Quod audiens mater Salomonis prædicta, accessit ad regẽ Dauid, & procidit ante ipsum reuerentiam sibi exhibendo. *Cui rex. Quid vis, inquit? Ad quem illa: Domine mi rex, tu iurasti mihi per Dominum Deum tuum, quod Salomõ filius tuus regnaret post te, & ipse sederet in solio tuo, & nunc regnat Adonias, te ignorante. Ad te tamen adhuc respiciunt oculi omnium ex Israël, & eligere poteris, quem volueris, qui regnet post te.* Et sic Salomon petitionibus matris regnauit post patrem. Ita fecit hic fidelis mater filiorum Zebedæi, quæ petiuit eis requiem, cum dixit: *Dic vt hi duo filij mei.* honorem cũ addidit: *vnus ad dextram, &c.* Diuitias cum subiungit, *in regno tuo.* Et quamuis Christus petitionem ipsius pro tunc non exaudiuerit, tamen post mortem filiorum exaudiuit. Nã per sinistram vita præsens, per dextram vita æterna designatur. Sedent igitur à sinistris Dei, quia eorum corpora in præsenti vita multam habent gloriam & honorem. Quia de S. Iacobo exponitur illud Isaiæ 11. *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Cuius namque sancti corpus & sepulchrum ita frequenter visitatur & deuotè honoratur, sicut S. Iacobi, qui suis peregrinis & corpus ipsius visitantibus, tam sedulò subuenit & succurrit. Sicut de hoc refert Hugo de S. Victore, quod cuidam peregrino ad S. Iacobum pergenti, diabolus in specie ipsius apparuit, & de præsentis vitæ miseria plurima commemorans, felicem se esse, si ob amorem & honorem ipsius se necaret. Et ille mox gladium arripuit, & protinus se occidit. Et cum ille, in cuius domo hospitatus fuerat, suspectus haberetur, & mori plurimum formidaret, continuò qui mortuus fuerat, surrexit, asserens, quod dum dæmon, qui mortem suaserat, ad supplicium ipsum duxisset, Beatus Iacobus mox occurrit, & ereptum ad thronum iudicis deduxit, & accusantibus dæmonibus, vt vitæ restitueretur, obtinuit. Hæc ille.

Matres desiderant filijs suis quietẽ diuitias & honorem.

Exemplum.

Sedent etiam nunc ad dextris Dei, quia animæ eorum in cœlo beatificantur, ita, vt quilibet eorum dicere possit illud Psal. 131. *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Etiam plus eis Dominus tribuit, quàm mater petijt. Rogauit, vt vnus ad dextrã, & alius ad sinistrã sederet, ideo eorũ corpora tãta gloria illustrantur, & animæ eorum in dextra Domini diuino perfruuntur honore & visione.

Quantum ad Secvndvm est Notandvm. Dicit Commentator libro de impressione aëris, quod serenitatem multam diurni aëris multa tenebrositas & caligo noctis comitatur. Et rationem ponit Fontinus in descriptione vniuersi, quia diei serenæ & calidæ nox succedit frigida ex natura, quod quidem frigus est causa noctis tenebrosæ.

Sic Spiritvaliter post serenitatem prosperitatis & honoris huius mundi vt plurimum sequuntur tenebræ noctis & caligo sempiterna. Quia dicit Origenes: Tamdiu Diabolus hominem illaqueat, quamdiu in honoris appetitu tentat: quod patuit de Salomone, de quo legitur tertio Regum decimo. Quod maximam prosperitatem habuit, & argentum tempore ipsius in tanta erat abundantia, in quanta lapides: & tantum honorem habuit, vt omnes reges à longinquis partibus venirent.

tent, & Regina Saba videre eius honorem. Sed illa prosperitas & honor excellens, in tantum cor eius peruerterat, vt idololatra sit effectus, sequens Deos alienos, propter amorem mulierum, vt habetur tertio Regum vndecimo. Et nunc fortassis hunc honorē secutæ sunt tenebræ sempiternæ. Ideo petiuit Beatus Augustinus libro octauo Confessionum dicens: Peto Domine, omnis honoris mundani facias me expertem, & fac me tuæ gratiæ cohæredem. Idcirco Apostoli credentes cum Iudæis Christum temporaliter regnaturum, secundum quosdam petebant honorem humanū, & mundanum, secundum Chrysostomum. Quia audierunt, quod *super duodecim thronos sedere deberent cum Domino*; quare primatum cathedræ petebant accipere, timuebant enim Petrum sibi præferri. Ideo Christus, qui est cognitor occultorum, non ad verba matris intercedentis, sed ad consilia eorum dixit: Nescitis quid petatis; quasi diceret; Petitis pro honore mundano, vt temporaliter mecum regnetis, sed hunc debetis meritò fugere. An nescitis, quod primatus & honor, desiderantem se fugiat, & deserat, & fugientem comitetur? secundum Chrysostomum: Rectè enim, sicut vmbra quæ insequentem se fugit insequitur autem fugientem. D

Et est SCIENDVM, quod hæc petitio est reprehensibilis in multis. PRIMO, in ordine, in quo erat peruersitas, quia ante meritum petebant præmium, cum tamen secundum Aristot. 4. Ethic. honor præmium sit virtutis. Ideò dixit eis; *Nescitis quid petatis*. quasi diceret, secundum Glossam, sedem gloriæ petitis, quam nondum meruistis. delectat culmen honoris, quod nondum exercuerunt viæ laboris. Nam sicut legitur in gestis Romanorum, ille qui in bello vicit hostes & virtuosè egit, triplicem honorem habuit; *Primus* fuit, quod clypeum rotundum, quo hostes vicit, habuit super eius caput & omnis populus sibi cum lætitia obuiaret. *Secundus* honor, qui fuit sibi exhibitus, quod omnes captiui liberi dimittebantur, & currū eius, post tergum ligatis manib. & pedib. sequebātur. *Tertius* honor, q. victor indutus tunica Iouis rubea, sedebat in curru, quē trahebāt quatuor equi albi, & sic intrauit ciuitatē. Et hunc honorē nullus habuit, nisi victor inimicorū exstitisset. Sic Apostoli non potuerunt habere honorem, nisi subirent laborem. Superatis aūt diabolo & tyrannis, his honoribus sunt honorati, vt patet de hodierno Apostolo, qui hoc triplici honore honoratus est. Nam clypeus rotundus depingitur quasi diadema super caput eius imaginis, in signum, quod viriliter hostes suos superauit. Et hoc habet ortum à victoribus Romanis, quod tales clypei super capita imaginū depinguntur, ipsi autem Apostolo cunctus populus hodiè obuiat cum laudibus & honore, ita vt ei conueniat illud Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*, &c.

Petitio discipulorum fuit reprehensibilis. *I.*

Exemplum.

SECVNDO, honorauit eum Dominus, vt propter suam victoriam omnes captiui, de quibus rogat, liberè dimittantur. Refert Vincentius in spec. histor. lib. 27. cap. 51. Quod temporibus Alphonsi regis Hispaniæ viginti viri Christiani, quorum vnus erat sacerdos, à Saracenis capti sunt, & in vrbe Cæsaraugusta in carcere tenebroso inclusi, diuersorum generum nexibus ligati, qui cum, Deo inspirante, monitu presbyteri Beatum Iacobum inuocauerunt in obscuro carcere, sic eos alloquens refulsit: Ecce adsum quem vocastis. Illi autem ad pedes eius prociderunt, solutis loris, quæ in pedibus suis habebant. Tunc suffuso eius virtutes vnguento, eorum vincula confregit, & ad portas ciuitatis eo duce peruenerunt, eosque ad quoddam castellum Christianorum detulit, & inde visibiliter cœlos ascendit. E

Exemplum.

Aliud. Ad idem recitat Iacobus Ianuensis, quod quidam mercator, à quodam tyranno ſpoliatus iniuſtè, & in cuſtodia tenebatur; qui deuotè ſanctum Iacobum in ſuum auxilium inuocauit, cui vigilantibus cuſtodibus ſanctus Iacobus apparuit, & ad turris ſummitatem perduxit. ſtatimque turris adeò ſe inclinauit, quod ipſius ſummitas æqualis terræ fuit de qua ſine ſaltu deſcendens ſolutus receſſit, quem cuſtodes inſequentes, licet iuxta eum pergerent, tamen ipſum videre non poterant.

TERTIO, ipſum honorauit, quia tunc indutus tunica rubea paſſionis, ſedebat in curru ſui corporis, quem trahebant quatuor alibi equi, ſcilicet cordis puritas, virginalis integritas, obedientiæ pronitas & dilectionis vnitas. His equis hodie ductus eſt, quo ad animam, in cœleſtis patriæ ciuitatem. Ita vt benè dicere poſſet illud Pſal. 121. *In domum Domini latantes ibimus.*

II. SECVNDO, hæc petitio fuit reprehenſibilis, in intentione, in qua erat carnalitas, quia reputabant ſe ex ſola cognatione ius regni obtinere, quod tamen non eſt, quia dicitur Matthæi octauo: *Amen dico vobis, quod multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur foras.* Et Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ideo dixit. *Neſcitis, quid petatis.* quaſi diceret, deſideratis quod debeo vobis dare regnum meum, quia eſtis mei conſobrini, ſed ſcire debetis, quia regnum non datur ratione parentelæ, ſed datur merentibus virtutum exercitio vel poſſeſſionis merito. Ideo dixit; *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* quaſi diceret: Ego per ignominiam paſſionis intraturus ſum in gloriam reſurrections, iuxta illud Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* ſi vultis conregnare, compati etiam nolite recuſare. Quia dicit Petrus Damiani. Per bellum peruenitur ad pacem, per laborem tranſitur ad gloriam. Non enim eſt ſine pugna victoria, nec abſque victoria venitur ad coronam. Sed illud eſt contra multos in hoc mundo homines delitioſos, qui nihil volunt pati in hoc mundo, neque in ieiunijs, neque in caſtigationibus corporis, ſed ſemper pleni eſſe, & in lectis mollibus dormire. Sed audiant tales beatum Hieronynum dicentem. Vis regnare cum Chriſto? Si Dominum Chriſtum oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam, quam fiduciam nos habemus intrare ſine labore. O quàm ſtulti ſumus, nolumus hîc gaudere cum ſeculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Nudus Dominus ingreditur, ſeruus ſuperfluitate onuſtus veſtibus auro & gemmis intrabit? Ille ieiunijs, iſte crapula & luxuria plenus. Ille in cruce pro nobis moriens, iſte eſt in lecto pretioſo & delicato dormiens. Hæc ille.

Audientes autem hi duo Apoſtoli, quod abſque paſſione non poſſent cum Chriſto regnare, interrogante ipſo, an poſſint bibere calicem paſſionis: *Dicunt ei Poſſumus.* ſed ſecundum Gloſſam, loquuntur ſicut in experti fragilitatis propriæ, quam fugientes à Domino oſtenderunt. ſicut habetur Matth. 26. *Relicto eo omnes fugerunt.* quia in expertis non apparet terribile, quod expertis neceſſarium eſt timere. Confirmauit tamen Dominus verbum eorum, dicens: *Calicem*, id eſt, martyrium *bibetis*, quaſi diceret, tu Iacobe gladio moriendo, tu vero Ioannes in feruenti oleo bulliendo.

F Calix Dei duplex eſt. Circa quod vlterius eſt NOTANDVM, duplex eſt calix Dei, ſcilicet pœna temporalis, & æternæ beatitudinis. PRIMVM, bibit Chriſtus à tempore natiuitatis, quo

quo positus est à matre in præsepio, ita vt dicere possit illud Psalm. 87. *Quoniam ego in laboribus sum à iuuentute mea.* Hunc propinauit matri suæ. quia statim nato filio anxia fuit, ne ab Herode occideretur, fugiens in Ægyptum. Matth. 2. Et perdito filio in templo, cum dolore ipsum quæsiuit; & sub cruce omnem passionem mentaliter sustinuit, quam Christus corporaliter, ita vt gladius doloris, eius *animam pertransiret.* Lucæ 2. Hunc calicem propinauit Apostolis, qui diuersa passi sunt tormenta, iuxta illud Actorum 5. *Ibant Apostoli gaudentes,* &c. & specialiter hi duo Apostoli Iacobus & Ioannes. Nam Iacobus ab Herode est occisus, sicut patet Act. 12. *Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia, occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Ioannes autem à Domitiano in insulam Pathmos est relegatus. Ideo dixit Dominus: *Calicem quidem meum bibetis,* Hunc etiam propinauit Martyribus, de quibus dicit Apostolus ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* & subditur. *Ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt secti sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Istum calicem propinauit Confessoribus. Ideo ibidem Apostolus: *Circumierunt in melotis & pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Hunc propinauit Virginibus, vt patet Ierem. 49. *Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem,* id est qui non meruerunt affligi, *bibentes, biberunt.* Hunc demũ propinauit cunctis gentibus, iuxta illud Iere. 25. *Sume calicem vini furoris,* scil. afflictionis huius temporalis *de manu mea, & propinabis de eo cunctis gentibus.* Et sequitur infrà. *Cumq; noluerint sumere calicem de manu tua,* scilicet temporalis pœnæ, *dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis,* scilicet calicem pœnæ æternalis. Ideo dicit Gregorius in moralibus: Electus quisque vt æterna supplicia euadat, & perennem gloriam ascendat, debet hic assiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio valeat purgatus inueniri.

I. Calix pœnæ temporalis.

Ioannes Apostolus in Pathmos relegatur.

Calix martyrum.

Confessorũ.

Virginum.

Omnium gentium.

SECVNDVS calix est beatitudinis æternalis, de quo propinat eis dulcedinẽ iucunditatis æternæ. Hic calix semel bibitus, facit obliuisci omnes labores, & tristitiam præteritam. Quia dicit deuotus Doctor Amandus lib. 1. cap. 13. Tribulatio cum præsens est, mœstitiam præstat, cum autem præterijt, & mœstitia scilicet victa fuerit, summè lætificat, breuem habet amaritudinem & longam consolationem. Hæc ille. Ibi tunc impletur illud Sapientis: *Date siceram mœrentibus, & vinum,* scilicet consolationis, *his qui amaro sunt corde,* Prouerb. 31. Hunc calicem biberunt hi duo Apostoli Iacobus & Ioannes, qui inebrians est & præclarus.

II. Calix beatitudinis æternæ.

TERTIO, fuit reprehensibilis hæc petitio in veritate, quia æstimabant in regno Christi aliquid sinistrum, cum tamen omnes regni sui incolæ ad dexteram statuentur, iuxta illud Matth. 25. *Statuet quidem oues ad dexteram, hœdos autem ad sinistram.* Super quo dicit Chrysostomus in homilia; *Nescitis quid petatis.* Audistis me referentem. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ* ponet oues ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram, dicens sinistris: *Discedite à me maledicti in ignem æternũ,* quomodo vultis vt sedeat ad dexteram, & alius ad sinistram. Ideo forsitan per mulierem res agebatur. Vidit enim diabolus, quia per hoc aduersus eos agere volebat, conuertit se ad consueta arma, scilicet ad mulierem, vt sicut Adam per mulierem spoliauit, ita istos à Christo separaret per matrem. Nam etsi mater erat, tamen & mulier erat, propter quod, etsi affectus eius dulcis erat quasi matris, intellectus tamen eius nociuus erat quasi mulieris. Sed tamen non potuit per mulierem perditio in-

III. Petitio matris reprehẽsibilis fuit in veritate.

troire in istos sanctos, ex quo de muliere salus cunctorum processit. Intelligere ergo debemus, vt & nos non aliquid à Deo petamus, quod nos bonum esse iudicamus sed rationem in eius potestatem ponamus, vt & illud verbis concedat, quod nobis expedire ipse cognoscit. Hæc Chrysostomus. Et hoc quo ad secundum.

Quantum ad TERTIVM principale, ostenditur, quibus regnum cœlorum paratur, cum subditur. *Sedere autem à dextris*, &c. non pertinet ad me, vt vobis dem sedere circa me, quia nondum estis humiliati, & adhuc carnalia sentitis. Nam in regno meo superbia non habet locum cum Lucifer omnium angelorum pulcherrimus superbiens, de cœlo est detrusus. Sicut dicitur Ezechielis 28. *Eleuasti cor tuum in decore tuo, in terram proieci te.* Quomodo ergo nos de terra illic vultis per superbiam ascendere. Ideo dicit; *Non est meum dare vobis* superbis sicut vos adhuc estis *sed alijs*, scilicet humilibus, *quibus paratum est à Patre meo*, secundum prædestinationem. Vel aliter secundum Glossam: Regnum cœlorum non est dantis, sed recipientis. Non enim est personarum acceptatio apud Dominum, sed quicunq; dignus est, accipit quod personæ non est paratum, sed vitæ. Si itaque tales estis, sicut pater parauit, tunc accipietis.

G — Regnum cœlorũ quinq; hominũ generibus paratum est.

Est tamen NOTANDVM, quod regnum cœlorum paratum est quintuplicibus generibus hominum. PRIMÕ, innocentibus, tanquam veris hæredibus; sicut pueris baptizatis qui si discesserint post baptismum, statim euolant & saluantur. In signum illius, Christo baptizato, vidit Ioannes, quod cæli aperti sunt, & spiritum sanctum descendentem, & vox patris audita est. *Hic est filius meus dilectus*, Matthæi 3. De illo etiam dicit Christus Matth. vltimo *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et de his dicit Psal. 24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* Maledictæ igitur sunt omnes matres, pueros suos ante baptismum iugulantes, & tali gloria & hæreditate eos priuantes. Vt sunt virgines in crinilibus siue sertis incedentes, fornicationibus autem varijs deturpatæ, & meretricibus per omnia simulatæ, in capite ornatæ crinilibus, in actu autẽ comparatæ sunt publicis meretricibus. Et audeo dicere, quod deteriores sunt meretricibus, quæ quidem publicæ peccant, & si fructum cum suis amatoribus habuerint, tamen non necant, quia non verecundantur; Istæ autẽ peccant occultè, & nolunt fecisse, ideò fructus suos strangulant & occidunt, ne eorũ nephas percipiatur, Et fortassis raro illud confitentur ne caput tegere cogantur. Tales crudeliores sunt omnibus animalibus quæ secundũ naturales, feras à se genitas affectione naturali diligunt, & ne ab alijs ocidantur, in quantum possunt, defendunt, & nutriunt & educant preter scropham, quæ interdum fœtus suos deuorat & occidit, vt dicit Solinus in lib. de mirabilibus mundi. Et illud scripsit tanquã mirabile & crudele, quod est preter solitum morem aliorum animalium, fœtus necare. Sed his sunt hæ mulieres pessimæ sæuiores: ista caret ratione, illę autẽ decoratæ sunt lumine rationis, quamuis eâ abutantur. Ideo de talibus dicit Sapiens: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua* Prouerb. 11. Quia tanquam stultissimæ pulchritudine sua abutuntur, & se in lutum luxuriæ velut sus deijciunt, & prosternunt.

I. Innocentib.

Contra iugulantes infantes suos.

Istæ etiam criminosiores sunt omnibus homicidis, qui solum corpus occidunt animam autem occidere non possunt. Istæ autem animam cum corpore occidunt, & ignibus æternis puniendis tradunt, & transmittunt. Quod probat Augustinus de fide ad Petrum; & ponitur in canone de consecratione distinct. 4. cap. Firmissimè vbi

vbi dicitur, Firmissimè tene, quod non solùm homines ratione vigentes, verùm etiam paruulos, qui siue in vtero matris viuere incipiunt, & ibi moriuntur. Glossa. per potagia, quibus illæ pessimæ mulieres vtuntur, fœtum in vtero occidentes, siue iam de matribus natum, si sine Sacramento Baptismi quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt sempiterna igne puniendos. Glossa dicit, quia erunt in tenebris non quod pœna sensus puniantur, sed duntaxat damni, quemadmodum determinat Beatus Thomas in 4. distinct. 1. in solutione primi argumenti. Similiter Petrus de Palude idem sentit. *Et subdit*: Quia etsi peccatum actionis propriæ nullum habent, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex natiuitate traxerunt. Et plus dicit Augustinus: Nam in die iudicij pueri decedentes sine baptismo, vel stabunt à dextris Christi, vel à sinistris. Non à dextris, quia sic irent ad regnum cœlorum. Cuius oppositum dicit Christus, Ioan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabunt in regnum cœlorum.* Igitur stabunt à sinistris, & consequenter ibunt in ignem æternum, quia in vltimo iudicio via media non signatur. Hæc ille.

Paruuli decedentes sine baptismo habebunt pœnam damni tantum.

Ex qua auctoritate patet, quod paruuli sic decedentes sine Baptismo, non solum puniantur æternaliter pœna damni, scilicet carentia visionis beatificæ sed etiam pœna sensus. Idem dicit Hugo Cardinalis, quod puniantur diuersis tormentis, minus tamen punientur, quàm illi, qui peccata actualia commiserunt quia hæc est pœna mitissima, vt dicit Augustinus in libro de baptismo paruulorum cap. 3. & habetur de consec. dist. 4. cap. Regenerante. In qua tamen dicit Augustinus, mallet se sic esse, quàm non esse, & dicit ibidem Glossa, quod pœna dicitur minutissima, non ideo, quod non posset esse minor sed in comparatione ad alias pœnas, quas qui in peccato mortali decedunt, sustinebunt. & certum est, quod non intellexit de pœna damni, qui illa est æqualis vtrobique, ergo de pœna intelligendum est sensus.

Obiectio.

Sed diceres: Tamen decretalis dicit, Extra de baptismo & eius effectu, in cap. Maiores Pœna originalis peccati est coæterna Dei visionis carentia, pœna verò actualis peccati, est gehennæ perpetuus cruciatus. *Respondet* Augustinus de fide ad Petrum quod decretalis non intendit dicere, quod priuatio diuinæ visionis, est sola pœna qua paruuli puniuntur sine baptismo decedentes, quia pœnā sensus, nō negat sicut non negat pœnam damni in damnatis, cū dicit eos subire gehennæ cruciatus. Si tamē hoc intēderet decretalis, tunc Glossa illa, quæ diceret, quod pœna paruulorū est minutissima, contra diceret textui. Sed non loquitur Glossa de pœna damni, quæ in omnibus æqualis est, igitur de pœna sensus, & istam pœnam patiuntur omnes, qui non fuerunt à peccato originali per baptismum fluminis, & sanguinis & flaminis, liberati.

Responsio.

Ecce ad quantam miseriam producunt istæ infelices mulieres fructus vteri sui. Et si isti innocentes pueri quia peccata actualiter nō commiserunt, ita punientur, quanto magis illæ diabolicæ matres tradentur æternis ignibus cruciandæ. Non tamen hæc dico, quod non possint de hoc grandi crimine pœnitere cum aliàs obstaculum ponerem diuinę pietati, sed motus compassione super innocentum iugulatione paruulorum, quæ prò dolor his temporibus est communis, & super damnatione eorum, hæc inserui, vt videant hæ maleuolæ quantam inhumanitatem exerceant in suis pueris vterinis, quam non exercent animalia carentia vsu rationis.

Sed

Sed tamen si tales mulieres volunt condignè pœnitere, consuluit eis Papa III. Alexander, vt intrent religionem, in qua peccata sua perpetuò deplorent vt habetur Extra de his qui filios occidunt. cap. veniens. Si autem repugnante carnis fragilitate ad hoc induci non poterunt, nubendi eis licentia tribuatur, quia tutius videtur, vt in Domino nubant vni soli, quàm in honestè multos admittant, vt dicit idem Canon allegatus. Et dicitur 33. q. 3. cap. In adolescentia. Si non esset præsumptio de ipsius incontinentia, non daretur ei licentia contrahendi propter crimen suum. Sed tamen ipsis alia grauis pœnitentia iniungitur, quæ exprimitur Extra de his qui filios occidunt cap. Intelleximus, vbi dicitur. Mulier, quæ fornicata fuerit, & partum suum viuum occiderit, decem annos debet pœnitere, tamen potest moderari, secundum arbitrium sacerdotis. Hoc potest pro correctione recitari, si viderit expedire.

Pœna iugulantium filios suos.

II.

Regnum cœlorum paratũ est pœnitentibus.

SECVNDÒ, regnum cœlorum est paratum pœnitentibus, quamuis enim pauci sunt, qui in innocentia maneant baptismali, ideò secundum Hieronymum, & ponitur de pœnit. dist. 1. cap. Secunda tabula. Si quis vestem innocentiæ maculauerit, pœnitentiæ remedio, potest reparare. Ideo dicit Dominus Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* quasi diceret, quod elongatum est à vobis per peccati stultitiam, appropinquabit per peccati pœnitentiam ac prudentiam. Quod figuratum fuit in rege Nabuchodonosor Danielis 4. Quia per suam stultitiam & superbiam, quando dixit: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna quam ego ædificaui in domum regiam in robore fortitudinis meæ?* depulsus fuit de regno suo septem mensibus: Sed postea reuocatus per Danielem, & vsq; ad finem septem annorum egit pœnitentiam: & neq; panem, neque carnem comedens, neq; vinum bibens, sed leguminibus & herbis vsus fuit. Quà pœnitentia finita restitutus est in regnum suum, & nunc habet regnum cum Christo sempiternum. Quod probat Augustinus, & ponitur in can. 23. q. 4. Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam. *Et subdit.* Nónne etiam post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rursum accepit? Hæc ille.

Figura.

Ita etiam isti duo Apostoli Iacobus & Ioannes per superbiam, qua inflati erant, super alios, volentes regnare, elongatum fuit ab eis regnum, quando dixit eis Iesus: *Sedere ad dexteram meam, & sinistram meam, non est meum dare vobis*, scilicet superbis. Illis autem pœnitentibus, petitionem impleuit, ipsosq; sedere ad dextram fecit, & ad sinistram, sicut hoc declarat sanctus Ambrosius, dicens: Apostoli sederunt à sinistris, quando officio Apostolatus præsiderunt, nunc autem sedent à dextris, quia de præsenti visione sui conditoris lætantur, quorum vtrumque datum est à Christo. Hæc Ambrosius. Vel etiam acceperunt quod petierunt, quia regnum Christi etiam vno modo est Ecclesia militans, iuxta illud Matth. 13. *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum.* Cuius quidem regni sinistrum est martyrium, dextrum autem pax & tranquillitas. Iacobo venit sinistrũ, quia martyrium pertullit, Actorum 12. *Occidit Herodes fratrem Ioannis gladio.* Ioannes autem dextrum tenuit, quia sine martyrij morte in pace requieuit vt habetur Ioann. 21. *Sic eum volo manere donec veniam.*

Ecclesia militans regnũ Christi.

III.

Regnum cœlorum

TERTIÒ, regnum cœlorum paratum est pugnantibus, iuxta illud quod canitur de Apostolis: *Estote fortes.* Et hi sunt martyres, qui pro Christo patiuntur. de quibus dicitur Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* In signum illius,

illius, Stephanus passus à Iudæis, *vidit cælos apertos, & Iesum stantem* & expectantem Actor. 7. Ideò dicit Augustinus, & habetur 23. q. 6. c. Omnium. Si quis fidelium moritur in certamine, quod contra infideles geritur, cœleste regnum promeretur. Illo modo B. Iacobus promeruit regnum cœlorum, quia pugnauit cum triplici hoste, scil. diabolo, quem vicit per fidem, secundum illud quod dicitur 1. Petr. 5. *Diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Secundo,*
pugnauit cum Hermogene sortilego, siue Mago, quem vicit per diuinam sapientiam, 1.
ita vt artem magicam dimitteret, & sibi in fide adhæreret, dicens: O liberator anima- 2.
rum suscipe nunc pœnitentem, quem hactenus sustinuisti detrahentem. *Tertiò*, pu- 3.
gnauit cum Herode maleuolo, quem vicit per patientiam quia mortem ab eo patienter perpessus est. Ideò hodiè meritò est coronatus, & cum Christo in throno gloriæ collocatus. Iuxta illud Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* & sic nunc impletum est, quod petiuit mater, vt sederent secum in regno suo.

paratum est pugnantibus.

S. Iacobus pugnauit cum triplici hoste.

IV. Regnum cœlorum paratum est pauperibus.

QVARTÒ, paratum est regnum cœlorum pauperibus, tanquam Christi imitatoribus. ideò dicit Augustinus in lib. soliloq. Ecce Domine, pauperes filij tui sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis ianuas tuas, & *edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirent eum*. Psal. 21. Scio Domine, & per me fateor, quoniam soli qui cognoscunt se pauperes, ditabuntur. Hæc ille. Quia secundum Gregorium 18. moralium; Cum deest terrena substantia, liberius ad patriam tendimus, quia quasi in via pondere caremus. Isto modo etiam B. Iacobus meruit regnum, quia propter Christum pauper fuit, sequens ipsum, quia legitur Matth. 4. quod *Iesus ambulans iuxta mare Galilaæ, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt Dominum.* Super quo dicit Nicolaus de Lyra: Per hoc ostenditur, quod perfecti imitatores Christi erant, quia relictis retibus possessis, & etiam parentibus, quantum ad carnalem affectum, animo prompto secuti sunt eum. Ideò meruerunt audire illud Matth. 19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim*, &c.

V. Cœlum paratum est misericordibus.

QVINTÒ, regnum cœlorum paratum est misericordibus, ideò dicit Gregorius Nazianzenus in commentario Psalmorum. De nulla re sic vincitur inimicus, quàm cum misericordes sumus. *Et subdit.* In quo inuentum fuerit opus misericordiæ, & si habuerit aliquid, de quo in iudicio punitur, tanquam vnda, misericordia peccatum exstinguetur. Hæc ille. Ista misericordia B. Iacobus regnum cœlorum meruit. Quia secundum Rabanum super Matthæum: Qui esurientem pane verbo reficit, & sitientem potu sapientiæ refrigerat, & errantem in domum patris reuocat, innocentem protegit, infirmum in fide instruit, oppressis tribulatione subuenit compatiendo, veram misericordiam implet. Et hæc omnia B. Iacobus excellenter adimpleuit, vt habetur in Legenda.

DE SANCTO IACOBO APOSTOLO.

Sermo Secundus.

In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.
Ita scribitur Gen. 32.


A ICVNT naturales, hirundo est illius naturæ, quando tempus hyemis appropinquat, ad loca calida se transfert, in quo per hyemem manet. Accedente aũt tempore veris, iterato se transferre solet ad regiones nostras, sed antequam venit, oportet ipsam mare transire, in quo pro baculo tali vtitur cautela, quod vna ala natat, aliam pro velo erigit, vt sic securè per fretum veniat. Cum autem ad nos peruenerit, ouificat & producit pullos, vt sic duplicato fructu ad calidas reuertatur regiones.

Figura. SPIRITVALITER autem per hirundinem B. Iacobus designatur. Rectè, sicut hirundo est auis casta, quia secundum Aristotelem libro sexto de animalibus, non coit in anno neque ouificat, nisi semel, & si bis ouat, prima oua corrumpuntur propter hyemem, sed solum posteriora complentur, & faciunt pullos. Ita B. Iacobus castus & mundus fuit, tam munditia animæ, quàm corporis. Et figuratus est per thronum eburneum, quem vidit Ioannes in Apocal. qui erat vestitus auro, & ornatus lapide pretioso, & rex sedebat super eum.

Per ebur, quod naturaliter est frigidum, significatur sua castitas, quam creditur à iuuentute sua conseruasse, vt dicere posset illud Tobiæ 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia* scilicet carnalis libidinis. Hic thronus erat vestitus auro charitatis, erga Deum & proximum. Quod autem habuerit dilectionem erga Deum, patet, quia Samaritani, qui Christum non receperunt Iacobus & Ioannes ex zelo magno, quo dilexerunt, voluerunt *vt ignis* ad modum Heliæ *descenderet de cœlo*, & consumeret illos, tanquam eius contemptores. Lucæ 9. Quod habuit dilectionem erga proximum, patet: quia multum laborauit in domo DEI, vt fideles CHRISTO vndique congregaret, vt conuenienter dicere posset; *Zelus domus tuæ comedit me*, Psal. 68.

Dilectio Iacobi erga Deum.

Erga proximum.

Iste thronus etiam erat ornatus lapidibus pretiosis virtutum. Erat enim ornatus fide Abraham, de quo dicitur; *Credidit Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam*, quia ipse Iacobus vocanti Christo credidit & relictis omnibus, secutus est eum, Matth. 4. Fuit fulcitus victoria Iacobus, quia vicit Diabolum, vt dicere posset illud Genes. 27. *Rectè vocatum est nomen eius Iacob, quia supplantauit me en altera vice.* Erat præditus mititate Moysi, quia mitis erat reddens bona pro malis, vt patet de Hermogene in Legenda, quatenus impleret doctrinam, Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos persequuntur.* Fuit stipatus sapientia Salomonis, quia fuit ipse cum fratre suo, qui specialiter à Domino discere voluit de die iudicij & venturis, Matth. 24. Ecce quàm benè ornatus fuit ille thronus. Ideo Christus sedebat super eum, qui in castis quiescere & mundis delectabatur cordibus, secundum quod dicit Plato in Phedrone. Vbi puritas, in ipsa vera diuinitas, atq; ea quæ diuinitatis sunt approbantur.

B Et propter illam immunditiam & castitatem hirundini comparatur, quæ secundum naturales locum suum tenet mundum, & adhoc instruit pullos suos stercora eiicere extra nidum. Ita ipse vbicunque prædicauit, loca fecit munda peccatores conuertendo, de hominibus dæmones expellendo, Magos deuincendo, & diuinam voluntatem tanquam alam vnam dexteram erigendo, ratione autem velut altera ala in hoc Iordane se regendo, & tanquam baculo vtendo. Et qui iuit solus ad prædicandum, completo cursu cum duabus turmis ingressus est, quia velut verbo multos præmonuit

monuit seruare castitatem, ita & exemplo sui martyrij multos secum traxit; sicut Iosiam, Hermogenem, ita vt posset dicere prædicta verba thematis: *In baculo meo, &c.* In quibus verbis à tribus commendatur. *Primò*, de actu suæ acerbæ pœnalitatis, ibi; *In baculo meo. Secundo*, de transitu præsentis mortalitatis, ibi; *Transiui Iordanē istum*, *Tertiò*, de glorioso reditu æternæ iucunditatis, ibi; *Et nunc*. I

De PRIMO est NOTANDVM. Rosa crescens inter spinas acutissimas, est inter illas quasi peregrina, non enim cum illis communicat, cum illæ sint pungentes, illa autem sine stimulo, tamen à spinis pungitur, & ab eis sustinet passiones. C S. Iacobus comparatus rosæ inter spinas.

MORALITER. Per rosam intelliguntur viri iusti, & specialiter hic iustus Apostolus Iacobus. Nam dicit Plinius in spec. nat. lib. 2. c. 19. Quod rosa decocta in aqua cœlesti vel pluuiali, omnem fluxum ex calida causa sedat, & puluis eius sedat sanguinem de naribus profluentem, & desiccat consumitq; putredinum humorem. Ita B. Iacobus tanquam rosa decoctus in aqua cœlestis sapientiæ & potatus, secundum illud Eccli. 15. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum*, multorum hominum sedauit fluxum peccatorum, vt patet de Phileto. Hermogene & Iosia, in quibus sanguinem peccatorum desiccauit, & humorem putredinum expurgauit, vt dicere possit illud Isaia 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas*, quia multorum hominum peccata deleuit prece sua: & vtinam nostra deleret peccamina, sicut fecit quidam, de quo refert Iacobus Ianuensis. I.

Cum quidam pictor enorme peccatum & plurimum detestabile commisisset; vt Episcopus ipsum absoluere timuisset, illum cum schedula, in qua scriptum erat hoc peccatum, ad sanctum Iacobum misit. Cum ergò in Festo eiusdem schedulam super altare posuisset, vt suis meritis peccata sua deleret, exorasset, schedulam postmodum aperuit, & peccatum deletum inuenit. Hic, inquam, Apostolus, velut rosa inter spinas creuit, scilicet peccatorum, & stimulantium Iudæorum, inter quos fuit peregrinus, sicut ipse depingitur cum pera & baculo, sicut solent ire peregrini. Ideo dicit: *In baculo meo transiui Iordanem*. D Exemplum.

Circa quod NOTANDVM, sicut rosa exoritur. PRIMÒ, inter spinas, tanquam peregrina, in suo stipite nullam conuenientiam cum eis habendo nec naturam. Ita B. Iacobus inter Iudæos exortus est peregrinus, & in baculo laboriosæ prædicationis transiuit Iordanem præsentis pœnalitatis. Et benè dicitur peregrinus, quia videmus, quod peregrini, qui volunt ambulare Ierusalem siue Romam, omnia pondera grauantia, & deprimentia à se deponunt, vt agiles fiant, & solummodo necessaria secum sumunt. Sic B. Iacobus tanquam peregrinus, volens ire ad cœlestem Ierusalem, omnem terrenam substantiam domi dimisit apud patrem, Matt. 4. cum Dominus eum vocauit cum fratre suo carissimo Ioanne ad statum peregrinationis, statim omnia dimisit scilicet nauem, rete, & patrem, secutus est Iesum. I.

Quod tractans Chrysostomus super Matthæum: dicens; Tria sunt quæ relinquere debent, qui ad Christum voluerint ire, scilicet actus carnales, qui per retia signantur: *seculum, & res mundiales*, quæ per nauem: & *parentes*, quæ per patrem notantur. Reliquerunt ergò nauem, vt fierent Ecclesiæ nauis gubernatores. Reliquerunt retia, vt iam non afferrent pisces ad ciuitatem terrenam, sed homines ad cœlestem patriam, Reliquerunt vnum carnalem patrē, vt spirituales patres omniūm fierent, Christum sequi volentes, tria relinquere debent.

fierent. Hæc Chrysostomus. Ecce verum peregrinum, qui omnia reliquit, & nihil quod ipsum aggrauaret, secum sumpsit Iacob. Genesis 28. & 33. Qui transiens
Figura. peregrè in Mesopotamiam ad Laban, omnia dimisit. patrem & matrem, nec habuit animal, nec famulum, sed in baculo Iordanem transiuit, & volens requiescere, lectum non habuit, sed lapidem supponens capiti, sic dormiuit. Ita beatus Iacobus reliquit patrem, nec portauit aurum, vel argentum, sed in solo baculo transiuit præsentem mundum. Nam audiuit à Christo, Matthæi decimo. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Nos enim omnes in hoc mundo sumus peregrini, quia dicit Chrysostomus super Matthæum: Via est per quam omnes transeunt, qui nascuntur, via & peregrinatio est qui intelligunt, quod à Deo exiuerunt, & ad Devm festinent. Hæc ille. Et Apostolus ad Hebræos 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Ideo exemplo beati Iacobi, qui de nullo sollicitus erat, nisi de necessariis ad victum, alia omnia relinquendo, & nos superflua reiicere debemus, ne grauemur in via, secundum consilium Apostoli. *Deponentes omne pondus.* Ad Hebræos duodecimo. Et solum necessariis contenti esse, iuxta illud 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Quia dicit beatus Augustinus in libr. soliloq. Valde ratum est, vt qui diuitias possident, ad requiem tendant, qui rebus terrenis se implicant, & eis amore se sociat, qui in rerum temporalium amore defiguntur, in Deo nullatenus delectantur. Nemo potest amplecti gloriam Dei & diuitias simul & semel. Hæc ille. Ideo petiuit etiam rex Salomon, Prouerb. 31. *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, tantum victui meo tribue necessaria.*

II. Secvndò, sicut rosa pertransit spinas vndique aculeis castigata. Ita beatus Iacobus statum præsentis miseriæ, vbi sunt diuersæ puncturæ, transiuit baculo vigorosæ castigationis, iugiter corpus suum prædicationibus suis, vigiliis, ieiuniis, macerauit: ita vt dicere posset cum Apostolo 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem iterum redigo.*

E

Abstinentiæ vtilitates. Hic sanctus Iacobus attendit dictum Sidonij: Abstinentia vitam prolongat, castitatem conseruat, Deum placat, Dæmones expugnat, vitia domat, cor ipsum amore Dei inflammat. Et hoc est contra multos, qui libenter vellent cum Apostolo coronari, sed nolunt secum castigari, volentes semper viuere in crapula, & rarò ieiunare. Sed dicit Poëta.

Dulcia sunt castra, sed sic non itur ad astra.

Castigatus est etiam beatus Iacobus variis pœnis, aliquando flagellatus vt patet Actorum 5. cum aliis Apostolis, de quibus dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes.* Interdum carceratus, vt habetur ibidem: *Et iniecerunt manus in eos, & posuerunt in custodiam publicam.* Quod est contra multos, qui pati nolunt libenter aduersa, & pœnas corporales, & si eis euenerint castigationes, tristantur, cum potius deberent gaudere, secundum illud Augustini. Gaudeat Christianus in aduersis, quia hic probatur, an sit iustus, aut peccator. Contristatur sanè, quem flagella corrigere non possunt, timeat supplicium futurum qui prius iudicis contempserat remedium, gaudeat peccator, cum in isto seculo contristatur, vt post seculum cum Christo remuneretur. Hæc ille.

Ter-

TERTIÒ, rosa transit per spinas, ab eis quæ patitur, & tandem suffocatur: Ita Beatus Iacobus transiuit per puncturas præsentis mundi in baculo passionis dolorosæ, quod prædixit sibi & fratri suo Ioanni Christus, Matthæi 20. *Calicem meum*, id est, passionem amaram, *bibetis*, sicut præsertim patet de Iacobo, qui ab Herode & à Iudæis punctus fuit, quod tandem ipsum gladio suffocauit. Actor. 12. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Et hoc quo ad primum. III.

Quantum ad SECVNDVM de transitu mortalitatis commendatur, cum dicitur; *Transiui Iordanem*, vbi sciendum secundum Isidor. lib. 13 quod Iordanis est fluuius, qui nascitur sub Libano in Oriente, & tandem per multos circuitus iuxta Iericho in mare mortuum influit, quod ipsum absorbet penitus & consumit. Hic fluui⁹ significat mundum & homines in eo contentos, qui rectè sicut ille fluuius semper transit, sic mundus continuè transit, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Transit mundus*, id est, homines mundani, *& concupiscentia eius*, quia omnes homines fluunt in mortem, quæ est tanquam mare mortuum, nihil viuere permittens. Ideò dicitur 2. Reg 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Cui dicto consonat Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* quasi diceret, nullus. Quia secundum Apostolum ad Heb. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Ideò mendax fuit diabolus, qui dixit ad primos parentes: *Nequaquam moriemini*, Gen. 3. Dixisset quidem verum, si illi in innocentia perstitissent, secundum quod dicitur de consec. dist. 4. c. Placuit. vbi dicitur: Quicunq; dixerit. Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret siue non, moreretur in corpore, non peccati meritò, sed necessitate naturæ, anathema sit. Est etiam hic transitus mortis vilis & velox, quia omnes in puluerē rediguntur, iuxta illud Gen. 3. *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* Est velox, quia dicitur Iob. 14. *Breues dies hominis sunt*, & iuxta dictum Chrysost. super Matt. Tam breues dies hominis sunt, quod vix aliquis in tota vita sua posset se ad mortem disponere. F

Est tamen SCIENDVM, ꝙ transitus iustorum multum differt à transitu vel à morte malorum, & specialiter in tribus. PRIMÒ, quia transitus sanctorum est dulcis, quia hic gemuerunt. Rectè, sicut refert Plin. in spec. nat. & Solin⁹ in lib. de mirab. mundi, Cygnus dum viuit, gemit iugiter, & tristatur, cum autē moritur, suauissimè cantat, & lætatur. Sic iusti in morte lætantur, tum ꝓpter conscientiæ puritatem, tum ꝓpter angelorum ipsorū animas deducentium ad claritatē. Ideò B. Iacobus hodie cum lætitia ꝓ Domino mortuus est, & requiescit in pace; ita vt de ipso exponi possit illud Is. 46. *Transibit in pace, & semita maligni in pedibus eius non apparebit.* Quia in pace deductus est de Iudæa à discipulis suis in regnum Galiciæ Lupæ reginæ, vt legitur in Legenda. Sed in malis iste transitus est turbidus & amarus, sicut tradunt naturales de leone, qui dum viuit, lætatur, sed dum moritur, emittit magnum clamorem, & tristatur. Sic mali, dum viuunt, lætantur in malitia, secundum illud Prouer. 2. *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Sed in morte tristantur, quia habent conscientiæ obscuritatem, meritorum infœcunditatem, & dæmonum conducentium teterrimam visionem. Ideò de eorum morte dicit Psalm. 33. *Mors peccatorum pessima*, sicut patet de morte Herodis Agrippæ, qui hunc gloriosum occidit Apostolum. Nam vt legitur Actorum duodecimo, quod liberato Petro per Angelum de carcere Herodis, descendit à Ierusalem in Cæsaream, & cum ibi esset indutus veste regali, sedit pro tribunali, & populus sibi laudem diuinam exhibuit. Confestim percussus fuit ab an-

D Transitus iustorum differt à transitu seu morte iniustorum.

Malorum mors amara.

ab angelo vehementi dolore vteri, secundum Iosephum, libro secundo antiquitatum, & vermes generabantur ab eo, à quibus miserabiliter consumptus exspirauit.

H II. Secundò, iste transitus in sanctis est securus, eo quod de statu peregrinationis transeunt in terram promissionis, quæ fluit lacte & melle, in quam si ingrediantur ad contemplationem humanitatis, semper inueniunt sibi pascua diuinæ felicitatis, Ioann 10. Sed in malis iste transitus est pauidus & insecutus. Ideò Beatus Bernardus libro 1. meditationum in persona malorum, inquit. O anima mea, quis erit ille pauor, cum dimissis omnibus, quorum tibi præsentia tam delectabilis fuit & iucunda, sola ingredieris in alienam prorsus ignotam regionem, vbi tibi occurrent cateruatim teterrima monstra. Quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? Quis te eruet à leonibus rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur, & quis deducet? quasi diceret, nullus.

III. Tertiò, transitus in sanctis est desideratus, iuxta illud Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Sicut legitur de Tobia c. 3. *Nunc Domine secundum tuam voluntatem fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quàm viuere.* Et Beatus Paulus ad Philippenses 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Sed iste transitus est in malis dolorosus, sicut declarat deuotus Amandus in horologio Sapientiæ, lib. 2. capit. 2. O mors, quàm amara est memoria tua cordi iucundo & in delitijs enutrito. Horribilis præsentia tua ei, qui & ætate iuuenis & robore fortis, qui potitur successibus prosperis. Hæc ille. Et ille dolor surgit ex hoc, quia sciunt esse scriptum Iob. 24. *Quod de aquis niuium transibunt ad calorem nimium, & quod vermis conscientiæ remordentis, nec ignis exurens eos, vnquam exstinguetur,* vt dicitur Isaiæ vltimo. Chrysostomus super Matth. dicit: Morte impiorum nihil dolorosius: & contra mortem bonorum nihil dulcius, mors enim à malis nimium formidatur, à iustis autem vix exspectatur. Et hoc quo ad secundum.

Morte impii nihil dolorosius.

Lætitiæ materia triplex

Quo ad Tertium: Beatus Iacobus gloriatur de reditu glorioso æternæ felicitatis, cum dicit: *Et nunc cum duabus turmis.* In quibus innuit triplicem materiam lætitiæ.

I. Prima sumitur ex eius prospera reuersione. Scimus enim cum aliquis peregrinus in terram alienam peregrinatur, vbi est quasi exul, si postmodum prosperè ad propria reuertitur, gaudet. Sicut figuratum est in Iacob. Gen. 33. qui tanquam exul exiuit patriam suam, & peregrinatus in Mesopotamiam ad Laban, cui seruiuit pro Rachel septem annis, postea multiplicatus in filijs & iumentis, reuersus est cum gaudio in patriam suam. Cui cum Esau frater suus obuiam in via iret, diuisit filios in duas turmas, vt sic gloriosus coram fratre appareret. Ita B. Iacobus exul fuit in hac terra, vt dicere posset ad mundum illud, Psal. 38. *Aduena ego sum apud te & peregrinus.* Sed sic multiplicauit spirituales filios per fidem, & doctrinam, cum quibus gloriosè nunc apparet coram fratre suo Christo. Quia dicitur Exodi 23. *Non apparebis ante conspectum meum vacuus.*

Figura.

II. Secunda sumitur ex eius iucunda societate. Quia vt dictum est, non est reuersus solus, sed cum multis fidelibus, quod fuit sibi magnum gaudium. Rectè, sicut messores, cum messem diuturnam compleuerunt, & reuertuntur, cantant ipsi tunc & lætantur. Ideò dicitur de Sanctis, cum messuerunt in campo Dominicos electos

Dei.

Dei, cum gaudio reuertebantur, iuxta illud Psalm. 125. *Venientes autem veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos.* Rectè, sicut victores cum cœperint prædam ab hostibus, illis superatis in reuersione lætantur. Isa. 9. *Sicut victores exultant capta præda, quando diuidunt spolia*, ita est de sanctis.

TERTIA est ex societatis aggregatione & duplicatione. Quia dicit: *Cum duabus turmis regredior*, quæ turmæ fuerunt societas angelorum & hominum, cum quibus anima sua sanctissima gloriosè ad ætherea hodie gaudia conscendit. Vel fuerunt istæ duæ turmæ, societas Iudæorum & gentilium, de quibus vtrisque multos ad fidem conuertit. Vel possunt esse duo populi Orientalium, quos mortuus ad fidem est lucratus, quos non poterat viuus conuertere. Vt dicit Guilielmus libro 7. & patet in Legenda. Ideò tota curia cœlestis de suo glorioso reditu & ascensu admirans. dicere potuit illud Isai. 63. *Quis est iste gloriosus in stola sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ?* III.

S. PETRI APOSTOLI AD VINCVLA.

Sermo primus.

Diripuisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, Psalm. 115.



ISidorus lib. 12. dicit, quod Elephas inter cætera quadrupedia, est bonæ memoriæ & intellectus. Quando enim capitur à venatore, & vinculatur, & verberatur, si alius superuenerit venator, & ipsum ab illo liberauit, & dat ei comedere hordeum, bis vel ter, illius bonitatis non obliuiscitur, sed diligit eum, & deinceps ei obedit & mansuescit, vt dicit Solinus in lib. de mirabil. mundi. A

MORALITER. Hoc animal ponitur nobis peccatoribus in exemplum, ne bonorum Dei obliuiscamur, sed attenta mente iugiter recordemur. Ad hoc etiam nos hortatur beatus Bernardus. Quantum pro te fecit, ex his quod pro te factus est homo, cognosce, quasi diceret; Et si nullum bonum tibi aliud fecisset, satis esset, quod pro te factus est homo, hoc deuotè deberes recognoscere, ei grates reddere. Sed non solum factus est homo, sed pro nobis est passus, & à potestate diaboli nos liberauit. Ideò hoc memoremur, & ne simus ingrati. Ideò legitur 2. Reg. 15. quod Absolon persequebatur patrem suum Dauid, pellens eum è regno, ita vt profugus esset à facie eius. Et hoc factum fuit in pœnam pro peccato adulterij & homicidij quæ commisit. De quibus habetur 2. Regum 11. Respexit autem Dominus eius humiliationem, & liberauit ipsum ab hoc vinculo persecutionis. Nam 2. Regum decimo octauo legitur, quod Absolon occurrens quodam tempore seruis Dauid, sedens in mulo, & cum ingressus esset mulus, infra condensam quercum, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso mulus transijt. *Ioab autem fixit tres lanceas in cor eius.* Et Dauid liberatus ab hac persecutione, quasi à vinculo, fecit hunc Psalm. 115. *Credidi*, ne esset ingratus, in quo dicit; *Diripuisti vincula mea*, h. e. persecutiones Absolon, & aliorum sibi fauentium, & ideò *sacrificabo hostiam laudis*, non per me, sed per sacerdotes meos, B

meos. Qui enim aliquid per aliquem facit, est, ac si per se faceret. Extra de regulæ iuris lib. 6. Et hæc verba possunt hodie conuenienter dici de beato Petro principe Apostolorum, quem Dominus per angelum suum liberauit à vinculis Herodis, Actorum 12. *Nunc scio verè, quia Dominus misit angelum suum, & eripuit me de manu Herodis* Et ideo grates ei refert, dicens: *Dirupisti vincula mea.* In quibus duo specialiter describuntur. *Primò*, diuina benignitas Petrum soluens, ibi, *Dirupisti vincula mea. Secundò*, humana gratuitas hymnum referens, ibi; *Et tibi sacrificabo*, &c.

DE PRIMO est SCIENDVM. Si auceps viderit auem in rete vinctam, quæ fortassis est sibi vtilis ad trahendum alias aues ad capiendum, hanc non sinit vigilare, sed leuiter soluit, & in caueam ponit, licet aliæ ab eo iugulentur,

MORALITER. Per aucupem Christus intelligitur, de quo dicit Poëta:

Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

Matth. 3. quia ipse dulciter cantauit, quando ad rete fidei attrahere voluit aues humanas, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* O dulcis fistula, & omnium melodiarum suauissima, quod homo potest possidere regnum cœlorum per pœnitentiam, quod perdidit per culpam & negligentiam. Hic auceps Christus vidit varias aues vinctas, aliquas reti erroris, qualis fuit Dauid sicut dicit Psalm. 18. *Errani sicut ouis quæ periyt.* Similiter illi de quibus alibi: *Errauerunt in solitudine, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Et hi benè significantur per aues, quia secundum Isidorum dicuntur quasi deuiæ, id est, sine via, quia earum viæ non sunt in aëre distinctæ, quamuis enim motu alarum diuidant aërem, statim post volatum aëre se claudente, nullum signum sui volatus derelinqunt. Ideò dicit Salomon Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Ita homines etiam fuerunt communiter omnes capti reti erroris, quia viam Dei non agnouerunt. Sed de illo vinculo & reti erroris eripuit eos Christus verus auceps, per ipsum Petrum, quia vidit ipsum fore vtilem suæ Ecclesiæ, licet alios multos in errore suo iugulare permisit. Ideò regratiando dicit: *Diripuisti vincula*, &c. Alias autem vidit vinctas reti auaritiæ, sicut Matthæum, & consequenter omnes alios Iudæos. Ierem. 6. *A minore vsq; ad maiorem, omnes auaritiæ student*, & hi etiam benè per aues designantur. Quia secundum Aristotelem aues dicuntur ab aueo, es, ere, quia auidè comedunt, & tota die cibum quærunt, sic illi continuè amare terrena quærebant, sed de illo retis vinculo liberauit Christus Matthæum, dicens, Matth. 9. *Sequere me*, quia vidit quid sibi foret proficuum, quia multas aues cœpit sua prædicatione, & ad rete Christi perduxit.

Psal. 106.

Reti erroris plerisque capiuntur.

Ita ad propositum B. Petrus fuit vinctus varijs vinculis, in quibus ipsum Christus iugulari non permisit, quia sciuit quod velut fructuosa & multum vtilis columba multas columbas sibi adduceret; quia vno die adduxit tria millia, Act. 2. Et alio die quinque millia, Actorum quarto. De quo lucidius habes suprà in sermone, Ionathas & Saul.

D PRIMVM vinculum, à quo Christus absoluit, fuit terrenæ cupiditatis. Quia legitur Matth. 4. quod cum magno studio laborauit piscando, & retia in mare mittendo, cum fratre suo Andrea, vt seruosq; nutriret. Et in hoc comparatur Onagro, de quo dicit Plinius in spec. nat. quod herbas virentes cum magna diligentia solet quærere:

A quibus vinculis ab-

rere:

rere, & inuentas tantum diligere, quod bestiam insequentem vel venatorem non-potest sentire, nisi clamauerit vocem exaltando. Ita B. Petrus tantum fuit implicatus curis secularibus in piscando, quod nisi Dominus ipsum vocasset, æstimo quod nec rete neque alia sua reliquisset, sed cum Christus venator clamauit, dicens: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, statim solutus fuit ab his vinculis, relinquens rete secutus est eum. Ideò interrogauit Christus, Iob. 39. *Quis liberum dimisit Onagrum, & vincula eius quis soluit? Nisi ego*. Vbi dicit Gloss. Onager tunc liber dimittitur cum calcatis terrenis desiderijs à dilectione omnium vanitatum mens funditus eradicatur, ita factum est de Petro, vt confidenter dicere posset; *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*, Matth. 19. O quam multi in hoc mundo vincti sunt cum illo vinculo terrenæ cupiditatis similes Onagris, quod quotidiè his insudant temporalibus, & Dominus clamat ad eos per Apostolum suum Ioannem. 1. Ioann. 3. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Sed venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. & ego reficiam vos.* Vos qui onerati estis, scilicet his temporalibus, Matth. 11. Nec tamen audiunt cum B. Petro vocem Domini. Ideò tales incidunt in laqueum diaboli, à quo difficulter possunt liberari, iuxta illud Apostoli 1. Timot. 6. *Qui cupiunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli.*

Soluit Christus Petrũ. I.

SECVNDVM vinculum fuit iniquitatis, quo ligatus erat, quando Christum ter negauit, Matth. 26. Sed ab hoc vinculo ipsum liberauit, quando eum oculis suæ misericordiæ respexit, vt peccata amarè defleret, & fauorem ipsius requireret. Ideò dicit Petrus Rauennensis: Quis in seculo peccauit enormius Paulo? Quis in religione grauius Petro? Illi tamen per lacrymas & pœnitentiam meruerunt assequi non solum mysterium, sed & magnum sanctitatis meritum. Hæc ille.

II. Vinculum iniquitatis.

Sed sunt (prô dolor) multi qui hoc vinculo iniquitatis ligantur. *Aliqui* in capite per superbiam: *reliqui* in corde per iram & inuidiam, cæteri per loquacitatem in lingua: *nonnulli* verò in manibus per auaritiam; *multi* etiam in pedibus per accediam: *aliqui* autem in ore, per gulam aut gastrimargiam, & quasi omnes in genitalibus per iniquam luxuriam, vt dicit Hugo in Gloss. super decretalem capit. Firmiter credimus.

Variis vinculis iniquitatis ligantur homines.

De his vinculis dicit Sapiens: *Iniquitates suæ capiunt impium; & funibus peccatorum constringetur*. Prou. 5. Facit enim diabolus, secundum Augustinum in libris Confessionum, funem & catenam de peccatis, quia causant malam voluntatem, ex qua facit, libidinem ex qua consuetudinem, ex illa necessitatem, ex qua obstinationem, & cum illa catena trahit hominem ad damnationem sempiternam. Sed fidelis Deus qui non vult damnationem peccatoris, hortatur quemlibet peccatorem dicens: *Solue*, scilicet cum confessione, *vincula colli tui captiua filia Sion*. Isai. 53. Sed illi non audiunt Dominum. Et vtinam respiceret eos oculo misericordiæ & pietatis, vt ad lacrymas concitarentur, & cum Petro peccata deflerent, tunc audirent vocem illam lætam Dominicam: *Conteram iugum eius diaboli de collo tuo, & vincula eius dirumpam*. Ierem. 30.

TERTIVM vinculum fuit carcer Iudaicæ prauitatis, quia legitur Actorum 5. Cum prædicaret in Ierusalem, & in Iudæa cum alijs Apostolis, & miracula multa faceret, exsurgens princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant repleti inuidia, manus in Apo-

III. Vinculum Iudaicæ prauitatis.

in Apostolos iniecerunt, & in custodia, vbi ponuntur malefactores, posuerunt, sed Dominus cum alijs non permisit eum interfici, quia adhuc maiorem fructum deberet facere. Ideò misit angelum suum, qui ianuas carceris aperuit, ipsumque eduxit.

E

IV. Vinculum Herodianæ immanitatis.

QVARTVM vinculum fuit Herodiacæ immanitatis, de quo est præsens festiuitas, de quo habemus plenius, Actor. 12. Si vis, potes hic historiam introducere. De hoc vinculo fuit ab Angelo misericorditer liberatus in profectum plebiculæ Christianæ. Quæ quidem liberatio figurata est, Genesis quadragesimo primo. Vbi legitur quod Ioseph accusante eum vxore Phutipharis missus fuit in carcerem, sed ad regiæ dignitatis Pharaonis iussum, de carcere est liberatus, & super domum suam Procurator honorificè sublimatus. Sic B. Petrus accusantibus Iudæis, est incarceratus, sed iussu cœlestis regis, est de carcere Herodis eductus, & in Procuratorem Ecclesiæ exaltatus.

Figura. I.

II. SECVNDÒ, hæc liberatio Beati Petri fuit figurata, 4. Regum 25. Vbi legitur, quod Euilmerodach Rex Babyloniæ *subleuauit caput Ioachim regis Iudæ carcere*, & posuit thronum eius super thronos Regum. Ita Dominus liberauit Petrum, & fecit eum primum Apostolum, quæ potestas excellit omnes thronos regum secularium, vt dicit Gregorius Nazianzenus, & ponitur in canone dist. 10. c. Suscipitis. Potestas, inquit, Pontificalis, sic excedit Regalem dignitatem, sicut humana cœlestia, & spiritus carnem.

Ex quo cum tot vinculis eripuit, & taliter exaltauit, potest exponi de eo illud Sapient. 10. *A peccatoribus liberauit eum, descenditq; cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum gloriæ.* Ideò benè potuit dicere illud Psal. 115. *Dirupisti Domine vincula mea.* Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM ponitur humana gratuitas hymnum referens, cum additur; *Et tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psal. vbi supra. Refert Vincentius in spec. hist. lib. 26. Quod Leo non est ingratus his, qui eum liberant, & in necessitate eum adiuuant, & ponit tale exemplum. Cum quidam institores Venetiæ applicuissent, viderunt leonem non procul à littore trahi violenter à dracone in speluncam ad occidendum. At illi repente draconem occiderunt & leonem liberauerunt. Liberatus igitur non ingratus exstitit, sed per aliquot dies, quibus illic morati sunt, quotidiè pellem vnam animalis eis apportauit.

Exemplum.

F

S. Petrus leoni similis.

MORALITER. Per leonem Beatus Petrus designatur. Rectè enim sicut leo secundum Isidorum lib. 12. est rex animalium Ita B. Petrus fuit rex omnium Apostolorum, & Christi fidelium, sicut testatur Dominus in cantico hodierno, quo dicit: *Simon Petre, antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam principem te constitui, claues regni cœlorum tradidi tibi.* Sicut leo etiam est multum audax, non timens aliquod animal, sed cum catulus ante eum verberatur, timet & se abscondit, vt dicit Solinus in lib de mirab. mundi. Sic & Petrus fuit multum audax in verbis suis, ex magna dilectione erga Christum, quando dixit Christus, Matth. 26. *Omnes scandalum patiemini in me ista nocte*, ipse respondit: *Et si omnes scandalizati fuerint*, &c. Cui dixit Dominus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus bis cantet, ter me negabis.* Respondit: *Et si oportuerit me mori tecum.* &c. Nec etiam timuit armatos Iudæos, *Sed exemit gladium, & percussit seruum principis, & præcidit auriculam eius dexteram.*

teram. Vide, quantæ audaciæ fuit. Sed cum verberaretur ante eum in domo Caiphæ benedictus catulus virginis Mariæ filius, tantum timuit iste leo, quod ipsum negauit, quod nunquam vidisset eum, & exiens domum se abscondit. Hunc leonem draco crudelis Herodes traxit in speluncam carceris, *vt eum produceret Iudæis & occideret*, sed Christus, qui est verus mercator, qui mercatus est nos suo pretioso sanguine secundum illud 1. Corinth. 6. *Emti enim estis pretio magno*, liberauit ipsum à potestate Herodis, quem quidem etiam postea occidit morte turpissima, vt habetur Actorum 12. Ideò noluit esse ingratus. Seneca in Epistola quadam dicit: Ingratitudo est maximum & turpissimum vitium, inter omnia vitia & peccata, sed Domino suo liberatori obtulit propriam pellem, morti se exponendo, iuxta illud Psalm. 43. *Quoniam propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oues occisionis.* Etiam quotidiè pellem faciei suæ obtulit lacrymis amarissimis quod testatur Papa Calixtus & habetur in canone dist. 50. cap. Vt constitueretur. §. Beatus Petrus, inquit, lacrymas amarissimas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, ideò dicit: *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et hoc quo ad secundum.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo secundus.

Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris percussoq́ꝫ latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius, &c. Ita scribitur Actor. 12.



A SEcundum Naturales & Ambrosium in hexam: lupus qui semel gustauerit carnem humanam, amplius eam comedere appetit, effundere sanguinem humanam delectatur, & in tantum etiam pro ea carne sæpius morti se exponit. Ideò refert Aristot. lib. 2. Animalium, quod in India sunt quidam sæuissimi lupi, habentes tres ordines dentium, qui solum comedunt homines. Et ratio huius potest esse, quia homo inter omnia animalia carnem habet sapidiorem & sanguinem dulciorem, quia de quanto animal de melioribus vescitur escis & nutritur, de tanto caro eius suauior redditur, & sanguis à medicis laudabilior æstimatur, & sic est de homine, & sic caro eius à lupis plus appetitur.

B SPIRITVALITER. Per lupum intelligo quemlibet crudelem tyrannum, sed p hominem omnem fidelem Christianum. Quia qui sunt mali Christiani homines dici nō merentur, secundum illud venerabilis Boëtij lib. 4. prof. 3. Euenit, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Modò rectè, sicut lupus semel gustata carne hominis, & eius effusum sanguinē semper appetit. Sic malus & lupinꝰ tyrannus, qui semel gustauit p occisionem carnem sanctorum hominum, & effudit sanguinem ipsorum, semp desiderat effundere. Quia dicit regula iuris de reg. iur. lib. 6. Qui semel malus, semper p̄sumitur esse malus. Et tales fuerunt illi, de quibus dicit Dauid in Ps. 78. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum*

tuum: Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestijs terræ, Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ierusalem; & non erat qui sepeliret. Qui tyrannus lupinus fuit Herodes Agrippa, qui cum semel gustasset carnem dulcissimam B. Iacobi Apostoli, quem occidit, vt habetur Actor. 12. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Ideò proposuit *apprehendere Petrum,* & vt eum tempore opportuno occideret, *misit eum in carcerem*, quia appetitus eius nō fuit satiatus, sed magis accensus. Sed Dominus eum ab illo lupo liberauit, mittens angelum suum. Et hoc volunt verba thematis prælibata. *Angelus Domini astitit,* &c. In his verbis duo principaliter innuuntur. *Primò,* liberatio Petri litteralis, ibi; *Angelus. Secundò,* liberatio peccatorum, ibi; *Lumen refulsit.*

Herodes Agrippa lupinus tyrannus.

C De PRIMO est NOTANDVM. Dicit Albertus in lib. rerum de natura Elephantis, cum tale animal ceciderit, per se resurgere non potest. Quod sentiunt venatores, insistunt diligenter, vt capiant. Nam arborem concauant, quâ se solet appodiare, & cum de nocte venerit dormire cupiens, inclinando se ad arborem, cadit. Cum autem se eleuare non possit, clamat, quem clamorem cum alij Elephantes audierint, adueniunt ipsum cupientes eleuare, sed cum non possunt eum iuuare, clamant cum eo, quousque venerit minor Elephas, qui se inclinando potest eum rostro eleuare.

Elephas est maximum inter animalia.

MORALITER. Per hoc animal B. Petrus potest designari, quia legitur de Elephante, quod est maximum inter omnia animalia. Vnde versus.

Corpore tam grandes apud Indos sunt elephantes,
Quod benè censeres montibus esse pares.

Quia 1. Machab. 6. legitur, quod Antiochus pugnaturus contra Iudam Machabæum in suo exercitu habuit elephantes, in quibus erant ligneæ turres ædificatæ, & in eis machinæ, de quibus pugnabant duodecim viri. De hoc legitur in historia regis Alexandri Magni, quod Porus rex Indorum pugnaturus contra Alexandrum, secum multitudinem sumpsit elephantem, vt sic Macedones citò expugnaret. Alexander autem hoc sciens excogitauit solertiam, fecit statuas figuram hominis habentes, quas replens prunis igneis ante exercitum suum iussit præire, veniens autem Porus cum exercitu suo, quem præibant elephantes, qui videntes statuas, putantes esse homines irruerunt in eas, & rostra concremantes, retrò protinus fugerunt, & præ magnitudine multos occiderunt. Ex quibus figuris claret huius animalis magnitudo.

Porus Rex Indorum.

Ita B. Petrus inter alios Apostolos fuit maior in dignitate, quod patet ex illa figura Matt. 17. vbi legitur. *Cum Iesus venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma acceperant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* & erat didrachma quoddam pondus secundum Hieronymum. Versus:

Dat nummos didrachma duos, stater duplicabit.

Petrus ait eis. Etiam. Et cum venisset ad domum, prævenit eum Iesus, dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis? At ille dixit ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergò liberi sunt filij. sed ne scandalizemus eos. Vade ad mare, & mitte hamum, & piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum assumes, da eis pro me & pro te. Vbi dicit Gloss. quod Petrus

Petrus intelligitur maior, quia tunc temporis solum capitanei, & non alij exsoluebant censum. Ideo etiam dicitur 2. q. 7. c. Petrus à Domino dictus fuit Cephas, hoc est, caput omnium aliorum discipulorum, & non solum Apostolorum, immo omniũ Regum & Principum & Imperatorum fuit pater & magister, vt habetur dist. 96. c. Quis. Vbi dicit Gregorius: Quis dubitet sacerdotes Christi, quorum Petrus fuit principalis, & caput regum, & principum, omniumq; fidelium, patres & magistros censeri.

SECVNDO, Elephas est boni intellectus & memoriæ, & ita sunt dociles, quod regem cognoscunt, & quasi adorare instruuntur, vt dicit Plin. in spec. nat. lib. 8. c. 1. Sic B. Petrus, ita boni intellectus fuit, quod Christum verum regem cœlorum intellexit, quando dixit. *Tu es Christus filius Dei viui*, Matth. 16. In quibus verbis cognouit, in Christo esse duas naturas, hominis videlicet & Deitatis, quod tamen nullus aliorum cognoscere potuit. ***Nam alij dicebant, Ioannem Baptistam, alij Heliam, cæteri Ieremiam, aut vnum ex Prophetis***, sed ille solummodo tetigit illius interrogationis veritatem. Rectè, sicut in scholis multi scholares in vna interdum quæstione examinantur, quã tamẽ vnus solus exsoluit magistro, respondendo ad veritatem quæstionis. Ideo dicit Beda in homilia, commendando B. Petrum: Noscat autem dilectio vestra, quod miranda distinctione sit factum, vt cum de vtraq; eiusdem Domini & Saluatoris nostri natura ab ipso Domino & fidei eius discipulo, esset proferenda sententia, ipse Dominus humilitatem assumptæ naturæ profiteatur, & discipulus excellentiam diuinæ æternitatis ostendat: Dominus de se quod minus est, discipulus de Domino intimauit, quod maius est: Dominus de se, quod factus est propter nos, discipulus de Domino declarat, quia est, qui fecit nos. Hæc ille.

II. Elephas est boni intellectus & memoriæ.

Et propter talem profundum intellectum comparatur B. Petrus Prophetæ Danieli, de quo Dan. 5. Quod rex Balthasar vidit scribentem manum in pariete hæc verba. MANE THECEL, PHARES, de quibus interrogauit sapientes regni, & nemo potuit intelligere hæc verba, tandem Daniel solerter exponens, dixit: MANE, id est, ***numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.*** THECEL, ***appensus est in statera, & inuentus minus habens.*** PHARES, ***diuisum est regnum tuum, & datum est Medis. Iubente igitur Rege indutus est purpura, & circundata collo eius torques aurea, & prædicatum est de eo quod potestatem habet tertius in regno.*** Ita fuit ad præsens, quod nullus potuit huius dubij, quod proposuit Dominus inuenire veritatem, quando dixit: ***Quem dicunt homines esse filium hominis***, nisi solus Petrus, qui illud exposuit. Ideo remuneratus est à summo rege, non auro aut purpura, sed maiori dono beatitudinis, quando ait: ***Beatus es Simon Bar-Iona*** & tradidit ei potestatem ***regni cœlorum***. Matth. 16.

D

TERTIO, Elephas est illius naturæ, vt dicit Plinius lib. 8. c. 5. Si in deserto viderit hominem errantem, ipsum præcedit, & in viam veram de errore reducit. Si Draco homini occurrerit, volens ipsum impugnare. Elephas pro homine defendendo pugnat cum dracone, & pro eo se viriliter exponit. Sic B. Petrus, si viderit nos in hoc mundo deserto errare in peccatis, tanquam verus pastor reducit nos ad viam veritatis, sicut reduxit illos, quibus dixit 1. Petr. 2. ***Eratis aliquando sicut oues errantes, sed conuersi estis***, scilicet per me, nunc ***ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum***. Et etiam tuebitur nos à dracone infernali, dicens in sua Epistola 1. Pet. 5. ***Sobrij estote, & vigilate quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.***

III. Elephas ab errantem à via docet.

Idem ostendit in exemplo, quod quendam dæmoniacum à potestate diaboli liberauit, & animam ad corpus, ad agendum pœnitentiam, reduxit. Sicut de hoc refert Iacobus Ianuensis. Apud Coloniam vrbem in monasterio Sancti Petri, erat quidam monachus leuis, lubricus, & lasciuus, hic dum subita morte fuisset præuentus, dæmones ipsum accusabant, & quælibet peccatorum genera contra ipsum clamabant. Vnum dicebat; Ego sum cupiditas & iniquitas tua, quam contra præcepta Dei tam frequenter concupisti. Aliud clamabat; Ego sum vana gloria, qua te apud homines iactanter exaltasti. Aliud ait; Ego sum mendacium, in quo mentiendo peccasti, &c. Et sic econtrà bona opera quæ fecerat, ipsum excusabant, dicentia: Ego sum obedientia, quam senioribus spiritualibus exhibuisti: Ego sum psalmorum cantus, quos frequenter cecinisti Deo. Sanctus autem Petus, cuius erat monachus, pro ipso deprecaturus, Dominum adiit: Cui respondit Dominus: Nunquid non Propheta me inspirante, dixit: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula*, &c. Psal. 14. Quomodo hic potest esse saluus, cum nec sine macula sit ingressus, nec sit iustitiam operatus? Rogante igitur pro eo Petro, & Virgine Matre Dei, hanc Dominus sententiam protulit, vt ad corpus rediret, & pœnitentiam ageret. Tunc confestim Petrus claue, quam tenebat in manu, diabolum terruit, & in fugam conuertit. Animam verò eius, in manu cuiusdam monachi in prædicto monasterio tradidit, & vt ad corpus eam reduceret, præcepit. Qui ab eo pro mercede reductionis poposcit, vt singulis diebus pro eo. Psalm. 50. *Miserere mei Deus*, diceret, & sepulturam sæpè scopis mundaret. Ipse autem de morte rediens, quæ sibi contigerant, cunctis enarrauit.

Exemplum.

E

IV. Proprietas elephantis.

Quartò, elephas secundum Plinium, vbi suprà cap. 1. magnæ est virtutis inter omnia animalia, vt vix in hominibus tanta virtus inueniatur. Nam in noua luna conueniunt, & in flumine se abluunt, & nouo sideri se inclinant. Ita beatus Petrus inter omnes Sanctos, magnæ fuit in miraculis faciendis virtutis. Refert enim Vincentius in spec. histor. libro 8. quod taliter priuilegiatus est in miraculis, quod taliter legitur fecisse, quàm Christus. Habuit enim virtutem in verbis, dicens: Ænea sanet te Iesvs Christvs, surge & sterne tibi. Continuò ad illa verba surrexit, & liberabatur à morte. Item in plateis, vbi solebat transire infirmi ponebantur, Actorum 5. Habuit virtutem per baculum facere miraculum, sicut legitur de beato Martiali, cui baculum suum dedit, & Maternum mortuum suscitauit. Habuit virtutem exercere in catena, vt patet in Legenda sua. Et nunc habet virtutem in ossibus suis. Si ergò tantæ virtutis fuit eius vmbra, quantæ virtutis est nunc eius anima gloriosa? Si tantum valuit eius baculus, quantum nunc valet eius pius affectus? Si tantum possunt eius ossa, quantum nunc possunt eius merita? Ideo benè nunc elephanti comparatur.

S. Petrus miraculorum patrator magnus.

Iste elephas gloriosus, beatus Petrus Apostolus cecidit in grauem carcerem Herodis, & non potuit per se surgere, nec effugere, quia erat *vinctus duabus catenis, & custodes* ante ostium *custodiebant carcerem*, vt dicitur Actorum duodecimo. Et similiter duo milites cum eo in carcere, ita quod homini non patebat exitus. Ideo ipse ad Dominum clamauit, dicens cum Psalm. 141. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me exspectant iusti*: quia omnes iusti exspectabant eius liberationem, & hi cum ipso clamabant ad Dominum. Quia dicitur Actor. 12. *Petrus*

serua-

seruabatur in carcere, oratio autem pro eo fiebat sine intermissione ad Dominum ab Ecclesia. Et addit Gloss. Nicolai de Lyra: Vt Christus suum Vicarium seruaret, adhuc in vita eum de carcere liberauit, quia non poterant ipsum subleuare operibus, ideò adiuuabant clamoribus & orationibus. Et tam diu secum clamabant, quousque veniret CHRISTVS, qui est paruus elephas, propter suam humilitatem. Quia, vt dicit Apostolus ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum formam serui accipiens.* Hic ore suo, hoc est, ministerio angelico, qui exprimunt voluntatem Domini, rectè sicut os, exhibet voluntatem mentis, sic ipsum de carcere subleuauit. Ipse enim promisit per Psal. 90. dicens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quia ipsum liberando glorificauit super omnes Reges & Principes, ita vt de ipso exponi possit illud Sapientis: *Glorificauit Dominus sanctum suum,* scilicet Petrum, *in conspectu regum, & dedit illi coronam.* Ad quam nos perducat Iesus in secula benedictus.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo tertius.

Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, &c. Actor. 12.

DIONYSIVS in Hierarchia Angelica dicit, ignis est corpus sensibile longè excellentius & subtilius aliis omnibus rebus corporalibus, & naturæ spirituali proximum, ac per hoc effectum suum dissimilius cunctis aliis demonstrat. Ignis enim est in omnibus, & per omnia se dare consueuit, & ab omnibus non remouetur. Ita Chaldæi videntes ignis excellentiam, ipsum adorabant pro Deo: quia idola aliorum gentilium cum eo combusserunt, & sic ignem summum Deum crediderunt, vt dicit Robertus Holkot super librum Sapientiæ: Nolentes autem adorare coëgerunt, & cum eis pugnam inierunt, ita si Deus ab aliquo vinceretur, eius culturam dimitterent, si verò ignis vinceret, colendos se semper obligarent. Canopæi autem in Ægypto, idolum belli colentes cum hoc audissent, coronam auream de capite idoli sui deposuerunt, & super illud quoddam vas testeum aqua plenum locarunt, & illud multis foraminibus perforauerunt, & cerâ foramina obdurauerunt, venientes autem Chaldæi ad istud idolum examinandum, apposuerunt ignem, & statim in foraminibus cera liquefacta descendit aqua, & ignem exstinxit, & Canopæis sunt idola sua permissa.

SPIRITVALITER. Per ignem designatur caritas. Hæc est excellentissima, & summa virtutum, & sicut ignis semper ascendens, secundum illud Augustini libr. de laude caritatis: Caritas est actio rectitudinis, oculos semper habens ad Deũ, scrutinium animarum, societas fidelium, actio non frigida, nec fugax. Hæc ille. Vbi enim hæc caritas fuerit, ibi omnia idola peccatorum comburuntur, qui secundum quod dicit Prosper de vita contemplatiua: Caritas est vita virtutum, mors vitiorum: Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic vitia à facie caritatis. Ideo B. Augustinus in soliloq. orat, dicens: O ignis, qui semper ardes, & nunquam exstingueris. O amor, qui semper ferues, & nunquam tepescis; accende me, accende, inquam, me totum, vt

A

Caritas quid?

totum diligam te solum. Quoniam minus amat, qui tecum aliquid amat. Hæc Augustinus. Canopæi autem sunt dæmones, considerantes, quod caritas omnia idola comburit vitiorum, occultè præordinant, vt aqua voluptatis hanc exstinguat caritatem. Sicut patet in Salomone 3. Regum 3. qui accensus erat caritate, quod dilexit Dominum, & ambulauit in præceptis patris sui, sed diabolus superfudit aquas voluptatis, quod ipse adamauit mulieris alienigenas, & idola eis erexit in monte Olíueti, & cum eis idolatrauit, vt habetur 3. Regum 11. Quod autem ignis caritatis illuminat peccatorem, & facit ipsum surgere à peccato, comburendo vitia, ostendunt verba prælibata, quo ad mysticum sensum, cum dicunt: *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit* scilicet caritatis, *in habitaculo carceris*, scilicet cordis & diuiditur in duo. *Primò.* quot sint necessaria peccatori, vt resurgat. *Secundo*, quot requirantur, vt in gratia permaneat.

Propositio.

Pro doctrina Morali est Notandvm. Aristoteles in libro de plantis ait, Arbor habet in se potentiam seminalem, & hanc non potest producere in actum, nisi
1. ab extrinseco adiuuetur, & hoc est à temporibus anni. Indiget enim Veris temperatione ad eius emissionem, quia tunc temporis non est vehemens frigus congelans,
2. vel calor vehementer semen adurens. Indiget etiam sole, vt calor ingrediens segreget humorem seminalem à radice. Quia dicitur 2. Physic. Homo generat homi-
3. nem. Indiget etiam hyeme, vt humor seminalis congregetur ad radices, & post exit, & arborem viuificat, & ad producendum fructus excitat.

B

Homo comparatur arbori.

Spiritvaliter. Per arborem homo designatur, secundum quod dicit Abbas Agaton in vitis Patrum. Homo similis est arbori, cuius labor folia, interior custodia fructus. Hæc arbor, si arida facta est per peccatum, & mortua, non potest resurgere & viuificari, nisi adfuerint, quæ ad arborem materialem exiguntur. Primò, indiget Vere, hoc est, gratia Dei, & hoc tangitur in verbis thematis. *Angelus Domini astitit*, per quæ notatur diuinæ gratiæ præuentio, sine qua peccator non potest exire de carcere peccatorũ, sicut nec planta de terra sine auxilio veris, & tempore calidorum. Quia dicit Saluator in Euangelio Ioan. 15. *Sine me*, id est, sine gratia mea, *nihil potestis facere*, id est, nullum bonum. Ideo dicit Fortunatus in homilia: Omnis homo, quod sibi bonum conspexerit euenire, totum hoc adscribat clementiæ diuinæ gratiæ. Potest quidem per se homo cadere in peccatum, per se autem nequaquam potest resurgere, quod declarat Chrysostomus super Matthæum in exemplo dicens: Stans super puteum aut foueam liberum habet arbitrium incidendi, vel foris manendi: si autem voluntariè inciderit, exire nullo modo poterit, nisi ab aliquo extrinseco adiuuetur. Ita homo antequam peccat, stat super foueam, & potest peccare, vel dimittere & sequi rationem, quæ semper ad optima deprecatur, id est, inclinat secundum Aristotelem. Cum autem inciderit, exire non poterit, nisi gratia Dei mediante, iuxta illud Chrysostomi in homilia. Nos quidem homines antequam peccamus, liberum habemus arbitrium, si volumus illud sequi, an diaboli voluntatem. Quod si obligauerimus nos operibus eius, iam nostra voluntate euadere non possumus & ponit exemplum: Rectè, sicut nauis fracto gubernaculo ducitur, quo tempestas impellit, sic & homo diuinæ gratiæ auxilio amisso per peccatum, non agit quod vult, sed quod diabolus vult; & nisi Deus valida manu soluerit, homo in peccatis manebit. Hæc ille. Et patet ex illo, quod non est mirum, quia qui ceciderit in foueam

Arbor arida & mortua quomodo viuificatur.

I.

Vt homo resurgat à peccatis indiget gratia Dei.

Homo potest per se cadere in peccatum, sed non per se resurgere.

Simile.

foueam peccatorum, ad diuersa impellitur peccata, diabolus equitat ipsum, & ducit ipsum, rectè sicut equester equum suum, vt in eo verificetur illud Ioan. 21. *Alius cinget te, & ducet te, quo tu non vis.* ideò homo summa diligentia deberet sibi à peccatis præcauere, & non tam citò cadere in peccata. Habet enim potestatem cadendi, sed minimè resurgendi.

Sed diceres. Tamē audiui in Euangelio Lucę 15. *quod gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Ergo innocens peccabo & pœnitebo, faciam gaudium Angelis, de mea conuersione. *Respondetur*, quod non scis, ô peccator, si cum tali fatuo proposito pecces, an detur tibi gratia resurgendi. Quia dicit per Prophetam Oseam Dominus: *Perditio tua Israel ex te, ex me tantum auxilium tuum.* Oseæ 13. Ideo consuluit Ioannes cuilibet innocenti: *Tene quod habes, ne accipiat alter coronam tuam.* & Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* quasi diceret: Quia nescit, an sibi Deus auxilium conferat, vt resurgat. Dubium. Responsio.

II. Indiget cōscientię illuminatione.

SECVNDO, indiget conscientiæ illuminatione, & innuitur, cum dicitur. *Et lumen refulsit in habitaculo carceris.* Naturaliter enim hoc scimus, quod in domibus aut alijs habitaculis multi volant atomi, qui tamen ab oculis intuentium minimè possunt videri, sed si lumen solis splenduerit, & habitaculum illuminauerit, tunc tales pulueres vndique apparet & videntur. Hic per habitaculum carceris intelligitur conscientia peccatoris, quæ est occupata tenebris cæcitatis. Ideò peccata in ea latentia peccator non cognoscit, dicens cum Iob. 17. *Non peccaui.* Cum tamen multitudinem habeat peccatorum, vt dicere possit cum Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* sed tamen obumbrata conscientia non perpendit. Si autem conscientia gratia Dei illustratur, tunc peccata cognoscuntur, & periculosus status peccati. Ideò petiuit Psalm. 12. dicens: *Domine Deus meus illumina oculos meos*, id est, cordis interiora, *ne vnquam obdormiam in morte.*

D

III. Peccator indiget tribulatione.

TERTIO, indiget peccator interdum hyeme, hoc est, corporali percussione. Nam secundum Aristotelem 10. Ethic. Oportet bonos prouocari ad virtutes per præmia, malos autem per pœnas insanabiles. totaliter exterminare, quia plus obediunt coactioni, quàm sermoni. Et hoc ostendit hic, cum dicit: *Percusso latere Petri.* per quod innuitur planctus interior, aut tribulatio, aut percussio exterior, quæ multoties faciunt cognoscere peccatorem peccata, & deflere illa, secundum quod dicit Amandus Doctor in horologio Sapientiæ 1. lib. 13. Tribulatio rubiginem aufert peccatorum, incrementa præstat virtutum, & vbertatem confert gratiarum. Ipsa namque peccata tollit, purgatorium minuit, repellit tentationes, exstinguit carnalitates, spiritum renouat, spem roborat vultum exhilarat, conscientiæ affert serenitatem, & internorum gaudiorum continuam præstat vbertatem. Ipsa est potio sanatiua herba salutifera, super omnes herbas paradysi terrestris. Anima deuota saginatur tribulatione, sicut lilia, & rosæ fœcundantur cœlesti rore. Ipsa est donem Dei electum, virga amarosa, plaga paterna. Ipsa voluntarios inuitat, & rebelles ad se trahere consueuit voluntates. *Et subdit.* O quam innumeri somno peccatorum profundissimo obdormiuerant, & morte spirituali perierant, quos infelix obsorbuerat iniquitas, qui adueniente virga diuinæ correctionis, velut de somno graui ac mortis imperio excitati vitam in melius commutant, & opera tenebrarum abijcientes, armis lucis induti sunt. Hæc ille.

Figura. Et hoc fuit figuratum in Manasse, de quo legitur quarto Regum vigesimo primo. quod regnauit quinquaginta quinque annis in Ierusalem, & fecit mala in conspectu Domini. Erexit enim idola, *& adorauit omnem militiam cœli*, scilicet solem, lunam, & planetas, & occidit sanguinem innoxium Prophetarum, donec Ierusalem sanguine impleretur vsque ad os: secundum Gloss. quantum potuit facere, & tamen peccatum suũ cognouit. Ideò habetur 2. Paralip. 33. *Tribulationem & percussionẽ induxit super eum Dominus*, scilicet exercitũ Regis Assyriorũ *qui cœperunt eum, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt eum in Babylonem*, & tunc in carcere cognouit peccata sua, & egit pœnitentiam valdè coram Domino, dicens: *Peccaui super numerum arenæ maris*, &c.

E

IV. Peccator indiget excitatione.

Qvarto, peccator indiget excitatione, & hoc tangitur, cum dicitur: *Excitauit eum dicens: Surge velociter*. Peccatum enim habet se, sicut somnus. Quia secundum Aristotelem libro de Somno & Vigilia. Somnus est ligamentum omnium sensuum, ligantur enim oculi, ne videant; aures, ne audiant, &c. Sic homo in somno peccati prosternitur ad amorem terrenorum, & oculi clauduntur ad intuitionem cœlestium, secundum illud Psalm. 68. *Obscurentur oculi eorum, ne videant* scilicet cœlestia. Aures obturantur ab audientia præceptorum diuinorum, dicente Psal 57. *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas*. Manus ligantur, ne benè operentur, vel ad eleemosynã extendantur, lingua ligatur, ne cõfiteatur, iuxta illud Ezech. 4. *Lingua tua adhæsit palato tuo*. Genua debilitantur ad standum & in bono perseuerandum, sicut dicit Psal. 108. *Genua mea infirmata sunt*. Igitur taliter in peccatis dormientes comparantur idolis, de quibus Psal. 103. *Os habent, & non loquentur*, &c.

Peccator idolo similis. Exemplum.

Talem somnum diabolus causat, vt hominem in eo anima occidat. Rectè, sicut refert Isidorus lib. etymol. de quodam serpente, qui est huius naturæ, quod hominem in somno necat, & homo moritur dormiendo. Si autem homo vigilauerit, sibi propinquare, non præsumit. Ita facit diabolus homini dormienti in peccatis, qui occidit ipsum in anima, quamuis corpus viuat. Ideò petiuit Psalm. 12. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam*, &c. Si ab hoc somno homo peccator vult expergisci, oportet per Angelum, id est, sacerdotem, excitari, quod figuratur 3. Regum 19. Vbi legitur, quod Elias *sub vmbra iuniperi dormitauit*, per quem designatur dilectio peccati; sed Angelus venit, & eũ de somno excitauit. Sic ipsi sacerdotes excitant peccatores, dicentes illud Prouerbiorum sexto. *Vsque quo piger dormies?* scilicet somno peccati, *quia venit tibi quasi viator*, id est, subitò, *egestas*; & peccator debet ei acquiescere, & subitò surgere. Quia dicit Helinandus de reparatione lapsi: Surge frater, nam si surgere hodie est difficile, cras erit difficilius. Quantò enim iaces diutius, tantò cades profundius: & si homo acquieuerit, & à peccatis surrexerit, statimque pœnitentiam egerit, tunc catenæ, quibus eum diabolus diutius ligatum tenuit, cadent de ipso. Et ostendit Lucas hoc, cũ dicit: *Et ceciderunt catenæ de manibus eius*. Et hoc quo ad primum.

II. Quantum ad Secvndvm describitur quot requiruntur, vt homo in gratia perseueret quod tangitur, cum dicit: *Angelus dixit ad Petrum: præcinge te*, &c. De quo est Notandvm, secundum naturales, arbor quæ surrexit de terra, & fructifera facta est, adhuc indiget vlterioribus cultibus, vt in statu fructificationis permaneat. Necesse enim est, vt circumligetur aliquo retinaculo, ne rami nimium extendantur,

dantur, & aliæ arbores suffocentur. Necesse est etiam ramorum superfluorum & inutilium abscissio, vt fructus producat meliores. Ita homo, qui est arbor inuersa secundum Aristotelem, cum per diuinæ gratiæ præuentionem, conscientiæ illuminationem, corporalem percussionem, sacerdotis excitationem, surrexit à peccatis, adhuc alijs indiget quatuor, vt in gratia perseueret. PRIMVM est corporis præcinctio, quod notatur, cum dicit; *Præcinge te.* Et hæc est quadruplex.

Homo, vt in gratia perseueret, quatuor indiget.

Prima est continentia à superfluitate voluptatum, quæ summè necessaria est pœnitenti. Ideò dicit Dñus Luc. 12. *Sunt lumbi vestri præcincti.* Super quo dicit Gregorius in homilia 13. in Euangelia. Tunc lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. *Secunda* est abstinentia, qua præcingimur à superfluitate ciborum, quæ etiam necessaria est pœnitenti, secundum Eusebium. Abstinentia mentem placitam reddit, hominem ad benè agendum disponit, Deum omnipotentem allicit, ad suspiciendum rorem cœlestis gratiæ habilem efficit, vitia abigit, dæmonesq; repellit. Hæc fuit zona Heliæ. 4. Regum 1. de quo dicitur: *Vir pilosus & zona pellicea accinctus renibus.* *Tertia* est iustitia à superfluitate actionum, iuxta illud Isaiæ 11. *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* *Quarta* est sapientia, vel caritas à superfluitate cogitationum & verborum, secundum illud Apocalypsis 1. *Præcinctum ad mamillas* id est, circa pectus, *Zona aurea.*

I. F Præcinctio est quadruplex. 1. 2. Abstinentiæ effectus. 3. 4.

SECVNDVM est mundanorum vel terrenorum contemtus, affectum mortificatio, & hoc tangitur ibi; *Calcea te caligas tuas*, id est, sandalijs, quod est genus calceamenti, non habens corium super pedes, & fit de pellibus animalium mortuorum, & significat mortificationem, vel abscissionem omnium affectuum terrenorum. Quia cui Deus peccata dimisit, & resurgere per suam gratiam fecit, ille tenetur eum amare, sed hoc facere non potest, nisi abscindat affectiones temporalium, quia dicit Gregorius 18. moralium. Qui terrenorum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Ideo dicit Seneca in epistola ad Lucilium. Nemo est dignus Deo, nisi qui opes contemserit.

II. Rerum terrenarum cõtemtus.

TERTIO, est virtutum decoratio, quod innuitur, ibi; *Circumda tibi vestimentum tuum*: quia videmus, quod arbor, quando circumligatur, & à superfluis ramis abscinditur tunc fructibus decoratur. Sic etiam homo debet fructibus virtutum exornari; nec sufficit ei, si vult esse verus pœnitens, à voluptatibus carnis & mundi exui, sed etiam debet virtutibus indui. Quia dicit Gregorius in homilia, & habetur transsumptiuè 22. quæst. 5. cap. De forma. Non sufficit mala non facere, nisi quis bonis operibus studeat insudare. Ideò consulitur pœnitentibus Isaiæ 1. *Quiescite agere peruersè, discite benè facere.*

III. Decor virtutum.


QVARTVM est, Domini imitatio, & hoc tangitur, ibi; *Sequere me.* quod exponens Gregorius in homilia: Relinquimus nosmetipsos pœnitendo, & confitendo peccata nostra desinamus tales esse quales fuimus, & nos facimus per pœnitentiam, vt mereamur permanere mundi coram Deo, quales per gratiam Dei in sacro facti sumus baptismo. Qui est superbus, deserat malitiam superbiæ, & fiat humilis propter Deum. Si luxuriosus, imitetur continentem vitam: Si auarus, quisque ambire desinat, & humilitatem discat, &c.

IV. Imitatio Domini.

DE SANCTO DONATO EPISCOPO ET MARTYRE.

Sermo.

Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam & magnum decorem, &c. Psal. 20.



RINCIPES seculares, dominique terrestres in Curijs suis solent habere fortes milites, qui se exponunt morti pro ipsis, & qui sunt intelligentes, de cura domestica, secundum illud Prouerb. 17. *Acceptus est regi minister intelligens.* Similiter etiam illud Prouerb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles,* quia illos sic intelligentes diligunt, & interdum magnis honorant dignitatibus & honore. Quod figuratum est de Rege Pharaone, vt legitur Genes. 41. Quod nouit Ioseph virum intelligentem, eo quod sibi sapienter visum somnij exposuisset, magno honore ipsum honorauit. *Accepit enim annulum de manu sua, & tradidit ei, & vestiuit eum stola byssina, & fecit eum ascendere currum suum, & ante eum clamare praeconem, vt omnes ante genu flecterent & honorem exhiberent.*

Figura.

A MORALITER. Christus est princeps pacis, & Dominus non solum terrae, sed omnium, quae in ea sunt, iuxta illud Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius.* Hic habuit in sua curia, scilicet Ecclesia militante, fortes milites, vt fuit Gregorius, Laurentius, Vincentius, qui fortiter pro fide Christi Domini sui pugnauerunt, quorum praecipuus fuit beatus Donatus noster patronus, quia de eius fortitudine canit Ecclesia. Miles Dei se virtute cingens fortitudinis, superat poenas, pugnat tutè spe beatitudinis. Nam pro Christo se morti exposuit, vt de ipso exponi possit illud 2. Machabaeorum sexto. *Iste gloriosam mortem magis, quàm odibilem vitam amplectens voluntariè praeibat ad supplicium.* Ideò ipsum Christus multum honorauit in hoc, quod fecit ipsum patronum huius dioecesis Misnensis, & nunc in coelis super omnia bona tanquam intelligentem millitem collocauit, vt habetur in verbis praemissis. In quibus à duobus commendatur. *Primò,* ab eminentia dignitatis. *Secundo,* ab excellentia sanctitatis.

S. Donatus patronus dioecesis Misnensis.

B Circa quod NOTANDVM. Gloria est triplex, quantum ad propositum, temporalis, spiritualis, & aeternalis, harum posuit Dominus quamlibet super beatum Donatum. Dico PRIMO, quod posuit super ipsum gloriam temporalem, & hic fuit quadruplex. PRIMA fuit alta Pontificalis potentia, qua fuit ornatus gloriosè, & benè dicitur *alta*, quia excedit omnium Regum potentiam, vt dicitur 26. dist. cap. Deinde. Sicut auri fulgor praeualet metallo, plumbo, sic Pontificalis dignitas praeualet regum diademati. Sed tamen de hac gloria se non extollebat, quia legit illud dictum Sapientis. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe vt lateris propter illos, & ornamentum gratiae accipias coronam.* Eccli. 32.

Triplex est gloria. Temporalis

C Sed tales (heu) nunc non sunt sacerdotes, qualis fuit beatus Donatus, qui hoc donum cum magno timore accepit, sed laetantur nunc, cum ad potentias ascendunt, & in

Contra sacerdotes superbos.

& in eis superbi existunt. De quibus dicit Hieronymus super Ezechielem libro 2. Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si lætantur ad gloriæ ascensum, sed timeamus lapsum non solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium peccatis, quorum vtimur donis,& nequaquam sumus de eorum salute soliciti. Hæc ille. Tales sunt modo domini seculares, qui in alta sua potentia gloriantur, similes leoni, de quo dicit Isidorus lib. 12. quod valdè gloriosus in potentia sua incedit vt rex, & dum à canibus agitatur, se non abscondit, sed in campum vadit, se præparans. Cum autem vana potentia non aduertit foueam paratam, in eam ruit, de qua cum exire non possit, colla catenis submittit; & sequitur quod gloriatio sua sibi obfuit. Ita illi dum viuunt, gloriosi apparent, sed tandem ad foueam gehennalem cadunt, non solum catenis ferreis, sed ignibus colla submittunt. Tunc verificatur in eis illud Sapient. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Contra seculares potentes.

Dic mihi. Vbi est vana potentia Iuliani, qui solus primum Imperium obtinuit, à quo omnes Cæsares sunt vocati. Citò perijt, à Romanis gladio interijt, vt legitur in Chronicis. Vbi est ampla potentia Alexandri Magni, qui dominator mundi vocabatur, velociter vt fœnum exarauit, nam duodecim annis regnauit, vt habetur 1. Machab. 1. De ipso, & consimilibus dici potest: *Ceciderunt in profundum vt lapides, quis scit si detur eis requies?* Ideò consuluit Dominus per Ieremiam Prophetam eisdem cap. 9. *Non glorietur fortis in fortitudine sua.*

SECVNDA gloria fuit sapientia, qua fuit præditus sanctus Donatus, vt dicere potuit illud Sapient. 7. *Sapientiam sine fictione didici à Deo, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Ipse enim didicit sapientiam cum Iuliano Imperatore, ideo dicit; *Sapientiam didici*, scilicet à Deo. Quia dicitur Eccli. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.* Illam aũt sapientiam & scientiam communicauit per prædicationem, quia nouerat dictum Sapientis; *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus quæ vtilitas in vtrisque?* quasi diceret, nulla. Eccli. 41. II. Gloria sapientiæ.

Sed sic non faciunt moderni sapientes, qui sapientiam suam non communicant, sed de ipsa quasi de per se gloriantur. Contra quos dicit Apostolus 1. Corinth 4. *Quid habes quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et tales antiqui Philosophi fuerunt, qui de sua sapientia gloriam quæsiuerunt, dicente Apostolo ad Romanos 1. *Dixerunt se esse sapientes, stulti facti sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis.* Vbi est nunc sapientia Salomonis? totaliter euanuit. Sicut legitur, quòd cuidam discilpulo apparuit, dicens; ꝙ nihil amplius sciret, nisi pœnam sentiret, quia secundum sententiam Sapientis. *Non est sapientia nec scientia apud inferos.* Eccles. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* Ieremiæ. 9.

TERTIA gloria fuit rerum opulentia, qua erat dotatus; quia pater suus creditur fuisse diues Romanus, quem & Iulianus auarus, vt diuitias suas sumeret, interfecit. Ille autem beatus Donatus filius eius relinquens diuitias ad Aretinam fugit ciuitatem quia didicerat in scholis, & legerat illud dictum sapientis Catonis. D III. Rerum opulentia.

Despice diuitias, si tu vis esse beatus.

Sed beatus ille Donatus paucos habet in illo imitatores, sed gloriantur in opulentia sua. Iuxta illud Psal. 48. *In multitudine diuitiarum suarum gloriantur*: qualis fuit Ezechias rex Ierusalem, qui nuncijs regis Babylonis ad se venientibus, in magna gloria ostendit omnes thesauros suos gloriando, Sed quid ex hoc euenit? Venit idem

rex Babyloniæ Berodac Baladan, & abstulit omnem thesaurum Ezechiæ, & filium suum vinctum perduxit in Babylonem, vt impleretur prophetia Esaiæ, qui dixit ad Ezechiam. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt.* quarto Regum vigesimo.

Quid etiam profuit diuiti epuloni, qui tot diuitias habuit, quotidie comedit splendide in aureis & argenteis vasis, in nullo sibi profuerunt, nisi quod in inferno sepultus est, Lucæ 16. *Mortuus est autē diues & sepultus in inferno.* Quid profuit Salomoni, qui *collegit aurum, quasi aurichalcum, & vt plumbum compleuit argentum*, nisi quod fuerunt ei hæ diuitiæ causa luxuriæ & idololatriæ. Quia dicitur Eccli 47. quod *hic inclinauit femora sua mulieribus, & dedit maculam in gloriam suam.* Ideo de diuitijs non est gloriandum, secundum illud Iere. 9. *Non glorietur diues in diuitijs.*

E IV. Exterior apparentia. QVARTA gloria in exteriori apparentia, qua vestibus Pontificalibus fuit decenter ornatus. Ita vt dici possit illud Psalm. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Sed in illa potentia non est gloriandum. Quia sciuit Spiritum sanctum dicentem: *In vestitu ne glorieris vnquam.* Eccl. 9. Contra quod multi fecerunt, & faciunt, & gloriati sunt de veste exteriori. Sicut refert Vincentius lib. 10. in spec. hist. De Nerone, qui vnam vestem nunquam bis induebat. Etiam idem aureis retibus piscabatur. Sed quid profuit ei illa aurea piscatio, qui nūc apud inferos in auro liquefacto & fœtido pœnas luit. Sicut hoc à quodam visum fuit, vt habetur in Tragœdijs Senecæ.

Illa quatuor prædicta, Pontificalis potentia, alta sapientia, rerum opulentia, & exterior apparentia, multos (heu) nimis extulerunt, & tandem in profundum demerserunt. Nec ab illis honoribus pauci manent viui vita gloriæ, sed moriuntur morte culpæ. Ideò assimilantur mari mortuo, in cuius ripa secundum Isidorum lib. 15. crescunt poma virentia, & educta desiderium gignunt, quæ si carpuntur, resoluuntur in cinerem: fumumque exhalant. In hoc mari nihil manet viuum, neque pisces, neque aues, nec vagia patitur, quia omnia vita carentia in eo ad profundum demerguntur, in eo lucerna si fuerit accensa, lumen supernatat, demergitur autem statim, si lumen extinguitur. Quid per hoc mare aptius quàm gloria mundi, quæ consistit in his quatuor prædictis, designatur. Quia in gloria mundi, semper est amaritudo. Iuxta illud Bernardi in sermone: Nam in honore sine dolore nunquam in prælatione quis esse potest, sine tribulatione: & quamuis videtur producere fructus delectabiles ad vltimum tamen erunt, quasi cinis & stercus. Iuxta illud 1. Machab. 2. *Gloria viri peccatoris est stercus & vermis, hodie extollitur, & cras non inuenitur.*

In hoc mari nihil remanet viuum, vt dictum vitæ gratiæ, quia multi periclitantur. Ideo dicit Seneca in epistola ad Lucilium. Tu honorem mundanum, vt mortis præsagium semper fuge, nulli enim vnquam creduntur solium honoris ascendisse, quin in fine comprobentur grauiter corruisse. Hæc ille. Quia tales exstinguunt in se lumen intellectus, quod Deus animæ infudit, vt habetur 3. Regum de Salomone. Quia non intelligunt fallaciam gloriæ vel honoris, ideò submerguntur. Sed qui habet in se accensum lumen intellectus, iste supernatat, quia spernit gloriam mundi quantum potest, sicut fecit B. Donatus. Ideò non fuit submersus.

F II. SECVNDA gloria est spiritualis qui est hominis interioris, sicut præcedens fuit exterioris. Et consistit etiam in quatuor. PRIMÒ, in conscientiæ puritate. Nónne pulchrum

pulchrum est aurum? Est enim aurum, vt lux gloriosa, in quantum est diuisum à tenebris. Sic anima est in multa lætitia, & gloria plena, cum est diuisa ab omni culpa, & nullo malo permixta, secundum quod dicitur Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* hoc est, qui delectabiliter viuit, sicut homines in conuiuio. Et ibidem: *Cor,* inquit, *gaudens exhilarat faciem.* Cui consonat Apostolus 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* SECVNDÒ, consistit in recta animæ voluntate quia cor est omnium membrorum primum, motusque, & cæteris membris vitæ impensiuum, si fuerit rectum, nihil erit in corpore tortuosum. Sic etiam ex parte animæ, cum voluntas in regno animæ dominetur, si fuerit recta, Recta erunt & cætera. Ideo digna gloria, dicente Psalm. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* TERTIÒ, consistit in mentis, carnisque integritate, magnamque gloriam in auditamque lætitiam generat in animam, vtriusque hominis munditia. QVARTÒ, consistit in cognoscendo propriam vilitatem, ex qua scilicet materia generatur, quo cibo in ventre scilicet nutritur, cum qua veste in mundum nascitur, & inde exit. Et hæc cognouit Innocentius Papa, & ideò dicit de vilitate humanæ conditionis lib 1. cap. 0. Quis det oculis meis fontem lacrymarum, vt fleam miserabilem conditionis ingressum, & damnabilem humanæ dissolutionis egressum, culpabilem humanæ conuersationis progressum.

Gloria supernaturalis consistit. 1. In conscientiæ puritate. 2. Recta volũtate. 3. Carnis & mentis integritate. 4. Agnitione propriæ vilitatis.

Ista gloria fuit beatus donatus ornatus nam habuit conscientiam puram, non sorde peccatorum maculatam, ideò potest dicere illud Psalm. 17. *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi quia custodiui vias Domini.* Habuit corporis integritatem, vt ei competit illud Isaiæ 35. *Gloria Libani data est ei.* Libanus candidatio interpretatur, & significat mentis carnisq; suæ munditiam.

TERTIA gloria fuit æternalis, quæ est omnium nostrûm finis desideriorum, & consistit etiam in quatuor. PRIMÒ in sanctorum societate. Quid enim dulcius, quàm esse in consortio tantorum sanctorum, cum Christo regnantium? O mira societas, & prædulcis ex societate suauitas, videre tot sanctos, qui sunt reges purpura vestiti diademate coronati, super hunc solem omnibus bonis pleni: de quibus dicit Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis.* SECVNDÒ, consistit in bonorum omnium satietate. In hac enim vita semper scientijs proficere cupimus, & nunquam quod cupimus obtinemus quia quantumcũq; intelligamus, & proficiamus, semper superest, quòd quæramus. Ideò legitur in gestis Philosophorum, cum quidam Philosophus ad mortem venisset dixit: Se dolere, quod iam deberet mori, cũ iam tunc incipiebat discere Et alius interrogatus, vbi esset terminus scientiæ? dixit; Vbi est terminus vitæ. Tantæ autem capacitatis voluntas humana est, vt omnibus bonis mundi satiari non possit. Nam totus mundus Alexandro non suffecit, nec alicui regum potuit esse sufficiens, quod possidebat; ergo quanta est illa gloria, quæ sic intellectum consumat, affectum satiat, vt nihil vltra, quod possideat, quærat; sed omninò contentus existat secundùm illud Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* TERTIÒ, consistit in bonorum omnium reuelatione, quia nihil boni homini occultatur, vnde debebat esse lætus vel beatus. QVARTÒ, hæc gloria consistit in clara Dei visione, omnia enim alia mundi bona, omnia cœlestia non sufficerent nobis data, nisi diuinam essentiam videremus. Ideò dixit quidam Philosophus, quod tam delicata est Dei visio, totoq; honore dignissima, vt quicquid

G III. Gloria æterna consistit. I. In sanctorũ societate. II. Bonorum omnium satietate. III. Reuelatione bonorum. IV. Visione Dei.

quid haberi possit, illa non habita, non facit hominem beatum sed miserum; ergò summè beati erimus, quando Deum in se ipso videbimus. Et hanc gloriam certissimè posuit Dominus super famulum suum sanctum Donatum. Habuit enim consortium cum cœlestibus ciuibus, & est bonis omnibus satiatus, nihilque est, quod sit ei occultum, cum vidit Deum facie ad faciem, in quo tanquam in speculo clarissimo relucent omnia, & apparent, ideò conuenienter assumptum est pro festo ipsius hoc verbum; *Magna est gloria eius in salutari tuo.*

DE SANCTO LAVRENTIO MARTYRE.

Sermo Primus.

Vadam & videbo visionem hanc, quare non comburatur rubus. Exodi 3.

A Linius in spec. nat. lib. 10. c. 7. dicit. Salamandra est serpens, quæ sola contra incendia repugnat, sola inter alia animalia ignem exstinguit, & in igne sine consumptione viuit, Et causa huius est, magna frigiditas. Nam rectè sicut glacies in ignem proiecta, ipsum extinguit. Ita hæc bestia veniens in ignem propter sui frigiditatem. vt patet de pelle eius, de qua fiunt interdum cingula Regum, quæ post longam vetustatem in ignem proiecta non comburuntur, sed illæsi, purgati extrahuntur. De hac etiam lichni fiunt in lampadibus qui nullo incendio comburuntur.

B SPIRITVALITER. Per Salamandram beatum Laurentium possumus designare; quia rectè sicut Salamandra apparet solum tempore pluuiæ & tempestatis sed in tempore deficit serenitatis. Ita beatus Laurentius tempore persecutionis martyrum voluit occultari, quia cum Sixtus Papa ad passionem duceretur, apparuit Laurentius, clamans: Quò progrederis pater sine filio? quasi diceret: Paratus sum tecum mori, ô pater, non me derelinquas,

Iste sanctus martyr positus in ignem, illæsus in mente permansit, & frigiditate suæ castitatis per ignem diuinæ charitatis materialem ignem exstinxit, quod declarat beatus Ambrosius in sermone de hac festiuitate, dicens: Quamuis rex impius ligna subiiceret, vt incendia maiora incenderet, tamen sanctus Laurentius fidei calore accensus, non sensit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne quod patitur, *Et subdit* Laurentius in craticula flammarum igne torquetur, ardebat extrinsecus tyranni sæuitatis incendiis, sed maior illum intrinsecus CHRISTI amoris flamma torquebat. Nec potest in visceribus ignium tormenta sentire, quia sensibus paradysi refrigeria possidebat. Hæc ille. Ecce quomodo hæc Salamandra beatus Laurentius in ignem proiectus, incendijs illius repugnauit, nec combustus fuit, quod innuitur in verbis præmissis, vbi comparatur rubo incombusto. In quibus à tribus principaliter commendatur. *Primò,* quantum ad meritum, quod habuit. hoc tangitur *rubo.* *Secundò,* quantum ad tormentum, quod sustinuit, hoc tangitur in *incendio.* *Tertiò,* quomodo præualuit, hoc tangitur in *miraculo.*

Propositio.

De

De PRIMO est NOTANDVM, secundum Isidorum libro 17. rubus propriè Dornbüsch / est densitas spinarum, & aliorum fruticum, aculeos habentium, & acriter pungit. Et per hunc significatur beatus Laurentius, qui fuit plenus aculeis passionum, secundum quod dicit Ambrosius in sermone hodierno: Non enim, fratres, beatus Laurentius breui simplicique passione perimitur, nam qui gladio percutitur, simul moritur; qui inflammarum camino mergitur, vno impetu liberatur: hic autem longa & multiplici pœna cruciatur. *Et subdit.* Legimus beatos pueros in pœnarum suarum flammis deambulâsse, & igneos globos pedibus conculcasse, vnde & beatus Laurentius non minori gloria præferendus est. Siquidem illi in pœnarum suarum flamma ambulant, hic in ipso supplicij igne recumbit. Illi vestigijs pedum conculcant incendia, iste laterum suorum incendia diffusione restringit; Illi stantes in pœnis eleuatis manibus orabant ad Dominum, iste prostratus in sua pœna toto corpore suo Dominum deprecatur. Hæc Ambrosius. Vide quam plenus aculeis passionum fuit beatus Laurentius, rectè, sicut plenus stimulis est rubus pungentibus. Et est SCIENDVM, quod rubus plures habet proprietates, quæ merito beato Laurentio possunt communiter appropriari. Per rubum Laurentius designatur.

PRIMO, rubus est siccus & frigidus natura. Quod est frigidus, patet ex hoc, quod homines tempore æstiuo propter refrigerium reclinant, seu ponunt se infra rubum. Ita beatus Laurentius fuit frigidus ab æstu concupiscentiæ & libidinis. Ideo significatur per rubum ardentem, sed non combustum, de quo legitur Exodi 3. quod *Moyses pascens oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian. Cumq; minasset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Angelus in persona Domini, in flamma ignis, & vidit, quod rubus ardebat, sed non comburebatur.* Hæc fuit figura, quod quamuis beatus Laurentius arderet igne concupiscentiæ carnalis, tamen non comburebatur, sed intus frigidus fuit ab omni luxuria, secundum illud Iob. 33. *Mundus sum ego.* scilicet à vitijs carnis *& absq; delicto immaculatus, & iniquitas nō est in me.* Ideo potest dicere illud Eccli. 41. *In medio ignis,* scilicet concupiscentiæ luxuriæ *non sum æstuatus.* Fuit enim in medio ignis sicut adolescentes, in quibus adhuc æstuat ignis luxuriæ, sed tamen pertransit inustus. Sicut de hoc dicit Maximus in sermone præsentis diei. Ecce beatus Laurentius transit per ignem, non quo inhorruit inustus, sed effulsit illuminatus; arsit, ne arderet; ne vreretur vstus est. Hæc ille. ℂ 1. Proprietas rubi. Figura de rubo.

Et illud fuit magnæ gratiæ & virtutis, esse in igne concupiscentiæ & non comburi. Quia dicit Ambrosius libro de interpellatione Iob. cap. 7. In principio adolescentia magis ad vitia, scilicet carnalia, lubrica esse consueuit, quia pueritia habet innocentiam, senectus prudentiam, sed adolescentia sola inualida viribus, infirma cōsilijs, vitia colens, & illecebris dedita. Sicut hoc videmus de adolescentibus modernis, qui se exponunt diuersis fornicationum generibus, dicentes: sicut ait Augustinus in sermone de vita familiari extranearum mulierum. Adolescens sum iam, facio quod delectat, postea pœnitentiam agam. Sed illud est simile, quasi vnus dicat, percutio me gladio crudeli vulnere, & postea vadam ad medicum, & nescit quod vnius horæ puncto vulnus accipitur, sed post longa tempora ad sanitatem pristinam vix reuocatur. Hæc Augustin. Sed sic nō fecit B. Laurentius, sed habuit proprietates bonorum adolescentum, amorem Dei & timorem habentium. De quibus dicit beatus Ambrosius libro de officijs cap. decimonono. Est enim bonorum adolescentum, timo- Virtus est, nō comburi igne concupiscentiæ. Adolescētia ad vitia carnalia lubrica. Officium boni adolescentis.

timorem Dei habere; referre parentibus honorem, exhibere se moribus castitatem non aspernari, humilitatem diligere.

D
II.
Rubus est communis omnibus.

SECVNDO, rubus est communis omnibus. Omnis n. homo, qui voluerit, ad ipsum accedit, & colligit, nec vlli colligere inhibetur. Ita beatus Laurent. fuit communis, dando omnibus hominib. eleemosynam secundum quod dicit Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus*, scil. indifferenter omnib indigentibus, ideò *iustitia eius manet in seculum seculi* Super quo dicit Maximus: Quomodo nō huiusmodi in æternū manet iustitia, quā non solum facto impleuit, & opere, & gloriosissimo martyrio cōsecrauit, sed & eleemosynarum largitione tàm in vita quam post mortem deuorauit. Ideò refert Gregorius Turonensis exemplum.

Liberalis fuit S. Laurentius.

Exemplum.

Cum quidam sacerdos, quandam Ecclesiam S. Laurentij repararet, & trabes quædam nimium breuis esset, rogauit B. Laurentium, vt qui pauperes foueret, suæ inopię subueniret, quod cum rogasset sic excreuit, vt pars non modica superabundaret, quā partem sacerdos minutatim incidit, & inde multas infirmitates sanauit. Sic nos ab eo discamus & indigentibus subueniamus. Ideò docet B. Hieron. in Epistola quadam: Sine discretione omnibus indigentibus tribuas, non quæras, cui: quare? sed quibuscunq; in quacumq; necessitate poteris, succurre. Et hoc principaliter sacerdotes opulenti, quia eorum bona sunt pauperum, teste Hieron. de vita clericali. Omnia possessio sacerdotum intellige quam habent ab intuitu Ecclesiæ, eleemosyna est pauperum hominum, & si quid vltra necessitatem vitæ possederint, nec in eleemosynam pauperum erogauerint, furtum & sacrilegium existit, teste Deo. Sed hoc pauci animaduertunt sacerdotes, nam quorum domus deberent esse communes pauperibus, vt habetur 16. quæst. 1. can. Si cupis. quæ & patere debent omnibus peregrinis & hospitibus, sicut habetur 42. dist. c. Quiescamus. Nunc stant communiter clausæ, & nulli pauperi patent, & rarò de illis buccella sit panis eiecta. Ideò talibus specialiter dicet Christus in districto examine: *Esuriui & nō dedistis mihi māducare*, &c. Matt 25.

III.
Rubus est breuis staturæ.

TERTIO, rubus est breuis staturæ, non enim crescit in altum, sicut aliæ arbores, quod prouenit ex siccitate, quam in se habet, quod siccum consumit humidum, si aliquid est & non sinit in altum rubum eleuari, secundum naturales. Ita B. Laurent. fuit breuis, hoc est, humilis, quia sciuit se in sua humilitate sublimari. Fuit n. Archidiaconus sedis Apostolicæ, post quem, vt aiunt, in Romana sede alius non surrexit, sed de hoc nō extulit, sicut nunc quidam de suis dignitatibus se iactant & extollunt, quia nouerat, quod arbores altæ secundum Plinium in spec. nat. citius exarescunt, quod fit propter elongationem humoris, quem difficulter possunt attrahere. Ita est de altis superbis honoribus.

Ita B. Ambrosius in sermone, qui incipit. Libenter vobis prædicarem: comparat ipsum grano sinapis, quod est modicum, cum dicit: Beatum Laurentiū grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritis passionibus, per totum orbem gratia sui meruit fragrare mysterij, qui antea cōstitutus in corpore, erat humilis, ęgrotus, & vilis. Sed econtra qui volunt in altum extolli grauius ruunt. Sicut & audiuimus à patribus nostris, quod vtiq; nō sine magno tremore recolo, sed multo timore confiteor, prius ascendere ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum aūt cecidisse vsq; abyssos, & animas eorum infernum rapuisse. Vidimus stellas cecidisse de cœlo vsq; impercutientis caudæ draconis, & eos qui iacebāt in terræ puluere, à facie subleuan-

leuantis manus cœlos ascendisse. Quare autem illa omnia? quia in montem ascenderunt, in quem ascendit diabolus. Hæc ille. Ideo B. Laurentius voluit cum alijs in altũ crescere, sed in tabe humili decliuus permanere. Et hoc quo ad primum.

Quantum ad SECVNDVM commendatur, quo ad tormentum quod sustinuit, quod significatur in incendio. Videmus enim naturaliter in re per ignem accensa, vel ferro, vel carbone ignito, si habuerit aliquot refrigerans, sicut est, ros aqua, pruina, tunc incendium exstinguetur. Ita B. Laurentius qui fuit incensus igne exteriori, habuit triplex refrigerium, quo illud incendium exstinguebat.

E S. Laurent. triplici refrigerio incendium ignis exstinxit.

I. PRIMVM fuit desiderium cœlestis gloriæ, quod per rorem significatur, de quo dicit Ambrosius in sermone antè dicto: Licet iacebat ante pedes tyranni exusta caro corporis eius, tamen animus demorabatur in cœlis. De hoc etiam dicit beatus Augustinus in sermone huius festiuitatis: Ardet totis visceribus fortissimus martyr, & vritur, sed regnum Dei promissaque fideli mente pertractans, refrigeriũ conscientiæ victor exultat, nec pœnali flexus est incendio, cuius in pectore insuperabilis Spiritus sancti flamma feruebat. Hæc ille. Ita & nos si incendimur flammis tribulationum, refrigerium habeamus cum beato Laurentio, cœlestis gloriæ desiderium meditando, secundum Cyprianum in libro de mortalitate. Qualis illic cœlestium voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi; quæ summa & perpetua felicitas, illic est Apostolorum chorus gloriosus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam ornatus, qualiter illic triumphantes virgines, & illic remunerat feliciter patientes. Tunc reuera ardorem, & passionem, & incendium, & tribulationes corporis exstinguemus, & minus curabimus: quia secundum Senecam; Spes premij solatium est laboris.

II. SECVNDVM fuit meditatio legis diuinæ. De quo dicit Ambrosius, vbi suprà. Cum beatus Laurentius Christi præcepta cogitat, frigidum est omne illud illi quod patitur. Ideò potest de illo exponi illud Psalmo primo. *In lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Sic debemus nos iugiter legem Dei cogitare, quia dicit Hieronymus super Ioannem homilia tertia. Nihil est ita terribile diabolo ex his, quæ imponuntur ab eo cogitationibus, vt mens diuina cogitans, & huic semper se inijciens. De hoc etiam Hugo super Ieremiam: Sensus mentis rationalis ille quo diuina percipimus, aliquando ad Dominum coniungendo admittitur.

III. TERTIVM fuit puritas internæ conscientiæ, quam habuit B. Laurentius, sicut testatur Psal. 16. *Probasti cor meum, & non est inuenta in me iniquitas*, & propter conscientiæ puritatem, merito in craticula exultauit, quia secundum Sapientem, *non est oblectamentum super cordis gaudium* Eccli. 3. Et hoc quo ad secundum.

S. Laurentius tripliciter triũphauit.

Quantum ad TERTIVM cōmendatur quo ad triumphum, quo præualuit. Vbi NOTA, quod tripliciter triumphauit, vel præualuit. PRIMO, contra sensualitatem,

I. quod patet ex illo, quod contra naturam sensualitatis, quæ naturaliter læsiuam horret, in ipso incendio exultauit. Ideo dixit ad Decium, quod illæ essent epulæ delectabiles, quas semper optauerat. Ex quo patet, quod beatus Laurentius ad perfectionem Apostolorum peruenit, quod *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt*, &c. Vt habetur Actor. 5. SECVNDO, triumphauit contra tortorũ ferocitatem, quod ipsis subijcientibus prunas, insultauit Leuita Christi, & de mora, II.

 quod

quod eius pœna non acceleretur, reprehendit. Ideò potuit dicere illud Chrysostomi: Hæc mihi sit consolatio,& affligens me dolor non parcat, sciens, quod iuxta magnitudinem doloris, crescat magnitudo æternæ exultationis. TERTIO, vicit contra regiam potestatem. Nam in craticula ferrea positus,& prunis ardentibus suppositis, tanquam piscis Christo assatus. Decio insultauit, dicens: Ecce, miser assasti me vna parte, gyra, id est, verte aliam,& manduca. Ex prædictis patet, quod magna erat visio ista. Erat quidem magna manifestè quia insolita: magna feritate carnificum,& magna vtilitate, quia in magnum firmamentum fidei nostræ cedit, quod beatus Laurentius ita ardebat exterius per corporis exustionem, quod non comburebatur interius, per mentis læsionem. Sed floruit viriditate fidei, vt dicere possit cum Psalm. 27. *Et floruit caro mea & ex voluntate mea confitebor Domino.* Ex hoc quo ad Tertium.

IIII.

DE FESTO SANCTI LAVRENTII.

Sermo secundus.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert .Ioan.12.



Quæ natura lolij & tritici

PETRVS de Crescentia de rusticorum commodis lib. 3. dicit: quod lolium non est bonum in cibum humanũ, quia habet vim venenosam, quæ mentem inebriat & conturbat. Sed tamen habet virtutem vulnerum sanatiuam, cocta in cortice radicis,& vulneribus apposita, putrefactiones mundificat atque sanat, sed triticum est optimum in cibum hominis, quia laudabilem sanguinem generat,& venenis obuiat & repugnat.

Per lolium intelliguntur mali.

SPIRITVALITER. Per lolium mali intelliguntur, quia tales non cibant alios exemplo bono vitæ & doctrinæ. Ideò pro tanto iussi sunt eradicari. Exodi 23. *Maleficos ne patiaris viuere super terram.* Idem iubet beatus Hieronymus Comment. in cap. 5. ad Galatas, & ponitur 24. q. 3. c. Resecandæ sunt, inquit, putridæ carnes,& scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corrumpatur, & putrescat. Hæc ille. Sed tamen quamuis non cibant bonos, abstergunt tamen ab eis peccatorum putridos morbos, in quantum puniunt eos, propterea iussit Dominus vt viuere permittantur,& cum bonis conuersentur, secundum illud Deut. 23: *Non abomineris Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptum, quoniam aduena fuisti in terra Ægypti.* Quod exponens Nicolaus de Lyra, dicens: Per Ægyptum quæ interpretatur tenebrosus, significatur malus, quem iustus nõ debet abominari, quia fuit aduena in terra Ægypti, hoc est peccatoris, quia *iustus & rectus peccauerunt ei.* Deuter. 32. Sed per triticum intelliguntur boni, qui vita, verbo & exemplo pascunt fideles,& venenis resistunt peccatorũ, qualis fuit beatus Laurentius qui verbo & exemplo Christi fideles saginauit,& peccatis Decij repugnauit. Ideò hic in verbis thematis tritico assimilatur, cum dicitur: *Nisi granum frumenti,*&c. In quibus duo scribuntur. *Primo,* mortis eius necessitas, ibi; *Nisi granum frumenti. Secundò,* passionis vtilitas, ibi; *Si autem ipsum mortuum fuerit.*

Propositio.

DE PRIMO est NOTANDVM, secundum naturales, si granum tritici aut alterius

nius frumenti debet ferre fructum, necesse est, vt à seminatore in terram proijciatur, in qua prius substantiam amittat, & nisi taliter moreretur, nequaquam fructus multiplicarentur, sicut Dominus hic in parabola insinuat, dicens: *Nisi granum frumenti.* A

MYSTICE. Per granum tritici significatur B. Laurentius multiplici ratione. PRIMO, triticum inter alia frumenta interius est albissimũ, & illud inter cætera est optimum ac magis nutritiuũ, de illoq; melior farina ad pinsendum panes fit. Ita beatus Laurentius fuit albus per virginitatem & castitatem, vt dicere posset illud Tobiæ 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.* Verè decuit, tanquam ministrum altaris, ipsum esse per continentiam album, quia dicitur per Gregorium in Registro, & habetur 1. quæst. 1 §. Necesse est, vt manus sit munda, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet. Sed nunc non aduertunt ministri altaris & Ecclesiæ, sed (vt Bernar. de contẽptu seculi dicit) puritatis auctorem impuro corde & corpore ministrant, nec verentur stare ante angelum Domini, qui secet eos medios & disperdat. Sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Saluatoris manus nefarias, quibus paulò antè (prô dolor) meretrices contrectauerunt. Hæc ille.

S. Laurentius comparatur grano tritici multipliciter.

I. Ministri altaris debent esse mundi.

B

SECVNDO, granum tritici est maioris nutrimenti, si non fuerit nimis nouum, sed si fuerit nouum est pauci nutrimenti, & illud si comeditur crudum, est inflatiuũ, & lateribus dolorem cõmouet: citò etiam conuertitur in putredinem, & aliquando lumbrici & alij vermes ex illo citò generantur, vt dicit Isaac in dietis. Sed B. Laurent. tanquam nobilissimum granum fuit boni nutrimenti, multos pauperes pascẽdo, secundum illud Psalm. 111. *Dispersit dedit pauperibus.* Perpendit n. illum Isidori lib. 3. de summo bono. Hoc tantum habet possessio rerum præsentium, vt vitam reficiat miserorum. Similiter illud beati Augustini. *Nihil inuenerunt omnes diuitiarum viri, in manibus suis.* Vis, inquit, aliquid inuenire post mortem in manibus tuis? noli contemnere vitam modo pauperis, respice manus plenas. Sed sic modo non faciunt rectores Ecclesiarum, sunt enim valdè parci nutrimenti, pauperibus parum vel nunquam aliquid erogando, nec hunc gloriosum martyrem imitando, de quo canitur Leuita Laurentius bonum opus operatus est, qui thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. Ideò de illis dicit Ambrosius lib. 2. de officijs, & habetur transumptiuè 12. q. 2. cap. Aurum. Aurum habet etiam Ecclesia, non vt seruet, sed eroget, & subueniat in necessitatib. Quid opus est custodire, nihil adiuuat? O sacerdos, nónne dicturus est tibi Dominus: Cur passus es tot inopes fame mori, aurum in Ecclesiæ vasis habebas, nec pauperibus eleemosynam ministrabas, melius fuerat, vt vasa viuentiũ seruares, quàm metalla. Timui, inquit, ne in templo Dei ornatus deesset. Respondebit; aurum sacramenta non quærunt, neque auro placant, quæ auro non emuntur: ornatus sacrorum redemptio est captiuorum. Ille thesaurus verus est, qui operatur quod sanguis Christi operatus est; & vere illa vasa sunt pretiosa vasa; quæ redimunt animas à morte. Hæc ille.

II. Triticum nouum non tam bonum quã vetus.

Psal. 75.

Aurum Ecclesiæ in quem vsum.

Redimere captiuos est ornare Sacramenta.

Ad idem dicit B. Bernardus in Apologetica. O vanitas vanitatum, fulget Ecclesia in parietibus, eget in pauperibus suis, lapides auro induit, & suos filios nudos deserit, de sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum, inueniunt curiosi quo delectantur, & non inueniunt miseri quo sustententur. Ideò dicit Hieronymus ad Paulinum; verum Christi templum animam credas, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria,

naria in illa Christum suscipe. Quæ enim est vtilitas parietes gemma fulgure, & Christum in pauperibus mori fame, quasi diceret, nulla.

III. Tertiò, granum tritici est interius fuscum, per quod significatur humilitas beati Laurentij: qui beato Sixto in omnibus tanquam patri humiliter obediuit, & pauperũ pedes lauit, quamuis esset Archidiaconus Romæ, quod tunc nulli alteri est concessum. Ideo bene compleuit illud Eccli. 3. *Quanto maior es humilia te in omnibus*. Super quo dicit Gloss. quamuis humilitas in omnibus sit laudabilis, maximè tamen in potentibus est prædicabilis, quia nulla maior ipsum merces coronabit. Cui gloriosè concordat Bernardus, dicens: cũ omniũ indifferenter personarum humilitas sit quædam turris à facie inimici, nescio quo pacto sit maior in maioribus, clarior in clarioribus. Sed sunt quidam Prælati spirituales, qui secundum Bernardum de contemptu seculi, cum militibus superbiæ vastam & amplam habent familiam, & nobiles apparatus, equorũ phaleras accipitres, & his similia frequentant, cum agricolis non laborant, & tamen eorum promptuaria implere mandant, cum negotiatoribus mare non per ambulant, & tamen aurum in scrinijs suis propter iactantiã accumulant. Sed cum resurgere cœperint homines vnusquisque in ordine suo, vbi putas generatio ista locabitur? Si ad milites fortè diuertent exufflabunt eos, quod minimè pericula & labores tolerauerunt. Sic agricolæ, sic negotiatores, sic singuli à suis arcebunt vt porcos qui in labore hominum non sunt, neque fuerunt. Quid ergo restat, nisi vt quos omnis ordo repellit, pariter & excludit, eum sortiantur locum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hæc Bernardus.

C

IV. Qvartò, granum tritici inter omnia alia frumentorum genera graue est, & præcipuè quod crescit in terra pingui & putribili, crassius est & pinguius, & ponderosius atq; nutribilius quàm aliud ꝙ crescit in terra sicca. Ita B. Laurentius fuit optimum granum inter alios Martyres & etiam Confessores: quia seminatus fuit in terrã Romanam, quæ fuit pinguissima, sanguine martyrum fœcundata, & plena pinguedine gratiarum, & rore sanctorum in ea occisorum. Ideo dicit beatus Augustinus in sermone. 10. huius diei. Inter laurigeros Confessores & quos ad cœlum prouexit perennis gloria triumphorum, beatus Laurentius veritatis fulgore decorus coruscat, quoniam Leuiticam, & candidam & immortalem sortitus est in passione coronam. Quosdam igitur sanguis roseus cruentauit, alios flamma tanquam in fornace accendit. In His roseus cruor, in istis purpureus color effulsit, inter omnes Beatus Laurentius palma vniuersi coloris radicauit. Hæc ille in his verbis patet, quod Beatus Laurentius inter alios martyres, tanquam granum pretiosissimum, obtinet pincipatum. Non enim maiorem pœnam sustinuit quàm alij sancti martyres, cum multi tantam pœnam, & alij maiorem legantur sustinuisse.

Laurentius multos Martyres præcellit.

Sed hoc fuit propter sex causas, quarum tres ponit venerabilis Doctor Gulielmus in rationali diuinorum libro 7. *Prima* propter passionis locum, quia Romæ passus est, quæ est caput mundi, & Mater omnium Ecclesiarum, & vbi est sedes Apostolica, vbi habetur in canone, distinct. 12. Non decet. *Tum* propter prædicationis officium, quod diligenter adimpleuit. *Tum* propter laudabilem dispensationem thesaurorum, quos omnes pauperibus sapienter distribuit. *Tum* propter authenticum & approbatum eius martyrium: quia etsi de alijs maiora tormenta legantur, tamen hoc authenticum non habetur: huius autem passio in Ecclesia est valde solennis & appro-

Roma caput mundi & Ecclesiarũ.

approbata. *Tum* propter grandis dignitatis excellentiam; quia fuit Archidiaconus sedis Apostolicæ. *Tum* propter seuitiam tormentorum, quia grauissima pertulit, quia super cratem ferream assatus fuit. Ideò inter alios martyres tria habet priuilegia. Tria priuilegia B. Laurentij.

Primum, quia inter Martyres solus habet vigiliam, seu ieiunium. *Secundum*, cum Octaua, quia ipse solus cum B. Stephano habet Octauam inter Martyres, sicut Martinus inter confessores. *Tertium*, in regressionibus antiphonarum, quod solus ipse & Paulus habet. Paulus habet propter excellentiam prædicationis, sed Laurentius habet propter excellentiam passionis.

QVINTÒ, granum tritici quamuis est albissimum & optimum, tamen multipliciter teritur, quia tribulatur, ita quod dicatur à tritura secundum Isidorum lib. 7. vt sic purissimum in horreo granum recondatur. Deinde etiam commolitur, vel territur, vt comedatur. Cum enim coquitur grauissimum est, & multum inflat, & humorem generat. Si autem assatum fuerit, magis nutrit, & ventositatem facit, vt dicit Isaac in dietis. Sic beatus Laurentius quamuis fuit interius mundus in conscientia, purus in corpore suo, attamen igne assatus; quod testatur B. Augustinus in sermone suo vbi suprà. Laceratos, inquit, artus multa membrorum sectione conscissos, subiecto igne præcepit, torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in se haberet vrendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior & pœna productior. D V.

De hac pœna dicit B. Ambrosius in sermone huius festi, dicens: Beatissimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo, & quãdam persecutionem pertulerit, dilectionem vestram scire non dubito. Tanta enim martyrij gloria exstitit præclarus, vt passione sua mundum illustraret vniuersum. Illuminauit plenè mundum Laurentius eo lumine quo ipse accensus est, & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit.

SEXTÒ, granum tritici, vt dicit Isaac, quando in ore masticatur, valet contra morsum rabidorum canum: qui exsiccat venenum. Ita B. Laurentius si deuotè masticatur in ore mentis, per dilectionem ad ipsum & memoriam; liberabit à morsu rabidorum canum infernalium, & extrahet venenum peccatorum, quod in Henrico Imperatore demonstrauit. De quo refert Iacobus Ianuensis, qui cum obijsset, maxima multitudo dœmonum ante cellam cuiusdam Eremitæ transibant, qui aperta fenestra interrogauit vltimum qui nam essent. Et ille Legio dœmonum sumus, qui ad mortem Cæsaris properamus, si aliquid proprij in eo reperire possimus Adiuratur autem, vt ad se rediret: qui rediens dixit: Nihil profecimus, quia dum bona & mala in statera fuissent posita, adustus ille Laurentius ollam auream immensi ponderis attulit, & dum superasse videbamur, illa iactata super alia, plurimum præponderauit. Tunc ego iratus, vnam aurem ollæ dirupi. Ollam calicem vocabat, quem dictus Cæsar * Onicensi Ecclesiæ in honorem sancti Laurentij fieri fecerat, & ipsum sanctum martyrem in magna deuotione habuerat. Ideò B. Augustinus in sermone 10. huius festiuitatis, dicit: Beatum virum Laurentium tota deuotione debemus suscipere, quia prætiosum sanguinem suum propter Deum tradidit, & tam sanctæ conuersationis fuit, vt coronam martyrij tempore pacis inueniret. Hæc ille. E

In vita S. Laurentij.

Laurentius sibi seruientes in vita fideliter in fine iuuat

* alias Mersburgensi.

Illud nobilissimũ granum B. Laurentius cecidit in terram aduersariorum, & tyrannorum,

norum, & actum est dicente Augustino, vbi suprà. Sæuisti persecutor in martyrem, sed auxisti palmam dum aggeras pœnam. Mortuus enim est, vt fideles multiplicaret. quia secundum Augustinum. Hæc totius causa passionis, propter quam morti est addictus vir sanctus, fuit, vt exemplo sui similes esse cæteros exhortaretur. Ideò in sermone dicit Ambrosius. Quis enim velit hoc exemplo pro Christo ardere cum Laurentio vt posset cum Laurentio coronari. Quis voluerit ad honorem Laurentij sustinere pœnam, videlicet ignem, vt æternum gehennæ non patiatur incendium. Hæc Ambrosius. Et quia mortuus est, multum fructum attulit, sicut patet de Hyppolito, quem cum omni familia sua credere fecit in Deum, & de multis alijs. Et sic taliter tribulatus & purgatus ductus est & portatus ab angelis in granarium aulæ cœlestis, cum istis quos conuertit. Ideò potest dicere illud Psalm 16. *Probasti me Domine igne me examinasti, sicut examinatur argentum: transiui per ignem & aquam, & induxisti me in refrigerium.* Vbi secundum Bernhardum libro meditationũ. Pax, pietas, bonitas, lux, virtus, splendor, honestas, gaudium, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia. Et quomodo ad hoc refrigerium peruenerit, patet in Legenda, vt clarè vides.

DE SANCTO LAVRENTIO MARTYRE.

Sermo Tertius.

Probasti cor meum, & visitasti me nocte, igne me examinasti, & non est Inuenta in me iniquitas. Psal. 16.

A Icunt Naturales, quod ebur est multum frigide naturæ, ita quod si super carbonem igneum ponatur sua frigiditate mox exstinguit. Et ad probandum ipsum, si sit verum, ponitur ad ignem, & si non recipit adustionem, bonum est & verum; sin autem, tunc est sophisticatum. Ita potest probari, an pecten sit eburneus, sumatur crinis & pectini supponatur, quod si crinis non comburitur pecten eburneus creditur; quia sua resistit frigiditate calori carbonis, ne crinis comburatur. Si autem comburitur crinis, pecten de ebure non credatur, sed de ossibus piscium marinorum.

SPIRITVALITER. Per ebur intelliguntur omnes Christiani, qui debent esse frigidi ab omni æstu auaritiæ, & mundane concupiscentiæ, secundum illud Rabani super Matthæum: O opes, maligna auaritia semper bonis hominibus detestanda. (Opes.) Illos siquidem homines probat Deus iactando in ignem concupiscentiæ aut intolerantiæ dicente Ioanne 1. Ioan. 5. *Totus mundus in maligno positus est*, id est, in malo igne concupiscentiæ. In hoc aliqui comburuntur in signum quod non sint veri Christiani. De quibus Psalm. 57. *Super cecidit ignis*, scilicet luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, & intolerantiæ, *& non viderunt solem.* In luxuria combustus fuit Salomon 3. Regum 11. In auaritia, rex magnus Alexander, cui totus mundus non suffecit; sicut legitur in historia sua. In superbia, Saul de quo 1. Regum per totum. In intolerantia adhuc multi

multi comburuntur, sicut impatientes. Sed in his ignibus boni & veri Christiani non comburuntur, sed probantur, & purgantur. Ideo dicit Dauid Psalm. 16. *Igne me examinasti, sicut examinatur argentum.* Et quare hoc? certè ideò, quia sciunt illud, quod dicit deuotus Amandus in horologio sapientiæ lib. 1. cap. 13. Quod tanta est præeminentia æternæ gloriæ, ad temporales ac transitorias *tribulationes*, vt diligens perspector deberet potius eligere, multis annis in fornace ignis ardentis velle torqueri, quàm minimo præmio in futurum sibi reseruato, velle priuari, quia labor cum fine, merces sine fine. Hæc ille.

Tribulationes.

Et talis eburneus verus Christianus fuit B. Laurentius, qui nec igne luxuriæ exustus est, quia creditur fuisse virgo, nec igne auaritiæ, quia dispersit thesauros, & dedit pauperibus: nec igne superbiæ, quia humiliter lauit pedes pauperum; nec etiam igne intolerantiæ combustus est quia de eo scriptum est illud Isaiæ 43. *Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non consumet te, quia ego saluator tuus.* Ideo potest conuenienter dicere hæc verba thematis. *Probasti cor meum*, &c. In quibus quatuor de ipso dicuntur. *Primum*, quod fuit à Deo probatus. *Secundum*, quod fuit à Deo visitatus. *Tertium*, quod fuit à Deo examinatus. *Quartum*, quod fuit à Deo inuentus immaculatus.

B

De PRIMO NOTANDVM. Homo patiens probatur iniuria & opprobrio. Sicut de hoc legitur in Vitis Patrum libro secundo, cap. 8. de quodam discipulo, qui volebat scholas intrare Athenis. Erat autem quidam senex positus ante collegium, qui intrantes probauit de patientia. Ille qui conuiciis affligebatur, & qui impatiens fuit, intrare collegium minimè est permissus. Venit ergo prædictus iuuenis ad ostium, quem videns senex, ipsum multum iniuratus est, & opprobria intulit, ille autem tanquam patiens illa omnia non curauit, sed exorto cachinno risit. Ad quem senex. Quid est hoc, quod agis? Ego te iniurior, & tu rides. Cui iuuenis. Vt quid non rideam, cum tribus annis mercedem dederim, vt hoc paterer, sed nunc gratis patior. Quod audiens senex, dixit: Ingredere ergo, quia dignus es inuentus.

Homo quomodo probetur.

Ad propositum. Sic B. Laurentius. Quia fuit patiens agnus, qui mactatur ad edendum, ideo fuit probatus Deo permittente multis opprobriis & tormentis. Multa enim opprobria audiuit, tormenta maxima sustinuit, & in omnibus patiens fuit. Ideo figuratur per Tobiam, Tob. 2. vbi legitur, quod Tobias libenter sustinuit obcæcationem oculorum, & alias passiones: & cum sui eum deriderent, ait. *Nolite ita loqui, quia filij sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Ita B. Laurentius passus multitudinem dolorum, tam in verbis, quàm in plagis fuit semper patiens, quia sustinuit pro vita æterna, quæ non datur impatienti, teste Origene, qui dicit. Cuncta quæ homo passus fuerit in hac vita, si absque perfecta ferantur patientia, à cœlesti præmio fit penitus alienus. Ideo Hugo de claustro animæ lib. 1. laudat B. Laurentium vltra Abraham, quia multa sustinuit, & tamen in omnibus fortis fuit & patiens, dicens. Fortissimus Abraham. B. Laurentius fortior fortissimo Abraham, qui filium suum Deo obtulit; Laurentius se ipsum pro filio Dei. Hic ignem parat, colligat filium, gladium euaginat, sed angelum audit prohibentem ne perficiat. Ille ad ignem positus Christum prædicat, carnifices qui vrgentes carbones ministrabant, verbis non exasperat. Abraham, quia obe-

Laurentius probatus est multis.

Tobias figura S. Laurentij.

Patientia.

diens fuit, filium recepit incolumem. Ille quia patienter perseuerat in tormentis, à Dei filio suscipitur in salutem. Hæc Hugo. Ideò dixit: Gratias ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.

C SECVNDO, Homo sapiens probatur argumento, sicut scholaris sapiens in scholis quem volens probare Magister, proponit ei argumentum arduum; quod si scholaris debite expedierit & soluerit, sapiens reputatur, & talis nonnunquam in locatum exaltatur. Sicut etiam legitur Danielis 5. Quod rex Balthasar volens probare sapientiam Danielis, proposuit illi obscurum argumentum quod fuit MANE, THECEL, PHARES. Ille autem sapienter exposuit & dissoluit, vt dicitur ibidem. Ideo exaltauit ipsum, *induens eum purpura, & torquem auream collo eius circumdedit*. Sic B. Laurentius probatus est, & sapiens inuentus. Nam tyranno obiicienti sapiens dabat responsum. Cum enim thesauros peteret, ille colligens pauperes, dixit: Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur, sed crescunt, qui in singulis disperguntur, & in omnibus inueniuntur: horum enim manus thesauros in cœlum deportauerunt. Pulchra & sapiens responsio, per quam ostenditur, quod spiritualia bona aliis communicata, non minuuntur sed crescunt.

D Quomodo autem possint ad inuicem communicari bona spiritualia, ostendit B. Augustinus lib. 50. homil. dicens. Congaude illi cui Deus aliquam gratiam dedit, & potes in illo quod in te non potes. Ille fortè habet virginitatem, ama illam, & tua est. Tu habes maiorem patientiam diligat te, & sua est. Ille potest satis vigilare, si non inuides tuum est studium. Tu fortè potes amplius ieiunare, suum est si amet te: hoc ideò, quia in illo tu es proprietatem habens, sed per charitatem tu es. Hęc ille. Ostendit etiam in hac sapienti responsione, quod bona temporalia donata pauperibus augentur, sed seruata minuentur. Quod testatur etiam Ioannes Chrysostomus: Qui collocat thesauros suos in mundo, non habet quod speret in cœlo, nec respiceret cœlum, si nihil haberet in eo repositum. Quod pro anima tua feceris, tuum est: quod autem relinquis, amittis. *Et subdit*. Quæ stultitia est, ibi thesauros reponere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es. Illic substantiam tuam colloca, vbi est tua patria. Hæc Chrysostomus.

Communicatio bonorum spiritualium, quomodo fiat.

Thesauri quomodo collocandi.

Exemplum.

Facere enim oportet secundum exemplum cuiusdam regis, de quo refert Barlaam in distinctionibus Iosaphat. In quadam magna ciuitate talis erat consuetudo, vt quendam extraneum omni anno in regem eligerent, qui faciebat quicquid volebat, & in delitiis viuebat. Completo igitur anno, ciues in ipsum irruebant, & nudum per totam ciuitatem trahebant, & tandem in remotam insulam mittebant, & relegabant, vbi deficiente cibo vel vestitu, fame & frigore deficiebat. Quidam autem sublimatus in regem, cum consuetudinem ciuium sciret, infinitos thesauros ad insulam transmisit, vbi post annum in exilium relegatus, cæteris fame deficientibus, delitiis abundauit. Et exponit, dicens. Ciuitas hæc mundus est, ciues sunt principes tenebrarum, qui nos falsa mundi delectatione alliciunt, nobisque non sperantibus superuenit mors, & sic nudi trahimur in locum miseriarum, vbi non possumus cibum inuenire. Nunc ergo, ex quo scimus consuetudinem horum ciuium, præmittamus diuitias ad æternum locum per manus egenorum, sicut fecit B. Laurentius. Et hoc etiam consulit Saluator Matth. 26. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.*

TERTIO. Homo fortis probatur in prælio & supplicio, sicut probatus est B. Iob, eiusdem 1. cap. cui hostis antiquus sæpe mortem minatus est: *Corpus eius graui vulnere vulnerauit.* Deniq; charissimos filios exstinxit, & omnia alia bona temporalia abstulit, nec tamen à fortitudine animi potuit ipsum per hæc supplicia remouere: Sic B. Laurentius probatus est, & fortis inuentus, quia Decius omne genus tormentorum sibi minatus est, vt ipsum exterreret, nisi idolis sacrificaret, sed ipse mortem libenter pro Christo sustinuit, vt vitam inueniret cœlestem, & potest de ipso exponi illud 2. Machab. 6. Iste *gloriosam mortem magis, quàm odibilem vitam amplectens, voluntariè præibat ad supplicium.* Quia secundum Chrysostomum: Melius est pro tempore mori, & in æternum viuere, quàm in perpetuum mori.

Probatus est etiam dolore corporis, quia expertus est fustes scorpiones, laminas ferreas, plumbata, omnia genera tormentorum, & tandem craticulam ferream. Sed quo magis cruciabatur, in Deo magis delectabatur, dicens. Infelix has epulas semper optaui. Probatus est per subtractionem patris sui carissimi Sixti, post quem clamauit: Quo progrederis sine filio pater, quo Sacerdos sancte sine ministro properas? Sed tamen non doluit de eius subtractione, quia sciebat quod hunc, quem habuit fidelem patrem, habiturus esset in breui cohæredem. Non enim fecit hic sanctus martyr, sicut nunc faciunt homines, qui de morte amicorum & parentum flent, dolent, & tristantur: Contra quos dicitur per Cyprianum, & habetur 14. q. 2. c. Quia est præpostferum. Flendum non est pro morte amicorum, qui eos non amittimus.

Probatus etiam est amissione rerum temporalium, quia omnia bona Ecclesiæ, quæ erunt in eius potestate tyrannus rapuit, sed talem amissionem non curabat. Legerat enim hoc verbum sapientis Catonis. E.

Ereptis opibus nolito timere dolendo:
Sed potius gaude, &c.

Legerat etiam exempla Philosophorum antiquorum, de numero quorum vnus fuit nomine Anaxagoras, de quo refert Eudoxus in gestis Philosophorum, & Valerius. Hic cum in Asia admodum diues esset, omnibus derelictis possessionibus, ob gratiam studendi, diutinam peregrinationem assumpsit. Cum autem post multa tempora reuersus esset & possessiones desertas videret, non tristabatur, sicut modo nos facimus amissis rebus nostris, in parte vel in toto, sed ait. Ego non essem saluus nisi possessiones istæ periissent. Quia viri perfecti non curant de amissione rerum temporalium, scientes quod omnia citò finiuntur. De his dicit Apostolus ad Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Et hoc quo ad primum.

Plato in Hippia maiore. Laertius, Valerius l. 8. c. 7.

Quantum ad SECVNDVM ostenditur in his verbis, quod B. Laurentius sit à Deo visitatus, cum dicit, & visitasti nocte.

Circa quod NOTANDVM. Secundum Auctorem lib. 9. propriet. Nox dicta est à nocendo, quia oculis nocet. Est etiam nox tempus nocentibus aptum, & parentibus tollens verecundiam. Iuxta illud Ouidij de arte. F.

Nox, & amor, vinum nihil moderabile suadent.
Illa pudore caret, Liber amorq; metu.

Et capitur hic Liber pro Baccho & vino.

MORALITER hic per noctem intelligitur tribulatio, quæ multoties nocet bonis hominibus, qui sunt quasi oculi & lumen aliorum, quia sæpè sensualitatem pertur-

bando obscurat. Et hoc testificatur Ecclesia sanctorum, sicut legitur de Christo Matt. 26. Qui cœpit instanti tribulatione sua tristari & mœstus esse, dicens. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Ita etiam potest dici de aliis, quorum sensualitatẽ tribulatio mœstificat & obscurat. Quia dicit Doctor Amandus lib. 1. cap. 13. in horologio Sapientiæ: Tribulatio cum præsens est, mœstitiam præstat, cum autem præterit, & fuerit victa, summè lætificat, breuemq; amaritudinem, & longam consolationem facit. Etiam sicut nox est tempus aptum animalibus nocentibus, quia tunc lupi intrant domos villanorum, eis damnum inferendo.

Tyranni apris crudeliores.

Similiter apri intrant vineas & agros, & quæ inueniunt, lacerant, quæ aliàs in cauernis de die & antris suis latitant, vt dicit Gregorius. Ita in nocte tribulationis lupini tyranni etiam apris crudeliores, plus solito nocent bonis Christianis, & vineam Domini sanctam Ecclesiam magis deuastant, quia hæc est hora eorum, sicut Christus dixit, Iudæis ad se nocte venientibus, vt eum caperent. *Hæc est,* inquit, *hora vestra & potestas tenebrarum.* Lucæ 22. Ita etiam fuit quo ad præsens, quia crudelis inimicus Decius in nocte tribulationis multum deuastauit vineam Dominicam, multa millia martyrum occidendo. In qua quidem tribulatione Dominus ipsum visitauit diuina consolatione, vt impleretur illud dictum Dauidicum. *Cum ipso sum in tribulatione.* Et hoc ostenditur hic in suo Martyre Laurentio glorioso. Qui dicit. *Visitasti me nocte & igne,* scilicet tua gloriosa atq; diuina consolatione. Psal. 90.

G

Quomodo Laurentius à Deo consolatus fuerit.

Et est NOTANDVM, quod in nocte tribulationis visitauit Deus Laurentium per quatuor consolationes quas sibi fecit. De quibus dicitur Psal. 138. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Non enim tunc in delitias vertitur: quãdo tribulatio amoris dulcedine superatur. Sic B. Laurẽtio tribulatio in dulcedinẽ versa fuit, quando dixit. Disce miser, quod tormenta tua mihi epulæ sunt, quia secundum August. Omnia sæua: omnia immania, facilia & propè nulla facit amor. Sicut refert de hoc Valerius in Policrate lib. 8. Quod Diogenes Philosophus tanto amore ad cœlestia æstuauit quod mortem nequiens expectare naturalem, igni se dedit præcipitem, sicq; spiritum pro amoris desiderio exhalauit. Ita etiam B. Laurentius ex magno amore, quem habuit ad præmia æterna multo tempore ante naturalem mortem, non timuit ignis incendium.

I. Tribulatio.

II. Securitas gratiæ.

SECVNDÒ, causabatur ex securitate gratiæ. Securus enim erat, quod in sua tribulatione à gratia cadere non poterat. Et hoc tangitur, ibi; *Quia tenebræ non obscurabuntur à te.* Tunc enim tenebræ non obscurabuntur, quando quis in tribulatione positus, per pœnæ caliginem non obnubilatur. Sicut factum est de B. Laurentio. Ideo poterat dicere cum Apostolo ad Roman. 8. *Certus sum, quod neq; mors, neq; vita,* &c.

III. Serenitas conscientię.

TERTIA, causabatur ex serenitate conscientiæ. Ideo subinfertur: *Et nox sicut dies illuminabitur,* quia tribulatio luce conscientiæ serenatur. Istam serenitatem & lucem conscientiæ habuit B. Laurentius, quando dixit: Mea nox obscurum non habet.

IV. Certitudo gloriæ.

QVARTA, consolatio causabatur ex certitudine gloriæ. Ideo subiungitur. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Tunc enim lumen est, sicut tenebræ, quando quis recipit multitudinem cœlestium gaudiorum secundum multitudinem passionum. Iuxta illud Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Istam certitudinem cœlestis gloriæ habuit, quando dixit: Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui. Et tantum de secundo.

DE EODEM SANCTO MARTYRE.

Sermo quartus.

Igne me examinasti, & non est in me inuenta iniquitas. Psalm. vbi suprà.

DIcunt Naturales, quando homo veneno intoxicatur, si eius cor extraheretur, & in ignem poneretur, comburi non posset. Quod probat B. Augustinus, dicens: Quod consuetudo erat antiquitus, vt corda Imperatorum post mortem igne comburerentur, & cineres in solem in loco ponerentur. Accidit, vt quidam Imperator moreretur, cuius cor, cum ad ignem positum fuisset, non potuit concremari, & multi super hoc admirabantur, & omnes Magistros & Sapientes illius prouinciæ vocauerunt, & ab eis causam quæsierunt. Tandem inuenerunt causam naturalem, & dixerunt, quod Imperator esse veneno intoxicatus, & propter venenum non posset cor illius comburi. Tunc extrahentes cor de igne, & venenum fugauerunt, & iterum ad ignem posuerunt, & mox in cineres est redactum. Et dicunt naturales vlterius, quod tale cor sic intoxicatum post nouem annos in lapidem pretiosum, nomine Phirophilum, transmutatur, qui habet has virtutes: quod protegit à fulmine & tonitruo, dat victoriam contra hostes, & à morte subitanea custodit. A

SPIRITVALITER. Quamuis venenum significat generalius peccatum, tamen in proposito sumere possum ꝓ amore Dei. Rectè enim sicut venenum dulce est, & hominem interficit, sic amor Christi, est valdè dulcis deuotis hominibus & pfectis, sicut dicit B. August. lib. 5. Confess. Memoria de te, bone Iesu, super me dulcis, cogitare de te, plus q̃ cibus; loqui de te, plus q̃ refectio; nosse te perfecta dilectio; amare te, vita æterna est. Hic amor Dei tantus est, quod hominem interficit, etiam aliquando morte corporali, sicut patet de Diogene, supra sermone præcedenti, membro secundo. Si enim hoc amore cor hominis infamatur, nullo igne concrematur, sicut testatur Aponius in Canticis Canticorum, dicens: Electa namque mens quæ verè in dilectione Dei fuerit inflammata, nunquam metuit pro eius amore, pro eius nomine, ꝓ eius fide, neq; ignem, neq; bestias, neq; gladij rigorem. Quod manifestè patet de sancto Laurentio, qui licet in ignem fuisset positus, tamen cor eius amore accensum, cremari non potuit, sicut de hoc dicit Augustinus in sermone huius diei. Igne Beatus Laurentius accensus, flammarum non sensit incendia, & dum Christi arderet desiderio, persecutoris pœna non ardet. In quantum enim in illo fidei ardor fuerit, in tantum supplicij flamma refrigescit. *Et subdit.* Corporaliter Beatus Laurentius laborabat incendio, sed amore Christi succenditur, qui materialem restringit tyranni ardorem. Hæc ille. Ex qua auctoritate patet, quod cor eius amore accensum, non potuit igne inflammari. B

Sed nunc cor eius, vel anima, versa est in lapidem pretiosum, quo plateæ cœlestis Ierusalem, & muri decenter sunt ornati. Et habet virtutes lapidis prælibati, quia protegit sibi seruientes, à fulmine & tonitrue districti iudicij, & ignis æterni, quando dicetur malis: *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 28. Dat etiam victoriam

contra hostes humani generis, sicut patet de Henrico Imperatore, suprà sermone II. Et liberat à subitanea morte. Non enim permittit sibi famulantes morte mori improuisa. Et quod non potuit cremari mens eius & cor, patet in verbis prælibatis, in quibus dicit. *Igne me examinasti.* In his B. Laurentius à duobus commendatur. *Primò*, à passionis acerbitate, ibi; *Igne me examinasti. Secundo*, à vitæ suæ puritate, ibi; *Et non est inuenta.*

C Circa PRIMVM est NOTANDVM. Aliquæ res examinantur igne; vt aurum & argentum; aliquæ examinantur aqua, vt vasa plena, vel vacua, vel campanæ, an sint integræ vel fractæ. Quædam autem vento vel flatu, sicut granum vel palea. Dixi primò, quędam res examinantur igne, vt aurum, quod est valdè solidum & compactum, ideò in igne positum, non euaporat, neq; in pondere minoratur, nec consumitur, sed solum liquescit. Et si quid habet impuritatis & sordis, deponitur & amplius depuratur, vt dicit Auctor proprietatum, lib. 16.

Laurentius auro comparatur.

Quid per aurum nisi B. Laurentius aptius præfiguratur, sicut aurum inter alia metalla est candidis prunis suppositis, & habet virtutem lepræ extersiuam, quia limatura auri, in cibo vel potu sumpta, à lepra præseruat, vel saltem eam occultat. Ita Beatus Laurentius inter alios martyres candore puritatis, rutilat, sicut hoc declarat Augustinus, in vna auctoritate benè sonante, quam inuenies supra sermone II ibi; *Nisi granum frumenti*, quia per ignem omnis impuritas ab eo est totaliter purgata. Habuit etiam B. Laurentius virtutem, quod à nobis potest extergere seu abstergere lepram spiritualem peccatorum, si passionem ipsius in nobis deuotè masticamus: quia legitur quod suis inimicis, sicut Hippolyto, qui ipsum incarcerauit, veniam impetrauit, & maculam vitiorum expurgauit, vt habetur in Legenda.

Legitur etiam quod quidam iudex, Stephanus nomine, tres domos B. Laurentio abstulit, & iniustè possedit. Hic cum mortuus esset, ante iudicium ductus est, quod videns Laurentius, ipsum accessit, & tribus vicibus brachium eius durissimè strinxit. Iudex verò dedit sententiam, vt ille qui aliena abstulisset, in locum Iudæ proditoris traderetur. Sed S. Proiectus Martyr, quem idem Stephanus amauerat in vita, sanctum Laurentium accessit, & pro eo veniam precatur. Ille autem statim pro Stephano precaturus accessit ad Christum, eiq; cum alijs veniam impetrauit, vt ad corpus rediret, & triginta dies pœnitentiam ageret, quod & factum fuit: & tunc omnia ablata restituit. ac post triginta dies ad Dominum migrauit. Et si hoc inimicis fecit, multò magis faciet nobis, qui passionem eius recolimus, & festum eius solenniter celebramus. Ideò clamemus ad ipsum cum sancta matre Ecclesia, dicentes. Beate Laurenti Christi martyr, intercede pro nobis.

Aurum lepram abstergit.

Ex iam dictis patet rectè, sicut aurum est inter alia metalla purissimum, & lepræ abstersiuum. Sic B. Laurentius inter alios Martyres obtinet principatum. secundum Gulielmum in Rationali diuinorum, dicente, lib. 7. Et absterget suorum crimina deuotorum. Illud nobilissimum aurum B. Laurentius hodie in igne est examinatum, secundum illud quod prædixit Sapiens, Prouerb. 17. *In igne probatur argentum & aurum camino:* sed non est minutum, sed constans inuentum. Ideò figuratus est per quendam puerum, de quo refert Valerius in Policrate lib. 3. quod Alexandro Magno sacrificante, quidam puer assistens, arrepto thuribulo, thurificauit, carbo autē ardens in brachio pueri delapsus est. Et licet cremaretur, & odor ad circumstantes venisset, puer

puer tamen brachium immobile tenuit, ne sacrificium impediret. Alexander autem ipsum cremari permisit, sic volens puerum examinare. Sic verus Alexander Iesus Christus, permisit cremari carnes sui pueri Laurentij, ita vt de ipsa exponi posset illud Eccli. 38. *Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur.* Et hoc fecit, ne sacrificium impediret, quia Dominus consolabatur ipsum, dicens, sicut hodie canitur. *Puer meus, noli timere, cum transieris per ignem, flamma non nocebit, & ardor ignis non erit in te.*

Fuit tamen iste ignis pœna acerba ex quatuor. *Primò*, ex doloris immensitate, quia ignis est maximè afflictiuus, ideò dicitur Isa. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* quasi diceret, nullus vel pauci. *Secundò*. ex pœna acerbitate, quia membra multis vulneribus lacerata & conscissa, aduri fecit, ita vt dicere possit illud Iob. 16. *Non pepercit, & effudit in terra viscera mea: Conscindit me vulnere super vulnus.* *Tertiò*, ex temporis diuturnitate secundum illud Ambrosij: Non enim fratres, Beatus Laurentius simplici & breui passione punitur. Require suprà primo sermone de S. Laurentio membro 1. *Quartò*, ex pœnæ diuersitate, quia omnia genera tormentorum in eius corpore fuerunt experta, vt dicere posset cum Psal. 87. *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* D

SECVNDÒ, aliquæ res examinantur tactu, vt videmus de argento, quod examinatur in lapidis tactu; & si est sonorum, bonum est argentum. Sic Deus examinauit tactu corporis Beatum Laurentium, qui totus fuit in corpore laceratus & adustus, & tanquam argentum electum est inuentus. Ideò potest exponi de eo illud Iob 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Et possunt esse verba Decij, qui misit carnem Beati Laurentij crudeliter tangere, qui tunc gratias agens Dominum benedixit, ita vt dicere posset cum Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Sed tale argentum electum nos non sumus, prô dolor, quia cum à Deo tactu tribulationis examinamur, non sumus sonorosi benedicentes Dominum, sicut ipse fecit. Ideò de nobis dicit Dominus Ier. 6. *Argentum reprobum vocate eos.*

TERTIÒ examinantur aliquæ res sonitu, sicut sonus grossus bonus vel malus. Ita B. Laurentius examinatus, non dedit sonitum murmuris, sed laudis: non sonitum blasphemiæ, sed confessionis deuotæ. Quia dicit; Assatus non negaui nomen sanctum tuum, interrogatus te Christe confessus sum: Ita adhuc inueniuntur boni Christiani fideles, qui cum à Domino examinantur examine tribulationis, amissione rerum suarum vel amicorum. Sonitum deuotionis ostendunt, dicentes cum Iob. c. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Et illi demonstrant; quod sunt vasa, non autem vacua, sed plena plenitudine gratiarum. Et verè beati sunt illi, quia secundum Psalm 36. *Benedicentes ei hæreditabunt terram,* quam terram? reuera terram viuentium; de qua idem ait alio in loco, *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; & etiam in terra morientium, scilicet præsentem. Quamuis enim ad tempus in perditione rerum examinantur, tamen in omnibus postea remunerantur, Sicut legitur de Iob. c. vlt. cui *Dominus omnia addidit duplicia* quibus terram hæreditauit. E Psalm. 26.

Sed sunt (heu) plurimi, qui cum à Domino benignè examinantur, qui *quos amat, arguit & castigat.* Apocalyp. tertio, non habent sonitum laudis, sed murmuris: non

con-

Figura. confessionis, sed maledictionis. Ideò verè sunt maledicti, quia *maledicentes ei disperibunt*, secundum Psalm. 36. quod figuratum est de Iudæis, Exod. 16. qui cum deficeret eis cibus, & victualia quæ portauerunt de Ægypto, murmurauerunt contra Dominum, dicentes: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium.* Ideò omnes tales disperierunt, nec in terram promissionis intrauerunt, sed mortui sunt in conspectu Domini in deserto, vt habetur numer. 14. Ideò nos non sic, fratres charissimi, sed cum venerit tribulatio, læti ei assurgamus, sicut de hoc dicit D. Amandus in horologio Sapient. lib. 1. c. 13. Cum tribulatio aduenerit, exi hosti tanto obuiam, benigne eum recipiendo, & dic corde iucundo. Benè veniat amica mea tribulatio.

Qvarto, aliquæ res examinantur vento vel flatu, sicut palea vel granum, granum cadit in terram, palea autem in aëra extollitur, & hinc inde dispergitur. Ita examinatus est B. Laurentius, & habuit similitudinem grani, quia cecidit in terram humilitatis, & non in altum elationis, quamuis esset iactatus in ventum honoris. Ideò legitur de ipso Euangelium Ioann 12. *Nisi granum frumenti*, &c. Sed sunt econtra multi, qui cum in honorem non exaltantur, sunt humiles, nec à vento sicut palea disperguntur. Cum autem in ventum honoris proiiciuntur, statim in elationem resoluuntur. Et talis fuit Saul, qui fuit humilis, custodiens iumenta patris sui, & propter hanc humilitatem electus est in regem; sed proiectus in ventum regij honoris, sicut palea in altum superbiæ se subleuauit. Ideò dixit ad eum Samuel. 1. Regum. 15. *Nónne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* quasi diceret sic. sed propter superbiam tuam regno priuaberis. Sed sic non fuit B. Laurentius; sed qui ante honorem fuit humilis, in honore humilior est effectus. Nec etiam in vento tribulationis, per vituperium est dispersus, quia infideles sæpè ipsum vituperabant, sed tulit patienter.

Sed est Notandvm. Quando non est aliquis ventus, remanent simul paleæ & frumentum: quando autem horrea sunt ventosa, aristæ & paleæ euanescunt. Cum autem est ventus validus, tunc paleæ simul & frumentum disperguntur, nisi illa, quæ in horreo sunt locata. Sic quando nulla est persecutio, boni & mali in simul sunt, nec ab inuicem discernuntur, cum verò tribulatio aduenerit, mali recedunt, & boni remanent. Cum autem maxima tribulatio aduenerit, sicut erit tempore Antichristi, tunc non solum mali, sed etiam multi qui videbantur electi esse, recedent, & solum illi remanebunt, qui in horreo beatitudinis æternæ, per diuinam prædestinationem collocati fuerint. Et hoc quo ad primum.

E Quantum ad Secvndvm Notandvm. Videmus experientia, quod aurum in igne maiorem acquirit puritatem, lutum autem vel palea facit fumositatem. Sic viri sancti in igne tribulationis acquirunt sanctitatem, mali autem iniquitatem. Quod declarat Beatus Augustinus, & habetur vigesimo tertio, quæst. 4. capit. Nabuchodonosor. Nónne Nabuchodonosor post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem in ipsis flagellis durior est effectus, & perijt. Et idem in lib. de ciuitate Dei demonstrat tribus exemplis, dicens. Manet dissimilitudo passorum in similitudine passionum. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub vna tribulatione stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur. Ita vna eademq; tribulatio,

bonos

bonos probat & purificat, malos fuscat & exterminat: vnde eadem afflictione, mali Deum detestantur & blasphemant, boni autem prædicant & laudant. Hæc ille. Ita B. Laurentius in igne tanquam aurum rutilauit. Decius autem correptus à Laurentio solum fumigauit. Ille inuentus est sine iniquitate, iste mortuus est plenus sorditate. Ille purgatus cœlum ascendit, iste comminutus ad infernum descendit, vt plenius habetur in Legenda. Et tantum de secundo.

DE ASSVMPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

Sermo primus.

Te assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua. Ita scribitur 3. Reg. 11.



DIcit Platearius, sponsa solis, propriè Wegwart/ est herba frigida & humida in secundo gradu, & communis omnibus. Eius succus bullitus, valet contra venenum sumptum interius; valet etiam contra morsum canum venenosum, si super vulnus ponatur: huius florem sol ad se trahit. Quia secundum Isidorum, quando sol oritur, flores suos aperit, & cum occubuerit iterum se claudit, & sic sequitur motum solis. A

SPIRITVALITER. Per hunc florem Beatissima Virgo Maria designatur, quia fuit frigida àb omni calore peccatorum, & humida ex plenitudine gratiarum, quia dicit Augustinus: Cum de peccatis agitur, de Maria nullam prorsus volo habere mentionem, quia scimus ꝙ illi plus collata est gratiæ, ad vincendum ex omni parte peccatũ, quia concipere & parere meruit eum, quem constat habere nullum peccatum. Est et communis omnibus, tàm peccatoribus quàm iustis, teste Bernar. in sermone. Maria omnibus communis facta est, omnibus sinum misericordiæ aperuit, & de plenitudine eius accipiunt vniuersi, captiuus redemptionem, æger consolationem peccator veniam, iustus gratiam, angeli lætitiam, filius Dei carnis substantiam, denique tota Trinitas gloriam. Eius succus, hoc est, gratia spiritualiter bullita, valet contra venenum peccatorum, quia peccatorem, quem Deus per suam non potest saluare iustitiam, Maria per suam gratiam saluat infinitam, vt dicit Chrysostomus de prærogatiuis B. Virginis. Valet etiam contra canum morsum, id est, dæmonum, qui magis terrentur Mariæ præconio, quam suo supplicio, secundum Chrysostomum in hodierno sermone.

Istum iucundissimum florem Mariam Virginem & sponsam veri solis, traxit ad se idem verus sol iustitiæ Christus Iesus, per assumptionem venerandam, quod testatur B. Hieronymus in sermone hodierno. Virgo, inquit, singularis, & virgo regalis, hodie à proprio filio suo ad thronum Dei vehitur, & in ipsa sede Trinitatis collocatur. Quod figuratum est Esther 2. vbi legitur quod Esther virgo speciosissima, ducta fuit ad cubile regis Assueri, & rex ipsam amauit super omnes, & dedit ei potestatem super omnia. Ita Christus, cum tota cœlesti curia duxit hodie Mariam ad cœleste cubile Patris sui, & hoc promiserat ei in verbis thematis. *Te assumam.* In quibus verbis B Figura.

tria tanguntur. *Primò*, dilectio maternalis, ad quam à filio inuitatur, ibi; *Te assumam*. *Secundo*, exaltatio principalis, per quam super angelos sublimatur ibi; *Et regnabis*. *Tertiò*, præmiatio æternalis, quia bonis omnibus satiatur, ibi; *super omnia quæ desiderat anima tua*.

Quantum ad PRIMVM est NOTANDVM. Dicunt Naturales, & præsertim Petrus de Crescent. libro septimo, quod prata sunt fœcunda cum herbæ ad debitum augmentum peruenerint, & flores compleuerint, antequam ad casum floris & siccitatem perueniant. Nam si maturius secantur, erit aquosum fœnum, non præbens animalibus solidum nutrimentum. Siccum verò nō est statim inducendum, sed per aliquod dies, vt siccentur, dimittendum, & tunc in horreum reponendum.

C MORALITER. Per pratum Virgo benedicta Maria intelligitur, secundum quod habetur in Psalterio eius, quod approbauit Papa Ioannes XXII. Aue pratum floridum, quod effecit grauidum Auster Sancti Spiritus. Et Maria prato aptissimè comparatur, quia sicut ait Petrus, vbi suprà. Felix est prati positio, quod habet in se riuum fluentum, quod poterit quoties opus fuerit irrigari, & quod nō habeat nimium æstum, quòd herbæ non possunt non completè exsiccari. Ita Maria habuit super se riuum amœnissimum Spiritum sanctum, à quo fluxerunt largissimæ aquæ gratiarum, quæ eam fœcundauerunt, secundum illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te*. Nec etiam habuit æstum carnalis concupiscentiæ, sed flores virtutum non comburentes, quia Dei filium genuit, & viro in æuum permansit, sicut habetur in Can. Firmiter credimus. de summa Trinitate & fide Cathol. vbi dicitur; Vnigenitus Dei filius Iesus Christus in tota Trinitate communiter incarnatus est, ex Maria semp virgine. De hoc etiam habetur in sermone Arnonis, qui dicit. Torrens diuinæ voluptatis in eam superueniens affluit, in cuius mirabili suauitate, & in effabili voluptate, Deum & hominem concepit. *Et subdit*. Non enim ibi carnalis concupiscentiæ æstus veniens ex voluntate carnis afflauit, vbi Spiritus sanctus ignis diuinus penetrans affuit. Hæc ille. Et quia fuit irrigata aquis gratiarum, & exsiccata ab æstu carnalis concupiscentiæ, ideò protulit in se multos flores virtutum. Rectè, sicut pratum, quod riuis irrigatur, & ab æstu solis nimium elongatur, ornatur decenti ornatu florum, in quibus visus recreatur. Protulit igitur in se violas humilitatis, & rosas rubentes perfectæ charitatis, quia dicit Bertramus.

Maria prato comparatur.

D In hac Virgine Maria tota Trinitas tantam abundantiam humilitatis & charitatis posuit, quod mirabile fuit, quod corpus suum ex abundantia gratiæ non crepuit. Protulit deniq; lilia albentia puritatis, & rutam virginalis castitatis. Quis enim hominum fuit ea purior, quæ tanta nitet puritate, quod sub cœlo non potest maior reperiri, secundum Anselmum in lib. de conceptione virginis. Quis ea castior, quæ est speculum sine macula, & Virginum norma? Certè nemo nisi Christus filius eius vnigenitus, qui est *candor lucis æternæ*. Sap. 7. Produxit insuper omnes flores virtutum, quia secundum Hieronymum: Si Mariam inspexeris, nihil est virtutis vel decoris, nihil speciositatis, quod non in ea resplendeat. Illud igitur iucundissimum & ornatum pratum virginum speculum, siccauit hodie Christus per mortem, non acerbam, sed lætam, de hoc nequam seculo: quia herbæ gratiarum, & flores omnium virtutum, ad debitum augmentum venerunt. Non enim nimis matura, quia sexagenaria existens, mortua est, vt communiter Doctores tenent.

Nemo hominum purior ipsa B. Virgine.

B. Virgo sexagenaria moritur.

Refert

Refert nimi; Epiphanius, quod quando Christum concepit. erat annorum quatuordecim, & quintodecimo peperit, & mansit cum eo triginta tribus annis & dimidio, & superuixit, vt probabilius habetur duodecim annis, quia Apostoli totidem annis prædicauerunt in Iudæa & circa partes illas, vt in Ecclesiastica historia legitur. Corpus autem eius non statim ductum fuerat in horreum cœlestis Ierusalem, sed per aliquot tempus in vallem Iosaphat collocatum. Sed eius anima sanctissima; hodie à filio & à tota cœlesti curia, in cœlum est deducta. Et gloriosius (vt sic dicam) quam Christus est assumpta. Quod probat B. Bernardus in sermone de Assumptione. Attolle, inquit, oculos ad Assumptionem B. Mariæ Virginis, salua Filij maiestate, inuenies cursum huius fore non mediocriter digniorem. Soli enim angeli redemptori occurrere potuerunt, matri verò cœlorum palatia penetrante, Filius ipse cum tota curia tàm angelorum quàm iustorum, solenniter occurrens, erexit ad beatissimæ consortium sessionis. Hæc ille. Gaudeant igitur peccatores, quia hodie ductum est pabulum eorum in horreum beatorum; si sunt superbi, inueniunt in ea violas salutiferes veræ humilitatis. Si sunt impuri per peccata, inueniunt lilium puritatis. Si incontinentes, habent rutam castitatis.

Diceret quis. An etiam postea corpus eius vnitum animæ sit assumptum? Videntur sentire Doctores, quod sic: vt communiter, quod Bernardus in sermone probat ratione dicens: Quando Deus corpora sanctorum sublimauit pretiosa, vtpote Petri, Iacobi, tam gloriosa & venerabilia reddidit, & honore tàm mirifico sublimauit, vt & ipsis deputetur locus eorum venerationi congruus; & ad ipsam mundus properet vniuersus. Si igitur corpus Mariæ super terram esse dicatur, nec tamen deuota visitatione fidelium frequentetur, nec eidem locus deputetur honoris, nimirum videbitur Christus honorem matris contempsisse, cum tamen super terram aliorum corpora sanctorum sic honorentur. Hæc ille. F An corpus B. Virginis animæ vnitum, sit assumptum.

Ad idem est B. Augustinus sermo 7. de Assumptione. Thronum, inquit, Dei, thalamum Domini, & tabernaculum Christi, & templum Spiritus sancti dignum est esse ibi, vbi ipse Deus est. Tam pretiosum thesaurum, dignius est cœlo quàm terra seruari. *Et concludit.* Lætare lætitia inenarrabili Virgo MARIA, tàm corpore quàm anima, in proprio filio, cum proprio filio, per proprium filium integraliter assumpta, quia perfectam integramque genuisti nobis vitam. Hæc ille. Et hoc quoad primum.

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM secundum naturales. Cedrus est alta arbor in monte Libano super omnes arbores exaltata, secundum illud, quod canit Ecclesia. *Cedrus alta Libani.* Per hanc arborem intelligitur Virgo Maria. Rectè enim sicut Cedrus est arbor altissima, omnium arborum domina & regina, vt dicit Rabanus super Psalterium; ita Maria est omnium cœlestium & terrestrium electissima domina & regina. Quia secundum Augustinum in sermone 3. de eius Natiuitate. Facta est Maria palma Virginum, norma Principum, gloria Viduarum, exultatio Coniugum, victoria Christianorum, gaudium Angelorum, requies animarum, ianua cœlorum, sublimatio Apostolorum, laus Martyrum, iubilatio Confessorum, continentia Virginum, salusque omnium peccatorum. Hæc ille. Rectè enim sicut Cedrus est arbor odorifera, & odor eius fugat serpentes, & omnia venenosa. Sic etiam nostra domina fugat serpentes infernales, quia in eius præsentia nequeunt G Mariæ Virginis encomium.

subsistere. Quia dicit Ambrosius in libro Præfat. Ad inuocationem nominis MARIÆ, tota concutitur & conteritur concio potestatis malignæ. MARIÆQVE præsentia, inæstimabilia infert dæmonibus supplicia, quod probatur in exemplo.

H Refert Iacobus Ianuensis, quod quidam monachi stabant ante diem iuxta flumen, & ibidem fabulis & otiosis sermonibus se resoluebant. Et ecce remiges audiunt per flumen impetu nimio nauigantes, quibus monachi dixerunt. Qui nam estis? Et illi. Dæmones sumus, & animam Ebroini Præpositi domus regis Francorum, qui à monasterio Sancti Galli apostauit, deferimus in infernum. Quod audientes monachi, vehementissimè timuerunt, & fortiter exclamauerunt: Sancta Maria ora pro nobis. Quibus dæmones dixerunt. Benè MARIAM inuocastis. Vox enim discerpere & submergere volebamus: quia vos dissolutos, & extra horam confabulantes, inuenimus. Tunc monachi redierunt ad cœnobium, & dæmones properauerunt ad infernum.

Ex illo miraculo patet, quod MARIA quasi odor Cedri fugat serpentes infernales. Ita legitur, Cedrus Beata Virgo MARIA hodie principaliter exaltata super omnes choros Angelorum, sicut ista testatur Eccli. 24. *Ego quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* Cui consonat Ecclesia. *Exaltata es sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna.* Quia vt dicit Gerhardus in suis homilijs. Hodie Beatam Virginem cœli susceperunt lætando, Angeli gaudendo, Archangeli iubilando, Throni exultando, Dominationes psallendo, Principatus harmonizando, Cherubin & Seraphin hymnizando ad supernæ diuinitatis tribunal deducendo. Hæc ille.

De hoc etiam dicit Bernardus in sermone. Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosè mundi Domina processerit, quanto deuotionis occursu cœlestium legionum prodijt multitudo, quibus in thronum gloriæ canticis sit deducta quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuersis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum honore quo tanta mater digna fuit. Et hoc figuratum est 3. Regum 2. vbi legitur, quod mortuo Dauid, filius eius Salomon regnauit pro eo. Hic quadam vice sedens in solio suo regali, videns ad se venire Bethsabee matrem eius, assurrexit honorificè illi, & in occursum eius venit, & iussit sibi ponere sedem iuxta se in dextera. Ad quem mater, vnam petitionem paruulam fecit. *Ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Cui rex. Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem meam à te.* Salomon qui interpretatur pacificus significat Christum, qui est *princeps pacis*, Isa. 9. Hic videns ad se venientem matrem suam gloriosam, ei assurrexit, & eam circa se locauit, sicut testatur Hieronymus in sermone hodierno. Creditur, quod ipse Saluator per se festinus & totus lætus matri occurrerit, & cum gaudio eam secum in solio collocauit. *Et subdit.* Hæc est dies, in qua vsque ad throni celsitudinem intemerata Maria mater & Virgo processit, atq; in regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit. Hæc ille. Ibi residens, pro peccatoribus exorare Deum, non desistit, sed pro omnibus intercedit, secundum quod dicit Bernardus in sermone. Peccatorem quantumcunque fœditum Maria non despicis, si ad te suspirauerit, tuumque interuentum pœnitenti corde flagitauerit: tu illum à desperationis baratro pia manu retrahis, sententiam ab ore districti iudicis rapis, donec miserum

Figura.

ſeruum peccatorem ſalues, & tuo filio reconcilies. *Idem.* Aduocatum præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam mater iudicis, ſalutis noſtræ pertractat negotium. Et Dominus noſter Chriſtus filius eius, petitionem ipſius non reiicit, ſed exaudit. Ideo clamat Eccleſia. *Audi nos, nam te filius nihil negans honorat.* Et hoc quo ad ſecundum.

Quantum ad TERTIVM eſt NOTANDVM. Quod homines in præſenti cupiunt eſſe in locis amœnis, ſicut videmus in vere, quod tranſeunt ad loca viridia. Deſiderant denique veſtes pretioſas, quod patet, quia ſubtrahunt in cibis, & in aliis neceſſariis, & comparant ſibi veſtes meliore in quantum poſſunt. ſed illa deſideria non ſunt completa. De his dicit Terentius in Adelphis. Hæc natura deſideratorum eſſe perhibetur, vt deſiderata non habita magna ſint, habita verò vileſcant. Sicut declarari poteſt de tunica pretioſa, quæ cum non habetur, deſideratur: ſed cum habetur, fortaſſis vilipenditur: quod habemus de Nerone, qui erat auidus appetitu veſtium pretioſarum, ſed cum ſibi comparuit, vilipendit, & nunquam vnam bis induit, vt refert Guidonius & Vincentius, lib. 9. Ideo ſi vult homo, vt deſiderium ſuum impleatur, dimittat exteriora ſua, & quærat Deum. Quia dicit B. Auguſtinus in lib. ſoliloq. Animam, quam creaſti Domine, capax facta eſt ita maieſtatis tuæ, quod à te ſolo & nullo alio poteſt adimpleri. Cum autem te habet, plenum eſt deſiderium, & nihil quod deſideratur, exterius reſtat. Si autem creaturam deſiderat, continuè famem habet, quia licet deſiderat de creaturis, & adipiſcatur; vacua tamen remanet, quia nihil eſt quod eam impleat, niſi tu, ad cuius imaginem eſt creata. Hæc ille. Et hoc conſiderans Maria, hic non quæſiuit aut deſiderauit eſſe in locis amœnis mundi, ſed loca, vbi filius ſuus paſſus eſt, frequenter viſitauit, & deſiderium habuit eſſe cum Deo. Ita vt dicere poſſet cum Pſalm. 41. *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum.*

Nec etiam deſiderauit habere veſtes pretioſas, ſed virtutes. Ideò Bernardus in perſona ipſius, dicit. Reſpexit non ornatam auro flammeam tunicam meam, non pomposo vultu radiantis auri, & ornamentum ceruicis meæ, aut pretioſorum lapidum & gemmarum dependentium in auribus meis, aut gemmarum ruborem attendit, fuco mendacij coloratum, quaſi diceret: Illa non quæſiuit, ſed reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ideo nunc ſedens apud filium, habet officia quæ deſiderat eius anima: quia iam eſt in loco amœniſſimo, vbi ſunt albentia lilia Confeſſorum & Virginum, & roſæ rubentes Martyrum, & ornata auro & gemmis pretioſis, ſecundum illud quod dicit B. Auguſtinus in ſermone de Natiuitate eius. Exultans virgo, per albentia lilia Confeſſorum & Virginum, roſas vernantes Martyrum. Illo regnas beatorum feliciſſimo regno, quo ſequeris agnum quocunq; ierit. Inter paradiſi amœnitates ſacris greſſibus incedis, felici & immarceſſibili palma & corona gloriæ, à filio tuo Domino noſtro coronaberis. Angelicis iuncta choris, ac ſociata ſanctorum cateruis, gemmis ac margaritis ornata perſiſtis, thronus regni tibi confertur. veram matrem regis æterni præ omnibus diligens, non Imperiali ſed filiali amplectitur amplexibus, congaudet ibi in cœlis, quem tu paruulum toties oſculabaris in terris. Hæc ille. Ecce quomodo iucundatur in locis iucundiſſimis, & paſcitur ab vberibus æternæ conſolationis. Ecce coronam regni habens in capite ſuo, ſuper omnia regnans, quæ deſiderat anima eius bonis omnibus in æterna gloria ſociatur. Et hoc quo ad tertium.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo secundus.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, accepit illum in domum suam. Lucæ 10.



CONSVETVDO debet hæc esse inter bonos homines & fideles, vt si vnus peregrinus in longinquam processerit regionem, & ibi inuenit hospitium, in quo decenter tractatur & alatur, quod tempore exigente benefactori suo facit recompensam ipsum ad hospitium suum reuerenter assumendo. Iuxta illud Sapientis Catonis:

Beneficij accepti memor esto.

A De hoc venerabilis auctor Apitius, refert exemplum fide dignum, dicens. Quidam iuuenis sagax ingenio, mercationis causa venit ad quendam gentilem in partibus Orientis, in omnibus rebus ditissimum & liberalem: quem ille videns honestum moribus, & sagacem ingenio, eum non paruo tempore tenuit in expensis. Qui cum deliberaret, redire ad patriam, dixit ipsum gentilis ad thesaurum incomparabilem, rogans, vt de ipso acciperet. Ille autem recusauit, tandem ostendit illi in conclaui septem puellas genere nobilissimas, quas secundum ritum ducere proponebat, quas videns iuuenis miro captus amore, vnam elegit præstantissimam. Cui gentilis. Tu ex illis omnibus pulchriorem elegisti & mihi dilectissimam & hæc dicens, sponte tradidit sibi cum munusculis dignis, & ad propria transmisit. Gentilis, frequenter recolens quid in dicta iuuencula perdidisset, de die in diem in rebus decrescebat, & tandem in extremam veniens miseriam, de patria sua est repulsus. Veniens igitur in terram iuuenis præfati, pulsans ad ostium & cum negligentia famulorum non fuisset intromissus, desperans abiit, ad Ecclesiæ atrium se proiecit. In noctis igitur silentio, quidam latro hominem occidit, & aufugit. Mane igitur occisus inuenitur, & homicidium gentili imponitur. Raptus igitur ad iudicium, cum ob desperationem factum non negaret, ducitur ad mortem. Quem videns ille iuuenis cognouit eum, & prosiliens, dixit: Innocens est ille, ego sum qui feci. Et cum ille iuuenis caperetur ad decollandum, videns hoc reus, saliens in medium dixit: Ego sum qui homicidium feci. Mox proceres ciuitatis stupefacti, dietas tres faciunt, & cum veritatem agnouissent, innocentes absoluunt, & similiter reum abire fecerunt. Iuuenis autem accepti beneficij non immemor, obuiis manibus & oculis gentilem suscepit, ad fidem inuitat nobilem consobrinam, in vxorem tradidit, & omnia bona secum diuisit.

SPIRITVALITER. Christus, qui est sapientia Patris summi, venit quasi peregrinus in hunc mundum, vt dicere posset ad mundum illud Psal. 38. *Aduena ego sum apud te & peregrinus.* In hoc mundo inuenit hospitium decenter ornatum, in quo fuit tentus nouem mensibus, scilicet corpus beatissimæ Virginis, quæ quidem ipsum lactauit, aluit, seu nutriuit, sicut de ipso canitur: *Sola virgo lactauit vbere de cœlo pleno.* Idcirco decens fuit, & qui ipsam recepit in hospitium, assumeret & ipsam in hospitium æternale. Sicut de hoc dicit beatus Bernardus in sermone. Quem, inquit, virgo in castellum huius mundi intrantem, prius ipsa susceperat, ab ipso suscipitur. sanctam

ctam ingrediens ciuitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta exultatione, cum quanta gloria? nec in mundo locus dignior virginalis vteri templo, in quo virgo Maria filium suscepit, nec in cœlis regali solio, quo Mariam Mariæ filius sublimauit. De hoc dicit præsens Euangelium. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* In quibus tria tanguntur. *Primò*, Christi Mariæ corporalis inhabitatio, ibi; *Intrauit Iesus. Secundò*, filij pia maternalis ministratio, ibi; *Martha autem. Tertio*, optima virginalis electio, ibi; *Porrò vnum est necessarium.*

De PRIMO est NOTANDVM secundum Plinium in spec. nat. Aues æstiuales in arbore concaua se solent conseruare vt sunt cuculi, qui depositis pluuiis in eis se inuoluunt, ibiq; à frigore hyemis se defendunt. Veniente autem tempore veris, exeunte voce sua ver produnt, & antea non audiuntur.

MORALITER. Per arborem concauam intelligitur virgo benedicta Maria, quia significata est per arborem quam vidit rex Nabuchodonosor, Danielis 4. Cuius altitudo magna, & proceritas contingens cœlum, aspectus eius vsque ad terminos terræ vniuersæ. Folia eius pulcherrima, fructus eius nimius, & esca vniuersorum. In ea, & subter eam habitant bestiæ, & in ramis eius volucres cœli habitabant, & conuersabantur. Hæc arbor significat virginem Mariam, cuius altitudo (secundum Bernardum in sermone) Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, longitudo eius vsq; in diem nouissimum, latitudo eius replet orbem terrarum. Ipsa sua proceritate continet non solum cœlum, sed & terram, quia secundum Fulgentium lib. 4. Mythologiarum. Cœlum & terra inuicem irruissent, si non Maria cum suis precibus sustentasset. Aspectus eius ad omnes respicit oculo suæ pietatis. Igitur omnes eam aspiciunt nauigantes in hoc mari furibundo tanquam stellam matutinam siue marinam, quia sine ipsa de facili periclitamur. Ideò dicit Anselmus: O Domina, magnas tibi gratias agit concio læta iustorum, ad quam territa respicit & fugit turba reorum: ad te properans ô misericors Domina, ego peccator anxius confugio, quoniam præter te non est salus in hoc nequam mundo. Hæc ille.

B
B. Virgo arbor côcaua.

In ista arbore debent se homines in hyeme aduersitatis conseruare, & ad eam confugere, & præcipuè bestiales peccatores debent subter eam habitare, quia ibi sunt securi teste Ambrosio in lib. de virgin. Mens hominis protectione Dei matris est secura. Sicut hoc legitur in historiis. Quidam vir nomine Archinus habuit pictam imaginem B. Virginis Mariæ in interiori parte scuti, & quoties in bello fatigatus fuit, imaginem respexit, statim ipse recuperauit vires, & ab hostibus fuit securus.

Virtus imaginis B. Virginis.

Istam arborem intrare debent contemplatiui, & in ramis virtutum Christi ipsius iugiter conuersari, iuxta illud Cantic. 7. *Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius.* In ista arbore benedicta, Christus qui est norma & exemplar contemplatiuorum, abscondit se nouem mensibus, & post exiens Ver, id est, hoc tempus gratiæ voce sua prodidit, dicens. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et de hoc dicit Euangelium hodiernum. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.*

Circa quod NOTANDVM secundum Anselmum. Istud castellum fuit corpus intemeratæ Virginis Mariæ, quia benè dicitur castellum propter septem, quæ constituunt castrum nobile. PRIMVM est situs altus, vt castrum sit in alto situatum, quia illud securum est à nebulis quæ circa terram propè generantur. Est etiam securum ab hostium insidiis, à quibus castra frequentius impugnantur. Ita beatissima virgo

C
B. Virgo quare castellum dicatur.
I.

Maria

Maria fuit alta nobilitate progeniei, & similiter alta specialitate fidei & vitæ, ita vt eius altitudo excellat cœlum. Ideo B. Augustinus in sermone. Quid dicam de te, ô Virgo Maria, ego pauper ingenio, cum de te quicquid dixero, minor est laus quàm tua gratia meretur. Si cœlum te vocito, altior es: Si matrem gentium te dicam, præcellis: Si formam Dei te appellem, digna existis: Si Dominam Angelorum te vocem, per omnia comprobaris. Quid ergo de te dicam dignè quid feram? cum nemo sufficit lingua tuas enarrare virtutes. Hæc ille.

B. Virgo fuit alta, & quomodo?

Et principaliter fuit alta quo ad quatuor. PRIMÒ, ab actione vagarum cogitationum. Non enim vaga cogitauit, sed cogitationes ad Deum dirigebat, quia tanquam prudentissima legerat illud Psal. 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino.* SECVNDÒ, ab affectione corporalium voluptatum, & delectationum. Non enim in corporis voluptate delectabatur, sed in Domino, iuxta illud Psal. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ideo vlterius potuit dicere cum Ps. 103. *Ego verò delectabor in Domino.* TERTIÒ, in altitudine cœlestium desideriorum, de qua suprà sermone præcedenti, membro 3. QVARTÒ, fuit alta in sancta oratione, & deuota contemplatione. Ideo dicit Ildephonsus Toletanus Episcopus: Maria volauit super pennas ventorum, eò quòd nunquam de filiis, aut filiabus matris nostræ Euæ, aliquis hominum pari gloria ascenderat, aut ascensurus sit. Nam sicut vita ipsius nulli ex toto est imitabilis, sic eius ascensus scilicet per orationem & contemplationem, omnibus est incomparabilis.

1. 2. 3. 4.

II. Castrum nobile.

SECVNDVM, quod castrum facit nobile, est murus clausus, & firmus Sic reddebat castellum Babyloniæ murus firmus: de cuius nobili firmitate dicit Hieronymus super Isai. 9. Quia muri sedecim millia passuum erant per quadrum ab angulo in angulum, in latitudine habuit cubitos quinquaginta quatuor, & tantum habuit in altitudine, ambitus eius in circuitu stadiis fuit quadringentis & octuaginta, murus de cocto latere fuso bitumine compactus, vt dicit Orosius. Ita clausum fuit firmiter hoc castellum corpus Mariæ, firma clausura & vigili custodia integritatis virginalis, vt nullus vnquam libidine esset ad eam accensus. Quia dicitur, *Hortus conclusus.* Cantic. 4. Ideo dicit Ambrosius in lib. de virgin. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus Christi sine contagione generauit? Nam de cæteris virtutibus eius quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed & mente, quæ nullo dolo seu ambitu adulteraret affectum. Cui consonat Bernardus. Quæ puritas, vel etiam angelica, puritati Mariæ potuit comparari? quasi diceret certè nulla.

III. Turris nobilitat castrum.

TERTIVM, quod nobilitat castrum est turris Ideo refert Hieronymus super Isa. 11. quia in castello Babyloniæ erat turris mille passuum, in altitudine duarum leucarum, & in alto in arctum coangustata. Cuius materia fuerunt lateres decocti ex bitumine indissolubili, quod nec igne nec aqua potest dissolui, & hæc turris maximè nobilitat ciuitatem. Ita nostrum castellum, benedicta Virgo Maria, habuit turrim, id est, humilitatem, quæ hominē prouehit in altum, rectè sicut in turri ascenditur in sublimum. Quia dicitur Luc. 18. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et sicut turris est in protectionē omnium, quæ sunt in castro, sic humilitas conseruat omnes virtutes, & hæc maximè vtilis est virginibus. Quia vt dicit Anselmus super hodiernum Euangelium, vnde virginitatem libido impugnare non potest, eam impugnare superbia solet.

Humilitate conseruantur virtutes.

Fuit

Fuit ergo in Maria turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem superbiam repellit. Et quia humilitatem superbia impugnare non potest, eam libido impugnare solet. Sed murus virginitatis à turri humilitatis omnem repellit libidinem; itaque hæc duo, murus virginitatis, & turris humilitatis, ad inuicem vniuntur. O felix igitur virginitas quam ornat humilitas, humilitas ornat virginitatem, ne sit superba; virginitas ornat humilitatem, ne sit despecta.

QVARTVM, quod pertinet ad bonitatem castri, & fossatum quo hostes impediuntur aquis, ne liberum habeant accessum, & pisces ibi seruantur, qui sunt pro exsistentium in castris nutrimento. Ita Maria, hoc nobilissimum castrum, habuit fossatum, hoc est, paupertatem, quæ omnem terrenitatẽ euacuat in animo eius. Quia vt refert Vincentius lib. 7. spec. hist. Cum adhuc esset in claustro sub disciplina, omnia quæ ei à Pontificibus dabantur pro refectione, nihil de his retinuit, sed alijs virginibus dedit, & solis cibis angelicis vtebantur, quos ei angelus apportabat. Etiam quando genuit Saluatorem mundi, *non erat ei locus in diuersorio*, vt dicitur Luc. 2. IV. Fossa bonitas castri.

QVINTVM, quod nobilitat castrum sunt ornamenta ad protectionem castri, & confugientibus ad illud necessaria, vt habeantur pixides, tela in magna copia, quæ tempore necessitatis contra inimicos iaciantur. Sic nostrum benedictum castrum, Beata Virgo Maria habuit ornamenta virtutis, & principaliter ornamenta pietatis, qua protegat peccatores obsessos, ab hoste ad eam fugientes. Ideo dicitur in Canticis, *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, Cant. 4. V. Arma ad protegendũ castrum.

SEXTVM, quod ornat castrum, est sufficiens nutrimentum, quod habeat farinam in futuro tempore, aquam fontaneam pro adaquatione animalium, vel saltem cisternam, in quam aquæ currunt & colliguntur pluuiales. Ita Beata Virgo Maria habuit copiam alimenti spiritualis, quia in se habuit verum panem, qui de cœlo descendit, omnem suauitatem odoris habentem. Habet in se potum inebriantem charitatis, & aquam gratiarum. De quibus Eccli. 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* VI. Rerum necessariarum prouisio.

SEPTIMVM, est fluuius confluens, qui nobilitat castrum, per quem intelligitur plenitudo gratiæ, quæ fluxit in Beata Virgine. Quia dicit Augustinus in libro de natura & gratia. Cæteri sanctis per partes data est gratia, Mariæ autem se totam infudit plenitudo gratiæ. Ideò dixit Angelus: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Luc. 1. Patet ergo, quomodo per castellum intelligitur Beata Virgo Maria. Et dicitur NOTANTER, *quoddam*, id est, speciale, quia secundum Ambrosium. Quamuis multæ filiæ habent turrim virginitatis, & turrim humilitatis, vt virgines sint & humiles, salua tamẽ virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod sola Maria fecit. Similiter virgines prædictas conditiones castri boni in aliquo possunt habere, sed in tanta excellentia nullæ ita communiter, sicut Maria Virgo. Ideò de ipsa excellenter exponitur illud Prouerbiorum vltimo. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias*, scilicet spirituales, *tu supergressa es vniuersas.* Et sequitur. VII. Fluuius nobilitat castrum.

Mulier quædam Martha nomen accepit illum in domum suam. Hæc mulier est Beata Virgo Maria, quæ dicitur mulier propter sexum, vt ibi, Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Et iterum Ioan. 2. *Quid mihi & tibi est mulier?* Sed (*quoddam*) dicitur propter priuilegij singularitatem, quia concepit sine pudore, portauit sine labore, & genuit sine dolore; quod nulli mulieri datum est, nec primæ mulieri Euæ, cui dictum est. *In dolore paries filios tuos.* Genes. 3. Ideò exclamauit Anselmus. O beata illa mulier, quæ D

sine contaminatione concepit, sine grauedine gessit, & sine dolore omnium peperit medicinam. Hæc mulier accepit illum in domum suam, qui eam creauit. Ideo dicit in epistola hodierna. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccli. 24. Verè magna dignitas Mariæ quod eum quem non totus capit orbis, in sua clausit viscera. Accepit illum, qui eam sanctificauit. Iuxta illud Psal. 4. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Et hæc fuit iterum ingens dignitas & excellentia: vt eam Sanctus Sanctorum sanctificaret. De quo 1. Regum 2. *Non est sanctus vt Dominus.*

Dignitas B. Virginis.

E

Prærogatiuę B. virginis.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verbũ illius. Circa quod Sciendvm, Si diligenter inspicere volumus, inuenimus septem prærogatiuas Beatæ Virginis, in comparatione ad Mariam Magdalenam. Primo, fuit quieta, & non vagabunda. Ideò de ipsa dicit Beatus Ambrosius in lib. de virgin. Maria prodire de domo non festinabat, nisi cum ad Ecclesiam conuenerat, cum parentibus aut propinquis. Hanc Angelus in penetralibus reperit, & ad eam salutandam venit, & hoc fuit signum suæ prudentiæ. Secundum Aristotelẽ namq; in sedendo & quiescendo sapiens fit & prudens. Hic corrige mulieres vagabundas proponendo exemplum Dinæ, Gen. 34.

I. Fuit quieta.

II. Taciturna.

Secvndo, fuit taciturna. Quia dicit Ambrosius in libro de virgin. Maria enim corde erat humilis, verbo grauis, animo pendens, loquendo partior, nihil procax in verbis, nec petulans. Ideò vix post multa verba Angelo respondit. Quia sciuit illud quod dicit Aristoteles 1. Polit. Silentium mulieris præstat ornatum. Ideò Beatus Augustinus in libello ad matrem, cap. 6. Hortor, inquit, te vt in locutione sis continens, vt assidue cum Psalmista decantes. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea* Psal. 38. *Et subdit.* Hortor quia nobis assiduè tacere non licet, tamen semper à mala detractione sileamus. Et vt virtus taciturnitatis tibi placeat, audi quid Zacharias interrogatus respondeat, quem interrogans Moyses. Quid, inquit, sentis homini esse proficuum? Cui ille. Nihil quàm tacere posse. Cui ille. Verum est fili: tace. Hora autem mortis eiusdem Zachariæ, sedens Abbas respexit cœlum, & dixit. Lætare, lætare, Zacharia silere, quia apertæ sunt tibi ianuæ regni. Vides ô sanctissima mater, quod Zachariæ pro taciturnitatis maxima virtute, apertæ sunt ianuæ cœli, vt ergo tibi aperiantur ama silentium. Hæc ille.

Silentium ornat mulieres.

Homini maximè prodest taciturnitas.

F

Hanc taciturnitatem non amant nostræ mulieres, sed magis pro taciturnitate amant garrulitatem, quæ vbicumque venerint, miscent sermones, tàm in domibus quàm in plateis. Quia secundum Tullium in Rhetoricis. *Garrulitas fœminis innata est*; qua licaret, fœminam virtuosam hanc credimus & honestam. Est enim eis innata, quia prima fœmina Eua de ossibus scilicet de costa Adæ est formata. Ideò cæteræ, vt communiter, sunt garrulæ & procaces. Sed illa garrulitas facit eas deformes, iuxta illud Tullij contra Catilinam. Hoc, inquit, tua garrulitas, quod garrula sis, omnes semper virtutes exurit, famam tuam latè per spatia denigrauit. Et non solum earum famam hic denigrat, sed timeo in æternum has condemnat.

Refert Gregorius in quarto Dialogorum cap. 51. de sanctimoniali, quæ carnis cõtinentiam habuit, & alias ordinatè vixit, sed proiecta taciturnitate à stultiloquio minimè declinauit. Hæc cum defuncta esset, & in Ecclesia Sancti Laurentij sepulta, eadem nocte vidit custos templi quod deducta ante altare fuit & per medium secabatur, cuius vna pars igne cremabatur, altera intacta remanente. Et huius combustionis si-

nis signi die sequenti in muris apparebant, ac si fuisset ibi corporaliter concremata. Ideo Beata Virgo tenuit taciturnitatem omnibus mulieribus in exemplum, ne tantum malum infamiæ nunc, & damnationis tunc incurrant. quasi diceret: Ecce speculum taciturnitatis facta sum iam vobis, sequimini exemplum meum. Et verè felix est hæc mulier, quæ sequitur hanc beatissimam virginem Mariam.

III. Expedita in rebus mundi.

TERTIO, Beata Virgo Maria erat expedita in rebus mundi. Quia dicitur Luc. 2. *Non erat ei locus in diuersorio.*

IV. Libenter audiebat verbũ Dei.

QVARTO, erat vacans auditioni verbi Dei: quia dicitur Luc. 2. *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Et hoc ideo vt discipulis postea explanaret. Ideo Lucas, qui scripsit Euangelium, prius ab ea didicit, & principaliter ea in quibus maior difficultas fuit. De hoc dicit Augustinus lib. soliloq. Iesus, vt omnia opera pietatis comendaret, antiquum decretum, quod de honorandis dictauerat parentibus, obseruauit. Et volens esse ad consolationem Apostolorum, superstitem reseruauit, vt ex eis quæ ab initio audierat & viderat & in corde contulerat, at senus Apostolicus doceret, vt & sic illæsa Euangelica seruaretur doctrina.

V. Ardens in diuino amore.

QVINTO, fuit ardens in diuino amore, secundum illud. Cant. 5. *Nuntiate dilecto, quod amore langueo.*

VI. Vnica & simplex.

SEXTO, fuit vnica & simplex in voto, iuxta illud Cantic. 6. *Vna est columba mea.*

VII. Cura cœlestium.

SEPTIMO, fuit perquirens quotidiè curam cœlestem, & coniungens se ei per desiderium, secundum illud Cantic. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatẽ, quærens quem,* &c. Ideo Anselmus concludit, dicens: Maria non tantum ad pedes, sed ad caput sedens, audierat verbum ex ore eius. Hæc obseruabat omnia verba Angelorum, pastorum, Magorum, nec non ipsius filij Dei, *conferens in corde suo.* Nemo vnquam gustauit sicut ipsa, quàm suauis est Dominus, & inebriabatur ab vbertate domus Dei, & de torrente voluptatis eius potabatur. Hoc quoad primum.

G

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Secundum naturales. Cygnus pullos suos sollicitè nutrit, & educat, ac rostro & sibilo eos protegit & defendit; & si quis aduersus eos appropinquauerit, inter pullos & appropinquantes opponere & interponere se non cessat.

B. Virgo per cygnum denotatur.

Per Cygnum intelligitur B. Virgo Maria. Rectè enim sicut Cygnus totaliter est albus, nullam habens partem nigredinis, ideo Cygnus dicitur Latinè Olor, Græcè ab ὅλος, quod est totum, eo quod totus albus sit in plumis, quod de nullo volatili inuenitur. Sic Maria fuit totaliter alba in puritate, nullam habens maculam nigredinis peccatorum. Quod testatur Christus de ipsa Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* quod tamen de nullo sanctorum dici potest. Ideo dicit Augustinus libro de natura & gratia. Excepta sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus habere volo mentionem: quia scimus quod illi plus sit collatum gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum. Hac igitur virgine excepta, si omnes sanctos & sanctas cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato. Responsum putamus illud, quod ait Ioannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1.

Rectè enim cygnus dum viuit, iugiter gemit & tristatur, veniente aũt die mortis,

canit & lætatur, vt dicit Ambrosius in hexameron. Ita Maria cygnus albissima, dum vixit iugiter fuit in gemitu & tristitia, tum propter filij persecutionem, quia *ab Herode ad occidendum quærebatur*, Matth. 2. tum propter filij perditionem, qui *in templo inter Doctores inueniebatur*. Luc. 2. tum etiam propter eius crucifixionem, cui astitit lacrymosa. Ioan. 19. quando à Iudæis deridebatur, ita vt de ipsa exponi possit illud Threnorum 1. *Plorans plorauit in nocte, & lacryma in maxillis eius, & non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.*

Sed quæ gemuit in vita, in recessu eius dulciter cecinit, & mulieres ad se venientes de recessu suo dolentes, dulciter consolata est. Sicut refert Sanctus Cosmas cognomine Vestitor dictus. Si, inquit, vos corruptibilium natorum matres non toleratis ab eis ad modicum separari, quomodo ego mater & virgo desiderare non debeo ad meum pergere filium, Dei patris vnigenitum. Si quælibet vestrum aliquo orbatur filio, consolabitur superstite, vel nascituro. Ego autem quæ vnicum possideo, & incorrupta permaneo, quomodo ad eum non properem anxia, qui est omnium vita. Ideò, vt testatur Ioannes Damascenus in suis sermonibus de assumptione ait; Maria lætanter dixit. In manus tuas, fili, commendo spiritum meum, suscipe animam meam tibi dilectam, quam inculpatam seruasti tibi, & non commenda terræ corpus, custodi illud integraliter, quod tibi inhabitare placuit. Transfer me ad te, vt vbi tu es meorum viscerum partus, sim & ego tibi cohabitans. Et addit Sanctus Cosmas in sermone qui solenniter legitur in certis Ecclesijs. Quod postquam egressa est anima eius à corpore, adhuc non cessauit à lætis laudum canticis, sed corpus dixit: Gratias tibi ago Dñe, quæ tua digna sum gloria: memento mei quæ tua sum, & seruaui tuum depositum. Et dicit Cosmas. Quomodo hoc factum sit, non indiget naturali discussione, nec curiosa inuestigatione, cum omnia quæ de Dei genetrice dicuntur, sunt supernaturalia & admiranda, & tremenda potius quàm inuestiganda.

HI Ecce ꝙ rectè Maria cygno comparatur, quæ gemuit viuẽs, & cantat moriens. quia ipsa etiã viua gemuit & emigrans iubilanter cantauit. Et sicut cygnus sollicitè se habet circa pullos, vt dictum est. Ita Virgo Maria candidissima, sollicita fuit circa suum puerum benedictum, vt benè ei competat illud verbum Euangelij: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Certè Maria multum sollicita fuit pro filio, cui omnia opera exhibuit pietatis. Ideò dicit Anselmus super Euangelium. Nunquam in aliqua persona, imo etiam in omnibus sic Martha operata est, sicut Maria cum filio, quarum tamen cum opera conferamus.

Martha si quemlibet hospitem in domum suam suscepit, ipsa Dei filium de cœlo peregrinantem in terra, & non habentem, vbi caput suum inclinaret, in hospitio proprij corporis suscepit; secundum quod de hoc gloriatur, Eccli. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Et si Martha nudum quemlibet suscepit, & vestiuit veste corporali, id est, ista Dei verbum carne induit, qui sine fine incorruptibilis permanebit, secundum illud Apostoli ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere.* Et si illa cuilibet indigenti cibum & potum exteriorẽ tribuit, ista Deum & hominem humanitatis indigentia, non solum cibis exteriorib. pauit, sed etiam interioribus aluit. Natũ, inquit, pauit, vbere de cœlo pleno, & postea operib. manuũ sustentauit, scil. acu & colo. Iuxta illud Prouerb. vlt. *Manus suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*, scil. filium. Et si illa infirmum visitauit,

ista

ista DEVM humanatum, infirmum per infantiam & ætatem, non solum visitauit, sed etiam balneando, fouendo, liniendo, & gestando frequentauit, & postea ipsum infirmum & vulneratum in cruce pendentem visitauit. Et si illa incarcerato consolamen præbuit, ista incarceratum in sepulchro flens visitauit, & sepulto humanitatis, imo maternitatis officia præbuit. Hæc ille. Ideo benè dicitur de illa; *Martha satagebat circa frequens*, &c. Et sequitur. *Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi cura quod soror mea reliquit me solã ministrare? Dic ergò illi vt me adiuuet.* Secundum Glossam, hæc possunt esse verba actiuæ vitæ. Mariæ auxilium contemplatiuæ requirentis, quia actiua vita sibi non sufficit, propter difficultates rerum & ambiguitates causarum, præsidium contemplatiuæ debet petere; quod fecit hic Beata Virgo, quæ in præmissis tribulationibus suis, de vita actiua refugit, ad auxilium contemplatiuæ, quæ est pars eius, & per hoc certè non mediocre ad interiora accepit.

Inde est quod dicunt Doctores, quod ipsa Beata Virgo in omnibus suis tribulationibus, nunquam fuit mente aut fide aliquatenus sauciata: quia licet videndo in filio suo tantam passionem & ignominiã, immani dolore concuteretur, quod pertinet ad actiuam vitam; intus tamẽ minimè perturbatur, inspiciendo mysterium diuinæ passionis, quod ipsa optimè nouit, cuius contemplatione dolor omnis exterius mitigabatur: & sic contemplatiua actiuam in ipsa adiuuabat: & hoc est quod voluit; *Dic ergò illi vt me adiuuet.* Ideo etiam dicit Origenes, quia licet Beata Virgo filiũ ex carne sua procreatum, non sine doloris affectu potuerit videre sic ignominiosè tractari & crucifigi, quia tamen non dubitauit Christum filium propria voluntate mori, & mortem ipsam deuicturum. Ideo compassio nõ ita rationem obfuscabat, vt quicquid inordinatum in gestibus suis ostenderet, vita contemplatiua actiuam adiuuabat. Hæc ille.

Nunc Christus approbat sollicitudinem matris suæ gloriosæ, dicens: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Super quo dicit Anselmus; Verè turbabatur, & sollicita erat multum, dum fugeret in Ægyptum à facie Herodis, qui eius filium adeo persequebatur, vt iam multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur dum Iudæos insidiantes, & mortem ei inferre molientes cognosceret. Demum valdè turbata fuit, & iuxta verbum Simeonis, suam ipsius animam gladius amaritudinis pertransiuit, dum filius eius cõprehendi, ligari, flagellari, cõspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, eculeo suspendi, clauos & lanceam infigi eius corpori, mori & sepeliri vidit. Hæc Anselmus. Ideo bene dicit: *Turbaris erga plurima.* Et hoc quo ad Secundum.

Quantum ad TERTIVM NOTANDVM est. Dicitur in communi prouerbio: Qui habet electionem, eligit partem meliorem. quod patet de regina alicuius regni, quæ habet electionem; ideò libentius sedet in loco sublimi, quàm inferiori, vt habetur de Bethsabee Regina, quæ elegit sedem suam iuxta filium suum Salomonem. 3. Reg. 2. Ita Maria quæ est regina cœli, mundi Domina, Imperatrix Angelorum & Prophetarum, doctrix Apostolorum, perseuerantia Martyrum, lucerna Confessorum, regula Virginum, meritò inter omnes partes eligit meliorem quia tanquam Regina habuit electionem inter omnes; ideo potest dicere illud Eccli. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Super quo dicit Bernardus. Meritò in plenitudine sanctorum detentio Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, zelus Apostolorum, constan-

Encomium B. Virginis.

constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fœcunditas Coniugatarum, immò nec puritas Viduarum. Hæc ille. Elegerunt enim Patriarchæ fidem, quorum primus fuit Abraham, de quo legitur Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quid, vel cui credidit? certè Domino credidit qui dixit ad eum illud Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi, & faciam te in gentem magnam.* Sed incomparabiliter plus Maria elegit fidem quæ credidit angelo, & mater Dei est effecta. Quid credidit ipsa? certè illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Ideò ibidem dicitur. *Beata es quæ credidisti Domino.*

Moyses elegit mansuetudinem, de quo legitur Num. 12. *Erit enim Moyses vir mitissimus*, quia cum esset maior inter Iudæos, tamen eorum patiēter sustinuit iniuram. Sed hanc multò magis elegit Maria, quæ fuit mansuetissima, quia secundum Ambrosium in libro de virgini. Nullum læsit verbis, vel factis sed omnibus ad se venientibus mitè respondit. Ideo dicit Bernardus: Reuolue diligenter Euangelij seriem vniuersam, & si quid durum inueneris in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Elegit Dauid misericordiam, qui dicit in Psalm. 100. *Misericordiam cantabo tibi Domine*: sed verè misericordiam elegit Maria, ita quod mater misericordiæ nuncupatur. Ideò dicit Bernhardus in sermone: Quis misericordiæ tuæ, ô benigna virgo, longitudinem & latitudinem, profunditatem atque sublimitatem queat inuestigare. quasi diceret: Nullus. Ideò designata est per arborem Terebintum, de qua Eccli. 24. *Ego quasi Terebintus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* secundum Gloss. Hæc est arbor magna, crescens in Syria, habens ramos multos & magnos, quos extendit: & significat Mariam, quæ ramos suæ misericordiæ extendit in altum & profundum, &c. Ideò dicit Bernhardus in sermone: Maria omnibus gratiam suæ subuentionis non surripuit, ipsa est quæ peccatoribus veniam impetrat, iustos à gratia Dei cadere non permittit, sed sicut fœtidum mundum ab omni immunditia conseruat. Ad Idem Anselmus: loquar Domina de gratiæ tuæ beneficijs, plenum esse mundum, infernum penetrat cœlum superat. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, qui in purgatorio erant, se lætantur liberatos; qui mundo sunt, se clamitant consolatos; & qui supra mundum, se gaudent restauratos.

Maria arbor Terebintus.

Elegit Iudith castitatem, sicut habetur Iudith. 12. & 15. *Benedicta tu à Domino, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alium nescieris.* Sed magis benedicta Maria, quę præ omnibus elegit perpetuam castitatem, nec virum cognouit. Lucæ 1. *Quoniam virum non cognosco.* Ideò dicit beatus Bernardus: Optimam partem elegit Maria. planè, quia bona fœcunditas coniugalis, melior pudicitia vidualis, optima castitas virginalis Sed magis datur virginalis fœcunditas, vel fœcunda virginitas Mariæ. Hoc priuilegium non dabitur alteri, nec auferetur ab ea. Et addit Anselmus: Pars Marthæ beatæ Virgini auferetur, quæ iam non erat sollicita, vt ministraret filio suo, sicut puero, cui omnes Angelorum ordines ministrant sicut Domino. Iam non turbatur erga plurima, quæ fecerunt filio suo Iudæi quia omnia subiecta sunt ei. Iam filius eius à Iudæis vel à militibus non flagellabitur, non occidetur, non conspuetur; quia Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. *Et subdit.* Pars enim Marthæ ei auferetur, & iam ablata est; sed bono suo: pars autem Mariæ perficietur ei, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est

enim

enim super choros Angelorum, & impletum est bonum desiderium suum, videt Deum facie ad faciem, sicque gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea. Hæc ille.

Ita patet per prædicta, quod illud Euangelium non per humanam inuentionem, sed diuinam inspirationem, fuit assumptioni Beatæ Virginis appropriatum. quia Spiritus sanctus clausit Virginis commendationem quo ad multitudinem prærogatiuarum super omnes alios. Ideò signanter concludit hoc Euangeliũ: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ipsa enim Virgo Maria elegit optimam partẽ in gratia & gloria. In gratia quidem, in ista vitá per omnimodam virtutem & abundantiam. Quia sicut dicit Hieronymus: Sicut in comparatione Dei, nullus sit homo perfectus, ita in comparatione matris, nulla inuenitur perfecta; quantumcunq; virtutibus eximia probetur. Ideò cantat Ecclesia benè:

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem, partem illam quã nulla in cœlo citra thronum Diuinæ maiestatis sublimior est: quia exaltata est super omnes choros. Hæc est pars optima, quæ nunquam auferetur ab ea in æternum. De hac parte quam elegit hodie MARIA, dicit Augustinus in sermone qui incipit. *Tibi ò pijssima.* Ab hanc vsque gloriam tu virgo gloriosa & prouecta, vt superno regi nihil superius habeas in supremis, quæ etiam transcendit angelicam dignitatem, ad superni regis es sublimata consessum. Vbi enim rex filius tuus posuit quod ex te sumptum, posuit & te Reginam matrem ex qua sumptu est. Neque enim fas est tibi alibi esse, quàm vbi est quod ex te sumptum est. Et quoniam huius optimæ partis ipsa pijssima. Virgo nos miseros peccatores vult esse participes, Ideò subdit Augustinus: Hæc dona Domina pro peccatoribus habes, sed multum à te hæreditant peccatores Nos enim à te hæreditamus in grati gratiam, peccatores veniam cœlestia terreni, sublimia infimi, Deum homines, mortales patriam. Ad quam nos perducat Pater, & filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DE EADEM B. VIRGINIS FESTIVITATE.

Sermo Tertius.

Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Ita canitur in Cantico hodierno.



Lbertus in libro de elementorum proprietatibus, cap. 1. refert, de quadam nobili gemma, nomine Alabastrum, quæ habet album colorem, & mirabiliter ad se attrahit ignem, etiam per magnam distantiam, & ignis ipsum localiter comitatur. Et ponit idem huius rationem quia hic lapis spirat quasi spiritum sulphuris, quo spiritu ignis gignit, & ad ipsum attrahitur. A Virtus alabastri.

MYSTICE, Per hanc gemam Christus intelligitur. Rectè enim sicut gema præ- B

fata

Christus alabastro cōparatus.

facta est alba, ita Christus est albus per vitæ innocentiam; quia *candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sapien. 7. Sed per ignem designare virginem volo gloriosam, matrem ipsius. Rectè namq; sicut ignis exstinguit fulmen, teste Commentatore de impressione aëris, qui dicit; quod genus fulminis aqua non exstinguitur, sed magis accenditur. Sed dum ignis inuritur, protinus suffocatur. Ita Maria quæ tota fuit ignea in charitate Dei & proximi, exstinguit etiam fulmen materiale, & repellit. Quia dicit Eusebius in sermone. Nullum ibi tonitruum, aut tempestas, nulla coruscatio, nullum fulmen ferire poterit, vbi Mariæ aliqualis memoria fulminescit. Exstinguit

C

Esther figurata. B. V.

Maria principaliter fulmen districtæ sententiæ Dei erga peccatum, quod habetur pulchræ figuratum. Ester. 3. vbi legitur, quod Assuerus rex monitu Aman dedit, sententiam super filios Israël, vt omnes exstinguerentur & occiderentur. Esther autem intrans ad Regem sententiam mutauit. Sic nostra Esther B. Virgo, reconciliat peccatorem, & exstinguit fulmen iræ Dei. Hunc ignem virginem Mariam igne caritatis plenam, traxit ad se, immò venerabiliter assumpsit Christus verus alabaster hodie, dicens ad ipsam, vt refert Augustinus in sermone hodierno. Tempus est assumendi matrem meam. Sicut enim terram, & ea quæ in terra sunt, ô gratia plena. replesti gaudio, ita fac gratulari & cœlestia; iucundas redde patris mei mansiones, consolare sanctorum meorum spiritus, qui tuam à me honorabilem translationem Angelicis constipatam obsequijs videntes, de sua quoq; certificabuntur. Veni ergò cum exultatione, ne turberis deserens corrumpendum cum suis concupiscentijs mundum, adeptūra cœlestæ palatium. Et sicut ego cum non esset in mundo, descendi vt illuminarem quæ in mundo sunt, ita & tuum patrocinium, vsque ad consumationem seculi proportionabitur his qui in mundo sunt. *Et post pauca.* Habita, inquit, cum vnigenito, adhærere festina filio. Et hoc testatur Ecclesia in his verbis. *Assumpta est Maria,* &c. In quibus duo describuntur. *Primum,* Mariæ gloriosa sublimatio, ibi; *Assumpta est Maria. Secundum,* angelorum sonorosa exultatio, ibi; *Gaudent,* &c.

De PRIMO est NOTANDVM. Videmus quando sol naturaliter ascendit super nostrum hemisphærium, non statim assumitur in corpore, sed prius secundum auroram, quæ quidem in admirationem & exultationem volucres ducit vniuersas, & postea sol ascendit secundum se totum in corpore luminoso.

D

B. Virgo soli comparatur.

SPIRITVALITER. Per solem intelligitur gloriosa virgo Maria. Rectè enim sicut sol corporalibus oculis non potest intueri, propter suam claritatem, quia aliàs oculos obfuscaret, vel saltem fluentes lacrymas generaret. Ita beata Virgo Maria, quæ est sol iucundissimus, adhuc in corpore existens, recto visu non potuit intueri, teste Hieronymo in sermone, qui ait; Quidam ignei radij in oculis eius micantes, sic faciem eius insundebant, vt eam Ioseph nunquam posset recto lumine intueri. *Et declarat.* Non mirum si in Moysen, qui viderat Deum, sine velamine non potuit populus intendere nec videre eum: quid de ea tunc, quæ Deum non tantum vidit, sed etiam genuit, & tractauit.

Eremita desiderat videre faciem B. Virginis.

Ideo refert Ioannes Euangelista cœlestis aquila, quod quidam Eremita faciem virginis, clarissimi solis, cum adhuc viueret, desiderans videre, audiuit vocem Domini dicentem. Ibis in Ierusalem, & ibi faciem matris meæ videbis, vt diu desiderasti. Surgens ille multo tempore laborauit, tandem illuc peruenit & hospicium Virginis sollicitè quærens, ad montem Sion, sub quo habitabat, ductus, venit ad mansionem

nem

nem eius quam clausam reperiens, pulsauit. Et ecce iuuenis deuotus ostium aperiens, & aduenam cernens, sui aduentus causam inquirit. Ille autem ei inuitauit, quæ fuerant à Deo sibi promissa. Cui iuuenis, (& fuit ipsemet Ioannes qui hoc scribit) Faciem, inquit, eius videbis, si tibi ostendere voluerit, exspectabis ad nonam, & regredientem ab oratione, si ei placuerit eam videbis. Iuxta tempus nonæ, cum regrederetur virgo, ait Ioannes, Domina filius tuus direxit ad te quendam senem, repromittens ei, quod debeat faciem tuam videre. At illa subsistens, dimisso pallio quod super caput gerebat, conuersa ad senem ait. Vide nunc faciem famulæ Dei, Quam cum intuitus fuisset, præ nimia claritate stare non potuit, sed cadens in terram dixit: Eia mater misericordiæ, si nunc facies tua adeo est gratiosa qualis erit in patria.

Iste igitur candidissimus sol Maria, nimphula candidissima & iucundissima, hodie assumpta est in anima ad thronū gloriæ, tanquā aurora rutilantissima, & in admirationem angelos incitauit, qui dixerunt. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt sol.* Vt habetur Cant. 6. & sic super omnes creaturas fuit collocata. Rectè sicut sol habet sublimitatem in situ, quia positus est in medio planetarum, tres habens suprà se scilicet Martem, Iouem, & Saturnum, & tres infra se, scilicet, Venerem, Mercurium, & Lunam. B. Virgo super omnes creaturas collocatur in cœlis.

Sic beata virgo, mundi domina, cœli regina, posita est super tres hierarchias omnium Angelorum & supra trinum machinam, cœlestium, terrestrium, & infernorū. Habet enim Imperatoriam potestatem in cœlestibus, tanquam imperatrix potentissima, quem enim vult saluat & assumit teste August. in sermone. Hāc fatemur veram reginam cœlorū quæ in regnum cœlorum recipit animas sanctorū. Ideo dicit Hugo & Richardus de S. Victore. Nihil à throno Dei diuini muneris defluit & descendit, quod per manus Mariæ non transierit. Habet etiam potestatem in terrestribus, ideo præcepit tanquam Domina ipsis ministris, quando cum filio erat in nuptijs in Cana Galileæ dicens. *Quodcunq; dixerit vobis, facite.* Ioan. 2. Habet potestatem in dæmonibus hos terrendo & fugando secundum quod dicit Hugo de sancto Victore. Dæmones eam sufferre non possunt, imò territi fugiunt, & confusi discedunt, dum Mariæ obsequio mollescunt. Et sic patet quod Maria est posita quasi imperatrix super cœlestia, terrestria & infernalia. Et solum habet super se tres personas, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Ideo dicit Anselmus: Nihil tibi Domina est æquale; omne enim quod est, suprà aut infrà te est. Supra te, solus Deus: infra te, est omne quod non est Deus. E B. Virgo Imperatrix potentissima. Imperat terrestribus. Fugat dæmones.

Et quamuis hodie assumpta est in anima virgo Maria, tamen postea etiam in corpore reuerenter est assumta. Sicut dicit de hoc Damascenus in sermonibus suis de assumptione. Hodie immaculata virgo, terrenarum passionum nescia, imo cœlestibus intellectibus erudita, non in terram abijt, sed verè cœlum animatum appellata, in cœlestibus tabernaculis habitat. Licet enim sacratissima beataq; anima tua à glorioso corpore tuo, separaretur & sepulturæ corpus traderetur, veruntamen non manet in morte, nec dissoluitur corruptione. Cuius enim parientis virginitas inuiolata permansit, huius & migrantis corpus irresolutum per omnia perseuerat, & ad meliorem sanctioremq; vitam traducitur, non morte dissolutum, & in æterna secula permansurum. F Maria corpore & anima in cœlū assumta.

Hoc declarat in exemplo lucidius, dicens. Sicut enim sol iste lucifluus & splendidus,

dus, sub lunari corpore latens, ad breuem horam quodammodo videtur deficere, tamen suo non priuatur lumine, habens in se perennem fontem luminis. Ita licet quodam breui interuallo temporis, corporaliter morti sis addicta, tamen copiosè nobis infundis indeficientis luminis claritatem. *Et subdit.* Non iuisti Virgo B. in cœlum, vt Elias, neq; vt Paulus vsq; ad tertium cœlum ascendisti, sed vsq; ad regalem thronum filij tui attigisti. Hæc ille.

Quod etiam sit assumpta in corpore, legitur in Euthimiata historia, lib. 3. cap. 40. Quod sanctus Germanus Constantinopolitanus Archiepiscopus scriptum se reperisse dicit, quod & magnus Damascenus similiter attestatur, quod Pulcheria Augusta, cum apud Constantinopolim multas Ecclesias erexisset, inter cæteras in Blanchernis † mirabilem Ecclesiam, tempore Martiani Imperatoris, ad honorem sanctæ virginis ædificauit: & conuocans Iuuenalem Archiepiscopum Ierosolymitanum, aliosq; Palæstinæ Episcopos, qui tunc in vrbe regia morabantur propter synodũ quæ facta est Chalcedone, dixit eis. Audiuim᷑ corpus sanctissimæ virginis in prædio Gethsemani tumulatum, volumus igitur ad custodiam huius vrbis corpus illud cum debita reuerentia huc transferre. Cui prædictus Iuuenalis respondit. O Domina, corpus illud sicut ab antiquis historijs comperi, in gloriam est translatum, & sola in monumento vestimenta cum syndone remansisse: & ipse Iuuenalis vestimenta Cõstantinopolim misit & in prædicta Ecclesia honorificè collocauit. Tunica autem ipsius postea venit ad vrbem Carnotensem de qua refert Iacobus Ianuensis.

† Vide Nicephorum lib 14. c. 2. Prosp de ædit Iustin Imp. orat. 1.

Veste B. Virginis hostes fugantur.

Cum Dux Normanorum vrbem Carnotensium obsedisset, Episcopus illius vrbis, tunicam beatæ Mariæ quæ ibidem seruabatur, more vexilli hastæ imposuit, & subsequente populo securus exiuit ad hostes, statimq; omnis hostilis exercitus cæcitate percussus est & amẽtia, stabatq; totus corpore trepidus, & animo stupefactus. Quod illi de ciuitate cernentes, diuino iudicio superaddunt, & atrociter hostes cædunt, quod B. Mariæ plurimum displicuisse comprobatur, ex eo, quod protinus tunica illa disparuit, & visum continuò hostes receperunt.

Quando autem Maria est assumpta in anima? dubium non est, quin subitò, quando de corpore egressa est. De assumptione autem corporis quando facta sit, habetur in Legenda, quod tertia die resurrexit, & in cœlum ascendit, & gloriose assumpta est. Sed in reuelationibus B. Elisabeth, quæ fuit de partibus Saxoniæ, legitur ei reuelatũ esse, quod post 40. dies sui transitus, sit in corpore assumta. Nam B. Maria cum Elisabetha colloquens, ait. Omnes Apostoli dormitioni meæ affuerunt, & corpus meum reuerenter sepulturæ dederunt: sed quadragesimo die resurrexi. Cum autem Elisabeth interrogaret. Vtrum hoc manifestare vel celare deberet, dixit: nec carnalibus incredulis reuelanda, nec deuotis & fidelibus abscondenda. Sed rationabilius videtur, cum corpus Ioannis, qui fuit custos Virginis, statim assumptum est, quia statim sepulchro aperto corpus non est inuentum, quare etiam Mariæ corpus non statim resurgeret? Et hoc quo ad primum.

Quantum ad Secvndvm, subditur Angelorum sonorosa exultatio, cum dicitur: *Gaudent angeli.* Circa quod Notandvm, quando aliqua virgo Regia de regno Ægypti in regnũ Vngariæ duceretur coronanda, & ad Imperatricem eligenda, hæc vtique non sola veniret, aut paruo cum comitatu. Sed secum haberet Principes terræ, & milites qui currum circumdarent, & iubiliosè decantarent præceden-

tibus

tibus buccinis fistulis, alijsque musicalibus instrumentis. Et deinde Rex cuius esset sponsa electa, veniret ei obuiam in apparatu, & sic cum gloria & gaudio non paruo in regnum duceretur.

MORALITER. Virgo Regia de stirpe orta Dauidica Maria, de qua canit Psalm. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, hodie de regno mundi ducta est in regnum cœli, sicut de hoc dicit Hieronymus in sermone de assumptione. Defertur Maria in cœlum, vt sponsa in thalamum, Regina in regnum, dilecta in cubiculum. Sed propter quid? certè vt coronetur, & Imperatricem eligatur, non regni Vngariæ aut mundi, sed cœli. Ideò non venit sola, sed cum venerabili comitatu. Habuit enim in suo comitatu aut conductu, terræ Principes Apostolos, de quibus Psalm. 44. *Constitues eos principes super omnem terram*. Et de hoc dicit Beatus Augustinus in sermone hodierno. Ex verissima & antiqua traditione accepimus, quod tempore gloriosæ dormitionis Mariæ, cum Apostoli ad saluandas gentes orbem terræ peragrarent, momento temporis in altum sublati, Ierosolymis conuenerunt. *Et subdit*. Quomodo eam laudauerunt omnes pariter dicentes. Cum in huius mundi incolatu te, ô celeberrima Virgo, habuerimus habitatricem, quasi ipsum Dominum & Magistrum nostrum aspicientes consolabamur, quia nunc transmigrandam te cognoscimus, cum tristitia superstites remanemus; hoc non solum habentes refrigerium, quod te mediatricem apud Deum possidebimus. Filius enim tuus creator & Deus, qui iustificauit te, vocat te: nemo est qui prohibeat filio matrem, nec Deus te deserere vult in medio nationis peruersæ & prauæ. Memento semper nostri in conspectu filij Dei nostri & Magistri. Hæc Augustinus.

G

Apostoli B. Virginem alloquutur.

Habuit etiam Imperatrix cœlica in sua assumptione, aut conductu, cœli milites sanctos Angelos, vt dicit idem in eodem sermone. Quis hymnos, & quæ & qualia hymnis dicta, considerare valeat & intellectu comprehendere? quo ille multiplex Dei supernorum exercitus, omni spiritualium virtutum genere adornatus, inopinata concinnebat modulamina, quæ à Domino accepta, cum his (vt reor) adornauit sanctorum animas ducētes choros circa lectum, & iter facientes præcedebant cum iubilo. *Et subdit*. O regina omnis humanæ naturæ, super solium excelsum eleuata, cœli cœlorum porta, omnis te lingua glorificat, repleta est omnis terra gloria tua: super Enoch magnificare; super Eliam eleuare. & inenarrabili gaudio super omnes choros Angelorum, spe filij tui potire indeficienti beatitudine, supra quam prorsus nihil habetur. Suscipite hanc candidati Angeli, hymnum dicite cœli, glorificate terrigenæ, terra plaude, omnisque creatura lauda creatoris matrem. Hæc Augustinus.

B. Virginem comitantur in cœlum Angeli.

Quod etiam milites Maria habuit in suo conductu, testatur Hieronymus in sermone, dicens: Legimus ad funera sæpè quorumlibet sanctorum angelos venisse, & ad exsequias eorum obsequia præstitisse, nec nō eorum animas cum hymnis & canticis ad cœlum detulisse; quanto magis credendum est, hodie militiam angelorum cum suis agminibus obuiam venisse genitrici, & eam ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum ante mundi constitutionem factum, cum laudibus & cantilenis perduxisse. *Et subdit*. Nec immerito creditur, quod ipse Saluator omnium per se totus festiuus occurrit, eamque secum in throno gloriæ collocauit. Sicut habetur ex reuelationibus sanctæ Elisabeth, vbi legitur, quod quadā vice rapta in spiritu, vidit in

Milites.


Christ⁹ matri ad cœlū migrāti, obuiam venit.

loco valde remoto, quoddam sepulchrum multò lumine circumfulsum, & quasi speciem mulieris circumstabat multitudo angelorum, & post pusillum erectam, & in sublime cum illa astantium multitudine eleuatam. Et ecce in eius occursum, vir quidam de cœlis admirabilis & gloriosus aduenit, portans in dextra crucis vexillum, & cum eo infinita turba angelorum, sicque eam alacriter suscipientes, cum concentu magno eam in cœlum deduxerunt. Post modicum temporis Elisabeth angelum, cum quo sæpè loquebatur, de prædicta visione inquisiuit qui respondés, ait: Ostensum est tibi in hac visione, quod tàm in carne quàm in spiritu, Domina nostra in cœlum est assumpta. Ideò benè canit Ecclesia: *Assumpta est Maria in cœlum*, scilicet in corpore & anima, vt piè tenent communiter Doctores. Ideò gaudent angeli, quibus & nos conformes esse oportet, in gaudio & laude matris Dei. Et hoc ad secundum.

DE EADEM FESTIVITATE.

Sermo quartus.

Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Genes. 7.

A  Xperientia scimus & audimus, quando flores & gramina ascendunt è terra, campũ & prata exornantes, & aspectui nostro se præsentant, vt in vere, tunc animalia incipiunt iucundari & lætari, eo quod pascua inueniunt, quæ sic eorum naturæ conueniunt, & quæ tempore esuriei habere non possunt. Incipiunt volucres lætis vocibus vociferare, & cantare, sicut patet de alauda, quæ statim vociferat dulciter, & lætatur. Ita etiam amatores mundi, & amatrices, tempore veris, vt circa Festum Walpurgis, quando flores ascendant, signa amoris ostendunt, sibi munera dirigunt, ramos arborum ante ostia sibi inuicem ponunt seu figunt: & in hoc lætos se ostendunt, vt dicit deuotus Amandus in horologio Sapientiæ lib. 2. in fine.

B Spiritvaliter. Maria Nympha omni laude dignissima, quæ est flos florum, & rosa rosarum. Flos, inquam campi, & lilium conuallium, hodie prodijt & ascendit de terra valle miseriæ, in lucem cœlestis curiæ conspectui filij sui, & sanctorum se præsentando. Idcircò peccatores gaudeant animales, quia præmiserunt matrem misericordię, ad quam refugium habeant, cum peccatis sunt grauati. Gaudeant contemplatiui & iusti per alaudam designati, quia Maria inceptrix & initium contẽplationis, hodie de miseria in gloriam ascendit, & illum in quo mens eius iugiter cõuersabatur veraciter comprehendit. Lætentur insuper amatores huius virginis vniuersi, quia potentissimam ad cœlestem curiam destinauerunt aduocatam. Ideò beatus Hieronymus in sermone de assumptione, ad lætitiam inuitat vniuersos, dicens: Hodie gloriosa semper Virgo Maria ascendit cœlos, rogo gaudete, quia (vt ita dicam) ineffabiliter sublimata, cum Christo regnat in æternum. Regina mundi hodie de terris, & de præsenti seculo nequam eripitur. Iterum dico gaudete, quia secura de sua immarcescibili gloria ad cœli iam peruenit palatium. Exultate, inquam, & gaudete, & lætetur omnis orbis, quia nobis omnibus hodie interuenientibus eius meritis salus

Marginalia: Gaudere debent peccatores. — Contemplatiui & iusti. — Amatores B. Virginis. — Totus mundus.

lus aucta est. Vobis quoque eam diligentibus, honor & virtus, vnà cum cæteris virginibus sacris, præstatur & gratia. Idcircò dilectissimi lætamini & laudate, quia si Deum more prophetico in sanctis suis laudare iubemur, multo magis in hac celebritate beatæ Virginis Mariæ matris eius, oportet cum hymnis & canticis diligentius extollere, & dignis Deo præconijs iubilare. *Et subdit*. Hæc est præsentis diei festiuitas, in qua gloriosa felix Maria ad æthereum peruenit thalamum. Quæ profecto vestiuitas, sicut & virgo incomparabilis est cæteris virginibus; ita incomparabilis ista festiuitas, est omnium festiuitatum sanctorum admiranda. De ista gloriosa eius assumptione aut ascensione habetur in verbis thematis prælibati. *Multiplicatæ sunt aquæ*, &c. In quibus verbis duo tanguntur. *Primò*, multitudo virtutum, ibi; *Multiplicatæ sunt aquæ*. *Secundò*, præmiorum altitudo, ibi; *Et leuauerunt arcam*.

Quantum ad PRIMVM commendatur Virgo gloriosa à virtutum multitudine, cum dicitur: *Multiplicatæ sunt aquæ*, quia aquæ multiplicatio est virtutum augmentatio, quarum vna fuit infima humilitas.

Circa quod NOTANDVM. Experientia videmus, quod metallum quod aurifaber plus flectit, vel se flexibile præbet, id magis exaltat, & super omnia metalla ornatius collocat. Sicut patet de auro quod inter omnia metalla est flexibilius, quia inter incudem & malleum sine ruptione, siue discussione partium, tenuissimas laminas dilatatur: ideo de eo fiunt ornamenta, quæ in sublimiori loco exponuntur, & interdum omnia metalla ad decorem exaltantur.

MORALITER. Per aurum virginem Mariam possum intelligere. Quia secundum Aristotelem in libro problematum. Aurum naturaliter fugat somnum, propter quod, vt ait Auicenna, ab infirmis debet auferri aurum, & annuli aurei, qui geruntur in digitis, vt eo melius requiescant. Quia aurum est amicus vigiliæ, & non somni. Sic beatissima virgo similis auro, fugat à nobis somnum ignorantiæ & peccati, sicut in multis peccatorib. ostendit illud. Ideò dicit Bernar. in serm.: Si crimine turbaris, si conscientiæ fœditate es confusus, Mariã cogita, Mariã inuoca; nõ recedat nec trãseat ab ore. Nam ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsam sequens non deuias, ipsam cerne & non deuias, ipsa te protegente non corruis, ipsa te ducente non fatigaris, ipsa via propitia ad Deum venies, quia ipsa continuè intercedit pro peccatoribus, vt à suis resurgant erroribus. Sicut hoc legitur in Legenda Sancti Dominici. Aurum fugat somnũ.

Quia quidam vir sanctus vidit per diuinam reuelationem, quod cum iugiter Dei filium pro humano genere exoraret. Ille respondit. Quid debeo amplius facere? Misi Patriarchas & Prophetas, se parum emendauerunt. Veni ego ad eos, deinde misi Apostolos, & me illos & occiderunt. Misi Martyres, Confessores & Doctores neq; illis acquieuerunt, dedique sententiam vt deleantur. Sed regina misericordię respondit. Bone fili, non secundum eorum malitiam, sed secundum misericordiam tuam agere debes. Ad quam filius. Cum eis misericordiam faciam, & predicatores meos ei mittam. Ideo perpendens hæc beatus Augustinus ait: Nec potentiorem quàm te meritis inuenimus ad placandam iram iudicis, quę meruisti esse mater eiusdem iudicis & Saluatoris. Sed & hæc maxima pars peccatoris ex fiducia habet. Quia quod beata facta es, ꝓpter nos peccatores est. Nã illud quod habes pro nobis habes. Ad quid enim fieres mater saluatoris, si nulla indigentia esset salutis. Ideo tanquam C Exemplum.

 aurum

Aurum lætificat.

aurum puriſſimum excitat à ſomno peccati peccatores. Aurum enim lætum facit ipſum inſpicientem, teſte Plinio in ſpec. nat. Ex auri intuitu naturaliter læti ſumus. Cuius ratio eſt, quia aurum ſibi aërem proximum dulcorat, alterato autem aëre, alteratur & cor humanum. Sic dum Mariam inſpicimus oculis cordis noſtri, quæ eſt reconciliatrix noſtra erga filium, & ab hoc ipſam deuotè laudemus. Magna nobis lætitia prouenit ex hac laude, teſte Auguſtino lib. ſoliloq. O quanta, inquit, iucunditas cordis mei ex laude prouenit matris Dei. Cui alludit Oroſius ſuper Cantic. Nihil dulcius, nihilq; iucundius reperi, quàm Mariam. Et præcipue in morte maximè gaudebit, qui hic Mariam laudando inſpexit, ſecundum illud Haymonis ſuper Apocal. Gaudens, inquit, erit eius obitus, qui Mariæ dum viueret, fuit ſedulus & deuotus.

Illud igitur rubicundum aurum Virgo Maria, rubea ex charitate maxima, omnibus alijs ſanctis plus fuit flexibilis, hoc eſt humilis. Quia ſecundum Gregorium in Regiſtro, habuit innumerabilem humilitatem; & hanc oſtendit in animo in verbo, & in ſigno. In animo, teſte Bernardo, Eua per ſuperbiam ſe Dei creaturam non conſiderans; Deo obedire noluit. Maria verò humiliter factori ſuo ſe ſubijciens, ancillam ſe nominauit, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Lucæ. 1. In verbo autem quando dixit. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Cum enim iam eſſet mater Dei, non tamen dixit, reſpexit humilitatem matris Dei, Dominus nec mundi, nec reginæ cœli, ſed ancillæ ſuæ. In ſigno quidem habuit humilitatem, quia nunquam ſe præferebat, ſed cæteris mulieribus ſe communem exhibebat. Idcircò Chriſtus filius eius, vt dicit Auguſtinus in ſermone qui eſt de natiuitate. Hodie ipſam ſuper omnes cœlos exaltauit, quia ſe ita profunde ſuper omnes ſanctos humiliauit, ideò poſita eſt ad decorem totius regni cœleſtis, ſecundum quod dicit beatus Auguſtinus ſuper illud Pſal. 135. *Saluum fac filium ancillæ tuæ.* Scio Domine mi, ſcio quia Regina cœli eſt, ſed humilitas ſua prærornat omne decus honoris.

D

Refert Iſidorus lib. 17 cap 7 Quod ficus Ægyptia fertilior eſt quàm noſtra; quę ſi in aquam miſſa fuerit, Illico mergitur petendo fundum, & cum in aqua aliquandiu iacuerit & multitudinem aquæ in ſe biberit, deinde in ſuperficiem eleuatur, verſa vice naturæ, quæ malefacta debuit humoris pondere reſidere.

B. Virgo arbori fici cōparatur.

Per hanc arborem intelligitur Virgo Maria, quæ fuit fertiliſſima in omnibus virtutum fructibus, & omnes fructus ſanctorum in ſe habuit. Abraham habuit fidem, ſed Maria multò fidelior. Moyſes mititatē, ſed ipſa mitiſſima. Dauid humilitatem, quia *humiliter ludebat ante Dominum indutus Ephod.* 2. Reg. 6. Sed multo humilior fuit Maria, immò exemplum humilitatis. Ioannes habuit virginitatem, ſed ipſa multò purior, quæ eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula* Sap. 7. Martha fuit hoſpitalis, *& recepit Chriſtum in domum ſuam.* Lucæ. 10. Maria fuit liberalior, quia ipſum nouem menſibus in vtero baiulauit. Magdalena habuit contemplationem, quæ optimam partem elegit, ſcilicet contemplationem. Maria autem multò fuit ſublimior. Ecce quam fertilis ficus. Hæc, inquam miſſa fuit totaliter in aquas gratiarum & in ſe plenitudinem gratiæ imbibit, ſecundum illud Originis ſuper Canticum. Aue inquit, angelus gratia plena & benè plena quia cęteris ſanctis per partes pręſtatur gratia, Marię vero tota infudit ſe gratę plenitudo. Ita ꝙ de ipſa poteſt dici illud Eſther c. 15. *Facies tua plena eſt gratiarum,* nec propter hoc ipſa ſuperbiuit vel elata eſt, ſed petiit

tiję fundum humilitatis, animaduertens illud Chrysostomi in sermone. Nemo construit celsitudinem bonorum operum & virtutis, nisi prius iactentur fundamenta humilitatis. Ideò humectata est totaliter in aquis, & hodie sursum eleuata, & super choros omnium Sanctorum angelorum exaltata, secundum quod dicit Bernardus in sermone hodierno. Summa es post filium tuum, & in tuæ protectionis munimine demonstrantur felices spiritus, qui tuam habent præsentiam, nos autem miseri memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructamus. Et hoc quantum ad primum.

Quantum ad SECVNDVM commendatur B. Maria à præmiorum altitudine, quia sublimius alijs sanctis in sua assumptione præmium accepit, quod tangitur ibi: *Et eleuauerunt arcam in sublime.* Arist. 1. de cœlo & mundo. Idem est locus totius partis, & totius terræ, & vnius globi. Sed corpus filij Dei fuit super omnes Angelos, sedens ad *dextram maiestatis Dei.* ad Hebr. 1. Ergò rationabiliter corpus & anima beatæ Virginis, hodie axaltata sunt super omnes choros angelorum & spiritus. Quod & probat Damascenus in suis sermonibus de assumptione. Hodie, inquit, sanctissima Virgo cœlesti thalamo inuehitur; Hodie sacra & animata arca, quæ intra se tulit filium artificem, in templo non manu facto reponitur. Hodie sacratissima columba innocens & simplex, euolans ex arca, id est, ex corpore, quod Deum suscepit, requiem pedibus suis adinuenit. *Et infra subdit.* Decebat enim Dei sacrarium fontem in defessum, agrum inaratum, vineam non irrigatam, oliuam fructiferam, terræ gremio non teneri. Decuit matrem ad filium sublimari, vt ad ipsum ascendat, sicut ad ipsam descenderat, vt quæ in partu seruabat virginitatem post partum corpus non videret corruptionem; & quæ creatorem portauit in sinu, in diuinis tabernaculis commoraretur; & quam Pater desponsauit in sponsam, in cœlestibus thalamis conseruetur; & à matre quæ sunt filij, possideantur. Hæc ille. Et hoc figuratum fuit pulchrè 2. Regum 6. vbi legitur, quod rex Dauid fecit tabernaculum, iuxta domum suam, pro retentione arcæ, deinde descendit ipse cum electis Israel, & tulerunt arcam de domo Aminadab, & posuit eam supra plaustrum nouum, quam cum tetigisset Oza percussus fuit à Domino, deinde portauerat arcam in locum suum, Dauid præcedente cum cithara, & cantoribus electis ex Israel. Figura.

Per arcam electissima Virgo Maria aptè designatur. Ipsa reuera est arca diluuij, in qua non solum octo animæ saluatæ sunt. Gen. 7. Sed in qua omnes qui saluantur, salui fiunt, quia dudum multi peccatores in diluuio peccatorum perijssent, si non in hac salutifera arca inclusi fuissent. Ideò dicit Ignatius in epistola ad Beatam Virginem. Impossibile est saluari aliquem peccatorem, nisi per tuum ô Virgo, auxilium & fauorem: quia quos ipse Deus non potest saluare per suam iustitiam & veritatem, hos ipsa saluat per suam misericordiam infinitam, secundum Anselmum in sermone, quod inuenio probatum in exemplo. E B. Virgo arca diluuij.

Refert Magister Alexander & Episcopus in epistolis suis super illud verbum, Psal. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* Quod quidam studens degens Bononiæ, vanitatibus secularibus esset deditus, talem vidit visionem. Videbatur enim sibi quod in campo magno consisteret, & ibidem tempestas ingens super ipsum descenderet, qui dum fugeret à facie tempestatis ad quandam domum peruenit, quam cum clausam inuenisset, postulabat se ibidem recipi, pulsans ad ostium; Qui intus F

Iustitia. erat, respondit. Ego sum *Iustitia*, quæ hic habito, & hæc domus mea est: quia autem tu iustus non es, mecum habitare non vales. Ad cuius verba iste plurimum mœrens abscessit, & aliam vltra illam conspiciens domum, venit ad ipsam, & pulsans ad ostium, se ibidem recipi postulabat, sed quæ intus erat hospita respondit. Ego sum
Veritas. *Veritas*, quæ hic habito, & hæc est domus mea te autem hospitem non recipio; quia veritas non liberat eum, qui veritatem non amat. Indeq; recedens, desertam domum vltra illam respexit, ad q̃ veniens se similiter contra tempestatem recipi flagita-
Pax. uit; quæ intus erat, respondit. Ego sum *Pax*, quæ hic habito, non est autem pax impijs, sed tantum hominibus bonæ voluntatis. Verum ego quidem cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, vtile consilium do tibi. Vltra me soror mea habitat, quæ miseris consilium præstat; ad hanc accede, & consilium eius & monita comple.
Misericordia Cum autem accessisset qui intus erat, respondit. Ego sum *Misericordia* quæ, hic habito. Si autē ab im̃inenti tempestate saluari vis, vade ad Mariam illuminantem, quasi diceret: Ipsa est arca quæ præseruat te ab impetu tempestatis, quia sicut arca Noë tam mundos quàm immundos recepit, sic Maria nullum despicit.

Ideò dicit Bernhardus in sermone. Peccatorem, quantumque fœtidum, Maria non despicis, si ad te suspirauerit, tuumque interuentum pœnitendi corde flagitauerit. Tu illum à desperationibus barathri pia manu retrahis, sententiam districti iudicis rapis, donec miserum peccatorem salues, & filio tuo reconcilies. Hæc ille. Igitur benedicta arca in cuius vtero fuit benedictus fructus, est fœdus sempiternum inter Deum & hominem, quia propulit dæmones, qui hanc inimicitiam fecerunt,
Figura. Quod figuratum est 1. Regum 4. vbi legitur. Cum venisset arca Domini in castra, timuerunt Philistæi, dicentes. *Væ nobis, væ nobis, quis nos saluabit de manu sublimium Deorum istorum.* Sic dum Maria venit in castra Domini, timuerunt dæmones; qui secundum Eusebium in sermone, magis terrentur Mariæ præconio,
B. Virgo arca Testamenti. quàm summo suplicio quocunque. Hęc est arca beatissima, in qua fuit aurum diuinæ sapientiæ, manna cœleste, Iesus Christus, tabulæ non solum veteris Testamenti, sed & noui; quia est vtriusque Testamenti conseruatrix. Rectè sicut in arca fuit vrna aurea, manna, & tabulæ Testamenti.

Huic arcæ benedictæ fecit rex Dauid, scilicet Christus, tabernaculum, hoc est, locum sublimem super omnes angelos, iuxta domũ suam, id est, suum solium. Iuxta illud Psalm. 44. *Astitit regina à dextris tuis*, &c. Deinde ascendit cum electis Israël, scilicet angelis & omnibus sanctis, qui vident faciem Dei, quia dicit Hildephonsus Toletanus Episcopus. Non fuit archangelus, non potestas, neque Virtus neque Principatus neque Dominationes, nulli Throni, nullique Sancti & electi Dei, quin matri Domini occurrere festinauerunt. Et sic tulerunt arcam de domo Aminadab, qui interpretatur populus, quia de populo mortali assumpsit eam, & posuit eam in plaustro nouo, hoc est, corpore glorificato. Et portauerunt arcam hanc gloriosam in locum suum, de quo dicit Augustinus in sermone de assumptione. Thronum Dei, tabernaculum Domini, Tabernaculum Christi, & templum S. sancti, dignum est ibi esse, vbi Christus est. Tam pretiosum thesaurum, dignius est cœlũ, quàm terram seruare. Præcedebat autem Dauid, scilicet Christus, cum cithara suæ humanitatis, & cantoribus sanctis angelis. Quia, vt ait Hieronymus, in sermone hodierno de assumptione. Obuiam venerunt Dei genetrici & vsque ad thronum sibi


ante

ante mundi constitutionem præparatum, laudibus & canticis spiritualibus honorificè deduxerunt. *Idem.* Nulli dubium est, illam omnem cœlestem Ierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, & cum gratulatione iubilasse, quando festiuitas hæc, quæ nobis reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua. *Et subdit.* Si gaudium fit in cœlo de quolibet peccatore conuerso, multò magis putandum pro tantæ Virginis exaltatione, præsertim quia eius celebritas laus & fauus est salutationis. Vnde credimus, quod non hunc diem tantum hymnum dicant in supernis, verum etiam continuum æternæ iucunditatis & lætitiæ, & venerationis obsequium, eum colunt omni tripudio amoris, & gaudij. Et hoc ad Secundum.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

Sermo Primus.

Ionathas exspoliauit se tunica, & dedit eam Dauid. 1. Regum 18.



SOLINVS in libro de mirabilibus mundi. Aues, inquit, quæ plumas à se abijciunt, vel illis se exspoliant, quodammodo renouantur. Quia Plinius in speculo naturali probat de aquila, quæ in senectute patitur grauedinem in alis, ita quod volare non possit, ideò quærit fontem aquæ scaturientis. Deinde ascendit in aëra in quantum potest, donec ex calore aëris & labore volatus, stomachus fortiùs incalescat, & tunc poris apertis in pennis & relaxatis, subitò descendens in fontem ruit, in quo plumis depositis renouatur. A

SPIRITVALITER. Per aquilam intelliguntur homines sancti, quia rectè sicut aquila inter alias aues est velut regina, sic animæ sanctorum hominum habent se vt reginæ; vt probat B. Gregorius super illud Cantic. 6. *Sexaginta sunt reginæ*, dicens: Quid per reginas nisi sanctorum animæ designantur, quæ dum corpora sua prudenter regunt, & alijs præsunt, regnum æternum sibi acquirunt. *Et subdit.* Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia, qui carnem suam propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subijciunt, omnes motus suos, vt non inordinatè curtant, sapienter regunt: alij prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos à faucibus dæmonum, gladio impugnantes, abstrahunt. Quid huiusmodi animæ nisi reginæ existunt? quæ dum regem suum Christum valdè diligunt, ex amoris mixtione regi omnes filios, id est, fideles populos gignunt. Hæc sunt verba Gregorij.

Per reginas animæ sanctorum designantur.

Talis regina fuit anima beati Bartholomæi, qui corpus ita rexit, vt se propter Deum affligeret, quia centies in die, & toties in nocte, genua flectebat, & corpori suo vim faciebat, vt dicere potuisset cum Apostolo: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 1. Corinth. 9. Vicit etiam dœmones, quos in oratione succendit, alijs hominibus prædicauit & rete suæ prædicationis cœpit. Sicut de his dicit B. Abbas Theodorus in serm. de S. Bartholomæo. Aue, inquit, O Bartholomæe beatorum ter beate, qui es diuinæ lucis splendor, & sanctæ Ecclesiæ piscator rationabilium piscium, dulcis fructus viuidæ palmitis, vulnerator diaboli mundum suo latrocinio vulnerantis.

Hæc Theodorus. Ità igitur Beatus Bartholomæus plumas abiecit diuitiarum, & se illis spoliauit more aquilæ, quãdo dereliquit regnum suum terrenum, & ad Christum, qui est fons vitæ volauit, in quo se velut aquila renouauit, ita vt de ipso dici possint verba prælibata. *Ionathas expoliauit se tunica sua*, hoc est, diuitijs, quæ hominem tegunt & vestiunt. In quibus beatus Apostolus à duobus commendatur. *Primò*, ab eminenti liberalitate, ibi; *Ionathas expoliauit se. Secundò*, à feruenti charitate, ibi; *Et dedit eam Dauid.*

B De PRIMO est NOTANDVM: Secundum Phisiologum, & alios naturales. Serpens senescens pluribus diebus abstinet se à cibo, vt sic pellis eius citius à carne relaxetur: deinde gustata herba quadam amara, per quam prouocatur ad vomitum, & humorem euomit virulentum, qui fuit causa infirmitatis, caudam & cutem rigidam mollificat, in qua se balneat & humectat. & sic angustam rimam alicuius petræ quærens, quam intrat, & per quandam violentiam transiens per eam, à pelle antiqua se expoliat & denudat, & post ad tumulum fugit, & soli se exponit, & nouam cutem ad se sumit. Eundem modum renouationis ponit etiam Aristoteles 14. lib. de animalib.

Bartholomæus per serpentem denotatur. SPIRITVALITER. Per serpentem beatus Apostolus Bartholomæus apertè designatur, quia Dominus dixit ad eum, quemadmodum ad alios Apostolos: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporũ, estote ergò prudentes sicut serpentes*, &c. Matt. 10. *Primò*, igitur comparatur serpenti, quia secundum Aristotelem lib. 7. animalium. Serpentes multum diligunt vinum. Ideò venantur cum vino, & sæpè vino capiuntur. Similiter diligunt lac valdè, & sequuntur odorem eius, & ideò si alicuius ventrem subintrauerint, extrahi possunt lactis odore. vt dicit lib. 5. Dioscorides. Ita beatus Bartholomæus dilexit vinum diuinitatis, secundum illud Eccli. 31. *Vinum est exultatio animæ & cordis moderatè potatum.* Et similiter vinum suæ austeræ prædicationis, quando de pœnis inferni intonuit Dominus: *Ibunt hi in ignem æternum.* Matth. 24. Et præ omnibus tamen dilexit lac sui dulcissimi sermonis, quia de Christo dicitur, Cantic. 4. *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua*, ideò secutus est odorem huius lactis doctrinæ mellifluæ. Et sic Christo est venatus.

Serpentes vinum & lac diligunt.

C Quia legitur de ipso, quod licet est apocriphum, est tamen rationi non contrarium quod Philippus Rex Syriæ, qui pater fuit beati Bartholomæi, valdè peritus erat in scientia Astrologica, qui semel intuens astra vidit inter cætera, quod mundus per vnum hominem esset renouandus, quod retulit Principibus suis & militibus, qui illud tanquam acceptione dignum in rei memoriam scripto commendarunt. Mortuo autem Philippo rege Bartholomæus tanquam verus hæres ei in regno successit, illud vsque ad tempora Christi in Iudæa prædicantis, strenuè gubernauit. Cum autem Bartholomæus à mercatoribus didicisset, quod Christus in Iudæa prædicaret, & signa faceret, cogitauit. Verè iste est, de quo pater tuus dixit, per quem mundus est renouandus. Et sic assumpto exercitu, concito cursu venit in Bethaniam, in qua & inuenit Iesum prædicantem. Hunc ergo cum inspexisset, vidit quendam splendorem igneum de facie eius procedentem, quo mediante, eiusdem prædicatione melliflua, mixto vino acutæ correctionis, tractus fuit ad Christũ, & ab eo acceptus, & remisso exercitu regno renunciauit, & Christo anno ætatis suæ XXIX. adhæsit. Hæc non scribo assertiuè, sed duntaxat exemplatiuè.

Bartholomæus regis filius.

Sed illud est contra multos seculares, qui nec vino suæ austeræ prædicationis, nec

lacte

lacte dulcis monitionis possunt reuocari. Siue enim eis dicatur de pœnis perpetuis inferni, siue gaudijs dulcissimis cœli, nullo modo illud capit eorum memoria. Ideo docet beatus Bernardus in quodam sermone, dicens. Subeant memoriam tuam gehennæ olla, fornax ferrea, magnæ Babylonis domus, montis anxietas, domicilium flammarum, globus, acerbitas frigoris & tenebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum tartari, magnitudinem pœnarum, miseriam infirmitatem intellectualibus oculis. Ista percurre, & poteris dicere. Melius mihi erat, si natus non fuissem. Hæc Bernardus. Idem perpendit quidam Gothardus nomine, de quo inuenies in sermone primo de beata Magdalena, in fine.

Ideo Bernardus docet in quodam sermone, illos qui parui pendunt pœnas inferni, & prædicatores de his narrantes, non tamen inspiciunt cœli gaudia, sic inquiens: Reminisceris ergo qualis sit illa gloriosa ciuitas, cœlestis habitatio, locus vitæ, suauitatis palatium, splendor gloriæ, magnitudo gratiæ, & claritas infinita. Attende ordinem audiorum gaudentium, vultus præmiorum, vicissitudinem & multitudinem delitiarum, & potes exclamare; Domine tu es Deus meus.

SECVNDO, serpentes aliqui secundum Isidorum lib. 12. sunt velocissimi cursus, & leuis motus, quod quasi volare videntur, sicut est serpens, qui dicitur iaculus, qui euolat vt iaculum: Sicut in Arabia sunt serpentes, qui à multis Sirenæ vocantur, qui plus currunt quàm equi, vt dicit idem. Sic beatus Bartholomæus fuit velox ad obediendum diuino præcepto, & quasi volando illud adimpleuit. Dederat enim Dominus illi præceptum, sicut testatur beatus Theodorus in sermone, quem fecit de ipso. Vade, inquit, discipule meus, ad prædicandum exi, ad pugnam capax esto periculorum, ego paternum opus consummaui, primus testis factus. Vas quod necessarium est imple, tuum imitare magistrum, æmulare Dominum tuum, sanguinem sanguinibus pone, carnibus carnem trade, qua pro te passus sustinui pro me patere, arma tibi sint benignitas in sudoribus, mansuetudo inter maleficos, patientia in his quæ perimunt. *Tunc sui dei eius velocem ad impletionem.* Non, inquit refutauit apostolus, sed vt famulus fidelis Dominico acquiescens præcepto, pergit gaudens tanquam lux mundi, vt tenebrosos illuminaret, tanquam sal terræ, vt gentes insipidas saliret, tanquam agricola, vt spiritualem culturam perficeret. Hæc Theodorus. Ipse enim videbat mundum esse sine cognitione Dei, iuxta illud Oseæ 4. *Non est scientia Dei in terra.* Ideo ibat tanquam lux vt tenebras illustraret. Videbat ipsum mundum esse sine sapientia Dei, ideo ibat tanquã sal terræ, vt insipidas gentes sale sapientiæ saliret. Videbat etiam ipsum mundum, sine scientia verbi Dei, de quo dicitur Isaiæ 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus*, ideo ibat tanquam agricola, vt spiritualem ageret culturam, & perficeret. Fuit enim tanquam velox serpens B. Bartholom. quia teste B. Theodoro in sermone, tres magnas prouincias, Licaoniam, in qua primo prædicauit, Indiam, in qua postmodum, & Armeniam, in qua postea & vltimo prædicauit, in breui tempore peragrauit.

D — Iaculus serpens velox.

Iste igitur discipulus B. Bartholomæus more serpentis se exspoliauit triplici tunica. PRIMO, à diuitijs quia perpendit illud dictum beati Augustini, Qui diligenti cura terrena custodit, cœlestis patriæ cœlestem thesaurum amittit, quem thesaurum nullus hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præbet, aut per semetipsum pauper est. Ideo legitur in Vitas Patrum lib. 3. c. 3. Quod senex interrogatus

E — Triplici tunica se exspoliauit S. Bartholomæus.

tus à fratre, quid faceret vt saluus fieret, ille autem se exspolians vestimento suo, & cingens lumbos suos, & extendens manus, dixit. Sic debet esse nudus monachus ab omni materia seculari. Ita B. Bartholomæus nudus fugit ad Christum.

II. Secundo, spoliauit se, & libentissimè spoliari permisit tunica originali, scilicet pelle corporis. Iuxta illud Iob. 2. *Pellem pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua.* Quod figuratum est Leuitici 1. vbi legitur, quod boues qui debebant immolari, excoriabantur, & artus in frusta concidebantur, deinde fiebat in altari ignis, in quo sacerdos holocaustum adoleuit. Ita B. Bartholomæus qui Domino debebat immolari, fuit excoriatus pelle sui corporis, & fuit in frusta concisus, quando decapitatus fuit. Quia secundum beatum Abbatem Theodorum in Albania vrbe maioris Armeniæ excoriatus fuit, tandem capite plexus seu decollatus est.

Figura.

III. Tertio, exspoliari se permisit veste naturali, scilicet carne quæ est animæ vestis, quia refert Theodorus in sermone. Dum Bartholomæus fuit occisus & quatuor alij martyres ibidem fuissent occisi, infideles proiecerunt eos in mare; non contenti quod ipsum occiderunt & animam veste sua spoliauerunt, adhuc corpus perdere voluerunt. Et hoc ad primum.

Quantum ad Secundum commendatur à feruente caritate quam habuit ad Deum. Circa quod Notandum. Naturaliter videmus, quod homo nimium calefactus ex ardore solis, deponit sua vestimenta, & illud secundum medicos valet pro corporis sanitate, quia sudor adhærens vestibus ad se trahit sudorem corporis, vt inquit Galenus, vt sic sudore duplici extracto ipse infirmetur. Ideò consulit Poeta:

Sub qua veste sudas, caueas hanc ferre frequenter.

Sicut homo nimia feruens caritate ergà proximum suum, nonnunquam exuit vestimenta sua, dando ei quem amat. Sicut legimus figuratum 1. Regum 17. Postquam Dauid percussit Philistæum Goliath, *in funda & lapide*, & populum Israël ab inimicis liberasset; Veniens igitur ante Saul ab eo est benignè receptus tunc, vt habetur 1. Regum. cap. 18. *Anima Ionathæ colligata est Dauid vinculo indissolubili, & dilexit eum sicut animam suam.* Et in signum feruentis caritatis *exspoliauit se Ionathas tunica sua, qua* pro tunc *indutus erat, & dedit eam Dauid.*

Figura.

Per Ionatham, qui interpretatur Domini donatio, B. Bartholomæus denotatur, qui datus est à Deo populo, qui ambulat in tenebris & sine lumine cordium? secundum quod dicit Dominus de ipso Isa. 52. *Dedi te in lucem gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* quia misit eum Dominus ad extremam Indiam, quæ est in fine orbis, vbi populum peccatis excæcatum ignobilem & mœstum sua prædicatione illustrauit. Ideò dicit B. Abbas Theodorus: Venit ad pauperculam scilicet gentē thesaurus ditissimus; venit ad ignobilē pretiosissima margarita; venit ad mœstam splendidissimum luminare. Datus est etiam gentibus in ducem, iuxta Isaiæ 55. *Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus.*

Hic igitur Apostolus per Ionathā figuratus, modo feruore caritatis accensus, vestimenta sua hodie deposuit torroribus, in quib. laborauit diutius, eradicando vitia & prædicando. Quia secundum beatum Theodorum in sermone: B. Bartholomæus spinas peccatorum euulsit, siluas impietatis secuit, sepes orationum circumposuit aratro linguæ terram cordium sulcauit, semen verbi Dei recondidit, flores virtutum & vineam iucunditate plantauit, & singulis remedia opportuna adhibuit. Sed respōdunt:

Labores B. Bartholomæi in vinea Domini.

ſpuunt ægroti medentem, errabundi manu ducentem, mortui viuificantem. Hæc ille. Igitur ipſum ita ſpernentes, veſtem eius nobilem, auaritia ducti, exſuebant, & forte minuta ipſum tractabant, ſicut faciunt ſpoliatores bene veſtitis. *Ideò ſubdit Theodorus.* Vide quales mercedes cultori tribuerunt, vtiq; pro honore in honorem, pro benedictione maledictionem, pro muneribus pœnas, pro requieſcibili vita amariſſimam mortem. Nam poſtquam intolerabilia tormenta ab eis ſubijt, decoriatus in modum follis fuit. Sed hæc omnia ex feruenti ſuſtinuit caritate, quam habuit erga Deum, qui per Dauid hic intelligitur. Sed ex quo caritas eſt reciproca, ideò Chriſtus eum redamauit, iuxta illud Prouerbiorum octauo: *Ego diligentes me diligo*, & multa ei ſigna dilectionis oſtendit.

F Bartholomæus B. Petro comparatur.

PRIMÒ, quod fecit ipſum Apoſtolum præcipuè de maximis. Nam B. Theodorus Doctor præcipuus, comparat ipſum ad Petrum, qui fuit princeps Apoſtolorum, dicens: Petrus Apoſtolus docet nationes, ſed & Bartholomæus conſequenter paria inueſtigat. Petrus operatur prodigia magna, Bartholomæus facit prodigia valida. Petrus deorſum capite crucifigitur, Bartholomæus poſtquam viuus eſt excoriatus, capite plectitur. Ad quod valet Petrus myſteria capeſſenda, ad tot ſufficit Bartholomæus penetranda: æqualiter fœcundat Eccleſiam, æqua lance habuit & cætera diuina chariſmata.

SECVNDÒ, quòd inuita dedit ei cuſtodem angelum & poſt mortem abſtulit à corpore eius, maris periculum. ſicut refert Theodorus Abbas. Poſtquam fuit truncatus capite, & corpus eius cum alijs quatuor martyribus in mare proiectum, non petijt fundum, ſed illi prædicti martyres bini & bini præcedebant, tanquam miniſterium beato Bartholomæo præbentes, & ille eos tanquam Dominus ſubſequebatur, & ſic de Armenia vſque in partes Siciliæ, & in Inſulam quæ Lipara appellatur reuerenter deduxerunt, ſicut Epiſcopo Hoſtienſi, qui tunc præſens erat, fuit reuelatum. Cum verò Bartholomæus ab incolis illius inſulæ, cum multis hymnis, laudibus & candelis fuiſſet receptus, mox quatuor martyres Sanctum Apoſtolum in dicta inſula reliquerunt, inde tranſeuntes, ad alias terras illarum regionum, in quibus huc vſque deuorè recoluntur.

TERTIÒ, quòd animæ ipſius dedit cœleſte gaudium. Ideo Doctor ſæpè nominatus, concludens ſermonem, dicit: Gaude beate Bartholomæe, ſol orbis cuncta illuminans, os Dei, lingua ignita, ſapientiam promens, fons iugiter ſuauitatem emanans, qui mare meabilibus greſſibus ſanctificaſti, qui terram purpuream tuo cruore feciſti, qui ad cœlos commeaſti. Nunc in medio diuinæ aciei refulges, in ſplendore immarceſcibilis gloriæ ſplendes, in exultatione iucunditatis mirabiliter gaudes. Et hoc quo ad ſecundum.

DE EODEM SANCTO APOSTOLO.

Sermo ſecundus.

Facta eſt contentio inter diſcipulos Ieſu, quis eorum videretur eſſe maior. Luc. 22.

A Linius in speculo naturali & Auicenna dicunt, quod inter apes vbi habitant in aluearibus, summa est pax & concordia, ita vt inter se ad contentiones minimè moueantur. Sed si aliqua illorum pacem attentauerit infringere, hanc feriunt aculeis & interficiunt. Econtrà inter leones & alias bestias crudeles, semper est contentio & guerra.

B SPIRITVALITER. Ita inter humiles, qui significantur per apes, semper est concordia. Quia sciunt igitur illud quod dicit Hugo de Sancto Victore, Vbi omnis aufertur gratia, ibi accelerata regnat discordia. Ideò legitur in Vitis Patrum, quod duo fratres cum diu inuicem morarentur, contendere simul non potuerunt. Tandem dixit vnus alteri. Faciamus & nos litem sicut homines de mundo. Cui ille. Nescio qualiter fit lis. Ad quem ille. Suppone in medio laterẽ, & ego dicam meũ est, tu verò dic. Non, sed meum. Posita autem testa in medio, dixit vnus meum est: & alter. Non, inquit, sed meũ. Et ille Etiam tuum est, tolle ergò & vade, Et sic inter se contendere non potuerunt. Sed superbi & iracundi semper habent inter se contentiones, secundũ illud Prouerb. decimo septimo. *Inter superbos semper iurgia sunt*, sicut patet de rege Nabuchodonosor Babylonis, & Sedeciæ rege inter quos erat contentio, vt alter alterius diuitias & regnum possideret. Et tandem Nabuchodonosor superato Sedecia, succendit domum eius, & ipsum vinctum duxit in Babylonem. vt habetur 4. Regum 25. Idem Isaiæ 39. Ita etiam fuit contentio inter discipulos Iesu, qui adhuc erant carnales, & ex quadam elatione vnus alteri præferri verbis contendebat, sicut de hoc dicit Euangelium: *Facta est contentio.* In quibus verbis tria describuntur. *Primò*, discipulorum carnalitas à contentione, ibi; *Facta est contentio. Secundò*, Saluatoris fidelitas in correctione, ibi. *Dixit autem Iesus. Tertiò*, præmiorum multiplicitas in promissione, ibi; *Vos estis qui permansistis mecum*.

PRIMÒ, tangitur discipulorum carnalitas, cum dicit Euangelium. *Facta est contentio.* Circa quod est SCIENDVM. Ad experientiam audimus, quando chordulæ simul conuenientes ad citharam iunguntur, dulces melodiæ ex concordia redduntur, qui faciunt alleuiationes hominibus, & etiam possessis à dæmonibus. Sicut hoc legitur 1. Regum 16. de Saul, qui cum à spiritu maligno vexaretur, dixerunt ad eum serui: *Ecce spiritus malignus exagitat te, quæratur autem regi, qui psallat cithara manu sua, & lenius ferat.* Quæsitus est igitur Dauid, qui quotiés arripiebat spiritus Saul, percutiebat citharam & ille melius ferebat, & refocillabatur. Quia vt dicit Lyra super eodem loco, melodia benè concordans attrahit ad se mentis attentionem; sic quod homines audientes melodias, vix aliqua circa se percipiunt, & per consequens ab alio retrahitur. & sic potest alleuiare afflictionem à dæmone causatam in homine. Econtra autem, si chordulæ quæ simul non conueniunt, superant aliud instrumentum musicum, redduntur dissonantiæ ineptæ, & chordæ ab inficem corrumpuntur. Sicut probant naturales de chordula, facta de intestinis lupi, quæ si iungantur chordis factis de intestinis ouis, dissonantiam & discordiam simul faciunt, & se inuicem destruunt & corrumpunt. Rectè sicut plumæ aquilæ adiunctæ plumis columbæ, eas excoriant & corrodunt, si diu in eodem loco relinquuntur.

C SPIRITVALITER. Sic est de hominibus, quando sunt cum illis, cum quibus conueniunt in moribus, dulcem reddunt laudis & confessionis melodiam; si au-

rem iungantur cum discordantibus in moribus, & in fide, & econtrà reddunt ineptas contentiones & discordias Figuram habemus de Petro Apostolo, hic cum esset iunctus Christo & alijs Apostolis, dulcem fecit sonum altæ etiam confessionis, quando dixit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16. Sed cum iunctus fuit lupis, id est, Pharisæis, in domo Caiphæ, distortum fecit sonum, dicente Euangelista, quod *cœpit anathematizare & iurare, quod non nouisset hominem.* Matthæi vigesimo sexto. Vide quam dissonant vox, quem prius confitebatur DEVM & hominem, hunc, iam abnegando solummodo commemorat hominem. Sic Apostoli, quando fuerunt inuicem iuncti in humilitate, dulcem fecerunt sonum confessionis: iuncti autem in eleuatione, dederunt sonum contentionis; sicut de hoc dicit Euangelista: *Facta est contentio*, scilicet in verbis, *inter discipulos Iesu, quis eorum videretur esse maior.*

Sed diceret quis. Vnde surrexit illa contentio? *Ad hanc quæstionem* fabulantur aliqui, quod habui ortum, quando Dominus fuisset vocatus ad conuiuia deuotarum mulierum, vel etiam Pharisæorum cum Apostolis suis, tunc delicatiora cibaria apposuisset beato Bartholomæo Apostolo hodierno, tanquam magis delicatè enutrito, quia dicitur fuisse de Regia stirpe procreatus, qui cibarijs nutriuntur delicatis, & non competit eis cibus grossus pauperum & comunis, secundum quod dicit Augustinus de verbis Domini, & ponitur in Canone dist. 41. c. Non cogantur diuites pauperum cibis vesci, vtantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter sustentari non posse; si consuetudinem mutant, ægrotant, vtantur superfluis, dent inopibus necessaria, vtantur pretiosis, dent pauperibus vilia. Hæc Augustinus. Et hanc dicunt nonnulli fuisse causam contentionis discipulorum, existimantes ex hoc sibi beatum Bartholomæum, tanquam nobiliorem præferri in maioritate & honore, quia reliquerat Regias diuitias, & Christum voluntariè secutus est in paupertate. Audierat enim à Christo, Matth. 19. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël* Et ex quo B. Bartholomæus plus cæteris dimiserat, æstimabant eum sedem altiorem accipere.

Simile legitur in Vitis Patrum lib 4. cap. 10. de discretione. §. 25. Quod quidam diues Romanus in palatio Imperatoris magnum habens locum dimissis omnibus, pauper in eremum clam abscessit. Videns autem quidam presbyter, quod homo ille delicatus esset, mittebat ei quicquid ad Ecclesiam eius veniebat. Audiens autem quidam de magnis monachis famem eius, venit videre eum, sperans ipsum habere corporalem conuersationem magis arduam. Sed cum vidit ipsum vestitum mollibus & caligas habentem in pedibus, & cibis illis delicatis vti, contendit intra se verbis, & scandalizatus est. Quod intelligens Romanus, dixit. Ex qua prouincia es? Cui ille. Ægyptius sum. Et dixit ei Cuius ciuitatis? Et respondit: Ego omninò non fui in ciuitate nec habitaui aliquando in ciuitate, sed in agro eram. Et dixit Romanus. Antequam esses monachus quid operabaris? Et respondit. Custos eram agrorum. Cui iterũ. Vbi dormiebas? Respondit, in agro: in terra nuda. Quid, inquit, manducabas? Et ille. Panẽ siccum, & aquam bibebã. Audiens hæc Roman⁹, narrans suã vitã præteritã, quomodo de ciuitate Romana: & nutritus in aula Regia esset delicatè: quomodo habuisset domos magnas, & peccunias multas, lectos vestitos ex auro habẽs preciosissima stramenta, sed dimissis omnibus venisset pauper in desertum, Quod Ægyptius ille

ille audiens, dixit: Væ mihi, quia de multa tribulatione & labore seculari repausandum huc veni, tu autem ex multa delectatione seculi voluntate propria in tribulationem venisti: & ipsius verbis multum proficiens, recessit in cellam suam. Ita autem alij Apostoli de tribulatione & labore mundi, scilicet laboriosa piscatione veniebant ad Christum, & non erant in delitijs nutrici. Ideò stante opinione illa, non debuissent inter se contendisse, cum vidissent, quod Dominus delicatiora cibaria sibi porrexisset.

Causa duplex cõtentionis discipulorum.

Sed hac opinione dimissa tanquam apocrypha, dicitur, quod duplex potest esse causa conditionis. PRIMÒ, enim potuit esse ista contentio ex humilitate, quia audierunt illud Matthæi 11. quod Christus dixit se in breui fore crucifigendum & moriturum. Ideoq; quæsierunt inter se, quis aptior post mortem Christi esse videretur ad tenendum locum eius. quam opinionem sequens Beda in homilia hodierna, dicit. Boni moris esse solet in scripturis, semper exempla patrum præcedentium, in quibus ad meliora proficiat, inquirere, quibus agnitis de suis actibus humilietur. Vnde inter discipulos Christi facta est contentio, vt audistis in præsenti Euangelio, quis eorum videretur esse maior. Non enim credibile est quod iuxta hoc, quod alibi præcipitur, eadem sit facta contentio, vbi dicitur: *Contendite intrare per angustam portam,* vt honore se inuicem præuenire contenderent. *Et subdit.* Ideò nos omni studio contẽdere debemus, in bonis semper operibus alius alium præcedere, cum omni humilitate sicut boni serui in caritate non ficta, in verbis veritatis, in virtutibus sanctis in innocentia & continentia, in castitate, in ieiunijs, in vigilijs, in orationibus & cæteris virtutibus, vt nobis dici possit illud Psalm. 82. *Ibunt de virtute in virtutem Sancti & electi Dei.* Hæc Beda.

I. Ex humilitate.

II. Ex elatione.

Vel secundum alios hæc contentio potuit esse ex elatione. Nam audientes à Christo discipuli Petro promissas claues. Matth. 16. cum dixit. *Tibi dabo claues regni cælorum,* etiam Iacobum & Ioannem ductos *in montem transfigurationis Domini.* Matth. 7. nolebant aliquem sibi præferri, ideò contendebant in hoc. Non mirum, quia adhuc carnales erant, & Spiritum sanctum in tanta plenitudine nondum acceperant, & huic opinioni concordat litera sequens. Et hoc ad primum.

E

Quantum ad SECVNDVM ponitur Saluatoris fidelitas & benignitas in correctione, cum addit. *Dixit autem eis Iesus,* scilicet pro correctione. *Reges gentium dominantur eorum.* Circa quod NOTANDVM. Pellicanus, vt dicit Glossa super Psal. 101. est auis in correctione pullorum excessiua: quia cum pulli excedunt ipsam matrem in faciem verberantes ipsos repercutit crudeliter, & occidit. Econtra autem aquila, vt dicit Aristoteles lib. 6. animal. cum viderit pullos suos nolle exire de nido paulatim deijcit, & alis percutit: vt sic assuescant ad volandum.

F

SPIRITVALITER sunt quidam parentes tàm spirituales quàm carnales, qui more Pellicani in correctione filiorum nimium sunt crudeles, contra quod dicitur in Cano. distinct. 45. cap. Licet plerumque. Plus, inquit, erga corrigendos agit beneuolentia, quàm fraternitas, plus cohortatio quàm comminatio, plus caritas quàm potestas.

De carnalibus parentibus refert Valerius in Policrate lib. 5. cap. 8. Quod quidã pater nomine L. Brutus, cum debebat filios castigare ipsos ad palum alligauit, & securi immisericorditer percuti iussit. Sic idem refert de Cassio Tribuno plebis qui

qui filium affectati regni crimine domi damnauit; verberibusq; affectũ, necari iussit. Sed illi fuerunt crudeles correctores, quemadmodum adhuc inueniuntur, qui pueros suos crinibus apprehendentes, ad terram proiiciunt, pedibus calcant. Contra quos dicit Sapiens Prouerb. 29. *Virga atque correptio*, scilicet mitis, *tribuunt puero sapientiam*. Ideo benignissimus aquila Christus videns pullos suos, scilicet discipulos, in nido altæ superbiæ, eos benignè correxit, & de nido elationis exire compulit, proponens eis exemplum familiare, dicens: *Reges gentium dominantur eorum*, quasi diceret, Gentes quæ non credunt vitam aliam post illam, appetunt prælationes & dominia, vt sic dilatent nomina sua secundum Boëtium libro 3. prosa. 5. Quamuis latè humana tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui, quibus regum quisq; non imperet. Non enim possunt nomina eorum & dominia vndiq; peruenire. Ideo exilis eorum prælatio & potestas, quasi diceret, ideo vos non debetis appetere talem potestatem.

Et dicit NOTANTER. *Reges gentium dominantur*, quia cuncti anhelant, vt communiter, ad prælationes vt præsint, sed non vt prosint. Sed audiant B. Bernardum in suo Apologetico. Væ tibi, si præes, & non prodes. De hoc Gregor. 23. moral. c. 2. Vnusquisq;, inquit, superbus rector toties ad culpã apostasiæ dilabitur, quoties hominib. præesse delectatur. Quod considerans quidam nobilis Romanus nomine Manlius Torquatus, de quo refert Valerius lib. 6. cap. 4. cui cum Consulatus omnium consensu deferretur, propter caliginem oculorum se excusauit. Sed cum illi diligentius instarent. Alium, ait Quirites, quærite, ad quem hunc honorem transferatis: Nam si me gerere eum coëgeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meũ imperium perpeti poteritis. Et sequitur. *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*, quod de aliquibus regibus dici potest, qui suis subditis fuerunt benefici & benigni nimium, iniustos non deprædantes, sed magis nutrientes.

Refert Suetonius de Tito Imperatore, qui adepto Imperio, conuiuia instituit magis iucunda, quàm ante fecerat. Nulli ciuium aliquid accepit, nullum à se sine spe & munere dimisit. Ideo dicit B. Augustinus de verbis Domini sermone 6. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tortor tuus est. Quales sunt modernæ potestates, qui quidem volunt vocari benefici nomine, sed non beneficentiam subditis ostendunt in opere, sed vt tortores propriè quasi raptores, similes illis, qui plagabant Ægyptum Exod. 8. Qui sanguinem eorum vndique extraxerunt. Sic & nostræ potestates extrahunt sanguinem pauperum & sudorem. Sed audiant Spiritum sanctum per Sapientem dicentem: *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, vir sanguinum est. Qui aufert in sudore panem* desideranti cibos, *quasi qui occidit proximum suum*. Eccli. 34. Sed panis ille, quem auferunt pauperibus, vertetur eis in amaritudinem, iuxta illud Iob. 11. *Panis illius in vtero vertetur in fel aspidum*. Ideo dicit Dominus ad discipulos: *Vos autem non sic*, scilicet desiderate regnare, *sed qui maior est in vobis* in dignitate, *fiat sicut minor* in humilitate, secundum illud Eccl. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Et: *Qui præcessor est*, scilicet inter vos, *fiat sicut ministrator*, secundum illud Eccli. 23. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis*, curam illorum habe, sicut minister. *Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat, nonne qui recumbit?* Glossa dicit. Qui recumbit maior est, quo ad iudicium seculi, sed quo ad iudicium Dei secus est:

ſed qui miniſtrat, ſæpe maior eſt apud Deum. Et ponit ſe Chriſtus in exemplum Apoſtolis, dicens: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*, ſcilicet aquam pedibus veſtris ſuperfundendo, lauando, & linteo extergendo. Ioan. 13. doctrinam tribuendo. Matth. 4. *Circumibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans regnum Dei, & infirmitates ſanando.* Ibidem. *Sanans omnem languorem & infirmitatem in populo. Tum etiam pro peccatis moriendo.* Matth. 13. *Venit filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Et hoc quo ad ſecundum.

Premiorum multiplicitas.

Quantum ad TERTIVM ponitur in hoc Euangelio præmiorum multiplicitas in promiſſione, cum ſubiungitur. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum*, &c. Pro quo eſt SCIENDVM, ſecundum naturales. Animal antequam in eſſe producitur, iam habet nutrimentum ſibi diſpoſitum, ſcilicet ſaltem viuificatiuũ, ſi in vita permaneat. Sicut probat Ariſtoteles lib. 6. animalium de pullis gallinarum, qui de albugine ouorum excubantur, & ſi viui perſeuerant, ne deficiant diſpoſitus eſt eis cibus vitellum oui, de quo antequam exeunt, interim nutriantur. Sic quilibet homo infans vel ſenex, ſi eſt viuificatus per baptiſmum, vel per pœnitentiam renouatus, ſi permanſerit in gratia vſq; in finem, habet illic diſpoſitionem cœleſte nutrimentum. *Vnde ſubdit.* Super menſam Dei cœleſtem dulcedinem deguſtando. Et ſimiliter prædeſtinatis antequam naſcerentur, iam præuidit, ſicut de ſe teſtatur Auguſtinus lib. ſoliloq. cap. 28. Antequam naſcerer Domine, ſpes mea ab vberibus matris meæ, tu præueniſti me, præparans mihi ſemitas quibus intenderem, & venirem ad gloriam domus tuæ; priuſquam me formares in vtero, nouiſti me, & antequam exirem de vulua, quicquid tibi placuit, præordinaſti de me. Hæc Auguſtinus. Et hoc eſt verum, ſi perſeuerauerit. Quia ſecundum Bernardum in quadam epiſtola. Perſeuerantia eſt filia regis ſummi, finis virtutum, earumque conſummatio, & virtus ſine qua nemo videt Deum. Ideo dicit Dominus: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, quia, vt ait Beda, non inchoantibus datur præmium regni.

H Sed diceres. Quomodo diſcipuli cum Chriſto permanſerunt, cum eum in maiori tentatione mortis, eo relicto omnes fugerunt? Matth. 26. Et hoc conqueritur Dominus Iob. 19. *Noti mei ſicut alieni receſſerunt.* Ad hoc *reſpondetur*, quod ad breue fugerunt propter metum Iudæorum, ſed cito redierunt; ideo fuga non eſt eis reputata.

Erranti peccata non improperanda.

In hoc nos docemur, ne improperemus peccatum peccanti, quia dicit Sapiens. *Ne deſpicias hominem auertentem ſe a peccato, nec improperes ei.* Eccli. 19. Ideo quia ſtatim reuerſi fuerunt diſcipuli, dicit eis. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum*, &c. Et ſubdit narrando eis de præmiis, dicens. *Et ego diſpono vobis*, ſcilicet principaliter, quia tempus præteritum & futurum non eſt apud Patrem meum, ſed totum æternaliter præſens eſt.

De hac diſpoſitione dicit Auguſtinus ſuper Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Fecit, inquit, eas ſcilicet manſiones prædeſtinando, facturus eſt eas operando, elegit diſcipulos prædeſtinando ante mundi conſtitutionem, vocando ante mundi conſummationem. Ideo dicit. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quomodo autem diſpoſuit Pater Chriſto regnum? certè per paſſionem, quia ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc. vlt. quaſi diceret. *Sicut Pater meus diſpoſuit de me*

me, vt per passionem intrarem, sic & ego dispono vobis, vt per passiones & tribulationes regnum capiatis. Ideo dicit Gregorius: Si Christus hinc sine flagellis non exiuit, qui sine peccatis venit, quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt.

Et est NOTANDVM quod Christus decem hic enumerat, quæ laudabile æternum conuiuium reddunt. I Conuiuium dignum reddunt.

PRIMVM est *seruitoris nobilitas*, qui est Christus, qui transiens ministrabat electis suis. Et hoc tangitur, cum dicitur. EGO, scilicet vnigenitus Dei filius. Ideo dicit Hugo in libro de spiritu & anima. Duo sensus in homine nascuntur, vnus exterior, & alius interior, vterq; verò donum suum habet, vnde reficitur. Sensus interior reficitur contemplatione humanitatis, propter hoc enim Deus factus est homo, vt totum hominem in se beatificaret, & tota conuersio esset ad ipsum, totaq; dilectione curreret in ipsum. *Et subdit.* Hoc erat totum gaudium hominis, vt cum ingreditur, in factore suo pascua inueniat, scilicet foris in carne Saluatoris, & intus in Deitate creatoris. De hoc seruitore etiam dicit Bernardus super Cantica. Hoc est plenum omnis suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem. I.

SECVNDVM est *ferculorum ordinata positio*, cum dicit. *Dispono*, id est, ordinatè pono, tam fercula quàm conuiuantes. Quod figuratum est Gen. 43. vbi legitur, quod Ioseph exiuit ad fratres suos de cubili suo læta facie, & disponi iussit mensam, qua disposita, iussit fratres iuxta primogenita ordinatè locari, & seorsum Ægyptios omnes, non tamen eundem cibum comedebant. Sic Christus verus Ioseph exibit lætè ad fratres suos electos, & ordinatè eos locabit, quia secundum Augustinum de ciuitate Dei lib. 19. Pax cœlestis Domini, est ordinatissima & concordissima societas, faciendi Deo & inuicem in Deo. Sed tamen habent omnes eundem cibum beatissimæ visionis, quia siue egrediantur, siue ingrediantur, *pascua inuenient.* Ioan. 10. Super quo dicit Gregorius: Qua sunt illa pascua, nisi æterna & semper virentis paradisi gaudia. Namque pascua oculorum sunt præsens vultus Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens cibo satiatur. II.

TERTIVM est *conuiuarū grata societas*, cum dicit. *Vobis*, scilicet amicis meis. Ibi enim secundum Cyprianum libro de mortalitate, erit Apostolorum chorus gloriosus. Illic Prophetarum exultantium numerus. Illic Martyrum innumerabilis populus. Illic triumphantes Virgines. Illic & omnes misericordes. Ideo dicit Bernardus in lib. meditat. c. 4. O ciuitas cœlestis, mansio secura, patria continens totum quod delectet, populus sine murmure, quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Quæ ergo nos tangit vesania vitiorum, sitire absynthium huius mundi, sequi naufragium vitæ labentis, & non magis conuolare ad angelorum societatem, sanctorum splendorem, regis potentis honorem, supernæ gloriæ iucunditatem. III.

QVARTVM est *disponentis hilaritas*. Et hoc tangitur, ibi; *Sicut disposuit mihi pater*, quasi diceret. Sicut disposuit mihi pater hilariter, ita ego vobis. Ibi enim habent varias causas hilaritatis & lætitiæ. Teste Hieronymo super Isaiam 18. Causa lætitiæ & diuinæ confessionis erit in cœlo, quia primatum angustiarum æterna succedit obliuio: obliuiscentur enim præcedentia mala, non obliuione memoriæ, sed beatorum successione. IV.

V. QVINTVM est *inuitantis auctoritas*, quod innuitur, ibi; *Pater meus*. Cui soli interest dare regnum & vocare ad cœleste conuiuium, secundum illud Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Et illum videbimus tunc, quasi remuneratorem. Iuxta illud Gregorij moralium lib. 18. Videbimus ipsum Deum, qui erit nobis in præmium laboris nostri post mortalitatis huius tenebras.

VI. SEXTVM est *loci amœnitas*, quod additur regnum, quod est plenum amœnitate, quia est paradisus delitiarum, vbi sunt rosæ martyrum, violæ confessorum, lilia sanctarum virginum. Ideo dicit deuotus Doctor Amandus in horologio Sapientiæ lib. 1. cap. 11. Qualis est vernalis amœnitas, autumnalis fœcunditas, serenitas æstiualis, iucunditas nuptialis, ibi vallis gaudiosa, visio amorosa, ibi cœlestes harmoniæ personant, diuinæ figellæ voces intonant, iubilosæ decantant, lætabunda plaudunt agmina, ac se lætis miscent blanda modulamina choris. Ibi choreæ virginum chorizantium, cursitantes post Dominum. Ibi vna vox lætantium, & vnus ardor cordium, delectabilium copia, optabilium affluentia. Ibi nulla adest tristitia, sed læta vniuersa. Hæc ille. Ideo qui ad hanc desiderant regionem, audiant beatum Bernardum in sermone de spirituali negotiatione. O regio, inquit, sublimis & plena delitiarum, ad te suspiro de valle lacrymarum. Ibi enim faciet electos suos reges, secundum illud Apocal. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, id est, regni eius participes. Et regnabimus super terram, intellige illam terram, de qua Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.*

VII. SEPTIMVM est *mensæ fertilitas*, ibi; *Vt edatis & bibatis*. Ibi tunc dicitur eis illud Cantic. 5. *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini vino.* Ideo dicit B. Gregorius 18. moralium. Quando ad fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atq; satietas, & longè erit à siti necessitatis, & longè à satietate: & quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Si in conuiuio Assueri bibebant de aureis poculis, *& non erat qui cogeret ad bibendum*, cum ad bibendum bonitas conuiuantes trahebat ad potandum, Esther 1. Multò magis erit in curia cœlestis regni.

IIX. OCTAVVM est *sessionis opportunitas*, cum subiungitur: *Super mensam meam*, & hæc mensa erit cœlestis vitæ gloria. Si enim hic est gloria militi, sedere super mensam regis sui domi, quantò magis gloriosior, qui ad mensam summi regis erit aptior.

IX. NONVM est *loci securitas*, quia dicit: *In regno meo*, in quo qui vno die fuerit, illic semper vtiq; erit. Ideo dicit Cæsarius in homilia, Beatam deniq; vitam illam facilius esse consequi, quàm enarrare, cuius erit cursus sine termino, risus sine fastidio, refectio sine cibo, & sub antiquis perpetuisq; gaudiis semper noua iucunditas, sine periculo amittendi felicitas.


X. DECIMVM est *conuiuandi dignitas*, cum dicitur: *Et sedeatis super thronum, iudicantes duodecim tribus Israel*, quia ibi Apostoli, vt dicit deuotus Amandus lib. 1. c. 11. cum summo amore & honore in iudiciaria resident potestate, cum quibus & B. Apostolus Bartholomæus plena potitur gloria & honore. Sed qualiter ad eandem gloriam peruenit, vide in Legenda.

DE

DE SANCTO AVGVSTINO EPISCOPO, ECCLESIÆ DOCTORE.

Sermo primus.

Sol refulsit qui prius erat in nubilo. Ita scribitur 2. Mach. 1.



Icunt Naturales. Chrysolithus est lapis pretiosus, & inter cæteros lapides, vt aurum lucet, & vt ignis scintillat, & ideò si iuxta ignem fuerit, faciliter inflammatur, vt dicit Isidorus lib. 15. c. de gemmis aureis. Hic lapis in auro positus, & in sinistro latere gestatus, dicitur dæmones effugare, & iuuat etiam contra timores nocturnos, quando hostes timentur. A

MYSTICE. Per hunc lapidem pretiosus Doctor Augustinus designatur. Rectè enim sicut ille lapis præ alijs lucet, velut aurum, sic Augustinus inter alios Doctores in sua aurea lucet doctrina, & præcellit. Sicut testatur Possidonius Episcopus Calamensis in lib. de vita Augustini. Augustinus, inquit, sapientiæ lumen præfulgidum, propugnaculum veritatis, & fidei iuuamentum, omnes Ecclesiæ Doctores, tàm ingenio quàm scientia vicit, & incomparabiliter lucens & florens, tàm exemplis virtutum quàm affluentia doctrinarum. Et sicut lapis iste ignis vt scintillat subtilius, ita Augustin⁹ scriptis vltra alios Doctores, quod etiam ipsum in subtilitate intelligere non potuerunt, sicut refert Hieron. lucerna Doctorum in quadam epistola, quam Augustino destinauit. Duobus, inquit libellis tuis & eruditissimis, & omni splendore eloquentiæ fulgentibus, respondere non potui. Certè quicquid dici potuit, & assumi ingenio, & de scripturarum hauriri fontibus, à te expositum & disertum est. Etiam sicut Chrysolithus circa ignem positus, faciliter inflammatur: Sic B. Augustinus ante conuersionem fuit frigidus propter peccata, positus ad ignem, hoc est, quando fuit coniunctus viris sanctis, Simpliciano & cæteris, taliter fuit inflammatus in charitate, vt dicat in libris Confessionum. Sagittaueras tu cor meum Domine charitate tua: gestabam verba tua transfixa in visceribus meis, & exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis meę, vrebant & consumebant grauem torporem. Et sicut lapis iste auro inuolutus fugat dæmones, ita B. Augustinus auro charitatis coopertus, multos dæmones ab obsessis eiecit & fugauit. Sicut refert ipse lib. 22. de ciuitate Dei de se tanquam de alio dicens. Quandam virginem scio, quæ secum oleo vnxit; & cum pro ea presbyter lacrymans orasset, à dæmone fuisse sanatam. *Et subdit.* Scio Episcopum etiam semel pro adolescentulo quem vidit orasse, illumq; illico dæmonio caruisse. Nulli autem dubium est: quin de se loquebatur, sed causa humilitatis se ipsum noluit nominare. B

Augustinus Chrysolitho cōparatur.

Chrysolithus circa ignem inflammatur.

Chrysolithus auro inclusus fugat dæmones.

Deniq; sicut lapis iste prædictus iuuat contra timores nocturnos. Sic B. Augustin⁹ in nocte tenebrarum peccatorum, & hæreticorum prauitatem, fortissimum est iuuamen: quia secundum Gregorium B. Augustinus est validissimus malleus hæreticorum, & exstirpator vitiorum. Quod autem est lucens inter Doctores, patet in verbis

Chrysolithus iuuat contra timores nocturnos.

bis thematis, quando comparatur soli, qui solus clarius lucet inter planetas, cum dicitur: *Sol refulsit*, &c. In quibus tanguntur duo. *Primò*, sui pristini erroris nubilositas, ibi; *Quis prius erat. Secundò*, suæ vitæ & doctrinæ luminositas, ibi; *Sol refulsit*, &c.

C Dico PRIMO, quod in his verbis ponitur sui pristini erroris nubilositas, cum dicunt verba; *Qui prius fuit in nubilo*. De quo est SCIENDVM, per nubilum siue nebulam rectè error figuratur. Quia secundum naturales, nubilum insidiantes occultat latrones, qui in tempore nubiloso non possunt comprehendi. Grauat etiam infirmos, quia illi magis dolent in obscura nebula, quàm in aura serena, deuiant remeantes, nam viatores in nebula perdunt vias rectas, sicut patet de tribus regibus, qui orta caligine, in tenebris viam perdiderunt, vt habetur in libro ipsorum. Et deniq; nubilum naufragat nauigantes, quia secundum Bedam. Nebula cum totam maris superficiem occupat, quo gubernator debet diuertere ambigit & ignorat. Sic est de errore, qui occultat insidiantes hæreticos. Sicut patet de Augustino, qui in errorem hæreticorum Manichæorum, tanquam in nubilo infidelitatis, nouem annis inuolutus permansit; & ad has nugas peruenit, sicut attestatur in libris confessionum, vt crederet ficum plorare cum carpitur.

Nebula errorem denotat.

Grauat etiam error spiritualiter infirmantes, quia quanto quis diutius iacet in errore, tantò minus aptus est resurgere, quia dicitur in Cano. de Simo. c. Cum in Ecclesiæ corpore. Tantò grauiora sunt peccata & errores, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam: quia semper peccatum additur peccato, & error errori.

Ideò legitur, quod quidam Eremita vidit quendam Æthiopem sarcinam colligantem, quam cum portare vellet & non posset, iterum alia ligna superaddidit. Quod exponens illi angelus, dixit. Æthiops qui sarcinam colligat, est peccator, qui peccatum peccato addit, & in tantum grauatur, quod pondus portare nequit. Ideò legitur de Augustino lib. Confess. quod inuenit se longè esse à Deo in regione dissimilitudinis, quia deuiauit ad viam erroris à via veritatis.

Naufragat error in hoc mari mundi naufragantes, quia in nebula erroris non possunt homines venire ad portum salutis, sed tamen dicunt naturales, quando nebula attracta sursum totaliter mouetur, in aëre reddit nubes, & ideò futuræ pluuiæ est significatiua; quando verò totaliter à radijs solis repercussa deorsum cadit, in suam redit originem & euanescit. Ideò purgato aëre de nebula, futuram præsagit veritatem serenitatis.

Ita & MORALITER. Si errans sursum mouetur per superbia, sicut fecit B. Augustinus, dum fuit in errore, signum est quod ipsum sequitur pluuia, de qua Psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis sulphur & spiritus procellarum*. Sed si descendit per humilitatem, sequitur ipsum serenitas sempiterna. Et hæc omnia perpendit B. Augustinus, ideò de nubilo erroris exiens, venit ad lucem veritatis. Et hoc ad primum.

Quare per solem D. Augustinus intelligatur.

Quantum ad SECVNDVM ponitur vitæ suæ & doctrinæ sequens luminositas, cum præmittitur: *Sol refulsit*. Vbi est sciendum, per solem beatus Augustinus rectè intelligitur. PRIMÒ, quia videmus naturaliter post dispersionem nebulæ & casum, sol clarius splendet, & purior efficitur. Ideò B. Augustinus post dispersionem erroris præcedentis, tam clarus & purus est effectus, quod in nullum dein cecidit errorem, & peccatum, nec carnis, nec auaritiæ, neq; superbiæ, quę tamen totum mundum

dum deuastant. secundum illud 1. Ioann. 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ.* Et quòd nullis his sit obscurus peccatis, ipsemet testatur in libro soliloq. vbi ratio interrogat eum, dicens. Quid vxor? Nónne te delectat vxor pulchra, pudica, morigerata, præsertim si certus sis, nihil ex ea te molestiæ esse passurum? *Respondet* Augustinus. Quantumlibet velis eam depingere atq; cumulare bonis omnibus, nihil tam fugiendum quàm concubitum esse decreui. *Et quærit.* Diuitias nullas cupis? Respondit. Cum triginta annos agam, decem quatuor anni vere sunt, ex quo ista cupere desiui. Nec aliud in his præter necessarium victum cogitaui, quia vnus liber Ciceronis mihi facilè persuasit, nullo modo appetendas esse diuitias. *Et iterum.* Quid honores? Fateor eos, inquit, modo, ac penè his diebus, cupere destiti. Ideò de ipso potest exponi illud Eccli. 50 *Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis lucet; & quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei.*

SECVNDÒ, sol est fontale principium luminis, ipsam lunam & stellas illustrans, quia stellæ & luna à sole lumen recipiunt, qui radios suos in omnem partem diffundit: Ita B. Augustinus lumen suæ sapientiæ in omnes alios diffudit, iuxta illud Iob. 32 *Lumen ipsius super omnes terminos terræ.* Quia reuera omnes Doctores palpitarent in tenebris ignorantiæ nisi haurirent de fonte suæ sapientiæ. Ideò refert Possidonius in vita Augustini, quod in monasterio, quod Ierosolyma dicitur. Monachus quidam in vigilia B. Augustini raptus in spiritu, nubem splendidam cœlitus descendentem, & super nubem Augustinum sedentem, Pontificalibus insignitum, cuius oculi quasi duo solis radij totam Ecclesiam illuminabant. D II.

Nam secundum Remigium, in exponendo sacras scripturas alij Doctores stellis comparantur, Augustinus autem Soli. Quia sicut stellæ à sole lumen recipiunt, ita omnes alij lumen sapientiæ veræ à fonte suæ hauriunt, & ipsum lumen demum in alios diffundunt. Ideo de ipso exponi potest illud 1. Mach. 6. *Refulsit sol in clypeos aureos*, hoc est, in alios tres Doctores, qui quasi clypei fortes fuerunt contra Ecclesiæ inimicos, *& resplenduerunt montes ab eis*, scilicet alij prælati illuminati sunt ab eis. Augustinus cur soli comparatus.

Beatus etiam Gregorius Doctor egregius, suos libros annihilat, scribens in Epistola ad Innocentium Africæ perfectum, dicens: Quod expositionem sancti Iob vobis transmitti voluistis, vestro studio congaudemus: sed si delitioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini compatriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem illius siliginis, nostrum furfur non quæretis.

TERTIÒ, sicut Sol est rex omnium planetarum, & cuncti planetæ habent respectum ad ipsum. Ita Beatus Augustinus est Dominus Doctorum & Doctor, sicut testatur Prosper: Beatissimus, inquit Augustinus Dominus & caput est omnium Doctorum. Nam sicut sol inter cætera corpora habet primum locum, sic est iste inter omnes Doctores primatum tenens. Ideo gloriosus Hieronym. in Epistolis vocat eum Dominum suum, sic scribens ad ipsum: Domino sancto suo ac beatissimo patri Augustino Hieronymus. Omni quidem tempore Beatitudinem tuam, eo quo decet honore veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum. Ac Beatus Remigius Doctor egregius, in quadam Epistola Beatum Hieronym. & multos alios Doctores commemorans, sic concludit. Hos omnes Augustinus ingenio & scientia sua vicit. III. B. Augustinus Doctor Doctorum.

vicit. Nam licet Hieronymus sex millia volumina Origenis se legisse fatetur, iste tamen tanta scripsit, vt non solum diebus atq; noctibus scribere libros eius quis non posset, sed nec legere. Quia secundum Volusianum, legi Dei deest, quicquid Augustinum contigerit ignorare.

Encomium B. Augustini. Idcircò Possidonius in Epistola ad Macedonium de hoc sic dicit. Augustinus homo cœlestis, pater patrum, Doctor Doctorum, imago diuinitatis, abyssus sapientiæ, fistula altisona, prædicator veritatis, eructator diuinorum eloquiorum, & inquisitor prædictorum. Par angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum reuelatione, par Apostolis in prædicatione, par Martyribus in martyrij desideratione, par Confessoribus in disciplinarum susceptione, par Virginibus in continentiæ obseruatione. *Et subdit.* Si cuncta membra corporis mei verterentur in linguas, adhuc non essem dignus, & sufficiens ad laudandum fidei tantum Doctorem. Hæc ille. Ecce quomodo omnes Doctores respectum habent ad gloriosissimum & præcipuum Doctorem Augustinum, ipsum laudantes vt regem ac Dominum.

IV. Qvartò, sicut sol inter omnes alias stellas clarior est, sicut patet in vere æstate, & autumno, vbi tantum feruet & inflammat, quod homines à calore exuruntur & denigrantur. Sic B. Doctor Augustinus calidior fuit cæteris Doctoribus, in charitate erga Deum & proximum. Quia secundum Galenum lib. 3. secretorum, corpora, quæ sunt caloris inimica, sicut ferrum, si accenduntur, fortius ardent & calent. B. Augustini charitas. Sic B. Augustinus, qui fuit ante conuersionem caloris, diuinæ scilicet caritatis inimicus, postea accensus igne feruentius ardebat, vt secundum Ambros. in lib. præfationum. Nullis præmissis blandimentorum fallacijs, virtuoso ignitus spiritu, vinceretur: quia ita eum omni genere pietatis & feruoris imbuerat, vt ipse & ara, & sacrificium, sacerdos & templum esset.

Ideò de ipso dicit B. Basilius in quodam sermone: Ecce magnificus Augustinus Aurelius fornax pietatis, quem nihil separat à charitate Christi. Quod si vidissemus, fratres, quanto feruore bonos diligebat, malos reprehendebat: quanto desiderio captiuos liberabat, verè nos dixisse puto: Ecce homo, qui cum Angelis volat, cum Archangelis cantat, cum Seraphin ardet, cum Thronis sedet, cum Virtutibus operatur. Et in tantum Augustinus fuit inflammatus in diuino amore, & in sancta Trinitate, quod non cognouit, quid circa se ageretur.

E Refert Possidonius, cum quædam mulier à malitiosis iniuriam pateretur, ad ipsum accessit, vt super hoc eius consilium imploraret. Quæ cum ipsum studentem inuenisset, & reuerenter salutasset: ille nec ipsam aspexit, nec ei quicquam respondit. Cogitans mulier ne fortè ob nimiam sanctitatem in faciem eius nollet videre, propius accessit, & negotium diligenter exposuit. Sed ille nec se ad illam conuertit, nec responsum aliquod dedit. Illa cum tristitia magna recessit. Alia autem die cum Augustinus Missam celebraret, & dicta mulier intrasset, post eleuationem corporis rapta in spiritu vidit se positam ante tribunal sanctissimę Trinitatis, vbi vidit Augustinum facie inclinata, de Trinitatis gloria attentissimè & sublimiter disputantem, & facta est vox ad eam, dicens: Cum ad Augustinum iuisti, ille sic attentè de Trinitatis gloria ardenter disputauit, & ideò quid tibi fuerit penitus non aduertit. Sed ad eum securè redeas, quia eum clementem inuenies, & consilium salubre reperies. Quod cum fecisset Augustinus ipsam benignè recepit, & consilium ei salubre donauit.

Qvintò,

QVINTO, ſicut Sol ſecundum Ambroſium in hexam. eſt omnibus luminaribus cœli maior, & eſt oculus mundi, pulchritudo cœli, quia illuminat mundum, & pulchrificat cœlum. Ita B. Auguſtinus eſt maior omnibus in ſcientia alijs Doctoribus, quia ſecundum Iſidorum 8. Etymol. Magiſtrorum omnium ſtudia Auguſtinus ingenio & ſcientia vicit, & nunc maior eſt omnibus Doctoribus in gloria. Ideò legitur, quòd quidam deuotus, cum in Eccleſia ſancti Petri Romæ pernoctaret, vidit Beatum Gregorium cum quibuſdam alijs ad ſe venire; interrogauit autem eum, quis eſſet Auguſtinus: ab eo reſponſum accepit: Auguſtinus, de quo tu quæris, excellentiſſimum locum ſupra nos obtinuit. V. B. Auguſtinus alios Doctores ſcientia antecellit.

Eſt etiam Auguſtinus oculus tenebroſi mundi, quia tam luminoſa eſt eius doctrina, quòd omnis qui voluerit, ab ea dirigitur & illuſtratur. Quia ſecundum Paulin. in Epiſtola: Sicut Sol ſuper omnia lucentia lucet, ſic Auguſtinus Doctor ſuper omnes aſcendit & volauit. Nam cæteri Doctores pauca de Trinitatis potentia dixerunt, Auguſtinus autem ſubtilius volans omnia reſerauit. Ipſe enim eſt profunda fluuiorum ſcrutatus, & abſcondita produxit in lucem, vt habetur Iob decimo octauo. Ideo poteſt dicere cum Iob. *Oculus fui cæco, pes claudo.* Iob vigeſimo nono. Auguſtinus oculus mundi.

Nunc igitur tu hæretice. qui errabas circa ſanctam Trinitatem, ſicut teſtatur Paulinus; Ecce Auguſtinum oculum mundi, qui tibi omnia plana reſerauit, ne in omnibus te contingat aberrare. Eſt ſiquidem ſanctiſſimus Auguſtinus pulchritudo cœli, quia ſua immenſa gloria purificat cœlicas manſiones, reſidens glorioſè iuxta ſanctam Trinitatem, ſicut teſtatur Paulinus ad Macedonium, dicens: Auguſtinum coniunctum ſanctæ & indiuiduæ Trinitati per contemplationem, nullatenus dubitemus, admirantes ſuper his quæ loquebatur alta voce loquens: *Beatus venter qui te portauit*, & benedictus fructus quem Dominus fidelibus donat, benedictus ſermo oris tui. Quod probatur in Exemplo. Legitur, quod quidam in ſpiritu raptus eſſet, & ſanctos in gloria conſpexit, B. Auguſtinum autem inter hos vidit, qui cum de hoc miraretur, dictum eſt ei: Auguſtinus reſidet in excelſis, vbi diſputat de gloria excelſæ Trinitatis.

SEXTO, Sol habet in iſtis inferioribus magnam virtutem, ſcilicet renouatiuam, quia poros terræ aperit, & virtutem latentem in radicibus ad eum producit, & ſuperficiem terræ floribus renouat. Ita B. Auguſtinus magnam virtutem circa homines terrenos habet ipſum inuocantes, qui ſanitatem perditam renouabilis, quos frigus hyemis marcidos fecerat. VI.

Ideò recitat Iacobus Ianuenſis in Vita Sancti Auguſtini, quòd circa annum Domini DCCCXII. Viri quidam grauiter infirmi numero plus quàm quadraginta quatuor, de Germania & Gallia Romam ibant, ad Apoſtolorum limina viſitanda. Quorum quidam in terra ſcamnis curui ſe vehentes. Alij baculis ſe ſuſtentantes. Alij priuati oculis poſt alios ſe trahentes. Alij contractas manus & pedes habentes, pergebant. Qui montes tranſeuntes, ad locum qui dicitur Carbonaria peruenerunt. Cum autem penè ad locum qui Chana dicitur, veniſſent, qui tribus milliaribus à Papia diſtat, Sanctus Auguſtinus Pontificalibus indutus, de quadam Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani conſtructa exiens, eis apparuit, eoſque ſalutans,

quo tenderent quæsiuit. Et cum illi responderent, quod Romam tenderent. Ille adiecit: Ite Papiam & de Cœnobio Sancti Petri, quod dicitur aureum cœlum, interrogate, & ibi misericordiam habebitis quam optatis. Qui cum eum de nomine interrogassent, ait. Ego sum Augustinus quondam Hipponensis Episcopus, statimque ab oculis eorum euanuit. Illi autem Papiam pergentes, cum ad dictum monasterium venissent, & ibi corpus beati Augustini quiescere didicissent, cœperunt omnes voces leuare, & vnanimiter clamare. Sancte Augustine adiuua nos. Ad quorum clamorem monachi & ciues excitati, ad tam grande spectaculum confluebant. Et ecce ex neruorum distensione sanguis multus, effluere cœpit, ita ab introitu Cœnobij, vsque ad tumbam Sancti Augustini, tota terra videbatur sanguine aspersa. Cum autem ad sepulchrum Beati Augustini venissent, sunt sanati, & restituti integræ sanitati, ac si nulla læsio in eorum corporibus extitisset. Rectè sicut videmus de Sole; quod flosculos restituit ad statum pristinum, ac si per frigus nunquam deperissent. Et hoc tantum ad Secundum.

DE SANCTO AVGVSTINO EPISCOPO.

Sermo secundus.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Luc. 12.

A Agister libro 7. proprietatum dicit, quod circa varias infirmitates prudens medicus indiget maxima circumspectione & cautela, quia nihil magis impedit salutem infirmorum, quàm ignorantia & negligentia medicorum. Nam diuersi morbi diuersas habent causas, ex quibus oriuntur. Aliqui enim ex causa calida, qui sunt medendi per frigida, vt aqua rosacea vel ptisana. Aliqui ex causa frigida, & illi sunt medendi per calida; vt si stomachus est infrigidatus, applicandum est zinziber, caryophylli, galganum, zedoaria, & sic de alijs.

B SPIRITVALITER. Per infirmitatem aut morbum intelligitur peccatum, quod infirmam facit animam, & debilem ad benè operandum, quod cognouit Dauid rex, cum dixit Psalm. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, scilicet in anima, *sana* ægrotum & peccatorem *Domine*, *quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*, hoc est, robur animæ meæ. Et horum peccatorum aliqua oriuntur ex calido, vt luxuria quæ generatur in iuuenibus, qui sunt calidæ naturæ, sicut patet in B. Augustino, qui in sua adolescentia fuit lubricus, & filium genuit Deodatum nomine. Aliqua autem peccata surgunt ex frigido, vt sunt illa, quæ exstincta charitate omittuntur, vt superbia & auaritia. Ideò oportet spiritualem medicum esse cautum, vt contraria contrarijs curet, & hoc præcipitur in Canone quodam. Quod semper sacerdos debet iniungere pœnitentiam contrariam peccato, vt luxurioso iniungat carnis macerationem,

Peccatorum varia origo.

Quæ pœnitentiæ pro

nem, superbo orationem humilem, auaro eleemosynarum elargitionem, acedioso peregrinationem, guloso abstinentiam. Idcirco etiam prudentissimus medicus nostrarum animarum Iesus videns communiter mundanos esse ad luxuriam inclinatos, apponit medicinam contrariam, scilicet lumborum præcinctionem, cum dicit in verbis propositis. *Sint lumbi vestri præcincti,* &c. In quibus docet nos exspectare finale iudicium, per tria. *Primo*, per corporis macerationem & castitatem, ibi; *Sint lumbi vestri præcincti. Secundo*, per præmiorum honestatem, ibi; *Et lucernæ ardentes. Tertio*, per proborum seruorum qualitatem, ibi; *Et vos similes*, &c. Eccli. 1. peccatis iniungendæ.

PRIMO SCIENDVM, per Aristotelem, Auicennam & Solinum, animalia quæ sunt incontinentia & incasta, vitam abbreuiant, sicut hoc declarat de passere qui est valdè libidinosus, ideò non diu viuit. Sed animalia casta econtrà habent vitam diuturnam, sicut patet de elephante, sicut dicit Aristoteles, quod nullum animal ita diu viuit, sicut elephas, & hoc propter sui continentiam. Idem patet de phœnice, quæ se non miscet per coitum, ideò viuit ad annos trecentos vel quingentos. C Libidinosi non diu viuunt.

MORALITER. Per animalia incasta intelliguntur homines incasti, & illi spoliant se vita æterna, vt sunt homines extra coniugium fornicantes, de quibus dicit Apostolus 1. Corinthiorum 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, regnum DEI possidebunt.* Sed vt dicit ad Hebræos 13. *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*, quod probat Vincentius in spec. histor. 26. lib. cap. 21. de Papa Benedicto, qui à primordio Pontificatus fuit in freno luxuriæ conuersatus, ideò post mortem apparuit cuidam iuxta molendinam equo insidenti, in specie monstruosi animalis, habens caudam & aures asini, sed cætera membra erant vt si. Cumque ille fugam iniret, clamauit monstrum illo modo. Vir noli expauescere, scito me hominem fuisse sicut tu, sed quia luxuriosè & bestialiter vixi, post mortem speciem bestiæ portare merui. Ad quem ille. Quisnam fuisti? Ego fui ille solo nomine Benedictus, qui nuper sedem Apostolicam indignè obtinui. Cui ille. Quam habes retributionem nunc vsque in finem iudicij? Respondit. Per squalentia loca sulphurea, & fœdita, & bullientia, raptim pertrahor: post extremum iudicium perpetuo inferno torquebor.

Sed per animalia casta intelliguntur homines casti, & isti habebunt vitam in patria diuturnam, quia dicitur in Authentica de leonib' L. Sancim'. Coll. 3. Sola castitas & mundicia placabilis est Deo. Cui regulæ consonat Isidorus dicens: Castitas hominem cœlo iungit, & Angelorum ciuem facit. Idcircò Dominus generaliter omnes hortatur ad castitatem, dicens; *Sint lumbi vestri præcincti*, quasi diceret, si vultis in regnum introire, necesse est lumbos vestros per continentiam vos præcingere. Super quo verbo dicit B. Gregorius in homilia Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Animaliæ casta homines castos designant.

Et est NOTANDVM, quod duplex est cinctorium. PRIMVM est continentia à superfluitate voluptatum, de quo præcipuè loquitur hic Dominus, cum dicit. *Sint lumbi vestri præcincti.* Quo cinctorio præcinctus fuit B. Augustinus, qui vt refert Possidonius post suam conuersionem nunquam cum muliere solus loqui volebat, nisi secretum aliquod interesset. Nec vnquam aliquam fœminarum, nec etiam germanam sororem, aut fratris sui filias, quę Deo seruiebāt, secum habitare permisit.

Sed discebat, quod etsi de sorore, vel neptibus nulla mala suspicio possit oriri, tamen quia tales personæ sine alijs sibi necessarijs esse non possunt. Quòd etiam hanc voluptatem totaliter contempserit, vt concubitum, patet in libris Confessionum, vbi quærit, dicens. Quid vxor? Nónne te delectat, pulchra, pudica & morigerata? diues præsertim, si certus sis nihil ex ea te molestiæ passurum esse. Et respondit Augustinus. Quantumlibet eam velis depingere atq; cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum esse, quàm concubitum decreui. Sed quærit ratio. Non ego quæro quid decreueris, sed vtrum adhuc alliceris? Et respondit Augustinus. Prorsus nihil in huiusmodi quæro, nihil desidero, cum horrore & aspernatione talia recordor.

Idem habetur in libello de conflictu vitiorum & virtutum. capit. 22. vbi dicit ad ipsum voluptas carnis, cur in voluptate tua non modo delectaris, cum te quod sequatur ignores: acceptum tempus in desiderijs perdere non debes, quia quàm citò pertranseat, nescis. Si enim Deus in voluptate coitus hominem misceri nollet, in ipso humani generis exordio masculum & fœminam non fecisses. Cui respondit Augustinus tanquam continens. Nolo, inquit, te ignorare quid post hanc vitam recipias. Si enim castè & piè vixeris, sine fine gaudebis. Si verò impiè & luxuriosè, æternis incendijs subiacebis. Inde enim magis castè viuere debes, vnde quàm citò tempus acceptum transeat, quod te ignorare dicis. Quodq; in exordio humani generis masculum & fœminam procreasse fateris, & mutuis amplexibus misceri debere: omninò verum dicis; sed quia nubendi licentia in quibusdam tribuitur, hoc est, virginalem castitatem vel vidualem nequaquam profiteri. Quibusdam autem non tribuitur: sicut qui virgines, vel continentes esse decreuerunt. Fornicatio verò nulli impunè conceditur, quasi diceret, quia ego noui continentiam, ideo non debeo me resoluere in corporis concupiscentia & luxuria. Sed sic non faciunt modo nostri sacerdotes. Iam enim præcingunt lumbos in Maio, sicut asini habitantes cum extraneis & conuersantes eis, dicentes. Ego extranearum mulierum familiaritatem habeo, & tamen ornamenta castitatis custodio. Quibus dicit August. in lib. de familiaritate extranearum mulierum. Attendant hi, quàm infelix & periculosa ista sit præsumptio. Multi enim cum putabant se vincere, sunt victi. *Et subdit.* Vnde tu putabas habere triumphum æternum, incurris supplicium. Caue igitur, ne te falsa securitate decipias, nec de tuis viribus præsumas. Periculosè enim Dauid per mille vidit passus mulierem, & statim homicidium simul fecit & adulterium. Hæc ille.

Mulierum familiaritas Sacerdotibus fugienda.

II. **Abstinentia B. Augustini.**

SECVNDVM cinctorium est *abstinentia*, qua præcingimur à superfluitate ciborum, quo pcinctus fuit similiter B. Augustinus, qui rarò vsus est in mensa sua leguminibus, nisi propter infirmos, & rarissimè carnibus, nisi ppter hospites. Refert etiam Possidonius, qui vitam eius scripsit, quod Augustinus cum quadam vice quosdam suos familiares ad prandium vocaret, vnus illorum curiosior cæteris, coquinam ingressus est. Cumque omnia frigida reperisset, reuersus ad Augustinum interrogauit, quid ciborum pransuris ipse paterfamilias præparasset. Cui Augustinus, nequaquam talium epularum curiosus appetitor, respondit: Ego vobiscum nescio. Non enim quæ suit lauta cibaria superflua, & delicata. Idcircò quantum ad gustum, quærit ratio in libris soliloq. dicens: Quid de cibis? Et respondit Augustin. Siue de potu, siue de cibo, siue de balneis, siue de cæteris corporis voluptatibus interrogaueris, nihil peto ab eis, nisi quantum in valetudinis opem possunt cõferre. Et in lib. Confess.

legi-

legitur, B. Augustinum de modica delectatione, quam in comedendo sentiebat, se excusasse dicens. Sic me docuisti, vt quemadmodum medicamenta sic alimenta accedam sumpturus. Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, docet Dominus exspectare finale iudicium per præmiorum honestatem. Circa quod NOTANDVM. B. Gregorius in homilia, & habetur transsumptiuè in Cano. 22.q.5. c. De forma. Non enim, inquit, sufficit non mala facere, nisi quis bonis operibus studeat insudare. Rectè enim sicut arbor, quæ staret in horto, & nemini noceret, si non faceret fructum, eam non laudaret hortulanus, vel fortassis deiiceret ipsam, vel succideret, & in ignem proiiceret concremandam. Sic etiam est de homine, qui licet nulli noceat, non tamen ob hoc saluabitur, sed necesse est, vt lucentia opera habeat. Ideo subdit Dominus. *Et lucernæ ardentes*, scilicet bonæ operationis, quo ad simplices, vel sanctæ prædicationis, quo ad sacerdotes. Et hæ sunt lucernæ ardentes in manibus vestris.

Hoc dictum Dominicum solerter perpendit B. Augustinus; quia statim in principio suæ conuersionis, ab operibus incepit bonis, quia incepit à feruenti dilectione, secundum quod dicit in lib. Confess. Sagittaueras tu cor meum caritate, & gestabam verba tua transfixa in visceribus meis. Incepit statim à dulci deuotione. Ideo subdit. Nec satiabar in illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij diuini super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ vocibus commotus? Acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & currebant lacrymæ, & mihi benè erat cum illis. Incepit à perfecta continuatione, quia quotidiè in Dei amore proficiebat, vt ipse refert in lib. Confess. Inueni me longe esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audiret vocem tuam de excelso. Cibus sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Incepit statim etiam à bonorum operatione, nec lucernam ardentem siue accensam posuit sub modio, sed in Affricana prouincia exercitabat se circa corporis macerationem, circa deuotam orationem, circa librorum conscriptionem, & circa indoctorum eruditionem, sicut habetur in Legenda. Sic discant laici, vt sint feruentes in dilectione Dei & proximi, & dulces in deuotione, perfecti in continuatione bonorum, & diligenti operatione, vt sic portent lucernas in manibus. Et hoc docuit Augustinus exemplo & verbo. Quia dicit in homilia. Quantum possumus fructum mysticè afferre studeamus, timentes illud Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Hæc sententia euidenter ostendit, quod non solum malum fecisse, sed etiam bonum non egisse damnabile est. Hæc ille. E

SECVNDÒ, in statu sacerdotali lucernam portauit humilitatis, quia inuitus est in sacerdotem ordinatus, ad hoc se æstimans indignum, sicut ipse probat, scribens in epistola ad Valerianum. Nihil in hac vita, & maximè in hoc tempore, est difficilius & laboriosius Episcopi aut presbyteri officio. Sed apud DEVM nihil beatius, si omninò militetur, sicut noster Imperator iubet. Quis autem sit modus nec ex pueritia mea, nec adolescentia mea didici, sed eo tempore, quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum. Nam quid aliud æstimem, nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui minimum tenere non noueram. F

Humilitas B. Augustini.

Tanta etiam luxit humilitate, vt nullos honores appeteret, sicut patet lib. soliloq. vbi Ratio quærit ab eo, dicens. Putas an honores desideres? Respondit. Fateor, hos modo & penè his diebus cupere destiti. Vestes etiam superbas non habuit, quia Possidonius, quod Augustinus dixerit. Fateor, de pretiosa veste erubesco, & ideo cum datur mihi vendo eam, vt quia vestis non potest esse communis, pretium fit commune.

B. Augustinus lucerna prædicationis.

Portauit deniq; S. Augustinus lucernam sanctæ prædicationis & doctrinæ veritatis, vt de illo exponi possit illud Eccl. 50. *In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt vltra modum.* Iste puteus est sacra Scriptura, quæ adeo est profunda vt ante aduentum huius Doctoris, vix aliquis de hoc puteo aquam prædicationis & doctrinarum possit haurire. Sed veniente Augustino, emanauit eius doctrina ad instar putei: quia de occultis sacræ scripturæ sensibus doctrinas salutiferas docebat. Ideo de ipso dicebat Iob. 28. *Profunda fluuiorum scrutatus est & abscondita produxit in lucem.* Emanauit etiam eius doctrina ad instar maris, quia sicut à mari fluunt & emanant omnes fontes & flumina; Sic à doctrina Augustini emanant, & originem habent omnium sequentium Doctorum expositiones & dicta.

Refert etiam B. Bernardus. Cum quadam vice in matutinis existeret, aliquantulum dormiuit, & cum de quodam tractatu Augustini lectio legeretur, vidit quendam iuuenem pulcherrimum ibi stantem, de cuius ore tantus inundantium aquarum impetus exibat, quod totam illam Ecclesiam implere videretur, quia Augustinum esse non dubitauit, quia aqua suæ doctrinæ totam Ecclesiam irrigauit. Ideo exponi potest de ipso illud Isaiæ 6. *Repleta est terra scientia Domini sicut aqua maris operientis.*

G Ipsius etiam doctrina emanauit vltra modum, quia non vnum locum tantum, scilicet sacræ Scripturæ exposuit, immò ferè omnia loca inquisiuit, & nihil indiscussum reliquit, ita vt sibi competat illud 3. Reg. 4. *Disputauit à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egredietur de pariete; & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Per cedrum intelligitur altitudo diuinitatis, per hyssopum intelligitur humilitas humanitatis. Disputauit ergò à Cedro ad hyssopum, hoc est, ab altitudine diuinitatis ad humilitatem humanitatis. Fecit enim librum de ciuitate Dei, quasi de Cedro diuinitatis; & de incarnatione verbi, quasi de hyssopo humanitatis. Disseruit etiam de iumentis, hoc est, de vitiis peccatorum, quæ sunt iumenta, secundum Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, &c.* Vel de virtutibus sanctorum, qui etiam dicuntur iumenta Dei, dicente Psal. 72. *Vt iumentum factus sum apud te.* Quia fecit vnum tractatum de conflictu vitiorum & virtutum. Disseruit etiam de volucribus, id est, de dignitate Angelorum, & gloria Sanctorum, qui volant pennis amoris & contemplationis. Et similiter de reptilibus, hoc est, de diuitiis auarorum, qui repunt circa terram, per amorem diuitiarum: de piscibus, id est, de pœnis damnatorum & dæmonum, qui semper sunt in aquis damnationum.

Auari repunt circa terram.


Ideo pro laude gloriosissimi Doctoris. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, inquit: Sanctus Augustinus acer ingenio, suauis colloquio, familiaris peritis, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni actione sua compositus, in quæstionibus soluendis acutus, conuincendis hæreticis circumspectus, in expositione fidei nostræ Catholicus, in explanandis scripturis Canonicis feruens. Hæc Prosper. Ita discant Sacerdotes de hoc lumine glorioso, quatenus exemplo

emplo sui sint humiles, quia sacerdotium est dignitas maxima, ideo humiliari debent in omnibus, secundum illud Eccli. 3. *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo.* Nec debes appetere vestes nimium pretiosas. Ideo præcipitur eis de vita & honestate Clericorum. Clerici ne pannis rubeis vel viridibus vtantur, sed laborent in verbo Dei. Et hoc quo ad secundum. Sacerdotii dignitas maxima.

DE DECOLLATIONE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Sermo primus.

Herodes tenuit & vinxit Ioannem in carcerem. Ita scribitur Marc. 6.



ISIDORVS lib. 12. dicit. Vulpes inter omnia animalia fraudulentissimum animal inuenitur: quia gallinis & cæteris auibus est valde inimicum. Quando enim esurit, subitò excogitat astutiam, currens ad locum vbi agricolam nouiter scit arasse, iacens quasi mortua, non se mouens, nec anhelitum sensibiliter extrahens. Ipsaq; sic iacente veniunt cornices, auesq; consimiles cadauer æstimantes. Cum autem aues super se senserit, subitò vnam vel duas rapit, & occidit. A

SPIRITVALITER. Per vulpem homines fraudulenti designantur, qui quotidie bonis & simplicibus hominibus malum machinantur, sub simulatione bonitatis. Quia dicit Isidorus 47. Etymolo. Maximus fallendi dolusq; inferendi in simulatione adulationeque consistit, quia legitur figuratum 2. Reg. 20. de quodam milite fraudulento Ioab, qui fuit in curia Dauid. Hic obuiam habuit quendam militem fidelem, cui Amasa nomen, & fuit cognatus suus, quia erant de duabus sororibus, sicut dicitur 2. Reg. 18 Hunc salutans adulatoriè, dicens: *Salue frater mi.* Et tenens manu dextera mentum eius, quasi vellet dare osculum ei, sed interim disposuit (vt dicit Rabi Salomon) vt sibi caderet gladius de vagina, nec tardaret Amasa, vt leuaret de terrà ad reponendum in vaginam, & sic non obseruauit gladium eius. Ioab autem fraudulenter percussit eum in latus, & eius viscera effudit, & ille protinus exspirauit. Talis fraudulentus & vulpinus fuit rex Herodes Antipas, quem & Dominus Luc. 12. vulpi comparat dicens. Cùm quidam ex Pharisæis venerunt ad Christum dicentes: *Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Ite* inquit, *& dicite vulpi illi. Ecce eiicio dæmonia, & perficio sanitates.* Hic vulpes simulauit se tristem, propter iusiurandum, & tamen de morte sanctissimi Ioannis cogitauit. Quia secundum Petrum in scholast. hist. Credibile est, quod Herodes cum vxore sua de nece Ioannis sub tali occasione facienda, prius secretò tractauerit. Idem sentit B. Hieronymus in Gloss. super Matt. 6. dicens. Ideo fortè iurauit, vt occasionem occidendi inueniret. Ideo etiam posuit eum in carcerem, vt attestantur verba thematis. *Herodes tenuit & vinxit Ioannem.* In quibus verbis passio Ioannis describitur, quo ad tria. *Primò*, ad auctorem qui fieri mandauit, ibi; *Herodes. Secundo*, ad ordinem & ad modum quem seruauit, ibi; *Tenuit. Tertio*, ad conditionem personæ, quæ sustinuit, ibi; *Ioannes.* Figura. Herodes cum Herodiade conspirauit in necem Ioannis. B

DE PRIMO est NOTANDVM. Nicolaus de Lyra super Matt. in glos. dicit, fuisse tres Herodes nomine vocatos. *Primus*, in Iudæa fuit institutus Rex Iudææ à Romanis, Tres Herodes. I.

cuius Ascalonitæ

cuius pater fuit Idumæus: iste vocatus erat Ascalonita, qui occidit *pueros innocentes*, vt habetur Matth. 2. *Secundus* fuit Agrippa, filius Aristobuli, qui occidit Iacobum, ponens in carcere Petrum, vt habetur Actor. 12. *Tertius* fuit Antipas filius Herodis Ascolonitæ, & iste fuit auctor huius sceleris, qui Ioannem decollari mandauit, illud enim ortum ex hoc habuit,

II. Agrippa. *III.* Antipas.

Refert Petrus Comestor in Scholastica historia, quod iste Herodes Antipas, filius magni Herodis. Romam proficiscens, & per fratrem suum Philippum transiens, cum Herodiade vxore Philippi, & secundum Iosephum, sororem Herodis Agrippæ, secretò pepigit, vt in reditu suo vxorem suam repudiaret, & ipsam in coniugem duceret, quod vxorem Arethæ regis Damascenorum filiam minimè latuit, & ideo non exspectauit viri reditum, sed ad patrem quanto citius festinauit. Rediens ergo Herodes Herodiadem Philippo abstulit, & Aretam regem, & Herodem Agrippam in sui inimicitiam concitauit. Sed cum Ioannes ipsum argueret secundum legem, quam acceperat fratris vxorem, ipso viuente sibi minimè liceret habere.

C Argučs peccatorem, odium incurrit.

Et quia secundum Chrysostomum incurrit odium, qui arguit Criminosos, & secundum commune Prouerbium: Qui veritatem loquitur, caput ei contunditur, Ideo Herodes videns quod ipsum argueret, & quia propter prædicationem & baptismum (secundum Iosephum) magnum populum congregaret, vxorique volens complacere, ipsum in carcerem vinculauit, & occidere voluit, sed populi sequentis Ioannem dispendia pertimescens, non ausus fuit. Sic adhuc multi timentes dispendia corporis & pœnas, peccare non audent: Vel sic malum perpetrare plus formidantes homines, quam Deum, & illi similes sunt Herodi. De quibus Isidorus lib. etymol. Aliud est non peccare amore dilectionis Dei, aliud timore supplicij. Ille itaque mercedem boni operis percipit, qui amando iustitiam facit, non is qui eam solo metu pœnarum inuitus custodit. Desiderantes igitur Herodes pariter & Herodiades occasionem aliquam inuenire, vt possent Ioannem occidere, videnter in secreto dixisse, vt Herodes natalis sui diem coram primis Galilææ principibus celebraret, & puellæ saltanti, filiæ Herodiadis, quicquid petierit se daturum iuramento confirmaret, & ipsa matre iubente caput Ioannis petente, illud propter iuramentum sibi factum eum tribuere oporteret. Sed de iuramento facto se simularet contristari. Et quod fuit simulatio, patet ex illo: quia si illa patris vel matris interitum postulasset, Herodes vtique non consensisset. Ordinato igitur conuiuio puella coram omnibus saltat, omnibus placet, rex sibi iurat, quidquid peteret se daturum. Et illa præmonita à matre, Caput Ioannis postulauit. Sed versipellis Herodes propter iusiurandum se contristatum simulauit, eo quod (vt dicit Rabanus) temerè iurasset, quod facere oporteret. Sed tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mente. Excusauit scelus iuramento, vt sub occasione impietatis, pius videretur. Ideo spiculatur mittitur, caput Ioannis præscinditur, & puellæ datur, & puella matri adulteræ præsentat. Super his Ambrosius conqueritur, & Ioannes Chrysost. super Euangelium Matt. 6. Hodie, inquit, Ioannis virtus, Herodis feritas refertur. Confusa sunt viscera, corda contremuerunt, caligauit visus, hebetuit sensus, aufugit intellectus. *Et subdit:* Ioannes schola virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par Angelis, legis summa, Euangelij

Encomium K Ioannis Baptistæ.

gelij sanctio. Apostolorum vox. silentium Prophetarum, lucerna mundi, præcursor iudicis. Christi melos, Domini testis, totius medius Trinitatis. Et hic tantus datur incestuosæ, traditur adulteræ, adiicitur salatrici. Meritò ergo confusa sunt viscera, corda tremuerunt. Hæc Chrysostomus. Et hoc quoad primum.

Quantum ad SECVNDVM, describitur ordo, quem seruauit Herodes. *Primò*, misit ministros ad capiendum Ioannem. *Secundo*, tenuit eum. *Tertiò*, vinxit eum. *Quartò*, posuit eum in carcerē. *Quintum* superadditur, quod eum decollauit. Ex quo patet, quod ipse inter cæteros Martyres dignior fuit merito. Quia cæteri Martyres solum passi sunt pro fidei veritate; sed ipse passus est pro castitate, quam suadebat, dicens ad Herodem: Marc. 6. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Et non tantum fuit dignior merito in Martyres immo Apostolos, quia Apostoli ministrabant Christo in acquisitione populorum. Ioannes autem in acquisitione Apostolorum, quia tres discipulos Andream, Petrum & Philippum, prius ad Christum misit, & ei adhærere persuasit. Ioan. 1. Etiam inter meritum Confessorum primatum obtinet: nam inter asperior in vestitu, partior in victu, secretior in incolatu, quæ vitam reddunt perfectam Confessorum. Nam de victu eius scribitur Matth. 3. *quod esca erant locustæ & mel siluestre*, super quo dicit Glossa, quod locustæ sunt auiculæ paruæ, quæ nascuntur de humoribus maris, aliquo quodam volatu sed decliuo, quæ oleo coctæ, gratum habent saporem.

Sed Hieronymus aliter sentit, accipiens hoc ex dictis Arnolphi, quod in desertis Iudæ, est minimum genus locustarum ad quantitatem vnius digiti, & manibus in herbis capiuntur de facili, & costæ in oleo pauperem præbent victum. Idem refert, quod mel siluestre sunt quædam folia arboris, habētes folia rotunda, & lata, habentia quasi colorem lactis, & saporem mellis, quæ folia manu teruntur, & cocta comeduntur: his escis Ioannes fuit contentus. Sed dicit Gloss. super Matt. 3. Quamuis exterius edebat locustas, interius tamen edebat delitias sempiternas: Exterius mel siluestre, interius mel cœleste: Exterius bibebat aquam naturalem, interius autem spiritualem. De vestitu autem eius scribit Matthæus, vbi suprà, quod erat de pilis camelorum, qui membra eius virginea confricabant. Ideo dicit Chrysostomus super Matth. Seruis Dei non conuenit habere vestimentum ad speciem visionis, & ad carnis delectamentum sed tantum ad tegimen nuditatis. Habebat enim Ioannes vestem non mollem, neque delicatam, sed cilicinam, grauem & asperam, & conterentem corpus potius quàm fouentem. Sed secundum Gloss. quamuis exterius vestitus fuit pellibus Camelorum, interius tamen habuit indumenta virtutum. De quibus virtutibus inuenies supra in sermone de ipsius Natiuitate.

De incolatu suæ habitationis canit Ecclesia:

Antra deserti teneris sub annis.
Ciuium turmas fugiens petisti, &c.

Quinquennis existens eremum intrauit, & ibidem vsque ad XXIV. vel XXVI. annos perdurauit: Sed quamuis exterius habitauit in eremo, interius tamen habitabat in Cœlo; exterius habuit societatem ferarum, interius societatem Angelorum. Etiam B. Ioannes inter virgines post matrem Domini primatum habuit, quia nemo est castior, nullus flore virginali splendidior teste Chrysostomo, qui ait. Circumspicite totam sanctitatem Nazaræorum, nullum puriorem, nullum splendidiorem, nec flori-

floridiorem inuenietis Ioanne; quia Ioannes est virgo, immò virginitatis insigne speculum, pudicitiæ titulus, & castitatis exemplum: propter quod ratione virginalis castitatis, solus fuit dignus Christum baptizare, qui sicut non nisi de Virgine dignatus est nasci, sic non nisi de Virgine voluit baptizari. Hæc Chrysostomus.

Ecce, tantus vir & sanctissimus inter mulierum natos, hodie tentus est, & vinctus in carcerem. Ideo hoc conqueritur Ioannes Chrysostomus super Euangelium hodiernum. Qui vincula soluebat peccatorum, peccatorum vinculis detinetur, vt vincto viuente locum vitæ peccatores non inueniant. *Et subdit*. Herodes tu adulterium facis, & Ioannem mittis in carcerem: sic iudicas sedens in loco iudicis reus, loco vindicis innocentiæ persecutor. Et hoc ad secundum.

Quoad TERTIVM, ponitur conditio personæ quæ sustinuit, cum dicit Ioannem. Vbi NOTA, quod conditio personæ ad multa priuilegia est egressa. Quia secundum Chrysostomum ab eodem angelo, quo Christus Ioannes est nuntiatus, in vtero sanctificatus, à matre eius sanctissima visitatus, propheta & plus quàm propheta vocatus, de terra manibus B. Virginis leuatus, à sordibus lotus, panniculis inuolutus, patris linguam reserat, baptismum ordinat, Christum indice demonstrat, manibus baptizat, qui ipsum præ omnibus laudat, & in limbo Christum venturum prædicat. Præter hæc priuilegia in eius nominatione quatuor singularia relucebant.

Priuilegia Ioannis singularia.

E

I. PRIMÒ appellatus est *Angelus*. Malach. 3. *Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit viam ante te*, quod dictum fuit de Ioanne, sicut testatur os veritatis. Matt. 11. *Hic est de quo dictum est*: *Ecce ego mitto, &c.* Est enim angelus non natura sed officio, quia angelus dicitur nuntius verus à Deo missus. Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo*. Sed quare? vt aduentum suum hominibus nuntiaret, & vt testimonium perhiberet, secundum illud Ioan. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*. Etiam vt homines ad Christi baptismũ humiliaret, qui voluit instituere baptismum, quo homines à peccatis mundarentur, & hoc insolitum videbatur. Ideo missus est Ioannes, vt homines baptizaret aqua; & assuefaceret ad baptismum Christi. Ideo dixit Matth. 3. *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam*: Etiam ideo missus est, vt homines conuerteret ad Dominum prædicando. Ideo dicitur Luc. 1. *Ipse præibit ante illum*, & propter illa angelus appellatus est.

II. SECVNDÒ, vocatus est *Ioannes* propter gratiæ suæ immensitatem: habuit enim magnam gratiam, quia mirabiliter exultauit, quando mater eius Luc. 1. dixit ad Mariam: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, &c.* Etiam apparuit eius gratia quando eum Christus mirabiliter commendauit dicens: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Matth. 11.

III. TERTIÒ, dictus est *vox* propter prædicationis vtilitatem, quia prius clamauit: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Matth. 3. Hæc vox multum vtilis fuit peccatoribus, quia propter illam multi pœnituerunt, & gratiam perceperunt. Nam vt dicitur Matth. 3. *Exibant ad eum confitentes peccata sua*, qui vtique pœnitentiam non egissent, nisi vocem istam gloriosam audissent.

DE

DE DECOLLATIONE S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Sermo secundus.

Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem. Marc. 6.



PLINIVS in hist. nat. lib. 8. cap. 5. ait. Quia aper est tantæ feritatis, quod etiam mortem paruipendens contra venatores ferro intrepidè se infigit, & ille transfixus contra sibi resistentem vires recolligit: & hoc est principaliter quando est in amore, quia tunc pro vxore atrociter pugnat, vngulis terram scalpit, setas erigit, culmos fibrat, & parum tunc comedit & macrescit. A

SPIRITVALITER. Per aprum intellige peccatorem luxuriosum, quia tunc talis ferus est contra se arguentem, & principaliter quando arguitur in amore inordinato. Et hoc patet in libro Philosophorum, vbi refert Endoxus, quod Pithagoras veniens in quandam ciuitatem, in qua vidit populum in luxuriam lapsum, ipse autem populum in amore existentem redarguit, vt de luxuria cessarent, & continentiam seruarent. Quidam ex eis incontinentiores ei insidias parauerunt, & occidere voluerunt. Quare hoc? quia ille continens fuit, isti luxuriosi, & sic dissimilium fuerunt morum: Modo sicut dicit Seneca lib. de anima. Animæ dissimilium fuerunt corporum, ergò dissimilia habuerunt studia. Ita etiam fuit ad propositum. Aper peccatorem luxuriosum designat.

B. Ioannes virgo fuit castissimus. Herodes autem luxuriosissimus. Ideo cum ipsum Ioannes arguit de luxuria dicens. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Ille quasi aper ferox, & frendens contra suum venatorem sanctum Ioannem, qui nitebatur eum capere rete prædicationis, insurrexit & vxorem suam adulteram defendit, ipsumque in carcerem misit, vt dicit Euangelium. *Misit Herodes, ac tenuit, &c.* In quo tria principaliter describuntur. Quantum ad *Primum*, Ioannis reprehensio amarosa ibi; *Non licet*. *Secundo*, Herodis obseruatio furiosa, ibi; *Herodi, &c. Tertio*, Ioannis decapitatio dolorosa, ibi; *Misso*.

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Dicitur in communi Prouerbio, Qui veritatem loquitur, caput ei conteritur. De hoc legitur in gestis Romanorū. c. 57. Quod Titus Imperator in ciuitate Romana instituit, vt dies primogeniti sui ab omnibus celebris haberetur, & ne occultè laborarent. Promulgata lege, rogauit Virgiliū, vt arte sua statuam faceret, per quam occultè laborantem scire posset. Ille aūt fecit statuam, quæ Imperatoris edictum non seruantes manifestabat. Interea quidam faber accessit ad statuam nomine Phocas dicens. O statua, statua, per accusationem tuam multi sunt interempti, ideo voueo Deo meo, si me accusaueris caput tuum frangam, & percussit caput eius malleo. Venientes igitur ministri regis, viderunt in frontem eius, qui veritatem loquebatur, quod caput confractum habebat. Quis intelligitur per Titum, qui fuit misericors erga subditos suos, nullum abire permittens sine munere, sicut dicit Suetonius, nisi Pater cœlestis, qui est Imperator angelorum, cuius misericordia plena est terra, nullum sinens abire sine munere, B

quia *pluit super iustos & iniustos, & oriri facit solem super bonos & malos*. Matt. 6. Hic Imperator rogauit Virgilium, hoc est Christum filium suum vnigenitum, vt sua arte & sapientia faceret statuam, hoc est, sanctum Ioannem, qui steterit fortiter aduersus malos eos arguendo Matth. 3. *Genimina viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Et hic arguebat Herodem dicens. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, scilicet in coniugem raptā sibi, quia hoc est contra iustitiam, quia præsciebat quod nullus vxorem fratris sui ipso viuente duceret. Et hanc iustitiam B. Ioannes defendit vsque ad displicentiam regis, vsq; ad carceres, & vsq; ad mortem, quia perpendit illud Chrysostomi super Matthæum.

C Non solum proditor est veritatis, qui mendacium pro veritate loquitur, sed qui non libenter pronunciat veritatem, quam pronunciare oportet, aut non libenter defendit veritatem, quam defendere oportet. Ideo Ioannes pronunciauit veritatem, ne videatur proditor veritatis, & potius amicitiam Herodis amittere voluit, quàm relinquere voluisset veritatē. Odiosus enim sibi fuit, quia eum de adulterio reprehendebat. Ideo potuit dicere ad Gal. 4. *Inimicus vobis factus sum, veritatem vobis dicens.* Vnde dicit Euangelium: *Herodes misit seruos suos, & tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem.* Non enim fecit hoc in persona propria, sed suorum, & tamen dicit Euangelista, quod ipse tenuit & vinxit; & hoc ideo, quia dicit regula iuris, extra de reg. iur. Qui per alium aliquid facit, est ac si per seipsum faceret. Hic dicit Chrysost. Herodes te præcinit causa, te arguunt vincula, te carcer accusat, te diuulgat in publicum producta pœna Ioannis. Vnde qui huius causam requirit, in te inuenit quod pœniteat, & in Ioanne quod doleat. Ioannes orbi natus, famæ & virtuti cognitus, celebrantibus sanctitatem, & dum attrahit ad se inquisitores, innuere facit vt tuus cunctis innotescat incestus. Et vt te habeat confusio publica, quem corrigere non valuit secreta correptio & priuata. Herodem enim Ioannes monuit, non accusatione pulsauit, tanquam iustitiæ amator; vnde eum corrigere voluit, non perdere, nec perire. Sed Herodes facibus libidinis ardens, perire magis voluit quàm redire, vt vxorem fratris illicitè possideret.

D Quia autem Herodes misit ipsum in carcerem, rationem ponit Euangelista dicens. *Propter Herodiadem vxorem fratris sui Philippi quam tulerat.* Historiam vide supra sermone præcedenti membro 1.

Quantum ad Secundum. Moraliter est Notandum: illa quæ in Ioanne sunt facta, in peccatoribus quotidie implentur. Per Herodem namq; qui interpretatur pellibus glorians, intelligitur diabolus, qui in superbia gloriatur. Hic ad instar Herodis. Primò mittit apparitores suos, vt decipiant & capiant Ioannem, hoc est, hominem in gratia Dei existentem, quod figuratum est 1. Reg. 19. vbi legitur, quod Saul misit lictores, hoc est punitores siue ministros, qui præstò erant ad occidendum, vt apprehenderent Dauid, qui interpretatur manu fortis, hoc est, fortem Christianum, quem ministri diaboli nituntur comprehendere, persuasionem septem mortalium peccatorum.

Apparitores diaboli.

Secundò, diabolus tenet ipsam animam per consensum & delectationem. Quando enim tentatur à diabolo, non nocet ei quandiu consentit, nec delectatur in peccato, quia secundum Augustinum: Cogitatio quantumcunque turpis mentem non polluit, quando ratio non consentit. Sed tales tentationes cogitationum sunt meri-

meritoriæ, vt dicit Bonauentura. Sed mox vt delectari cœperit & consentire, capitur manu diaboli, & tenetur. Ideò dicit B. Ambrosius, vt habetur allegatiuè 15. q. 1. c. Non est. Neminem, inquit, iugo seruitutis diabolus astrictum tenet, nisi se ei prius ære peccatorum vendiderit. Quare monet Tobias quemlibet hominem, Tob. 3. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Dominum Deum tuum, & caueas ne consentias peccato:* quia peccatum est rete, per quod diabolus capit hominem peccatorem. Quæ cogitationes meritoriæ.

Facit enim ipse sicut aranea, de qua Isidor. lib. 12. quod plurima consueuit texere filia in fenestris, aut alijs locis patentibus, & occultis, ad muscas capiendum, quæ sunt sibi escæ valde dulces. Sic diabolus ponit nobis vndiq; hamos, vt capere & tenere possit per peccata, & deniq; deuorare. Idcircò B. Petrus monet nos 1. Pet. 5. *Fratres sobrij estote & vigilate, &c.* E

TERTIÒ, diabolus ligat animam per consensum peccati. Peccata n. sunt vincula diaboli & catenæ, vt dicit Augustinus 9. Confess. Quadriformiter vinculantur peccatores. Quidam enim sunt quorum pedes & crura ligantur, quasi quibusdam compedibus, ne possint ire ad Ecclesias & ad sermones; sed tamen in nocte ad furta, vel homicidia, ludas vel tabernas vadunt. De his dicit Psal. 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius,* scilicet peccatoris. *Alij* ligantur circa ventrem & femora peccato gulæ & luxuriæ. De qua catena dicitur Isa. 58. *Si abstuleris de medio tui catenam dabit tibi Dominus Deus tuus requiem sempiternam.* *Alij* quorum corpus & lingua ligantur, quia turpia loquuntur. De quibus Isa. 53. *Solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Dæmon quatuor modis peccatori vincula iniicit. I. II. III.

Alij sunt quorum brachia ferreis ligata sunt vinculis, sicut vsurarij & falsarij, de quibus vsurarijs refert Gulielmus Pictauiensis Minister ordinis fratrum Minorum, quod quidam frater valde religiosus vidit in visione quendam hominem in medio flammarum prostratum, de cuius vtero arbor alta procedebat, in cuius ramis homines diuersi, fœminæ & masculi, sursum pedibus & capite deorsum erant suspensi, & flamma ab imò procedente acerrimè torquebantur. Sed ille qui in fundo iacebat, super omnes maximè torquebatur. Et cum ille frater quæreret à ductore suo, quid hoc esset. Ait illi. Ille qui iacet in imò pater fuit, & principium generationis istorum omnium, & fuit pauper & per vsuras ascendit. Alij autem omnes sunt filij & nepotes, qui ab eo processerunt imitati paternum scelus, & per vsuras acquisita possederunt, nec restituerunt. Ideò cum eo torquentur, pater autem super omnes torquetur, videndo eos qui per eum in hoc tormentum venerunt, & pœna ei pro omnibus his augmentatur. IV. Vsurarius visus est in inferno, de cuius ventre rami excreuerunt &c.

QVARTÒ diabolus peccatorem incarcerat per consuetudinem peccatorum, quod figuratum est. 4. Reg. 25. Quia rex Babyloniæ Nabuchodonosor Sedeciam regem Ierusalem vinxit catenis, & posuit eum in carcerem. Sic diabolus homini facit per peccatum, quod est carcer diaboli. Quantò enim peccata sæpius reiterantur, tantò feruentius sub potestate diaboli conseruantur. Quia sicut ait Augustinus. Rectè sicut ianua regni cœlestis nobis aperitur bonis operibus, ita & malis operibus clauditur. Figura.

Ipse igitur peccator, antequam ponitur in carcerem, debet velociter resurgere per pœnitentiam, secundum quod monet Helinandus dicens: Festina vt resurgas, nam si resurgere hodie est difficile, cras erit difficilius. Illud etiam legitur in Vitis Patrum

 quod

quod quidam frater Abbatem Sysoium interrogauit. Quid faciam pater, quia cecidi. Cui ille. Surge, inquit. Et ille. Surrexi, & iterum cecidi. Respondit. Non desistas resurgendo, in quo enim opere homo fuerit inuentus, in eo iudicabitur. Ecce quomodo Herodes infernalis facit homini, sicut Herodes fecerat Ioanni. Et hoc ad Primum.

G Quantum ad SECVNDVM, ponitur Herodis insidiatio furiosa, cum dicitur: *Herodes autem insidiabatur ei*, scilicet Ioanni. Et quare? Certè propter suum adulterium & luxuriam, quod Ioannes arguebat. Ideò ipsa cantatrice procurante, vt dicit Iosephus, Herodes misit ipsum in carcerem, vt ei ex hoc complaceret. Patet igitur quantum malum est adulterium, propter illud enim Ioseph castissimus missus est in carcerem, sicut legitur Genes. 39. Quia vxor Phutipharis dixit ad Ioseph, qui erat pulcher facie, & decorus aspectu: *Dormi mecum.* Illo autem non acquiescente operi nefario, accusauit ipsum coram marito dicens; *Ingressus est ad me vir Hebræus quem adduxisti, vt illuderet mihi.* Vir autem credulus verbis eius, ad complacentiam ipsius misit eum in carcerem, qui tamen non meruit, sed ipsam de hoc sæpius arguit. Ita etiam Ioannes qui arguit Herodiadem de opere nefario, iussu eius missus est in carcerem.

H Illud adulterium occidit Vriam fidelem militem. Legitur 2. Reg. 11. Postquam David adulterium commisit cum Bethsabee vxore Vriæ, ducens eam in domum suam, misit nuntium ad Ioab dicens: *Mitte Vriam ex aduerso belli vbi fortissimum est prælium, & relinquite eum, vt percussus intereat*, quod & factum est. Et plura alia mala fecit adulterium, quæ enarrat Innocentius Papa lib. de vilitate conditionis humanæ c. 22. dicens: Hoc Pentabolim, cum ingenti regione subuertit: Filios Heli in bello deleuit: Vriam occidit, & presbyteros lapidauit, sicut patet Dan. 13. Samsonem seduxit: Salomonem peruertit: vires euacuat, sensus diminuit, dies consumit opes effundit. Hæc ille. Sic etiam hic dicitur, quod Herodias voluit Ioannem occidere, nec poterat. Et sequitur ratio: *Quia Herodes metuebat Ioannem, sciens eum, virum iustum & sanctum.* Vbi dicit Gloss. Metuebat eum propter prædicationis veritatem, quam audiebat & sanctitatem vitæ quam videbat, quæ duo necessaria sunt prædicatori, vt ex constantia prædicationis malos arguat, & excellentiæ vitæ ad sanctitatem alios alliciat. Et si vnum defuerit, nomen prædicatoris non habebit.

Mala ex adulterio orta.

Vitæ sanctitas & prædicationis veritas concionatori necessaria.

Quia dicit Chrysostomus & ponitur 40. dist. cap. Multi. Multi benè viuendo, & benè docendo populum instruunt, quomodo viuere debeat: benè autem docendo & malè viuendo, Deum instruis quomodo debeat te damnare. Ideò habuit Ioannes hæc duo, & libenter etiam audiebatur à suo aduersario Herode, de quo subditur: *Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, vbi dicit Glossa veritatem infatigabiliter prædicantem, & ea quæ prædicauerat facientem, quis non timebit? Et quis sequi & audire aborrebit? Sed quamuis eum libenter audiebat, tamen cum eum arguit de adulterio, ipsum odiebat, secundum illud Prou. 9. *Argue sapientem, & diliget te, &c.* Ideò vt dicit Magister in Scholast. hist. desiderantes Herodias pariter & Herodes occasionem aliquam inuenire, vt Ioannem occidere possent, videntur inter se secretò dixisse, natalis sui diem corporis primis Galilææ celebrare, &c. vt suprà præcedente sermone. Ideò dicit Euangelium: *Cum dies opportunus accidisset. Herodes in natali suo cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ.*

Circa

Circa quod NOTANDVM, quod conuiuia raro solent fieri absq; peccatis. Quia dicit Gregorius 1. moralium, quod aliqua sunt vitia, quæ à conuiuijs separari vix possunt, aut certe nequaquam possunt. Pene enim semper epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est Exodi 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Ideò consulit Cato dicens: *Rara conuiua.* Ita etiam in hoc conuiuio Herodis tria vitia in simul fuerunt. I

PRIMVM fuit celebratio natalis, quæ quidem à nobis fieri non debet, quia dicit venerabilis Beda in homilia Euangelij hodierni. Non enim festum natalis nostri in memoriam reuocare debemus, non vllum tempus illecebris indulgere carnalibus, sed potius diem exitus nostri pœnitentiæ lacrymis & precibus, crebrisque perueniri ieiunijs. Vitia in Herodis conuiuio, tria.

Quare autem diem natalem celebrare, non debemus ostendit Innocentius vbi suprà lib. 1. c. 5. dicens. Generamur omnes sine scientia, sine verbo, sine virtute, nascimur flebiles, debiles, imbecilles, parum à brutis distantes. Nam illa statim postq̃ nascuntur gradiuntur nos autem erectis pedibus non solum non incedimus, verum etiam curuatis manibus vix reptamus. Ideò dicit eodem lib. c. 1. Quis det oculis meis fontem lacrymarum, vt fleam miserabilem humanæ conditionis ingressum, & culpabilem humanæ generationis progressum, & damnabilem dissolutionis egressum. Si Herodes ista ante oculos habuisset, natalis sui diem non celebrasset.

SECVNDVM peccatum fuit saltatio puellæ luxuriosæ, quod tangit Euangelista ibi; *Cum introisset puella filia ipsius Herodiadis, & saltasset placuit Herodi, simulque discumbentis.* Hæc saltatio fuit occasio quare caput sanctissimi Prophetæ Ioannis fuit præcisum. Ideò de hoc prædixit Sapiens Eccli. 9. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* O pessima mater, & iniquus pater, qui prius docuerunt filiam suam saltare & chorizare, quam orare. Per cuius saltum Ioannes, qui interpretatur Dei gratia, est occisus: sic etiam in chorearum saltibus modernarum, non solum gratia Dei occiditur, sed timeo quod Christus denuo crucifigitur, & passio eius renouatur. Quia legitur in libro de septem donis Spiritus sancti, de quodam nobili iuuene, quem pater Deo dicauit. Hic quadam die circa crucem orans, occurrit ei in mentem, quid hoc esset, quod hominem magis alliceret ad peccatum, & in quo DEVS plus vituperaretur. Dum sic lacrymas oraret, vidit iuuenem pulchrum, & cum hoc chorizationem magnam; qui transiens circa crucem, in primo circuitu, quilibet dabat vnum ictum super clauos crucifixi: Cumque facerent secundum circuitum, coronam de capite CHRISTI crucifixi sumentes, pedibus conculcabant: in tertio circuitu planctus eius deridebant: quarto, in faciem eius exspuebant; in quinto, latus eius perforabant: in sexto, blasphemabant. Quo facto iuuenis, qui duxit choream, ait ad eum: Rogasti DEVM, vt ostenderet tibi quid plus alliciat hominem ad peccatum, & in quo DEVS plus vituperaretur. Ideò ego, qui sum princeps inferni, & chorizationis procurator, ex præcepto veni huc cum ministris meis, vt tibi exponam quod rogasti. *Primo*, extensio brachiorum fit in vituperium extensionis brachiorum CHRISTI. *Secundo* per sertum conculcatio coronæ capitis Christi. *Tertio* per cantum, vituperatio planctus Christi. *Quarto* saltus fit in derisionem. *Quinto*, per ornamentum conspui- K

tur Christus. *Sextò*, per lætitiam cordis, aperitur latus CHRISTI. Vide miser saltator & ignobilis saltatrix, quod peiores estis Iudæis, qui Christum crucifixerunt, & deriserunt in terris transeuntem: Vos autem in dextera Patris in cœlo regnantem.

TERTIVM, peccatum fuit regis temerarium iuramentum, quod tangit Euangelista. *Rex autem ait puellæ; Pete à me quod vis, & dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Super quo dicit Hieronym. in Gloss. Ideò fortè iurauit, vt occasionem occidendi haberet; quia non audebat præ populo, qui Ioannem tanquam Prophetam habebant.

Et patet ex hoc quod quæsiuit occasionem mortis, quia si illa interitum patris vel matris postulasset, Herodes non consensisset. Illa autem subordinatio patet ex illo, quod filia petiuit consilium matris, quid peteret, dum exiuit de conuiuio ad eam dicens. *Quid petam?* Ipsa enim debebat dare consilium, quæ dudum mentale fecerat homicidium, quia volebat eum occidere, sed non poterat. Sed quia nunc positum fuit ad suum consilium & edictum, ideò caput Ioannis Baptistæ, nihil aliud petas, dixit. Hoc ideò dixit, vt hanc lucernam euelleret, quæ ipsam sæpius arguebat. Dicebat enim ad filiam illud Sapient. 2. *Circumueniamus*, id est, decipiamus, *iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris,* quasi diceret: Cum nos volumus viuere carnaliter, & non secundum legem diuinam, & dictamen rectæ rationis, & nos super hoc vult arguere. Instructa igitur filia à matre; omni postposita verecundia virginali, non erubescebat conuiuantes, intrat non petendo, sed imperando, dicens. *Volo vt protinus des mihi caput Ioannis Baptistæ.* Hic dicit Chrysostomus in homil. Intrat bestia non puella, quærit amputare non saltare, discurrit fera non fœmina, sæuitia crescit, augmentum fit fraudis, crudelitate non corpore est singularis, fera enim capit prædam, fremit ore, dentibus frendit, fœtum non suscipit, sed proiicit. *Tunc contristatus est rex propter iusiurandum.* Super quo dicit Beda, in homilia hodierna. Hæc tristitia Herodis, non ablutio est, sed confessio sceleris.

L. Sic plerunq; reprobi recognoscunt se errasse, nec tamen à peccato quiescunt: illi æquali pœnitentia ac confessione, contra ipsos testimonium dant, quia non nescij delinquunt, cum à peccato quod culpant se cohibere nolunt. Qui tamen herodes tristitiam monstrabat in vultu, sed occultè lætabatur in mente quod ea petebat, quæ antea facere disponebat: qui si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium hoc nullatenus daret, propter iuramentum autem, & eos qui pariter accumbebant, iussit dari, iussitq; decollare. *Noluit eam contristari propter discumbentes, sed misso spiculatore, præcepit amputare caput Ioannis in carcere*, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Super quo dicit Chrysostomus: Audistis fratres, quanta sit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas. Allatum est caput Ioannis in disco, qui salutares monitiones dabat de incestu, quod scilicet non liceret, mensa migrat in caueam, vertitur Dominus in araneam. Fiunt de pransoribus peccatores, mutatur feruore conuiuium, fit cibus cades, vinum transit in sanguinem, funus apponitur in natali, in ortu exhibetur occasus, conuiuium mutatur in homicidium organa virtutum in fumos. Hæc ille.

Hic dicit Glossa. Hoc fuit impietatis genus, quod tam beatum caput ad vnius pessimæ & lasciuæ saltatricis amputatum est petionem, in quo fuerunt illi beati oculi, qui toties ipsum Christum, non modica spirituali dulcedine, & et Spiritum sanctum

ctum in specie columbæ intuebantur, in quo fuerunt illæ aures, quæ vocem Patris audierant, in quo illi nares, in quibus olfactus totius Trinitatis delitiarum spiritualiter erat, labia quæ toties Christi testimonium formauerunt lingua quæ tam dulciter appropinquationem regni cœlestis clamabat, & gustus qui omnium virtutum aromata incessanter degustabat. *Et audientes hoc discipuli eius, tulerunt corpus eius, & posuerunt in monumento.* Et sic legitur in historia Ecclesiastica lib. 11. Ioannes in castello Arabiæ, dicto Machentana, fuit vinctus & capite truncatus: discipuli autem corpus capientes, vt legitur lib. 12. Ecclesiasticæ historiæ, & apud Sebastem ciuitatem Palestinæ inter Heliseum & Abdiam sepelierunt, & ad eius tumulum multa miracula fiebant. Quod videns Iulianus apostata, &c. Quære vlterius in legenda.

IN NATIVITATÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Sermo Primus.

Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio. Ita scribitur Genes. 2.



PETRVS de Crescentia lib. 8. de rurali commodo dicit. Qui vult viridarium plantare, debet liberare vel mundare locum ab herbis & radicibus adulterinis, & vbiq; aquam feruentissimam fundere, vt reliquiæ radicum & seminum in terra latentium, non valeant germinare. Et si illud viridarium debet esse Regum vel illustrium virorum ac dominorum, docet ibidem cap. 3. quod eligatur locus planus, non paludinosus, in quo sit fons fluens, & cingatur muro, & plantentur in eo diuersæ arbores aromaticæ, in quibus se occultent animalia in viridario currentia. Fiat ibidem palatium spatiosum, in quo Rex moretur cum voluerit graues cogitationes effugare, animumq; gaudijs & solatijs renouare. Lepores, capreoli, cerui, & similia: philomelæ, alaudæ, merulæ, caladrij, & omnia genera volatilium canentia, collocentur. A Viridarium quomodo plantandū.

SPIRITVALITER. Per viridarium intelligitur viridissima & floridissima Virgo Maria, quæ viuit in opere bono & virtute, ita vt dicere potest communiter illud Eccli. 24. *In me omnis gratia viæ & virtutis.* Hoc viridarium cœlestis Pater habere voluit pro filio suo, qui est Imperator cœlorum & Rex magnus omnium terrenorum; secundum illud Psalm. 94. *Ipse est rex magnus super omnem terram.* Ideò mundauit prius illud ab omnibus herbis, scilicet malignorum omnium mortalium peccatorum; quæ inhærent pueris à parentibus. Quia secundum Doctores, nisi esset in vtero mundata & sanctificata, Natiuitas celebranda non esset, ideò mundata & aqua feruentissima omnium gratiarum est perfusa, & amodo nulla radix peccatorum in ipsa potuit pullulare, vt dicit Augustinus in libro de natura & gratia. B B. Virgo viridario cōparatæ.

Et quia ipsa erat floriferum viridarium, in quo habitare debebat Rex regum omnium, ideo debuit esse planum, hoc est, humile & mundum, & non sordidum per peccatum. Quia secundum beatum Bernardum in sermone Beata Virgo etsi virginitate Deo placuit, tamē ex humilitate concepit. In hoc ornatissimo viridario fuit

B. Virgo fons misericordiæ.

fons misericordiæ, & manet in æuum, sine quo fonte misericordiæ & gratiæ nulla virtus potest in nobis crescere. Ideò debemus clamare cum Sapiente. Prouerb. 5. *O Maria deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas diuite in plateis.*

B. Virgo murus viridarij.

Fuit etiam hoc viridarium muris virtutum cinctum, quia os clausit taciturnitate à vanis verbis, manus ab operibus prauis, cor suum clausit à cogitationibus immundis, ita quod sponsus de ipsa dicat Cantic. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.*

C

Viridarij arbores.

Insuper plantatæ sunt in hoc fructifero viridario diuersæ arbores aromaticæ. Ibi est Cedrus contemplationis excelsæ, Cypressus odoriferæ famæ, palma gloriosæ victoriæ, rosa miræ patientiæ, oliua infinitæ misericordiæ, & plantanus fidei perfectæ. In arboribus diuersis, diuersimodè se occultant animalia: aliqua sub arbore contemplationis, sicut contemplatiui: alia sub Cypresso bonæ famæ, & sic de alijs. In hoc viridario est constructum solenne palatium, quod est cor huius sacratissimæ Virginis in quo Dominus omnium suum gaudium sæpius innouat, & ibidem requiescit, secundum illud Eccli 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* In isto gloriosissimo viridario fuerunt lepores diuini timoris, capreoli & omne bonum velocitatis, & cerui placidissimæ amabilitatis. Ibi fuit Philomela nocturnæ orationis, alauda diurnæ deuotionis, quia nocte diuq; laudauit Dominum, vt dicere possit cum Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Vnde tale viridarium plantauit Dominus in vtero beatæ Annæ & hodie pullulauit per gloriosam Natiuitatem, ita vt dicere possit Ecclesia: *Plantauerat Dominus.* In quibus verbis duo describuntur. *Primò,* natiuitatis figuratio, ibi; *Plantauerat Dominus. Secundò,* virginitatis collaudatio, ibi; *Paradisum voluptatis.*

B. Virginis cor, est palatium.

D

De Primò est Notandvm secundum Naturales: Antequã venit iucundum tempus veris, in quo arbores florent, prata rident, campi germinant, nemora frondent, omniaq; nascentia terræ in viriditate persistunt, diuersa præcurrunt nuntia, quæ suo aduentu hoc amœnum tempus præfigurant, prius alauda se à terra eleuando, in aëre dulciter modulatur & discantizat: Philomela in noctis silentio simphonizanter modulizat.

B. Virgo arbor cœlestis.

Sic Spiritvaliter. Virgo benedicta est arbor cœlestis, proferens folia, flores, florentes frondes, & fructus. Folia fuerunt eius sanctissima verba, quæ protulit, secundum illud Psalm. 43. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Flores fuerunt virtutes, de quibus Cantic. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra.* Fructus huius sanctissimæ arboris fuerunt opera eius, de quo Cantic. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Maria est pratum floritum. Quia secundum Bernardum, speciosis omnium virtutum floribus delectabiliter vernat, inter quas tres excellunt folia humilitatis, lilium castitatis, & rosa caritatis. Maria est campus benedictus, qui sine omni auxilio humano genuit florem speciosum, qui dicit Canticorum 2. *Ego flos campi,* hoc est Mariæ. Ipsa est nemus, in quo omnes virtutum crescunt arbores, quæ figurata fuit per *rubum ardentem & non combustum.* Exodi 3.

Pratum floridum. Campus benedictus. Nemus virtutum.

Sed antequã arbor ista florens, pratum ridens, campus germinans, & nemus frondens, per Natiuitatem sanctissimam pullularet, & se mundo demonstraret diuersi nuntij & figuræ ipsius Natiuitatem præfigurantes præcesserunt. Ideo dicit Bernardus super Missus est, Quod Moysi monstratum est in rubo & igne, Aaron in flore & virga,

Nuntij præfigurantes Natiuitatẽ B. Virginis.

virga, Gedeoni in vellere & rore, Salomoni in forti muliere, Ieremiæ in fœmina circundante virum, Isaiæ de virgine concipiente, Gabriel tandem nasciturum nuntiauit, & exhibuit salutando.

Dico PRIMO, quod Maria nuntiata est & præfigurata per paradisum, quam Deus plantauit à principio, in quo *posuit hominem quem formauerat*. Genesis secundo. Quia ipsa tanquam paradisus voluptatis plantata est in mente diuina ab æterno, teste Anselmo, qui ait in libro de conceptu virginali. Maria in mente diuina ante constitutionem mundi fuit præordinata. Idem ipsa testatur in epistola hodierna, dicens: *Possedit me Dominus, in initio viarum suarum*. Prouerbiorum octauo. Idem Eccli. 24. *Ab initio & ante secula creata sum*. Sed quamuis hic paradisus delitiarum fuit formatus ab æterno, tamen hodie processit in lucem mundi, secundum quod canit Ecclesia petendo: *Nos hac die tibi gregatos serua virga in lucem mundi*. Paradisus.

SECVNDO, figurata est Genesis tertio, vbi dicitur. *Ipsa conteret caput tuum*. Quæ fuit hæc IPSA? Certè non Sara pulcherrima, non Lia fœcundissima, non Rachel speciosissima, non Anna deuotissima, non Abigael prudentissima, nec Susanna castitissima, quia de istis non est prædictum verbum ante dictum. Sed de qua dictum est: Verissimè de Maria, quæ caput infernalis serpentis contriuit. Ideò dicit Carnotensis Episcopus Fulbertus. Æternus Deus, ait, ad veterem serpentem; *Inimicitias*, inquit. *ponam inter te & mulierem ipsa conteret caput tuum*. E Serpens.

Quid est caput serpentis conterere, nisi principalem suggestionem diaboli superare? Si ergo quærunt, quæ nã mulier operata sit huiuscemodi victoriam, non reperitur in linea generationis hæc donec peruenitur ad Mariam, quæ serpentis caput virtute pedis contriuit, in eo quod virginitatem & humilitatem seruauit. Hæc ille. Ideò gaudeant & lætentur omnes peccatores quia hæc mulier præfigurata olim, hodie nata est, quæ diaboli caput & potestatem abstulit, ne nobis nocere possit quantum velit. Caput serpẽtis conterere, quid?

TERTIO, prænuntiata est Nume. 24. vbi dicitur: *Orietur stella ex Iacob*. Meritò Beatissima Virgo Maria stella vocatur matutina, quia secundum naturales habet fures terrere, lupos fugare, infirmos leuare, aues ad cantum incitare. Sic Maria habet terrere dæmones, fugare fures animarum, de quibus Ioan. 10. *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat*. Ipsa etiam habet effugare lupinos hæreticos, secundum illud Beati Gregorij: Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Quia ante Natiuitatem Mariæ multæ hæreses pullularunt, quas Maria omnes exstirpauit. Habet etiam Maria releuare infirmos. Rectè enim sicut est naturaliter, quando stella matutina oritur, tunc infirmi melius habent, quia infirmitas releuatur, ideo tunc debiles magis gratulantur. Sic nata, scilicet MARIA stella præclarissima, omnes peccatores sunt releuati. Ideò merito debent gaudere, quia canit Ecclesia. *Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerso mundo*. Habet igitur etiam Maria aues cœlestes ad cantum excitare, quia sicut refert Ioannes Beleth & Gulielmus in Rationali diuinorum lib. 7. Tunc Maria habet tres aues ad cantum excitare. F Stella. Maria terret dæmones. Fugat hæreses. Releuat infirmos.

Quidam vir sanctus sedulè contemplationi insistens, singulis annis sexto idus Septemb. in oratione positus iucundissimam solẽnitatem angelorum, & cẽtentũ au- G

diuit. Cumque sibi deuotissimè reuelari peteret, cur quolibet anno illa tantum die & non alia hoc audiret? Diuinum accepit responsum, quod Virgo Maria gloriosa tali die fuerit mundo nata, & ideò hoc manifestaret filijs Ecclesiæ sanctæ, vt concordes fierent, & in hoc celebri die festum Natiuitatis MARIÆ instituerent. Dum hoc summo Pontifici & alijs intimasset, & illi ieiunijs & orationibus, scripturis, & antiquorum testimonijs, veritatem comperissent, hunc diem in honorem Natiuitatis MARIÆ Virginis celebrandum, vniuersaliter statuerunt.

Virga. QVARTO, prænuntiata est Maria Isaiæ 9. vbi legitur. *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet.* Hæc virga fuit MARIA, quæ dicitur fuisse de radice Iudæorum, sed tamen egressa est contra naturam radicis. Radix enim adima, virga verò ad altitudinem tendit: radix in terra virga in aëre proficit. Sic Iudæi petebant ima vitiorum, illa alta virtutum; Illi erant fixi in terra per cupiditatem terrenorum, hæc in aëre per auiditatem cœlestium. Illi pascebantur amore carnali, hæc nutriebatur amore spirituali. Illi constringebantur frigore infidelitatis, hæc fouebatur calore caritatis. Idem etiam nuntiauit Psalm. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et factum est hodie, cum hæc beatissima virgula ex radice Iesse, hoc est ex vtero matris suæ Annæ, quæ fuit ex stirpe Iesse, est feliciter egressa per Natiuitatem, sicut declarat Philibertus Cardinalis. Stirps Iesse virgam produxit, virgaque florem & super hunc florem requiescit spiritus almus. *Et subdit illud exponendo, dicens.* Virgo Dei genitrix virga est, flos est filius virginis. Flos candidus & rubicundus, electus ex millibus: flos in quem desiderant prospicere angeli: flos ad cuius odorem reuiuiscunt mortui. Felix silua, quæ produxit huius floris virgam. Felix magis virga, quæ produxit hunc florem. Hæc ille. Et tantum de primo.

H Quantum ad SECVNDVM ponitur virginalis collaudatio, cum dicitur: *Paradisum voluptatis.* Inter seculares amatores scimus hoc esse commune, quod vnusquisque talis, qui cordialiter diligit aliquam virginem, & Dominam speciosam, ipsam studet æquare quibuscunque potest speciosis siue pretiosis, sicut potest videri de Salomone in libro Canticorum. Sic est in proposito. Beatus Moyses videns in spiritu beatam Mariam speciosissimam virginem, post longa tempora nascendam, ipsam tanquam auxiliatricem peccatorum adamauit, & non habuit tunc temporis pretiosius cui ipsam similiaret. Ideò paradiso, qui est locus omnis voluptatis comparauit. Et quia non dubitauit eam nascendam, ipsam quasi iam facta esset explicauit, dicens: *Plantauit*, inquit, *Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.*

Maria Virgo cur paradiso comparata. Circa quod NOTANDVM. Merito legislator Beatus Moyses, MARIAM Virginem paradiso comparauit voluptatis, quia paradisus secundum Isidorum libro decimo quinto, capite quinto. est hortus delitiarum, & habet in se ligna odorifera & pomiferarum arborum, omnes flores deliciosos, nec deest ibi aliquid quod delectat. Ita Beata MARIA est hortus delicatissimus: habens in se omnia ligna odoriferarum virtutum. Fuit enim in eodem paradiso scilicet virgine gloriosa, amygdalus maturi floris. Secundum Isidorum, libro decimo quinto. Inter omnes arbores amygdalus prius floret, & fructus producit: ita MARIA ante omnes mu-

B. Virgo castitatem vouit. lieres florem castitatis voto emisit. Vnde dicitur in Cantic. Sufficiat. post medium 27. quæstione secunda. Vouerat MARIA se Virginem perseueraturam, nisi Deus aliter

aliter reuelaret. Ideo ait angelo. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Et ex ista promissione virginitatis, secuta est conuersio gentilium, & reprobatio Iudæorum, secundum illud Eccli. duodecimo. *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis.* Quod exponit Glossa, dicens: Tunc amygdalus floruit, quando Virgo beata florem castitatis emisit, & tunc locusta, hoc est, gentilitas insatiabilis & vacua gratiæ, impinguata fuit. Capparis quæ est frutex spinosa, super terram expansa, signat Iudæos terrenis inhærentes, qui in dissipationes transierunt

Capparis denotat Iudæus.

Fuit etiam in hoc paradiso balsamum infimæ humilitatis, quia secundum Isidorum lib. 15. Balsamum est frutex parua, nunquam crescit vltra altitudinem duorum cubitorum, ita Maria non creuit in altum superbiæ, sed mansit in statu humilitatis infimæ. Ideo magnum dedit de se odorem, ita vt dicere possit illud Eccli. 24. *Quasi balsamum non mixtum odor meus*

H Virgo balsamo comparata.

Fuit etiam in isto paradiso nostro Cinnamomum puritatis & charitatis. Quia dicit Glossa super Exodi 30. Cinnamomum est virgultum, quod nascitur in India, & siccæ & calide est naturæ. Sic ipsa fuit sicca in carne per temperantiam & puritatem, & calida in anima per charitatem. Et vt dicunt Naturales. Cinnamomum est laudabile, quando non est sub album vel nigrum, sed rufum. Ita Maria fuit laudabilis quia non fuit sub alba per vanam gloriam, nec nigra per alicuius peccati maculam, sed rubea per caritatem accensa. Quia secundum Hieronymum in sermone de assumptione, totam ipsam repleuit Spiritus sancti gratia, totam diuinus amor mundauerat; ita quod in ea nihil esset quod mundanos violaret affectus, sed odor continuus & perfusa amoris ebrietas. Hæc Hieronymus.

I Cinnamomum.

De hoc cinnamomo, caritatis huius dilectissimi paradisi, vt in præsenti frequenter comedamus, quia suadent medici hominibus, quotidiè vt edant de cinnamomo, vt vitam prolongent. Quia dicit Poëta,

Non moritur homo fretus sedule cinnamomo.

Sic peccator nunquam interibit in æternum, qui Mariam per caritatem ederit & deuotionem. Quia dicit Hilarius super Matthæum. Quantumcunque aliquis peccatis obnoxius fuerit, si Mariæ deuotè seruierit, nunquam æternaliter interibit. Cui consonat Ignatius ad seniorem dicens. Nunquam finem vitæ suæ malum habet, quia Mariæ deuotus & sedulus inuenitur. Et si peccator esset iam ad æternam mortem iudicatus, adhuc ipsa petens sententiam immutare potest, & peccatorem conseruare. teste Bernardo super Missus est: Peccatorē quem Deus iam damnationi æternæ adiudicat, hunc adhuc Maria sua gratia liberat & conseruat. Quod probat Iacobus Ianuensis, dicens.

Quidam Clericus vanus & lubricus fuit, sed tamen Dei genitricem plurimum diligebat, & eius horas sanctas deuotè & alacriter decantabat. Quadam igitur nocte vidit se in visione ante tribunal stare Dei, & Dominum circumstantibus dicere: De illo, qui vos aspicit, quo iudicio dignus sit, vos ipsi decernatis, quem iam diu tolerau i, & nullum adhuc emendationis signum in eo inueni. Tunc Dominus omnibus approbantibus, superattulit damnationis sententiam: & ecce Virgo beata surrexit, & filio suo dixit. Pro isto, piè fili mi, clementiam rogo tuam, vt super eo damnationis sententiam mitiges. Iuuetur hic ob gratiam mei, qui ob improba merita

K Exemplum.

 addi-

addicitur morti. Cui Dominus. Tuis cum petitionibus tribuo, si vel saltem eius correctionem conspexero. Et conuersa Virgo ad hominem, dixit, Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat. Ille igitur excitatus vitam mutauit, religionem petijt, & in omnibus operibus bonis vitam finiuit. Et quia Maria est tam delectabilis paradisus, & hortus delitiarum, habens in se omne quod delectat: ideò dicit beatus Hieronymus, Maria verè est hortus delitiarum, in quo consita sunt vniuersa genera florum, & aromata, virtutum. Igitur felix ille homo, qui ad hunc paradisum voluptatis meruerit peruenire, vbi æterna beatitudo & iucunditas, & nulla moriendi necessitas, sed vita sempiterna.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Sermo secundus.

Habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis. Isa. 9.



STella maris secundum Bedam & alios naturales, est quo ad situm altissima, & suæ magnitudinis occultatiua; quia ad aspectionem est minima, quamuis in se est valde magna. Hæc stella est nauigantium in mari directiua, quando nautæ in noctis tenebris erant in mari, & sunt in periculo mortis. Si non vident hanc stellam maris, de naufragio est timendum: si autem oritur aspectui eorum, læti fiunt, quia tunc sciunt ductu ipsius, quo est ipsis diuertendum, & sic ad patriam possunt secure nauigare.

A SPIRITVALITER. Per stellam maris intelligitur clarissima Virgo MARIA, de qua canit sancta Ecclesia.

Aue maris stella, Dei mater alma;

quia rectè sicut stella maris est altissima, quo ad situm, sic Virgo Maria est altissima, quo ad dignitatem, secundum quod dicit beatus Augustinus: O Virgo Maria, quid de te dicam? Si quid dixero, minor est laus mea quam tua dignitas meretur; si cœlum te vocitem, altior es; si matrem gentium te dicam præcellis; si formam Dei te appellem, digna exsistis; si Dominam Angelorum te vocauerim, per omnia esse probaris. Sed hanc dignitatem & altitudinem hæc felicissima stella maris occultauit, vocans se humilem ancillam Domini, dicens, Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini,* quia nouerat esse scriptum Eccli. 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus.* Ipsa etiam Virgo Maria stella maris nuncupata, dirigit omnes in hoc mundo furibundo nauigantes; & si quis periculum damnationis euadere voluerit, hanc stellam respiciat, & saluus erit. Ad quod monet quemlibet peccatorem beatus Bernardus super Missus est, dicens, homilia 2. O quisquis es in huius seculi fluuio, tempestatibus fluctuantibus agitatus, ne auertas oculos à fulgoribus huius sideris, si non vis supprimi procellis, Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice Mariam: ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non errabis. Hæc illæ,

Hæc stella lucidissima hodie illuxit mundo, teste beato Philiberto Cardinali. Vnde versus:

Solem iustitiæ regem paritura supremum,
Stella Maria maris hodie processit ad ortum.
Cernere diuinum lumen gaudete fideles.

Ideò benè possunt de ea exponi verba prælibata: *Habitantibus in regione vmbra mortis.* In quibus duo describuntur. *Primò*, humani generis ante ortum Mariæ magna pœnalitas, cum dicitur: *Habitantibus in regione vmbra mortis. Secundo*, Beatæ Virginis desiderata vtilitas, ibi; *Lux orta est eis.*

De Primò, dicunt Naturales quod antequam lux materialis fuit creata, tenebræ densissimæ terram degebant, in quibus homines in magna pœnalitate vixissent, quia homines in tenebris cadunt in foueas, se vndique offendentes. Illius igitur præscius Deus omnium rerum conditor produxit, vt ait Plato in Timæo: Lucem clarissimam, quam Solem vocamus, cuius splendore cœlum & omnia inferiora illustrantur. Quod lucidius probatur Gen. 1. vbi legitur: Postquam creasset in principio cœlum & terram, tenebræ erant super faciem terræ. *Ideo dixit Deus fiat lux, & facta est lux. Vidit Deus lucem quod esset bona & diuisit eam à tenebris.*

Moraliter. ante ortum huius clarissimi luminis Mariæ B. Virginis, omnes homines erant in tenebris, & in vmbra peccatorum; quia potuerunt illud dicere 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habemus nosmetipsos decipimus & veritas in nobis non est.* quia etiam secundum Sapientem Prouerb. 2. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Certè nullus. Idcirco omnes ad inferos descenderunt, quod erat eis satis pœnosum, cum carebant clara Dei visione, aliqui per quinque millia annorum, aliqui per quatuor millia. Cæteri verò tempore breuiori; Dei intuitu carebant, quod sine graui pœnalitate fieri non poterat. Quia dicit Chrysostomus super Matth: Non puto ita acres esse gehennæ pœnas, & supplicia, quemadmodum sunt illa quibus torquentur hi, qui remouentur à conspectu Christi. Crede mihi, pœnis omnibus grauius est. quia omne gaudium electorum consistit in lucida Dei visione, & absque illa gaudium eis nullum esset.

Ideo dixit beatus Augustinus: Mallem esse in inferno & videre faciem Dei, quàm esse in cœlo & carere. Et quia hi qui fuerint in limbo, fuerunt in pœnalitate, ideo desiderabant aduentum huius præclaræ lucis gloriosissimæ Virginis, dicentes per Zachariam Prophetam: *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Luc. 1. Omnipotens autem Deus desiderium tàm illorum, quàm istorum in mundo exaudiuit, dicens: *Fiat lux*, quando misit angelum Gabrielem ad Ioachim, vt conceptum Virginis nuntiaret; dicens: Ecce vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam. Sed hæc lux hodie est facta & mundo effulsit. Ideo dicit Beatus Bernardus in sermone. Maria stella clarissima hodie ex Iacob oritur, cuius radius vniuersum mundum illuminat, cuius splendor in supernis fulget & inferiora penetrat. In illis verbis lucet quod Natiuitas Mariæ debet esse gaudiosa hominibus, quia mundum illuminauit. Ad quod gaudium monet beatus Augustinus in sermone hodierno. Adest nobis dilectissimi optata dies beatæ & venerabilis Virginis Mariæ, ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis natali illustrata. B 3

Hæc

In Natiuitate B. Virginis Angeli lætantur. Patres in limbo exultant.

Hæc natalis fuit angelis læta. quia tanta fuit ista lux quæ hodie est orta, quod cœlos penetrauit, & in supremis fulsit. Ideo angeli admirantes præ gaudio, dixerunt illud Canticorum sexto. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol.* Ista etiam natiuitas fuit iubilosa Patribus, & electis in limbo degentibus, quia orta fuit lux quæ de se genuit Christum, qui est *splendor lucis æternæ.* Sapient. 7. & ipsos Patres liberauit. Vnde de ipsis potest dici illud Isaiæ 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et Esther 8. *Iudæis* hoc est illis qui in confessione Dei discesserunt *noua lux visa est oriri.* Ideo dicit Bernardus: Eius splendor inferiora penetrauit. Hanc lucem ita diuisit Deus à tenebris peccatorum. quod immunis fuit ab omni peccato, etiam originali. De quibus dicit Augustinus de fide ad Petrum, & ponitur de consecrat. dist. 4. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui concubitu viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, & impietati subditum. MARIA autem non fuit in originali nata, quia secundum Bernhardum prius fuit sanctificata quàm nata, nec etiam postea subdita fuit peccatis: quia secundum prædictum Bernhardum copiosior gratia sanctificationis descendit in eam, quæ non solum eam sanctificauit sed deinceps vitam de omni peccato custodiuit immunem.

C SECVNDO tenebræ seu vmbræ, ambulantibus sunt pœnalitates; quia sunt timoris & horroris incussiue, sicut patet de nocturnis viatoribus; qui per diuersa terrentur animalia, tum per lupos deuorantes, tum per vrsos lacerantes, tum etiam per latrones obsidentes. Ideo dicit Isai. 3. *Tenebræ obstupefecerunt me.* Nam ante Natiuitatem Mariæ omnes qui erant in tenebris peccatorum, erant in magno timore erga dæmones: quia tunc magnam potestatem habuerunt, vt scilicet quosdam iugularent, alios submergerent, cæteros in desperationem inducerent. Sed est naturale, quando lux oritur, quod tunc lupi & cætera animalia, hominem molestantia fugantur in cubilia sua, iuxta illud Psalm. 103. *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Sic quando fuit orta beata virgo, lux inexstinguibilis & clara, fugati sunt lupi infernales sicut hoc testatur Iob. 24. *Si,* inquit, *subitò apparuerit aurora,* hoc est Maria per natiuitatem *arbitrantur vmbram mortis,* & fugiunt velut insani. Ideo dicit Eusebius in sermone: Nihil dæmonibus terribilius quam Mariæ gratia & virtus, & nihil ita vexationem diaboli repellit validius, quam eius bonitatis effectus continuus. Etiam dicit Chrysostomus super Matth. Quantumcunque sæuiat malitia diabolica, Maria tamen nos conseruat sua potentia infinita, si tamen fuerimus deuoti in eius laude: Quod probat Iacobus Ianuensis.

B. Virgo lux inexstinguibilis.

Mariæ virtus dæmonibus terribilis.

D Quidam monachus valde lubricus sed in beatam Virginem valde deuotus, quadam nocte ad scelus consuetum pergens, coram altari transiens beatam Virginem salutans, & sic de Ecclesia exiens. dum quendam fluuium vellet transire in aquam decidens expirauit. Cuius animã dũ rapuissent dæmones, apparuerunt & angeli vt eam liberarent: quibus dæmones dixerunt, quia eum vitam in malis finiuisse operibus inuenissent: Ite, vt quid venistis. nihil in hac anima habetis. Statim beata Virgo adfuit, & quare eius animam caperent increpauit. Illi autem dixerunt, quia eum in malis, &c. Quibus Virgo ait. Falsa sunt quæ profertis, scio enim quod per aquam pergens me Dominam salutauit & rediens hoc similiter faciebat; quod si dicitis vobis vim inferri, ponamus in iudicio summi regis. Cumque de hoc coram Domi-

Domino disceptarent, placuit ei vt ad corpus animam eius angeli portarent, vt de suis factis pœniteret. Interea fratres sacristam quærunt, & vsq; ad flumen transeunt, in aquam submersum repererunt Cumq; extracto corpore secum quid factum esset mirarentur, ille repentè ad vitam rediјt, & rem gestam referens, vitam in bonis operibus consummauit.

Etiam ante Natiuitatem Mariæ, fuit peccatoribus timor & horror respectu Dei, qui statim fuit paratus ad puniendum. Et respectu dæmonum, qui sunt quasi vrsus & leo parati ad lacerandum, quod patet in multis locis, & sacræ scripturæ figuris, quia legitur Gen. 3. de primis parentibus, quod eos Dominus statim puniuit magna pœnalitate, eo quod eos à paradiso expulit, & in ærumnam mundi detrusit. Similiter hoc patet. Genes. 7. vbi legitur, quod totum mundum *vsque ad octo animas extinxit*. Genes. 19. legitur, quod *quinque ciuitates Sodomam & Gomorrham, &c.* igne sulphureo succendit. Ita Exodi 32. legitur, quod propter peccatum Idololatriæ, *viginti tria millia hominum interfecit*. Ita 2. Regum 24. legitur, quod propter peccatum superbiæ Dauid, quando superbia eleuatus & elatus, numerauit populum. Et iratus Dominus *septuaginta millia virorum pestilentia afflixit & occidit vna die*. Ecce quanta pœnalitas generis humani patuit. Ideo bene potuit conqueri Synagoga Iudæorum, quæ tamen in suis filijs fuit deuastata, & dicere potest illud Threno. 3. *Vrsus insidians factus est mihi, leo in abscondito semitas meas subuertit, & confregit me, posuit me desolatam*. E

Sed quando orta fuit Maria, iratum Deum mitigauit, & peccatores sibi reconciliauit. Quia lux, vt dicunt naturales, & contrariorum pacatina, quia propter contrarietatem elementorum, elementa in mixto non permanerent, sed statim in suam regionem euolarent, nisi virtus primæ essentiæ, scilicet lucis, simul paccaret & vniret. Ita homines à Deo propter diuersitatem actuum & affectuum qualibet hora discederent; nisi Virgo dulcissima meritis suis & precibus reconcilians refoueret. Quod patuit in Theophilo, quem suo filio reconciliauit.

De quo refert Iacobus Ianuensis, & Vincentius lib. 22. cap. 69. & Sigibertus in Chronica dicens: Apud Siliciam Anno Domini DCXXXVII. fuit quidam vir nomine Theophilus, cuiusdam Episcopi vicem gerens, qui tam prudenter sub Episcopo res Ecclesiasticas dispensabat, quod mortuo Episcopo ipsum dignum Episcopatu declamabant. At ille vice dominatu contentus, alium Episcopum maluit ordinari. Tandem ab Episcopo à tali officio depositus, in tantam impatientiam est lapsus, vt ad recuperandam dignitatem, cuiusdam Iudæi malefici consilium postularet. Ille autem diabolum aduocans, qui vocatus venit, cuius instinctu Theophilus Christum & matrem eius abnegauit, & professionem Christianam, & abnegationis chirographũ scripsit, & annulo sigillatum tradidit diabolo. In crastino igitur procuratione dæmonis in gratiam Episcopi recipitur, & in dignitatem subleuatur pristinam. Tandem ad se reuersus quod fecerat valde ingemuit, & ad imaginem Mariæ tota confugit deuotione. Quadam vice B. Maria in visione ei apparuit, & de impietate ipsum redarguit: quam videns Theophilus, obnixius rogauit vt pro se intercederet, & veniam impetraret, quod illa spopondit. Post triduum venit dicens: Ecce ad petitionem meam suscepit te. Deus in gratiam, & schedulam quam diabolo dedit, reportauit. F

Theophilus ambitione seductus Christum negat sed per B. virginem gratiæ & vitæ restituitur.

RRrr

uit. Qua recepta, vehementer exultans, coram Episcopo & omni populo quid acciderat retulit, & post triduum in pace quieuit.

Quare autem Deus, qui in veteri lege fuit ita austerus, & nunc est ita mitis, potest colligi in ortu materialis solis. Sol enim in hoc mense in qua nata est Virgo, oritur in signo quod dicitur Virgo, & est mitigatiuum voluntatis secundum Misahelem, sed in præcedente mense Sol oriebatur seu fuit in leone, quod est ignitiuum & terribile.

Cur Deus in noua lege mitis sit.

G Sic MYSTICE sol iustitiæ est in Virgine totius gratiæ & misericordiæ, & infinitæ pietatis. Nam qui ante paratus erat ad puniendum, nunc promptior est ad misericordiam. Ideo Bernardus in quodam sermone. O dulcissima, inquit, mater misericordiæ, miro modo attraxisti nobis regem gloriæ, & quasi maiestati eius imposuisti, vt dextera Dei ante docta percutere, & misereri nescia, iam tempore habeat in proprietate semper misereri & parcere. Et sic abstulit beatissima Virgo Maria timorem, tam respectu dæmonum, quorum potestatem contriuit & fugauit, quàm respectu Dei, cuius seueritatem mitigauit.

H Istum timorem etiam aufert à sibi deuotis in morte. Quod ostendit in quodam clerico sibi deuoto, de quo refert Iacobus Ianuensis, qui contra dolorem quinque vulnerum Christi, eam quotidie per hæc verba quasi studebat consolari, dicens: Gaude Dei genitrix virgo immaculata. Gaude quæ ab angelo gaudium suscepisti. Gaude quæ genuisti æterni luminis claritatem. Gaude mater. Gaude sancta Dei genitrix Virgo, tu sola mater es innupta, te laudat omnis creatura, genitrix lucis sis pro nobis, quæsumus, perpetua interuentrix. Hic cum ad extrema venisset, pauere & perturbari cœpit; Cui Virgo apparens, dixit. Cur fili tanto tremore times, qui mihi toties gaudium nuntiasti. Gaude etiam & tu, nunc & æternaliter gaudens veni mecum: & statim illa sancta anima à corpore soluta, læta in cœlum est deducta. O quam secura à leonibus rugientibus ad escam præparatis tunc fuit, quando tam doctissimam ductricem habuit. O homo, si vis esse in morte sine timore, ama hanc Dominam, sis deuotus Virgini, quia vt ait Bernardus, ipsa te tenente non corruis, ipsa te protegente non metuis, ipsa te ducente non fatigaris, ipsa tibi propitia ad patriam & ad Dominum peruenies. Ad quem nos perducat, &c.

Exemplum.

B. Virgo sibi deuotos in morte consolatur.

IN EADEM FESTIVITATE.

Sermo tertius.

Sapientia ædificauit sibi domum, excidit in ea columnas septem. Prouerb. 9.

CONsueuerunt olim reges & principes magnas pulchrasque domos habere, in quibus ipsi habitabant, & illas cum ornatu decorabant, varijs picturis figurabant. Ad quod probandum legitur 3. Regum 7. *Rex Salomon ædificauit domum magnam centum cubitorum in longitudine habentem, quinquaginta cubitorum latitudinem, & triginta altitudinem. Interius eam ornauit lignis Cedrinis, quæ quidem extiterat in columnas, & tabulis Cedrinis vestiuit totam cameram, quæ quadraginta quinq; columnis sustentabatur. Exterius autẽ hæc domus circumquaq; consita arboribus erat viridibus, & viridarijs in mira variatione.*

A MYSTICE. Per Salomonem Christus intelligitur, qui est Salomon verus & pacificus, & *princeps pacis*, Isaiæ 9. Iste verus Salomon ædificauit sibi domum, non solum

magnam.

magnam, imò pulcherrimam Virginem Mariam omnium dignissimam. Sed vbi ædificauit eam? Certè in sterili ciuitate, in vtero B. Annæ matris electæ, quæ fuit quo ad naturam *sterilis*, Luc. 1. Sed tamen multum laudabilis, secundum illud Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*. In hac ciuitate fuit Maria pulchrè ædificata cum Spiritus S. eam mandauit, ita quod de ea potest illud Cantic. 4. dici. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Sed hæc domus totaliter est erecta & completa, quando per natiuitatē de vtero matris est egressa, & omnium pulcherrima effecta, ita vt mirarentur Angeli, dicentes: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*. Cantic. 6. Ideò dicit B. Ambros. in lib. de Virginib. Quid nobilius Dei matre, & quid splendidius ea quam splendor elegit, quasi diceret. Certè nihil. Huius domus longitudo non tantum est centum cubitorum, sed vsq; ad vltimũ terræ, eius altitudo vsq; ad cœlum. Quod perpendens B. Bernardus in sermone dicit: Longitudo eius ad nouissimam diem omnibus inuocantibus. Latitudo eius replet orbem terrarum. Sublimitas eius ciuitatis æternæ, inuenit restaurationem. Ista domus ornata erat interius cedro castitatis, quæ in eo nunquam potuit violari. Rectè enim sicut ligna cedrina non possunt corrumpi, aut à tinea corrodi, vt dicit Isidorus lib. 17. Et non solum ipsam ornauit cedro castitatis, sed colore albo mentalis puritatis, & colore nigro humilitatis, nec non rubeo charitatis. Ideò benedicit sancta mater Ecclesia in verbis præmissis. *Sapientia ædificabit sibi domum*, &c. In quibus Virgo benedicta à duobus commendatur. *Primo*, à prudenti ædificatione, ibi; *Sapientia*. *Secundo*, à decenti ornatione, ibi; *Excidit in ea columnas septem*.

DE PRIMO EST SCIENDVM. Refert naturalis Doctor Palladius in de agricultura. Qui vult sapienter domum construere, debet videre, quod ibi nō sit nebularum frequentia, neq; frigus excellens, nec calor nimium adurens, sed quod ibi sit temperatiuum vtrorumq;, vbi etiam sit sufficiens potus & cibus, & riuus fontium, nec sit ibi concursus ferarum nocentium, sed sanitas corporum. Sic sapienter ædificauit Deus domum terrestris paradisi, in quo secundum Isidorum lib. 15. c. 5. Non sunt nebulæ, neq; frigus, neq; æstus, sed perpetua aëris temperies: in cuius medio fons erumpens, totum nemus irrigat, & diuiditur in quatuor flumina, in quo non inhabitat animal irrationale, sed solus homo diuinarum manuum plasma, vt inquit Damascenus, & ibi est sanitas hominum habitantium in eodem, ideò tanquam sapiens artifex magisterium suum in illa demonstrauit.

MYSTICE. Iuxta hunc modum sapientis artificibus ædificauit Christus, qui est sapientia supremi Patris, suam domum, beatissimam scilicet Mariam, in qua personaliter voluit habitare, & præ omnibus in illa magisterium suum ostendit, teste Beato Bernardo in sermone hodierno. Hanc, inquit, fecisti imaginem tuæ bonitatis, in ea velut artifex ostendis magisterium tuæ pietatis. Ideò benè potest comparari terrestri paradiso, qui est ædificatus tam prudenter.

B. Virgo cur paradiso cōparetur.

B

I.

PRIMÒ, sicut in paradiso non sunt nebulæ, neque frigus, quod ibi vrgeret, quod testantur tam flores arborum quàm etiam frondium continua pulchritudo, quia ibi semper florent arbores, cum ratione frigoris non vrgentur ad casum foliorum. Ideò dicit Damascenus, quod vniuersæ pulchritudinis promptuarium sit; Nec in Maria fuerunt nebulæ sorditatis, in quibus se latrones inferni latenter abscondere possent. Nec fuit in ea frigus iniquitatis, quod repulisset calorem caritatis. Quia

B. Virgo promptuarium pulchritudinis.

 dicit

dicit Magister sententiarum lib. 3. dist. 3. quod Maria statim sanctificata fuit post animæ infusionem, quæ est proprium subiectum sanctificationis, & postea in bono cófirmata, & fomes in ea exstincta, quod peccare non potuit. Cui concorditer applaudit Beatus Bernardus: Puto, inquit, quod copiosior gratia sanctificationis descendit in Mariam, quæ non solum ortum sanctificauit, sed deinceps vitam ab omni peccato immunem custodiuit. *Et subdit.* Decuit Reginam virginum singulari priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam. quæ peccati mortis debebat parere peremptorem. Ideò refert Vincentius in speculo historico lib. 7. Postquam Maria fuit à parentibus in templo præsentata, omnis sermo eius erat in gratia plenus, vt in lingua eius agnosceretur Deus. Attamen valdè erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis vel in vno peccaret, ne aliqua iniuriosa, vel superba, circa parem suam exilteret, quod fuit signum suæ perfectissimæ puritatis, nec videri potuit in aliis committi scelus prauitatis.

Sollicitudo B. Virginis.

II. Secundo, in paradiso terrestri non fuit æstus, sine calor ardens & adurens arbores, quæ semper florent quia calor humidum exurit. Et hoc est mirum, quod ibi est æstus, quia secundum Bedam & Strabonem super Genesin: Paradisus est locus in Oriente positus, vbi est maximus calor, ita quod sole oriente, homines ibi morantes, domos subterraneas subintrant, vt calorem effugiant, vt ait Plinius in speculo nat. lib. 5. cap. 10. Sed hunc ardorem voluit Dominus à paradiso remoueri, vt locus summus conueniens esset homini innocenti, vbi non esset frigus, neq; æstus, sed perpetua temperies. Ita in Maria nostro paradiso non fuit æstus terrenæ concupiscentiæ, qui tamen (prô dolor) est in omnibus nobis, cum dicit beatus Ioannes in 1. Canonica cap. 5. *Totus mundus in maligno*, id est, in malo igne concupiscentiæ, *positus est*. Quia, vt ait Innocentius de vilitate humanæ conditionis, lib. 2. cap. 1. Tria sunt, quæ solent homines affectare, opes, voluptates, & honores. Sed horum nullum concupiuit Maria. Non opes quia pauper fuit adeò, vt non habuit vbi filium suum dilectissimum locaret; ideò in diuersorio *ipsum in præsepe reclinauit*, vt habetur Lucæ 2. Non voluptates carnales, quia fuit Virgo perpetua mente & corpore. Propter quod ab Angelo voluit scire causam concipiendi, quando dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Lucæ 1. Nec etiam concupiuit honores mundi nam cum Angelus ipsam matrem summi regis nuncuparet, ipsa ancillam se nominauit, dicens: *Ecce ancilla Domini.* quia tanquam prudentissima sciuit, quod de opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana prodeunt, vt dicit Innocentius, vbi suprà. Quia ergo in ipsa non fuerit frigus, neque æstus, igitur gratum fuit refrigerium, & hoc fecit in ea Spiritus sancti gratia, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, ab æstu carnalis concupiscentiæ te refrigerabit.

Paradisus vbi situs.

Quænam affectant homines.

III. Tertio, in paradiso terrestri fuit sufficiens cibus fructuum, de quibus permissum est homini comedere. Genesis secundo. cum dixit Dominus Adæ: *Ex omni ligno paradisi comede.* Et fuit præcipuè ibi lignum vitæ, quod secundum Glossam dictũ fuit lignum vitę ab effectu quem habuit, vt comestum sępius hominem perpetua soliditate firmaret. Et de hoc ligno si Adam non comedisset, & in innocentia perstitisset, mortuus non fuisset. Ideo dicit sacrum Concilium Mileuitanũ de consec. dist. 4. cap. Placuit. Quicunq; dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue

siue peccaret siue non moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit. Sic in MARIA est cibus sufficiens vniuersorum, quia significatur per arborem Danielis 4. cuius fructus erat nimius, & esca diuersorum in ea. Quia ibi contemplatiui inueniunt cibum contemplationis, eo quod *optimam partem elegit*, Lucæ decimo. Ibi accipiunt peccatores cibum propitiationis. In ea habent superbi escam humilitatis, luxuriosi exemplum castitatis. Ideo dicit exhortando: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Eccli. 24. Fuit tamen præcipuè in MARIA panis viuus, qui de cœlo descendit, de quo qui dignè manducant, *viuent in æternum.* Ioan. 6. Idem confirmat Augustinus in epistola ad Irenæum, & habetur de consecr. dist. 2. Christus, inquit, panis est, de quo qui manducat, viuet in æternum. Idcircò dicit idem Augustinus in sermone. Virgo MARIA dicitur Paradisus, in cuius medio, lignum vitæ, cuius folijs sanantur infirmi, cuius odor viuificat mortuos, cuius sapor dulcorat amaros, cuius vmbra refrigerat miseros, cuius aspectus lætificat Angelos. Idem testatur Bernardus. Verè Paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ tu protulisti, de quo qui manducauerit, viuet in æternum.

QVARTO, in paradiso fuit fons siue fluuius, de quo Genesis 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis.* quod exponens Basilius in hexameron apertius, dicit. Paradisus in Oriente in altissimo ex monte, de cuius cacumine cadentes aquæ, quæ maximum lacum faciunt, & tantum sonitum habent in cadendo, quod omnes incolæ iuxta prædictum lacum surdi generantur, & ex illo lacu velut ex fonte quatuor flumina procedunt, quarum vni nomen est Phison, & circumit Heuilath, vbi nascitur aurum optimum. Nomen secundi Tigris, qui vadit contra Assyrios. Nomen tertij Gehon, qui circumit Æthiopiam: sed nomen quarti Euphrates. Ita in nostro paradiso MARIA fons est abundantiæ gratiarum, quam præ cæteris Sanctis habet. Quia secundum Augustinum in libro de natura & gratia. Cæteris per partes datur gratia, MARIÆ autem se infundit plenitudo gratiæ. Et hunc fontem suæ misericordiæ & gratiæ diuidit in quatuor riuos. *Vnum* mittit ad contemplatiuos, dans eis gratiam perseuerandi, & deuotionem orandi. *Alium* mittit ad actiuos, dans eis gratiam persistendi. *Tertium* mittit ad Prælatos, dans eis gratiam præsidendi. *Quartum* ad subditos, dans eis gratiam obediendi. Ideo dicit Bernardus in sermone. Paradisus deliciarum verè es, ô MARIA. Nam fons vitæ, qui ex ore altissimi prodijt, de medio ventris tui exiuit, atq; inde in quatuor partes se diuidens, ad irrigandam faciem arentis mundi, lætificans ciuitatem Dei. Omnis qui biberit ex eo, non sitiet in æternum: & ecce plus quàm paradisus hæc: de eius enim aqua si quis biberit, sitiet iterum. Hæc ille.

IV.

Quatuor riui.

B. Virgo paradisus deliciarum.

QVINTO, in paradiso non fuerunt animalia nocentia, vt sunt lupi, canes, vulpes, & leones, qui interdum homini solent nocere. Quare dicit Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei, cap. 10. loquens de primis parentibus. Quid timere aut dolere poterant, tantorum, tantaq; affluentia bonorum, vbi non aberat quicquam quod bona voluntas appeteret, nec inerat quod carnem hominis feliciter viuentis, offenderet, vel in aliquo molestaret. Sic in MARIA non fuerunt lupi rapinæ & auaritiæ, nec canes litis & discordiæ, non vulpes fraudulosæ, non leones superbiæ. Quod testatur Ambrosius in libro de Virgin. parte prima dicens. MARIA Deum studuit quærere.

rere nullum lædere, omnibus benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere rationem sequi, & amare virtutem.

Sexto, in paradiso est perpetua sanitas, & incorruptibilitas, quod testatur ibi existentium vitæ, longitudo. Nam ibi sunt Enoch & Elias viui vsque in hodiernum diem: quia, vt dicit Magister in histor. scolast. Nihil potest ibi mori quod est viuum. Nec mirum hoc de paradiso. Cum in Hybernia sciamus esse Insulam, in qua mortuorum corpora non putrescunt; & aliam ibidem Insulam, in qua homines mori non possunt, sed oportet vt in vltimo senio extra Insulam deferantur. Sic qui moratur per spem, & diligens seruitium in hoc nobilissimo Paradiso in Maria viuet in æternum hic sine dubio vita gratiæ, & in futuro vita gloriæ, quod ipsa promittit cuilibet deuotè seruienti, quæ inquit. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccli. 24. Quod exponens Richardus, dicit sermone 5. Nunquam in æternum damnabitur, qui nunc in præsenti laudes Mariæ præconiaque sectatur. O quot fuerunt peccatores, & adhuc sunt & erunt, qui saluati sunt, & saluabuntur per Mariam. *Vnus* quidem per *Salue Regina. Alius* autem per *Aue Maria*, qui aliàs damnati essent, & damnarentur in æternum.

Exemplum de fure suspenso, quẽ B. Virgo liberauit.

Ideò refert Vincentius in speculo histor. libro quarto, cap. 116. Quod fuit quidam fur Helbo nomine, qui sæpæ latrocinia exercebat, sed tamen Beatam Virginem plurimum in deuotione habebat. Nam cum transibat ad furtum, semper vnum Aue Maria dicebat, quadam die dum furtum faceret, capitur & supendio adiudicatur. Dum autem suspenderetur, continuè ei B. Virgo affuit, & suspensum tribus diebus, vt sibi videbatur, suis manibus sustentauit, ita vt nullam læsionem sensit. Illi autem qui eum suspenderant, casu inde transeuntes, eum viuentem & vultu alacri repererunt, arbitrantes, quod non fuisset benè laqueo astrictus, gladio ipsum iugulare voluerunt. Sed beata Virgo ferientium gladio manum opponebat, & illi ei nocere non poterant. Cognoscentes autem illi, eo referente, quod B. Virgo Maria ipsum sic iuuabat, mirantes eum deposuerunt, & amore Virginis dimiserunt. Qui abiens monasterium intrauit, & quousque vixit in seruitio Virginis permansit. Vide igitur ô deuote famule aut famula Mariæ, quàm voluptuosum paradisum & domum Christus vera sapientia, hodie sibi ædificauit, vt ipse in eo habitaret, & tibi refugium in eo sisteret. Hoc de primo.

H

Quantum ad Secundum, commendatur Beata Virgo à decenti ordinatione cum dicitur. *Excidit in ea columnas septem.* Notandum. Sapiens artifex qui vult stabilem domum facere solet columnis fortibus eam sustentare, ne vento veniente in terram allidetur. Ideò legitur Cantic. 3. Quia Sapiens Salomon *fecit sibi ferculum,* propriè ein Gesell/ *de lignis Libani*, & vt staret ei firmius, columnas eius fecit argenteas, quia argentum est metallum stabile atq; firmum.

Mariæ columnæ.

Sic Mystice sapientissimus rex Salomon Christus Iesus, faciens sibi domum honestissimam, voluit columnis firmissimis præmunire. Quarum Prima fuit *Castitas virginalis.* Hæc columna diu domum corporis sustentauit: Teste Aristotele de regimine principum. Castitas vitam prolongat, sanitatem conseruat, corpus optimè disponit, intellectumque illustrat. Cui Consonat Palæmon in Pphisionomia, dicens Castitas viuificat iuuentutem, vires reuocat, sensus confortat & totum corpus in incolumitate retinet & conseruat.

I. Castitas. Castitatis laus.

Secvn-

SECVNDA columna fuit in iuuentute *stabilitas*, quæ valdè rara est in iuuenibus, quibus quies est valdè tædiosa, & hoc facit validus æstus caloris naturalis, & aëritas in pueris, vt dicit Constantinus, quare sunt in constantes. Sicut refert Vincentius in spec. hist. lib. 7. Quando post triennium in templo est præsentata, statim incepit insistere orationibus, & frequentibus laboribus. Nam sibi hanc statuit regulam, vt à mane vsque ad tertiam orationibus semper insisteret, à tertia vsque ad horam nonam textrino opere se occuparet, à nona iterum non recedebat ab oratione vsque dum angelus ei appareret, de cuius manu escam acceperat. Ideò benè potest dicere illud Tobiæ 3. *Tu scis Domine, quod nunquam cum ludentibus miscui me.* II. Stabilitas. Occupationes B. Virginis postquam in templo est præsentata.

TERTIA columna est in muliere *Firmitas*, quæ valdè rara est. Ideò Salomon diu quærens, *Mulierem fortem quis inueniet?* Prouerb. 31. Cui potest responderi, quod hodie inuenta est in terris hæc mulier. De qua potest exponi illud Ieremiæ. 1. *Ego te hodie dedi in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum super omnem terram.* III. Firmitas.

QVARTA columna fuit in paupertate largitas, quia aurum sibi oblatum à regibus largiter pauperibus distribuit. De ipsius etiam largitione dicit Hieronymus & Bernardus. Maria dedit cœlis gratiam, terris Deum, vitæ ordinem, moribus disciplinam. E IV. Paupertas.

QVINTA columna est in sapientia *simplicitas*, ipsa enim suam abscondit sapientiam, quæ communiter demonstratur in verbis paucis. Quia dicit Philosophus Pythagoras. Qui multum loquitur, signum est quod parum cognoscit. Ideò Maria solum legitur septem vicibus fuisse locuta; bis cum angelo; cum quæsiuit ab eo modum conceptionis, dicens: *Quomodo fiet istud?* & cum consensit. *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini.* Sicut habetur Lucæ 1. Bis in domo cognatæ suæ, cum eam salutauit, & Christum magnificauit, dicens *Magnificat anima mea Dominum.* Ibidem, bis cum filio, cum dixit, *Fili quid fecisti nobis sic?* Et in nuptijs cum ait. *Vinum non habent.* Ioann. 2. Et ibidem dixit septimum verbum. *Quicquid dixerit vobis facite.* V. Simplicitas. Maria septies tantum locuta.

SEXTA columna est *pudorositas*, quia ad ingressum angeli est turbata, quod est signum verecundiæ virginalis. Ideò dicit Hieronymus in libro de Virginitate. Nunquam Maria sine pudoris sui custode processit, quia nimirum pudor indiuiduus comes esse debet, sine quo castitas vera seruari non potest. VI. Pudorositas. Pudor comes castitatis.

SEPTIMA columna fuit *humilitas*, quamuis enim Regina esset Angelorum, & Imperatrix iam facta cœlorum, ancillam tamen se nominauit vltra cæteras, vt eas humilitate caperet. Sed B. Bernardus in quodam sermone per septem columnas intelligit septem priuilegia. *Primum*, quod fuit sine peccato concepta. *Secundum*, ab Angelo salutata. *Tertium*, quia fuit à Spiritu sancto repleta & obumbrata. *Quartum*, qui fuit virginitatis primitiua. *Quintum*, quia fuit sine corruptione fœcunda. *Sextum*, quia fuit sine grauedine grauida. *Septimum*, quia fuit sine dolore puerpera. Ecce domus speciosa ab æterna sapientia ædificata, interius; exteriusque ornata, firmisq; columnis roborata, quam sibi hodie eadem sapientia elegit, in qua temporaliter habitauit. Et verè felix iste homo qui per spem in ipsa hic morabitur, proculdubiò in æternum non damnabitur. Et hoc quo ad secundum. VII. Humilitas. Priuilegia B. Virginis.

IN

IN EADEM FESTIVITATE.

Sermo Quartus.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt Luna, electa vt Sol. Cantic. 6.



Vando rex potens, vel alius terræ Dominus, de Longinquis populo quasi ignorante veniret cum magno exercitu ad ciuitatem regis, omnis populus ej obuiam exiret, & quæreret, quisnam esset, qui cum tanto comitatu adueniret? Quod figuratum est in libro Canticorum, vbi legitur, quod rex Salomon elegit sibi sponsam, filiam Pharaonis. Hæc cum venisset in regnum Salomonis, ille ei in occursum venit cum exercitu, vt habetur in Glossa literali, in cuius humeris se illa reclinauit. Multi autem quæ factum ignorabant, dicebant admiratiuè: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum.* Alij dicebat verba thematis præassumpti.

A MYSTICE. Christus Rex omnium potentissimus, cuius est *terra & plenitudo eius*, vt inquit, Psalmista, elegit sibi sponsam, immò matrem speciosissimam, Virginem Mariam, quæ ab æterno fuit ordinata, sed hodie in mundum nata. Teste Anselmo in libro de Conceptione virginis. Maria, inquit, ante constitutionem mundi est ante omnem creaturam salubriter prædestinata, & præordinata sed præcedente tempore secundum eandem dispositionem in solatium mundi nata, & sic venit quasi regina in regnum huius mundi, circumdata (vt piè creditur) multitudine Angelorum, in instanti natiuitatis suæ, tanquam electæ, in patria astiterunt. Quod figuratum est 3. Regum 10. de Regina Saba, quæ cum magno comitatu venit in Ierusalem ad videndum Salomonem. Ita Maria venit per Natiuitatem in hunc mundum, sed non solum ad videndum, sed verius ad verum Salomonem Christum concipiendum & gignendum. Ideò Angeli eius nomen gloriosum videntes, eam de sterili matre natam, interrogabant dicentes. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* hoc est, de vtero sterilis matris Annæ: quia desertum est locus sterilis, raro producens aliquem florem. Sic vterus Beatæ Annæ fuit sterilis non gignens aliquem florem, nisi hunc speciosissimum qui dicit Canti. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Alij etiam dixerunt. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* quibus respondet beatus Augustinus in sermone. Hæc est mater Dei, regina cœli, mundi Domina, & porta paradisi. Et hoc volunt verba thematis, in quibus tria describuntur. *Primò*, Natiuitas gaudiosa, ibi; *Quæ est ista. Secundò*, fœcunditas operosa, ibi; *Pulchra vt Luna. Tertiò* sublimitas luminosa, ibi; *Electa vt Sol.*

Psal. 23.

B DE PRIMO EST NOTANDVM. Dicunt Naturales, quod in aurora nox terminatur, & dies inchoatur, ita quod aurora est finis præcedentis noctis, & principium diei subsequentis, vt dicit Isidorus. Dicitur autem aurora, eo quod admodum auri colorem diffundit rutilantem. Et benè significat Mariam Virginem gloriosam: quia per suam natiuitatem vel ortum, noctē ignorantiæ & spiritualis cęcitatis terminauit, & diem

Aurora.

& diem salutis inchoauit. Ideò dicit beatus Bernardus in sermone hodierno. Sicut aurora valdè rutilans ingressa in mundum, ô Maria, quæ veri solis splendorem, tantæ sanctitatis iubare præcurristi, vt verè diem salutis, diem propitiationis, & diem quam fecit Dominus, tua claritate nuntiare suauissima meruisti.

Et benè dicitur aurea ista hora, in qua processit Maria rutilans aurora, quia dicit Aristoteles in lib. problem. quod aurum naturaliter somnum fugat. Sic Maria ad hoc nata est, vt peccatum fuget, teste Metristra. Aurea hora.

Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.
Vt vitium virtus operiret gratia culpam.

SECVNDO, aurora consurgens omnia animalia lætificat diurna, sed tristificat nocturna. Ad experientiam enim videmus, aues mundas & diurnas ad volandum excitat, & ad cantandum, sicut alaudam & cæteras, quæ plus gaudent & vociferantur in ortu auroræ, quàm alio diei tempore. Sed noctem nicticorax, & bubones, fugiunt, & à clamoribus cessant.

In MYSTICE. Dum venit hæc rutilissima aurora Virgo Maria, aues nocturnæ, scilicet dæmones, conticuerunt, & sancti Angeli læti fuerunt, quod testatur beatus Augustinus in sermone hodierno. Ante natiuitatem Mariæ, quasi in nocte damnationis & angustiæ, aues immundæ generis cuiuscunq; noctuæ, vlulæ, bubones, quælibet genera dæmonum, voces tribulationis contra emiserunt. Nunc autem quia apparuit diei vera prænuntia, hæc nostræ illustrationis aurora, aues huiusmodi effugauit, & iam rugitus eorum conticuit. Cantus autem alaudæ & philomelæ, & aliarum auium mundarum, auditur. *Et subdit.* Vox enim nondum soliuagæ turturis audita est in terra nostra, imo vox multorum Angelorum in cœlo volantium, hominum in terra habitantium, & omnium sanctorum Patrum in inferni limbo degentium, & matrem Dei natam excipientium & dicentium. Tu oculus mundi, tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu decus seculi, tu Dei & hominis mediatrix, tu supernæ ciuitatis Ierusalem reparatrix, tu inspiratrix salutis, mirifica restauratrix, benedicta ergo tu pulcherrima mulierum es.

C

Ecce quanta voce iubilationis matrem Dei hodie ortam receperunt. Rectè, sicut aues cœli mundæ, & animalia terræ, cum gaudio excipiunt auroram matutinam. Et illud figuratum est 1. Regum 4. vbi legitur, quod filij Israël dicebant. *Afferamus ad nos arcam fœderis, & veniat in medium nostrum, & saluet nos ab insidiis inimicorum.* Et sequitur. *Cum venisset arca fœderis in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personauit terra præ exultatione.* Sed & Philistæi audientes clamorem iubili dixerunt. *Quænam est hæc vox clamoris magni in castri Iudæorum.* Et cum cognoscerent quod arca Domini venisset, timuerunt & dixerunt. *Væ nobis, quis nos saluabit de manibus Deorum sublimium istorum.* Per filios Israël intelliguntur omnes fideles per fidem viuentes. Isti dicebant ante natiuitatem Mariæ, *afferamus*, scilicet per deuota suspiria, *ad nos arcam fœderis*, h. e. Mariam, *vt saluat nos*, &c. scil. dæmonum qui ante eius aduentum fuerunt sæuissimi hostes generis humani; sed veniente arca seu aurora, lætatus est omnis Israel, hoc est, fideles, & canunt hodie iubilanter: *Gaudeamus omnes in Domino.* Philistæi autem scilicet dæmones, audientes clamorem iubili timent, dicentes: *Væ nobis*, quia potestas eorum ablata est eis, & ipsi detrusi in abyssum,

secundum quod dicitur Exodi 4. *Veniente aurora submersus est in profundum totus exercitus Pharaonis*, scil. diaboli.

Aurora mitigat morbos.

Tertiò, aurora consurgens morbum mitigat in infirmis, vt dicit Philaretus in tractatu de natura morborum. Cui alludit Galenus: Leuescit, inquit, morbus dum tempus matutinum propinquat. Cuius ratio est. Nam in aurora dulcis influentia locum habet, etiam in aurora humor sanguineus principaliter dominatur. Quia secundum Constantinum, aurora vsque ad terram imitatur naturam veris, meridiesque naturam æstatis, hora vespertina sequitur naturam temporis autumnalis. Nox autem hyemis qualitatibus assimilatur. Ideò in aurora propter dominium sanguinis somnus dulcis est & salubris. Quare tunc ægritudinibus alleuiatis, infirmi & mæsti requiem habent, & tunc illud auroræ desiderio desiderant vtique & exspectant. Sic veniente Maria, quæ clarior est aurora, infirmitates sunt ablatæ. Sed antequam nasceretur, sancti Patres in magno dolore fuerunt, & per desideria & orationes luctabantur. Quod figuratum fuit Genesis 32. vbi legitur, Iacob transiens à Mesopotamia in terram natiuitatis suæ, venit ad eum (secundum Glossam Lyræ) Angelus suus ad ipsum protegendum, quia timebat iram fratris sui Esau. Cum angelus dissimularet ab eo recedere, accepit eum Iacob manibus suis, (nam apparuit in specie viri) *& luctabatur cum eo.* Cui Angelus. *Dimitte me iam enim ascendit aurora.* Respondit Iacob. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Et sequitur. *Benedixit ei in eodem loco.*

Spiritualiter. Per Angelum intelligi potest Deus, per Iacob verò sanctorum Patrum affectus, qui cum Deo per orationes & desideria, suspiria, & anxietates continuè luctabantur. Isaias cap. 9. dixit effectualiter. *Egredietur virga ex radice Iesse*, &c. Antiquus Simeon ait continuè in orationibus suis. O si me inueniret illa felix Natiuitas. Sed cum Virgo Maria hodie cœpisset nascendi exordium, tunc nox anxietatis quasi ad auroram quietis & respirationis est adducta, & tunc potuit Deus Patrum desiderio respondere. *Dimitte me, quia aurora est*, quasi diceret: cesset murmur, cesset clamor, cesset dolor: quia iam ascendit aurora, quia nascitur Virgo, cuius est natiuitas gaudiosa. Sed conuentus sanctorum Patrum respondit. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*, quasi diceret: Nisi maledictio Euæ auferatur à nobis. Ideò certificat nos beatus Hieronymus in sermone de assumptione: Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.

Mariæ benedictio abstulit Euæ maledictionem.

Idcircò ad gaudium inuitat Damascenus in sermone de Natiuitate Virginis, dicens: Hodie inspirauit aurora gaudiorum prænuntia, lætentur cœli, exultet terra, hoc est, peccatores desperati, quia hodie nata est Virgo, quæ pariet pretiosam margaritam, quæ lux est cæcis, infirmis medicina, claudis gressus, mortuis vita, desperatis venia, expulsis & exulibus verus regressus ad patriam. Et hoc ad primum.

Quantum ad Secundum. In verbis præmissis ponitur beatæ Virginis fœcunditas operosa, cum dicitur: *Pulchra vt Luna.* Circa quod Notandum. Dicunt Naturales, Luna quodammodo obscuritatis maculæ est ostensiua, & obnubilationis, quæ quidem resultat ex vmbra terræ, quæ ipsius lumen obfuscat, & hoc

maximè

maximè quando terræ appropinquat. Sed quod hæc macula non est ibidem realiter, patet ex illo quando Luna ad altiores tendit circulos, claret munda, & nullis maculis obnixa, tunc videtur sicut dicit Martianus. De hoc vide suprà in Arenga, sermone. *Exsurgens Maria.*

Ita in beata Virgine MARIA dicunt quidam, vel verius opinantur fuisse maculam peccati originalis, tamen aliqui negant fuisse aliquam peccati obscuritatem, sicut probat Anselmus in libro de conceptione Virginis, in exemplo. Attende, inquit, si Deus confert castaneæ, vt infra spinas à spinis remota conspiciatur, alatur, & formetur: quomodo non potuit dare corpori humano, quod ipse sibi templum faceret, de quo in vnitate suæ personæ perfectus homo fieret inter spinas peccatorum, ab ipsis tamen spinis expers redderetur, quasi diceret: certè benè potuit hoc facere. Quid tamen de isto sit sentiendum, committo Doctorum scientijs definiendum. D

Et certè decuit Virginem gloriosam esse mundam, & in se nullam habere maculam, quæ parere debuit omnium vitam. Sicut declarat idem Doctor, dicens: Decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior nequit sub Deo intelligi, cui Deus Pater vnicum filium, quem de corde æqualem sibi genuit, & tanquam se ipsum diligebat, dare disponebat. Hæc ille. Certè talis puritas alijs sanctis non legitur data. Ideò dicit Bernardus in sermone. Paucis hominibus constat datum, vt exirent sancti de vtero, fas tamen non est suspicari, tantæ Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. *Et subdit.* Puto quod copiosior gratia ascendit in MARIAM, vbi suprà.

SECVNDO, Luna est valdè fœcunda: quia vt ait Ambrosius in hexameron, est mater roris, quia vim suæ humiditatis aëri imprimit, & ipsum insensibiliter immutans, in ipsius superficie rorem gignit.

MYSTICE. Sicut enim videmus, quanto Luna est æstiuali tempore serenior, tantò abundantius ros se super gramina extendit. Sic MARIA abundantiam genuit, veri roris Iesu Christi, quem rorem desiderabant sancti Patres, dicentes Isaiæ 45. *Rorate cœli,* &c. Et, sicut Luna non indiget admixtione pro roris generatione, ita MARIA pro generatione Christi non indiguit admixtione seminis virilis, quia de Spiritu sancto concepit. Iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus,* &c.

Etiam MARIA quando fuit nata, vt dicit Augustinus in sermone hodierno, attulit nobis rorem gratiæ, & auxilij sempiterni, ita vt nullus sit expers sui adiutorij, qui in eam confidit. Sicut de hoc refert Vincentius in spec. hist. lib. 30. quia quidam iuuenis, nomine Christianus, in ordine existens Cistertiensium, vidit lucem puram ab Oriente venientem, & in eadem claritate apparuit MARIA, quam cum inspiceret iuuenis, dixit intra se: O bone Deus, quo vadit Domina saluatrix mundi? Respondit ei eadem Domina. Venio succurrere huic loco, qui modo indiget auxilio, venio auxiliari huic pauperi Abbatiæ, & aliorum locis pauperum, qui in me confidunt. Ideò dicit Beatus Bernardus. Si MARIÆ deuotus fueris, velis nolis, nequaquam expers esse poteris eius gratiæ iuuaminis & fauoris. E

Luna purgat aerem.

TERTIO, Luna aërem mundificat, qui continuo suo motu ipsum clarificat & subtiliat, vt dicit Albumasar expositor Aristotelis: quia si non esset motus sphæræ Lunæ, aërem ex nocturna vaporum exhalatione grossities inficeret, & corruptionem non modicam generaret, & sic aëre corrupto, terra fieret infœcunda. Quid per aërem nisi peccator designatur? Rectè enim sicut aër est instabilis, nunc ab Oriente, nunc ab Occidente, aliquando à Meridiè, nonnunquam à Septentrione veniens. Sic peccator est instabilis, aliquando de luxuria in superbiam, & in alia peccata corruens, ita *nunquam in eodem statu permanens*, Iob. 14. Hunc peccatorem mundat beatissima Virgo, & fœcundum facit in bonis operibus. Ideò dicit Anselmus in libro meditationum. Per fœcunditatem tuam, ô Virgo Maria, peccator iustificatus, exul reductus est ad cœli patriam. Quod patet in exemplo.

F Exemplum.

Legitur in Vita Beatæ Virginis de quodam magno peccatore, qui intrauit Ecclesiam Mariæ, & videns imaginem eius, cogitauit intra se: Vtrum inuocaret eam an non, pro peccatis suis? Et dum staret intra se pausando, dixit. Si te Dominam misericordiæ inuocarem, incassum laborem, quia non exaudis tam magnos peccatores. Et sic præ tristitia abire voluit. Apparuit ei Virgo Maria, dixit. Sta, & pete à me, vt intercedam pro te apud filium meum. Cui peccator. O Domina, libenter: sed tot sunt peccata mea, quod puto me damnatum. Et illa. Si iam damnatus esses, adhuc scio, quod tui possum misereri. Quod ille audiens, statim petiuit gratiam, & factus est vir bonus auxilio Mariæ. Ideò dixit Anselmus. Pro peccatoribus dulcissima Virgo mater intercedere nunc non cessas, qui si non essent, nunquam esses. Et hoc quantum ad secundum.

G

Quantum ad TERTIVM ponitur sublimitas Virginis luminosa, cum subiungitur: *Electa vt Sol.* Circa quod NOTANDVM secundum Aristotelem. Si lumen Solis non esset, & mundum illuminaret, densissimæ essent tenebræ. Sicut patet in principio creationis mundi, cum nondum creatus esset Sol in superficie abyssi, *fuerunt tenebræ*. Genes. 1. Sed sicut nunc naturalis ille Sol in suo lumine nunquam deficit, quãuis eius lumen per terræ vel lunæ interpositionem aliquando auferri videtur; sic veraciter, si Maria non fuisset nata, omnes fuissemus in tenebris peccatorum, nec doctrinæ luminosorum Patriarcharum aut Prophetarum nobis quicquam profuissent. Ideo dicit Bernardus in sermone. Tolle corpus solare quod illuminat mundum, & vbi dies? Tolle Mariam, & quid nisi caligo & densissimæ tenebræ relinquuntur? Et hoc patet in antiquis Patribus, qui ante natiuitatem eius dicere potuerunt cum Psalmista. *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Et verè si peccatores nunc hoc solatium beatissimæ Virginis non haberent, possent dicere cum Tobia. *O quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Tobiæ 5. Sed nunc *noua lux visa est oriri mundo gaudium & tripudium*, vt habetur Esther 8. quæ nulli vnquam deficit, sed omnes ad se venientes benignè recipit: quamuis peccatores interdum per obstacula peccatorum & culparum, priuentur huiusmodi sole & lumine gratiarum. Ideo dicit Bernardus in sermone. Ille solus, ô Virgo, laudes tuas sileat benedicta, qui te fideliter inuocatam sensit vnquam in suis necessitatibus defuisse. Et quid mirum, si inuocata adest, quæ etiam præsto est non vocata.

Psalm. 54.

SECVN-

SECVNDO, Sol suo calore, quod est frigidum, calefacit. Videmus enim ad experientiam: quando Sol recedit a nobis per elongationem, sicut in hyeme contingit, tunc omnia infrigidantur, arbores perdunt folia, campi sua gramina viridia, homines relinquunt depicta palatia, & ad loca conuertuntur calefacte. Sed cum Sol nobis appropinquat, tunc in suo ortu infrigidata ècontra calefacit. Sic fuit ante Natiuitatem Mariæ. Omnes fuerunt infrigidati peccatis, quod velut arbores, fructum bonorum operum minimè protulerunt. ita vt illud flebiliter conquerebatur Psalmista. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, &c. Et quare? quia dicitur Eccli. 44. *Gelu sicut salem effundet super terram.* Quis? Certè diabolus, qui in tantum infrigidauit corda terrenorum hominum auarorum, vt nullo igne compassionis calerent: ita vt adimpleretur illud vaticinium Ieremiæ 6. *A minore vsq; ad maiorem omnes auaritiæ student*, quia frigidus Aquilo flauit & gelauit crystallos. Psal. 13. & 52.

Infrigidauit etiam diabolus quasi totum mundum aqua luxuriæ: Quod figuratum est Gen. 7. quod *aqua diluuij erat quindecim cubitis altior super omnes montes.* Per quod datur intelligi, quod non solum mediocres, sed & Prælati vniuersi erant infrigidati aquis voluptatum, quia *omnis caro corruperat viam suam.* Genes. 6. Infrigidauit insuper nonnullos vento superbiæ, vt dicere possint cum Iob. cap. 3. *Eleuasti me, & quasi super ventum allisisti.* Sed tunc ortus fuit Sol ille candidissimus, Virgo MARIA, quam (vt ait Hieronymus in sermone de Assumptione) totam incaluerat diuinus amor, vt nihil in ea esset, nisi ardor continuus, & ebrietas perfusæ charitatis, tunc frigida corda auarorum, luxuriosorum, superborum, sunt calefacta. Quia certè fuit mater misericordiæ Virgo, munditiæ & humilitatis exemplar. Et quis ab ea non accendetur ad vitæ misericordiam, munditiam, & humilitatis sequelam, adeo de ipso potest exponi illud Nahum 3. *Ortus est Sol*, non ille Sol materialis seu corporalis, sed Sol claritatis virginalis, quia frigus peccati depulit, & calorem amoris adduxit.


TERTIO, Sol sua virtute inferiora saluat & conseruat. Quia vt dicit Alexander, elementa propter contrarietatem & mutuam repugnantiam quam habent ad inuicem, se destruerent, nisi per virtutem Solis & cœlestium influentiam in esse debito seruarentur. Ita MARIA saluat omnes peccatores in se confitentes; & quos Deus non vult saluare per suam iustitiam, saluat per suam misericordiam, vt dicit Anselmus in sermone.

Sed quia MARIA mater misericordiæ tunc per suam misericordiam ligauit filij sui sæueram iustitiam, & iam pronus est ad miserandum. Ideo Anselmus in libro contemplationum petit, dicens. Dic Saluator quem saluabis? dic salutis Mater pro quo orabis, si te Domino præcipiente, & te Domina consentiente, tormenta vexabunt peccatorem? Si infernus absorbet reum in se desperantem, & vobis confitentem. Aut ergo miseremini mei, aut ostendite mihi misericordiores. Sed quia non sunt, ideo ad nullum alium confugio, nisi ad vos. Sed quia magna iniquitas mea modica fides mea, & tepida charitas mea, & tam fatua oratio mea, vt nec merear, peccatorum veniam, nec salutis gratiam. Hoc ipsum est quod amplius peto, ac inquio, vbi mihi merita mea non videris sufficere, ibi vestra pietas erga me nolit deficere. Precor itaq;, exaudite me, non propter me, sed propter vos, vt euadam meritos dolores damnatorum, & intrem in gaudium beatorum. Ad quæ, &c.

IN FESTO EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

Sermo primus.

Exaltaui lignum humile. Ita scribitur Ezechielis 17.

A  Sidorus lib. 7. dicit. Palma est Arbor victorialis, multum nobilis & insignis sempiternæ pulchritudinis & virtutis. Fructus non semper competit hominibus, quia infert læsionem. & præcipuè viridis, qui omninò non conueniunt cibo. Quia vt refert Plinius in spec nat. lib. 18. Quidam milites Alexandri talibus palmis viridibus sunt strangulati.

B MYSTICE. Per hanc arborem sancta Crux intelligitur, super quam Christus ascendit, secundum illud Cantic. 7. *Ascendam in palmam*, hoc est, in sanctam Crucem, *& apprehendam fructus eius*, id est, cœtum sanctorum. Et benè sancta Crux comparatur palmæ, quia palma tardè fert fructus, cum autem protulerit fructus, illi fiunt sapidi atque dulces. Sic Crux Christi diu fuit infructosa, donec portauit Christum fructum dulcissimum, de quo fidelis anima Can. 2. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi & fructus eius dulcis gutturi meo.* Hæc arbor sancta est victorialis, quia tribuit contra hostes victoriam Sicut testatur Hugo in Glossa super cap. Firmiter credimus, de summa Trinitate & fide Catholica. Crux sanitatem restituit, benedictionem impendit, discernit à perfidis, liberat à periculis, hostes expellit, victores constituit. Ista sancta Crux est arbor nobilissima, quia pependit in ea salus mundi, & fructus vitæ, quem qui apprehenderit, est beatus. Ideo dicit Gregorius, & canit Ecclesia, *Crux fidelis inter omnes*, &c. Huius sanctæ Crucis fructus non omnibus competit, præcipuè malis, qui hanc irreuerenter tractant. Quod figuratum est 1. Regum 25. vbi legitur, quod filij Israël pugnantes contra Philistæos, victi sunt ab eis, & quasi triginta millia cæsi sunt ab eis, & arca Domini capta est, quam Philistæi asportauerunt in Azotum in templum Dagon. Cumq; surrexerunt altera die Azotij diluculo, *Dagon iacebat in terra, caput eius, & duæ palmæ abscissæ sunt. Aggrauata est etiam manus Domini super Azotios, & nati sunt mures in villis, & in agris, & medio regni eius, & facta est confusio mortis magna in ciuitate, quousque reduceretur arca ad Iudæos.*

Crux arbor victorialis.

Figura.

Hanc figuram exponit Nicolaus de Lyra in Glossa literali, dicens. Philistæi contra filios Israël significabant bellum sub Cosdroa rege Persarum contra Catholicos in terra Iuda. In quo bello Catholici partim sunt occisi, & sancta Crux, quæ est arca in qua saluamur, à diluuio fuit capta, & in terram Persarum portata: & posita est in phano, quod Cosdroas fecerat, & ibidem tanquam Deum se adorari faciebat. Sed per hoc quod Dagon iacebat in terra, & caput eius abscissum, figurabatur abiectio Cosdroæ, de turri ab Heraclio, & caput eius abscissum; & continuò nati sunt mures bona agrorum corrodentes hoc est, Heraclij bellatores terras Persarum deuastantes. Ex qua figura patet, quòd fructus Crucis intulit eis læsiones, eò quòd cre-

credere in eum qui perpendit in Cruce, noluerunt. Sed & Imperator Heraclius Crucem in Ierusalē portauit, & honorificè axaltauit. Idcircò dicere potuit verba prædicta. *Exaltaui lignum humile.* In quibus tria describuntur. *Primò*, quod beata Crux est beatitudinis complementum, ibi; *Exaltaui. Secundò*, contra inimicos firmamentum. *Tertiò*, quod est nostræ salutis fundamentum.

De PRIMO est NOTANDVM, quod consuetudo fuit olim in curijs Regum antiquorum, vt nullus quantumcunque potens in curiam, audebat intrare ad regem, nisi specialiter à rege vocaretur. Et si intrabat non vocatus, statim interficiebatur. Ideò habebant ipsi Reges in manu virgam auream, quam extendebant super intrantes in signum clementiæ & beatitudinis temporalis. Hæc temporalis consuetudo fuit principaliter in curia Regis Assueri. Sicut legitur Esther 4. Quod siue vir, siue mulier, non vocatus interius in atrium Regis intrauit, absq; vlla cunctatione occidebatur, nisi fortè Rex auream virgam ad eum extenderit, & in signum clementiæ axaltauerit. Ideò vt habetur cap. quinto. *Esther Regina induta vestibus regalibus, stetit in atrio domus regiæ, non audens intrare. Rex autem sedens super solium suum, vidit Esther stantem, & placuit oculis eius, extenditq; contra eam virgam auream quam tenebat in manu: & illa accedens osculata est summitatem virgæ. Cui Rex. Quid vis Esther Regina? Quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Esther autem petiuit pro salute Iudæorum, & impetrauit. Et tunc primum beatitudo sua temporalis fuit impleta.

MYSTICE. Per Assuerum qui interpretatur beatitudo Christus intelligitur, qui est æterna omnium fidelium beatitudo, secundum illud Ioan. decimo septimo. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum DEVM, & quem misisti Christum Iesum.*

In ipsius cœlesti curia fuit talis consuetudo, quod nullus hominum audebat intrare, quantumcunque iustus, quoad vsque extenderetur hæc præfulgida virga aurea Crux signum clementiæ, & æternæ beatitudinis complementum. Ideo Beatus Augustinus in sermone huius festi dicit. Antea nomen Crucis erat damnationis signum, nunc verò facta est res honoris: prius in damnatione maledicti stabat, hunc in occasione salutis erecta est. Hæc enim Crux innumerabilium nobis bonorum causa exstitit. Hæc nos de erroribus liberauit. Hæc nos sedentes in tenebris illuminauit. Hæc nos à diabolo expugnatore reconciliauit, & alienatos restituit in domesticos: de longinquis fecit proximos & de peregrinis reddidit ciues. Hæc est inimicorum interemptio, pacis firmamentum, & omnium nobis bonorum thesaurus. Propter hanc iam non habemus moram in solitudinibus, viam enim veritatis agnouimus, nec iam extra regiam positi sumus iamiam enim regiam intrauimus, iam ignitas diaboli sagittas non timemus, fontem enim, vitæ quo extinguerentur inuenimus. Propter hanc in viduitate modo sponsum recipimus, iam non expauescimus lupum, quia bonum pastorem inuenimus. Propter hanc non formidamus tyrannum, regi enim adheremus. Hæc ille. C S. Crucis encomium.

Et est SCIENDVM, quia dicit NOTANTER. *Exaltaui.* quia Crux Christi est exaltata in cœlo, quando Deum patrem nobis reconciliauit secundum illud Apostoli ad Rom. 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Quando D

Angelos

Angelos pacificauit, iuxta illud Colosſ. 1. *Pacificans per ſanguinem Crucis, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt*, hoc eſt homines & angelos. Ideò per iſtam Crucem modo veniunt ad nos, vt vota noſtra referant Deo. Quod figuratum fuit Geneſ. 28. Vbi legitur quod *Iacob vidit ſcalam, cuius ſummitas cœlos tangebat, & vidit Dominum innixum ſcalæ & Angelos deſcendentes & aſcendentes*. Hæc ſcala ſecundum Gloſſam eſt ſancta Crux, quam Chriſtus aſcenſurus in cœlum, ſibi & ſuis ſequacibus erexit. Sed tunc innixus fuit, quando in Cruce à Iudæis affixus fuit, Angeli tunc deſcendunt quando ad noſtrum miniſterium veniunt: aſcendunt autem, quando orationes noſtras Deo offerunt.

SECVNDÒ, crux eſt axaltate in inferno, quando ipſum exſpoliauit, ſecundum quod dicit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. *Exſpolians principatus & poteſtates* id eſt, dæmones, quia naturalia remanſerunt in eis integra, qui fuerunt exſpoliati, quando Chriſtus eduxit de limbo Patres, vt dicit Lyra. Ideò dixit Chriſtus illud Geneſis 32. *In baculo meo*, ſcilicet ſancta cruce, *tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Iſtæ duæ turmæ fuerunt omnes Sancti in limbo detenti, qui fuerunt ante legem, & qui ſub lege, quos ſecum Chriſtus eduxit.

Triplex memoria crucifixi.

TERTIÒ, Crux Chriſti exaltata eſt in mundo, quia in locis eminentioribus ponitur, & hoc in memoriam crucifixi,, quæ eſt triplex. In *viſu*, & eſt paſſio Chriſti in imaginibus præfigurata. In *auditu*, quæ eſt Chriſti paſſio prædicata. In *guſtu*, ſcilicet ſacramento altaris deguſtata. Etiam in hoc exaltata eſt, quod frontibus fidelium imprimitur, ſecundum illud Auguſtini: Crux de pœnis latronum, tranſijt ad frontes Imperatorum. Et hoc quidem neceſſe eſt fieri, quod figuratum eſt Exodi 12. Vbi ſanguis agni iubetur poni ſuper liminaria in vtroq; poſte, ne primogenita occiderentur. Vbi dicit Gloſſa. Super liminare corporis frons, duo poſtes ſunt corpus & cor. Debet ergò crux Chriſti imprimi in fronte, in corpore imitare crucifixum, in corde in memoriam recordens & ſic primogenita id eſt, bona propoſita conſeruantur, ne à diabolo exſtinguantur. Ideò dicitur in Canone diſt. 11. cap. Eccleſiaſticum. Salubre eſt fidelibus crucis ſignaculo ſignari.

Figura.

Splendor crucis & cicatricum Solis radijs clarior.

QVARTÒ, axaltabitur in iudicio, quia ſecundum Chryſoſtomum ſuper Matth. Crux Chriſti & cicatrices, radijs Solis tunc erunt lucidiores quod malis erit valdè terribile, cum Chriſtus eis dicet. Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus ſum, illuſus, & totus crucifixus. Vbi eſt tantarum mearum iniuriarum fructus? Ecce pretium ſanguinis mei, quem dedi in redemptionem animarum veſtrarum. Vbi eſt ſeruitus veſtra, quam mihi pro pretio ſanguinis mei debetis? Ego ſuper gloriam meam vos habui, cum eſſem Deus apparens homo, & viliorem omnibus rebus me feciſtis. Non omnem rem viliſſimam terræ amplius dilexiſtis, quàm iuſtitiam meam & fidem. Hæc ille in perſona Chriſti. Et tantum de primo.

E

Gallus leonem terret.

Quantum ad SECVNDVM. Crux Chriſti eſt contra inimicos terribile firmamentũ. Circa quod NOTANDVM. Ambroſi⁹ in lib. hexamer. 8. dicit; Gallus leonẽ, & Elephantẽ terret mus, cuius ratio eſt, quia naturaliter odium eſt inter leonẽ & baſiliſcũ, vt dicit Iſid. Leo igitur cernens albũ gallũ, æſtimat baſiliſcum. Etiam dicunt quidam quod gallus lapidẽ pretioſum, nomine Alectorium, gignit, & portat in ventriculis, qui eſt gallo obſcuro ſimilis; ratione iſti⁹ vt creditur, leo ipsũ timet & abhorret maximè ſi alb⁹ exiſtit.

MYSTICE. Gallus ſignificat Chriſtum, quia ſecundum Plinium in ſpec. nat. lib.

lib. 29. cap. 4. rectè ſicut carnes crudæ & calidæ galli, poſitæ ſuper morſum ſerpentis, demunt venenum. Sic Chriſti paſſio ſuper mentem poſita, à ſerpente diabolo ſauciatam, venenum extrahit peccatorum. Quod figuratum fuit Num. 21. vbi legitur, quod Moyſes iuſſu Domini *exaltauit ſerpentem aneum, & omnes qui hunc inſpiciebant, à morſu ſerpentum ſanabantur.* Super quo dicit Auguſtinus, Fratres, vt à peccatis ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur. Qui intuebantur illum ſerpentem, morſibus non peribant ſerpentum: ſic qui intuentur fide mortem Chriſti, ſanantur à morſibus peccatorum. Hæc Auguſtinus. Iſte igitur gallus Ieſus, albus puritate virginali, & carens omni peccato; vt dicitur Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Fuit innocenter ſuſpenſus in patibulo Crucis. Ideò ipſum meritò timet & abhorret diabolus, leo infernalis. Quare hoc? certe ideò, quia ipſe Chriſtus per virgam regni ſui, hoc eſt, per ſanctam Crucem ipſum percuſſit, & omnes eius principes, ſecundum illud vaticinium Balaam Prophetæ. *Conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.* Num. 24. Moab interpretatur, quaſi vnus ex patre, ſignificans eos, quibus Chriſtus dixit Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis.*

Figura.

G

Super quod dicit Origenes in hexameron, homilia 4. Virga per quam egrediuntur, per quam Ægyptius ſubiicitur & Pharao, Crux Chriſti eſt, per quam mundus hic vincitur, & princeps huius mundi cum principibus & poteſtatibus ſuperatur, & triumphatur. Ideo ſecundum Doctores, contra omnes dæmonum inſidias ſolum ſignum Crucis factum cum fide & munimine, dæmones depellit & eneruat. Et hoc teſtatur Auguſtinus in ſermone huius Feſti. Vbi ſignum Crucis cum fide & deuotione proceſſerit, ibi nullus inimicus nocere poterit. Quemadmodum patet in Vitis Patrum libro 3. cap. 55. vbi legitur, Quodam tempore duo Philoſophi audientes formam B. Antonij, perrexerunt ad eum, qui cum inter ſe quaſdam quæſtiones habuiſſent, deſpexerunt Antonium, quaſi imperitum, euntes ab eo. Inuidia igitur moti, quod multi homines ad illum, velut ad famulum Dei conuenerunt, miſerunt ei arte magica dæmones, vt eum perturbarent; ſed ille impreſſit fronti ſuo & pectori ſuo ſignaculum Crucis, appropinquare non audebant, ſed ad Philoſophos reuertebantur. Illi autem iterum peiores miſerunt, qui nec ſicut & primi profecerunt: rurſum & alios deſtinauerunt & ſimiliter ſubſtiterunt. Quod cum vidiſſent Philoſophi, venerunt, & ſe fieri Chriſtianos petierunt.

Crucis ſignum eneruat diaboli vires.

S. Antonius ſigno Crucis dæmones fugat.

Sed hoc tamen ſcias, homo qui vult à ſe totalem inimici poteſtatem ſigno Crucis effugare, debet inimici crimina à corde expurgare. Ideo dicit B. Auguſtinus in ſermone de Vita Chriſtiana: Rogo vos, vt attentius cogitemus, quare Chriſtiani ſumus, & Crucem Chriſti in fronte portamus. Scire enim debemus, quia non ſufficit nobis, quod Chriſtianum nomen accepimus, ſi opera Chriſtiana non fecerimus. Si enim Chriſtianum ſe dicat, & iugiter Cruce Chriſti ſe ſignet, & eleemoſynas ſecundum vires ſuas non fecerit, charitatem, & iuſtitiam, & caſtitatem habere non voluerit, nihil ei prodeſt Chriſtianum nomen. *Et ſubdit.* Magna res eſt ſignum Chriſti & Crux Chriſti, & ideo pretioſum eſt tantum ſignaculum, vt res magnas & pretioſas ſignare debeat. Quid enim prodeſt, ſi ſignum Chriſti in fronte & ore portamus, & intus inimici crimina & peccata recondimus. Qui enim malè cogitat, malè loquitur, malè operatur. Si ſe emendare noluerit, quando ſe ſignat, peccatum illius non minuitur, ſed augetur. Qui enim ad furtum, vel adulterium vadunt, ſi pedem impegerint,

Quibusnã nomẽ Chriſtiani, & Crux Chriſti proſit.

Malè cogitans, malè loquitur & operatur.

signant se, & tamen de malo opere se non remouent, & nesciunt crimen, quia includunt in se magis dæmones quàm excludant. Quid verò cum Dei adiutorio vitia peccataq; repellit, & quod bonum est cogitare simul & implere intendit, iustè signum Crucis in labiis suis imponit. Talia oportet agere, qui signum Crucis meretur accipere, & Christianum nomen non ad iudicium sed ad remedium habere. Et hoc ad secundum.

Quantum ad TERTIVM, ponitur in his verbis, quod *sancta Crux est nostra salutis stabile fundamentum*. Circa quod NOTANDVM. Nauta volens securè permeare spaciosam, vel aliam aquam latam nauigare, necesse est summoperè, vt habeat nauem, quæ habeat stabile fundamentum, ne illiso fundo ad aliquem maris lapidem, dirumpatur, & ipsa aqua intrante submergatur.

MYSTICE quilibet homo nauta est, per mare huius mundi nauigans, vnde diuersæ sunt tempestates peccatorum, hominem submergere volentium, & quosdam iam de facto submerserunt, ita vt dicere possint cum Propheta: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, & veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Psal. 68. Si ergo ô homo euadere volueris huiusmodi tempestates, valde necessarium est vt habeas nauem salutis: & hæc est sancta Crux, qua per mare huius mundi, Christo regnante, subuectus est omnis cœtus sanctorum. Ideo dicit Chrysost. super Matth. Nauigat Ecclesia instructa fidei gubernaculo, felici cursu per huius seculi mare, habens Dominum gubernatorem, angelos remiges, portas erectas omnium sanctorum Choros, in medio ipsam arborem Crucis, in qua Euangelistæ fidei velum suspendentes, flatu Spiritus sancti ad portam paradisi, & securitatem quietis æternæ ducit. Hæc ille. Hæc sancta Crux est arca benè fundata, quæ salutem confert non solum octo animas præseruans à diluuio, sed vtilis est omni populo Christiano, qui *huic exiguo ligno credunt animas suas* mare transeuntes per ratem liberantur. Sapient. 3. Cui concordat B. Augustinus in sermone Parasceues. Quantum, inquit, valeat lignum Crucis, aduertit sanctitas vestra. Nam à diluuio aquarum genus humanum, quasi arca lignea liberauit. Ideo dicit Ambrosius lib. 6. super Lucam, cap. 11. Hæc est fidei gloria. Si verò intelligas Crucem Christi, mihi vtilis est, & verè vtilis, per quam *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Rogemus Dominum, &c.

Nauis Ecclesiæ quomodo sit instructa.

IN EXALTATIONE S. CRVCIS.

Sermo secundus.

Benedictum lignum per quod facta est iustitia. Sap. 14.

A ICVNT Naturales, & præsertim Isidor. lib. 17. Malus est arbor florum varietate decora, visui & gustui gratiosa, fructuum suauitate iucunda, in diuersis medicinis efficax.

B SPIRITVALITER. Hæc arbor Crucem Christi præfigurat. Rectè enim sicut hæc arbor est pulchra ex florũ varietate, sic Crux Christi est decora ex aspersione Christi sanguinis, & abundanti effusione; secundum quod dicit B. Apostolus Andreas. Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. Ideo etiam canit Ecclesia.

Arbor

Arbor decora & fulgida
Ornata regis purpura.

Etiam sicut malus est quo ad visum gustumq; arbor grata, ita sancta Crux est gratissima visui & gustui hominum deuotorum: quia signata est per signum vitæ, quod erat in medio paradisi, cuius affectus aspectusq; erat pulcher visui & suauis gustui. Gen. 2. Sicut etiam malus in fructuum dulcedine est iucunda, sic sancta Crux protulit dulcissimum fructum Iesum Christum. Ideo dicit B. Ambrosius super *Beati immaculati.* Sicut mali poma odorem gratum habent, vt cæterorum pomorum fragrantiam vincant: Sic Christus affixus ad lignum, sicut pomum pendens in arbore, odorem gratum habet: odorem mundanæ fundebat redemptionis, qua peccati grauis detersit fœtorem & vnguentum potus & vitæ effudit. *Et subdit.* Tanquam malus in lignis siluæ, ita Consobrinus meus in medio filiorum, eo quod super Prophetas & Apostolos intima corda suorum verborum suauitate mulcebat; sed non solum odor, verum etiam cibus suauis est in malo: ergo cibus suauis est Christus. *in vmbra,* inquit, *eiusq; desiderabam sedi & fructus eius dulcis gutturi meo.* Hæc Ambrosius.

Crux quam grata visui & gustui.

Etiam sicut malus in medicina est virtuosa, ita vt multi ex ea capiant corporis sanitatem, ita Crux Christi fuit tam virtuosa medicina, vt salutem ferret mundo. Teste Ambrosio de efficacia sanctæ Crucis, Crux, inquit, Christi salutem humano generi contulit: grande Crucis sacramentum. Et si intelligamus, per hoc lignum mundus est redemptus. Ideo benè dicitur. *Lignum benedictum*, sicut dicunt verba thematis. In quibus, inquam, Christi Crux à duobus principaliter commendatur. *Primo*, à gloriosa exaltatione, ibi; *Benedictum lignum. Secundo*, à gratiosa salutatione, ibi; *Per quod facta est iustitia.*

Efficacia B. Crucis.

De PRIMO est NOTANDVM. Secundum naturales arbor de quanto dulciores facit fructus, de tanto magis exaltatur, seu in altum se extendit, sicut videmus quod pomos quæ dulces portat fructus, magis dilatatur. Ita probat Rabanus super Psalm. de Cedro quæ fructum gerit suauissimum, & miri odoris gratissimiq; saporis, ideo est arbor altissima, omnium arborum domina & regina. Et hæc ratio potest esse, quia dulcedo inclusa, ramos arboris finit gratius delectari.

MYSTICE. Quæ vnquam arbor, inter omnes arbores totius mundi, tam dulcem fructum protulit, quemadmodum arbor sanctæ Crucis? Certè nulla. Non balsamus, cuius fructus seu odor secundum Plinium, lib. 12. omnibus arboribus præfertur. Non amygdalus, cuius fructus est gratissimus, vt dicit Aristoteles in libro de plantis. Sed Crux præ omnibus tulit fructum dulcissimum, Christum Iesum. Quia secundum Bernardum in sermone: Dulcis est in nomine, dulcis est in voce, dulcis est in opere, qui & dulcissimus apparebit in Diuinitatis fruitione. Ipse dicit etiam Eccli. 24. *Spiritus meus super mel dulcis & hereditas mea super mel & fauum.* Idcirco Crux merito est gloriosè exaltata, & benè Cedro est comparata, duplici ratione.

C

Fructus Crucis dulcissimus.

Crux cur cedro comparata.

PRIMO, quia rectè sicut Cedrus de vili & humili ramusculo & infructuoso in arborem altam & fructuosam exaltatur, ita Crux sancta, quæ prius fuit lignum humile & vile, quia huiusmodi cruces de lignis vilibus parabantur, nunc autem post passionem Christi est exaltata, & hæc vilitas in pretiositatem mutata, & infructuositas in magnam fertilitatem. Et maledictio (quæ habetur Deut. 27. *Maledictus est qui pendet in ligno*) nunc versa est in benedictionem æternam, ita vt canit Ecclesia:

D

O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare, &c. Ita dicit Bernardus de exhortatione & passione Domini. Quis ergo crucem amplius timeat? quasi diceret, ex quo vilitas & maledictio est ablata, væ qui eam timeat, ipse sibi testis est, quia latro est. In cruce pendit omnis fructus vitæ, quia iam est arbor vitæ in medio paradisi. Ipsa est mœstorum consolatio. *Et subdit.* Circumire possum Domine, cœlum & terram, mare & aridam, & nunquam te inuenio nisi in Cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux Christi tua fides est, cuius latitudo, charitas; longitudo, longanimitas; altitudo, spes; profundum, timor: in hac Cruce suspenditur anima, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit. Hæc Bernardus,

SECVNDO, Cedrus est arbor pulchra, semper retinens virorem suum, & insuper olfactum odoriferum, in tantum, vt eius præsentia & odor de horto expellat serpentes, & fuget omnia animalia venenosa, non valentia præsentiam sustinere, vt dicit Rabanus super Psalmos. Ita Crux sancta est arbor tam sancta, vt nulla silua talem, nec fronte, flore, nec germine protulit, nec proferet in æternum. Et est adeo odorifera, vt de ipsa possit dici. Odor tuus super omnia pretiosa vnguenta. Vbi hæc non fuerit, seu præcesserit, ibi habitant serpentes infernales.

E

Monialem corripit dæmon.

De hoc refert Gregorius 4. dialogorum. Quia quædam sanctimonialis ingrediens hortum & lactucam conspiciens, concupiuit eam, quæ signo Crucis oblita, auidè momordit, sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cum autem beatus Equitius ad eam venisset, diabolus clamare cœpit, ac dicere. Ego quid feci? sedebam super lactucam, illa venit & momordit: sed tamen ad imperium eiusdem viri mox exiuit. Vbi autem sancta Crux fuerit, ibi diabolus latitare non poterit, quia hæc est scutum, quod opponitur ictibus suis & tentationibus quod iubet sumere B. Apostolus ad Hebræos 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo omnia tela nequissimi exstinguere possumus.*

Crux est scutum contra tentationes dæmonis.

Hæc sancta Crux est expauentaculum, quod in horto Ecclesiæ Christus erexit hortulanus, vt leo rugiens, aut mala bestia, dæmon non intret. Ideo dicit B. Ambrosius super Psalm. 118. Crux Christi Iudæis scandalum, gentibus stultitia, & opprobrium mei virtus est, per quam aduersarium repello, seculum vinco, illis insipientia, mihi sapientiæ, per quam sic insipientiæ laqueos euado. Et hoc probat B. Gregor. in dialogo de quodam Iudæo, qui virtute Crucis laqueos diaboli euasit, dicens: Iudæus quidam iter faciens, & cum diem inclinare cerneret, & vbi manere posset, minimè reperisset, in quoddam templum Apollinis ad manendum se contulit, & licet nihil crederet, virtutis esse in Cruce Christi, tamen signo Crucis more Christianorum se muniuit. Nocte igitur media euigilans, vidit malignorum spirituum turbam, & ille qui præerat in eorum medio consedit, & singulorum facta sciscitabatur, quatenus vnusquisque quantum egisset nequitiæ, inueniret. Sciscitatis omnibus, præcepit vt quærerent quisnam esset ille, qui in templo iacere præsumeret. Cum missi spiritus vehementius palpitarent, & signatum signaculo Crucis viderent territi exclamauerunt. Verè vas vacuum, sed signatum. Ad hanc vocem disparuerunt malignorum spirituum turbæ, & Iudæus sacrum baptismum ab Andrea Fundanæ Ciuitatis Episcopo mox recepit.

Iudeus Crucis signo munitus laqueos diaboli euadit.

Quam vtile sit Feria sex-

Ita etiam legitur de quodam viro, qui semper Feria sexta audire Missam de sancta Cruce volebat, quam & suis denariis comparabat, Cum autem mortuus fuisset, dæmo-

dæmones ipsum secuti sunt vsq; ad iudicium, & in iudicio obiecerunt, quod passionem Domini in mente rarò habuisset, & etiam sanctam Crucem minimè honorasset. Angelus eius ante eum stans, protulit denarios, quibus Missam comparauit, & in quibus erat signum Crucis, quos cum dœmones vidissent, statim euanuerunt. Et sic iste laqueos eorum & insidias euasit. Et hoc tantum de primo. ta Missam de S. Cruce audire.

Quantum ad SECVNDVM; Commendatur sancta Crux à gratiosa salutatione, cum additur: *Per quod facta est iustitia.* Vbi sciendum, Beatus Gregorius in Præfatione dicit. *Qui salutem humano generi in ligno Crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret*, sed quia per lignum vetitum paradisi, mors & damnatio venit, secundum quod habetur Gen. 2. Vbi dixit Dominus ad Adam: *Ex ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunq; enim hora comederis, morte morieris*, sicut & factum fuit. Ideò etiam necesse fuit, vt homo per lignum saluaretur, & peccatum eius remitteretur secundum illud 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum Crucis, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Quod approbat Ioannes Apostolus dicens. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris sanguine suo.* Et hoc non solum fecit Christus in Cruce, sed jam in cœlo residens adhuc multos per virtutem Crucis saluat gratiosè.

Refert enim Iacobus Ianuensis, quod in Syria ciuitate Berith quidam Christianus sub annua pensione habens hospitium, crucis imaginem contra lectuli faciem in pariete affixerat, & ibi adorationes quotidiè fecerat. Post annum verò aliam domum locauit; & imaginem ibidem obliuione reliquit. Quidam Iudæus verò prædictam domum conduxit, & die quadam vnum de Iudæis ad conuiuium inuitauit. Inter epulas autem ille qui inuitatus erat, casu circumspiciens, sanctæ crucis in pariete cõtuetur imaginem. Et in illum qui se inuitauerat ira fremens, cur imaginem Nazareni tenere audeat, comminatur. Ille autem cum prædictam imagine non vidisset, sacramentis quib⁹ poterat affirmabat, quod illam de qua dicebat imaginem, penitus ignorabat. Tunc ille placatum se simulans, valedixit, & ad principem suæ gentis abiens, Iudæum illum de hoc quod viderat accusauit. Iudæi igitur congregati ad domum eius conuenerunt, & visa imagine, illum duris contumelijs afficiunt, & extra synagogam semiuiuum proijciunt, imaginem verò pedibus conculcantes, cuncta in ea Dominicæ Passionis signa & opprobria renouarunt. Cum verò lancea latus perforassent, protinus sanguis & aquæ riuulus vbertim exiuit, & suppositum vas impleuit. Stupefacti Iudæi sanguinem illum ad synagogas detulerunt, & omnes infirmi ex eo inuncti sanabantur. Tunc Iudæi Episcopo loci illius omnia per ordinem narrauerunt, & baptismum ac fidem Christi vnanimiter susceperunt, & omnes synagogas suas in Ecclesias conuerterunt, & sic multitudo Iudæorum à diabolo est ablata, & per Crucem Christi saluata. Ideò potuerunt dæmones dicere illud, quod scribit Gregorius Nazianzenus in quodam sermone de resurrectione. O Crux illa, fallens gaudia nostra, & percutiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum ecce subuertimur. Perijt potestas illa cunctis semper populis formidanda, nullusq; sub corde nostro palpitat, sed quod est gemendum magis insultat, nunquam antiqui fletus siluerunt, nunc autem nostri resonant vlulatus. Et hoc quo ad secundum. Accidit historia hæc anno Domini DCC. L.

DE SANCTO MATTHÆO APOSTOLO ET EVANGELISTA.

Sermo primus.

Sequere me, & relictis omnibus secutus est illum. Matth. 9.

DIcunt Naturales, quod Luna naturaliter & necessariò sequitur motum Solis, quia ab eo semper immediatè illuminatur, vt dicit Aristot. lib. elementorum. Et quando Soli plus appropinquat, tantò plus de suo lumine producit, & prodit ex parte terræ, immò plus ex parte superiori illustratur. Ideò quando soli coniungitur, nihil luminis ad terram dirigit, sed ex parte cœli in plena illuminatione persistit, quando soli opponitur tota ad terram, & nihil ad cœlum illustratur, vt dicit Beda & Macrobius.

A Peccator Lunæ similis.

MYSTICE. Per Lunam vagi & stulti peccatores designantur, quorum (heu) multi sunt, iuxtà illud Eccli. 1. *Stultorum infinitus est numerus*. Rectè sicut Luna nunquam est stabilis, sed semper hinc inde vagatur. Sic peccator de vno in aliud labitur peccatum, teste Sapiente. *Stultus*, inquit peccator, *vt Luna mutatur*. Eccli. 27. Ideò si vult à Christo illuminari, valdè necessarium est ei, vt sequatur Christum verum Solem iustitiæ, sicut iubet Psalmista. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Quia quantò homo plus verò Soli appropinquat, & vana mundi despicit, tantò minus de mundi gloria curat, & cœleste præmium accipiet. Quia, vt dicit Iulianus in sua passione, contemptus mundi regna cœlestia accipit, renuntiatio parentum consortium fit angelorum, parui temporis tribulatio æternam inuenit requiem. Si autem peccator opponitur Christo Soli clarissimo, tunc in mundo honoratur, & cœlesti lumine priuatur, quod testatur Isidorus. Longè, inquit, à Deo est animus, cuius hæc vita dulcis est. Quantum enim se vnusquisq; mundi delectationibus occupat, tantum à caritate Dei se separat. Cui aliud Beatus Gregorius super Ezechielem, Quantò circa terrena mens plus satagit, tanto in his quæ sunt cœlestia, minus videt, quod patet in Apostolo Matthæo. Hic cum terrenis inhiabat, Christus ipsum minimè illustrabat, sed clarus apud homines videbatur. Ideò vt ab ipso illustraretur Christo, necesse fuit vt ipsum sequeretur vocantem. Hæc vocatio fuit 3. Reg. 19. vbi legitur. Quod Elias inuenit Eliseum arantem, misit super eum pallium suum, & ille statim relictis bobus quibus arabat, cucurrit post Eliam, & transiens tulit par boum, & mactauit, & coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, & tunc surgens secutus est eum.

Psalm. 33.

Figura.

B MYSTICE. Verus Elias Christus, inuenit Eliseum, hoc est, Matthæum arantem in campis, id est, auarè bona rapientem alienis, qui sedebat quasi publicanus in telonio. Sed Christus misit pallium suum, id est, diuinitatem palliatam super eum, quia secundum Glossam quidam diuini radij ab eius intuitu elucebant, quibus quos voluit, attrahebat. Ideò ipse statim reliquit omnia, currens post Christum, quod testatur venerabilis Beda super Lucam. Vt pauperem Christum Matthæus tàm gressu quàm

quàm affectu sequeretur, reliquit voluntariè propria, qui solebat prius rapere aliena. Et sic de proprijs facultatibus fecit Domino conuiuium & amicis, vt habetur Luc. 5. Quo facto, surgens secutus est eum, vt sonant verba praeassumpta. In quibus tria principaliter describuntur. *Primò*, vocatio diuinæ pietatis, ibi; *Sequere me*. *Secundò*, abiectio humanæ prauitatis, ibi; *Et relictis omnibus*. *Tertiò*, inuitatio festinæ humilitatis, ibi; *Secutus est eum*.

Circa PRIMVM NOTANDVM. Homo libentius sequitur sapientem ductorem, quàm malum seductorem: quia bonus ductor ducit vias securas, quamuis interdum asperas: sed malus seductor, ducit in securas vias, vbi tandem homo ducitur in latrones. *Figura primi* præcessit in Moyse, qui fuit ductor filiorum Israël ex Ægypto, qui duxit eos per vias securas, ne inciderent in manus inimicorum, quamuis eos aliquando per asperas solitudines duxit, vt patet Exodi per totum. Sed *figurá secundi* præcessit in Ioab milite Dauid, qui fidelem militem Vriam, iussu Dauid duxit in aciem belli, vbi pugna erat fortissima, & relicto eo fugit, & incidit ille in manus inimicorum, vbi habetur 2. Reg. 11.

MYSTICE. Duos habemus ductores, Christum & Diabolum. Diabolus ducit vias valdè insecuras, scilicet ad auaritiam, & ad voluptatem. Et ad sequaces suos dicit illud Sapient. 2. *Venite, fruamur bonis, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso & vnguetis nos impleamus, & non prætereat nos flos campi, coronemus nos rosis, antequam marcescant, & nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ille (heu) malus ductor multos habet imitatores, quia *sensus & cogitationes hominum proni sunt ad malum ab adolescentia sua* Genesis octauo, ideò latius ab eo seducuntur. Sed via ista ducit veraciter ad malum finem, secundum illud Prouerb. 14. *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem*, scilicet culpæ & gehennæ. Econtra autem Christus quasi verus Moyses, ducit securissimas vbi homo nullum patietur detrimentum, quamuis hominibus asperæ videantur. Ideo dicit Prouerbiorum 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitam æquitatis, quam cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Et hoc perpendens animaduertit Beatus Matthæus, ideo tanquam sapiens homo viam diaboli reliquit & vocantem Iesum secutus est, ita & de ipso exponi possit illud Eccles. 2. *Sapientis oculi in capite eius*, scilicet, vt videat quo vadit & quem sequatur, *stultus autem in tenebris ambulat.* Vlterius est NOTANDVM in hoc quod Christus dicit: *Sequere me*, ostendit magnam miserationis suæ clementiam, vbi peccatores inuitat ad suæ dilectionis sequelam. C

Refert Robertus Holkot in suis Mortalitatib⁹, quod pagani Deum pietatis & clementiæ depingebant ad similitudinem hominis, in manu sua cor scissum in duas partes tenentem. In circuitu cordis scriptum erat literis aureis: Pietas & misericordia tota die exspectant, quando peccator à suo peccato recedere curet. In vna parte cordis sic scribebatur: Nisi esset peccatum, misericordia non esset, si venia de peccato petatur, citò habetur. In alia parte cordis sic scriptum erat. Vbi est peccatum, ibi est misericordia: vbi nullum est peccatum, ibi nulla est misericordia. Sic omnipotens Deus Christus, Deus clementiæ, & totius fons misericordiæ, dicitur habere cor scissum ad ostendendum, quod semp est paratus omnibus volentibus pœnitere misereri, D

Deus pietatis quomodo fuerit depictus.

ſereri. In cuius perſona dicit deuotus Amandus In horologio Sapientiæ lib. 1. cap. 4. Ego ſum frater tuus, ſponſus tuus, paratus miſereri, & tegere tua peccata, & proijcere in profundum maris, & ſic remittere quaſi nunquam fuiſſent, dummodo conuerti, & de cætero cauere tibi volueris. *Et ſubdit*. Si totus mundus globus igneus, & in medio eius de ſtuppa lini pugillus vnus. Hic ex ſua naturali inclinatione non tam citò flammarum incendia reciperet, ſicut abyſſus miſerationum mearum peccatorem pœnitentem, & conuerti volentem: quia in illa actione naturali aliqualis, licet minima & inperceptibilis requireretur morula, ſed nulla penitus mora inter pœnitenté & remittentem, inter gementem, & gemitus exaudientem. Hæc ille.

Ecce hanc miſericordiam oſtendit in Matthæo, quem miſericorditer de telonio vocauit, & in exemplum pœnitere volentibus dedit, eo quod ipſe vitam ſuam erroneam in melius commutauit. Ideò dicit Chryſoſtom⁹ in Prologo ſuper Matthæum. Matthæus & ſi ſanctorum quidam tibi præcipuè peccatorum Euangeliſta fuit, qui non ſolum ſermone, ſed & ipſa vitæ ſuæ correctione, peccatoribus Euangelium prædicauit. Nunquam enim telonarius, id eſt, collector vectigalis conſtitutus, qui conſueuit pecunias colligere perituras, factus fuiſſet Euangeliſta, vt ſermones ſcriberet in æternum manſuros; niſi & ſuo exemplo peccatores ad pœnitentiæ viam inuitaret, quia & aliquando fuit tantus Nogotheta, id eſt, collector terrenarum rerum: nunc autem dilectiſſimus diſpenſator ſpiritualium præceptorum. Tunc multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles diuites facit prædicando iuſtitiam, vt magnificemus Dominum propter eum prophetica voce dicentes. Hæc mutatio dextræ excelſi. Et hoc ad primum.

E Quantum ad SECVNDVM ponitur abiectio humanæ prauitatis, cum dicitur. *Et relictis omnibus*. Vbi NOTANDVM. Iſidorus lib. 12. dicit, quod eritius aſcendit in arborem pomiferam, pomaq; deijcit, & ſuper ea inuoluit, vt poma ſpinis infigantur, & in tantum interdum ſe aggrauat, quod ea portare non queat, nec ad domunculam redire, ideò neceſſe eſt, vt reijciat grauitatem.

F MYSTICE. Per eritium peccator intelligitur. Rectè enim, ſicut eritius vndiq; habet ſtimulos pungentes, quibus ſe defendit. Sic peccator habet vndique in conſcientia peccatum, quod ipſum ſtimulat, iuxta illud Iſai. 45. *Vermis*, ſcilicet conſcientiæ remordentis, *eorum non moritur*. Quamdiu enim viuunt peccatores, ſemp habent remorſum & ſtimulum conſcientiæ, qui ſemper dicat. O tu malè agis, quod tamdiu iaces in peccatis, & ſi ſic deceſſerint in confeſſi & contriti, remorſus in eis & ſtimulus ille manebit in æternum. Etiam Ariſtot. dicit lib. 3. Animalium. Quia eritius eſt debilis auditus magis, quàm alia animalia, dura teſta, & ambulans ſuper quatuor pedes. Ita peccator debilem habet auditum: non enim poteſt audire vocem prædicatoris ſe corrigentis, ita vt verificetur de ipſis illud Pſal. 113. *Aures habent & non audient*. Illi igitur ad inſtar eritij onerant ſe in tantum peccatis, vt dicere poſſunt cum Pſalm. 73. *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. Et ſunt ſimiles cuidam Æthiopi, quem vidit quidam vir ſanctus, vt legitur in Vitis Patrum, in ſilua ligna ſuccidentem, & magnam ſarcinam colligentem, quam cum portare vellet & non poſſet, diſſoluit, & onera auxit & fecit ea importabilia. Quam viſionem angelus ei exponens, dixit. Æthiops qui auget onus lignorum, eſt peccator, qui cumulat peccatum peccato, ſcilicet, quod vix tempus ſufficit ad emendandum peracta, ſuper addit recentia, vſq; dum mole criminum depreſſus, decidit in deſperationem.

Peccator eritio ſimilis.

Sad

Sed illi se taliter peccatis aggrauantes nesciunt, quod Deum perdunt, & diabolum in dominum suscipiunt, eique homagium, propriè huldigung / faciunt. Quia refert Robertus Holkot in moralibus suis. Quod Varro depinxit peccatum ad similitudinem Deæ, cuius ponebantur tres imagines. *Prima* fuit imago Dei, & huic directa erat charta talis; Deum cum suis angelis finaliter perdidi; Væ mihi, quod natus fui. *Secunda* fuit imago diaboli, & huius tenor chartæ erat: Diabolo & Angelis eius homagium feci, quoniam per consensum in peccatum cecidi. *Tertia* imago fuit hominis, & charta scripta, huic talis fuit. Verecundia & confusio est peccati finis, delectans in peccato finaliter confundetur. Pictura peccati.

Ecce quanta damna facit peccatum, quæ animaduertit B. Matthæus. Sed quia grauitas peccati non finit sequi Dominum per viam virtutum, sicut declarat B. Ambrosius in sermone dicens. Petrus sequebatur Christum super mare, dummodo erat sine grauedine dubitationis, sed quam citò pondus dubietatis accepit, mergi cœpit, donec Christus eum in fide confortauit. Ideò reliquit Matthæus omnia terrena, quę sunt quasi pondus animam deprimentia, & peccatis auaritiæ se exonerauit, & Christum quæsiuit per viam virtutum, & secutus fuit. Grauitas peccati impedit viam virtutum.

G

Rectè enim facit sicut ceruus, qui, sicut tradunt naturales, quando sentit cornuum, grauitatem, quærit serpentem in petris terræ, quibus inuentis, attrahit vnum per nares, & deuorat, & sic calefactus veneno, incipit sudare, & tunc illico currit ad fontem seu fluuium purissimum, & tantum bibit quod vincitur venenum, & ipsum euomit, & cornua deponit. Sicq; dicitur renouari. Ita B. Matthæus sentiens se grauatum pondere peccatorum, quæsiuit serpentem Christum, qui designatur per serpentem æneum, per Moysen exaltatum. Num. 21. Et hunc MYSTICE incorporauit, & postea lotus est à peccatis in mundissimo fonte Iesu Christo. Ideò potuit dicere illud Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.*

Sic nos peccatores, quando sentimus nos grauatos pondere vitiorum, Exemplo B. Matthæi, sequi debemus Christum, & relinquere peccata. Quia, vt dicit Ambrosius in Epistola ad germanam suam. Omnia nobis Christus est. Si vulnere curari desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si grauaris iniquitate, iustitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si cœlum desideres, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est. Hæc Ambrosius. Et post hæc currere debemus ad fluuium purissimum, ad pœnitentiam veram, quæ reddit nos mundos ab omni sorde peccatorum. Quod figuratum est per Iordanem. 4. Reg. 5. in quo *Naaman leprosus septies lauit*, & sanitatem totalem sui corporis recepit. Ita peccator infectus peccato mortali, si lauatur in flumine Iordanis, hoc est, lacrymis pœnitentiæ, ad munditiam mentis priorem restauratur, vt dicit Lyra in Glossa. Hoc ad secundum.

H

Quantum ad TERTIVM subiungitur imitatio festinæ humilitatis, cum additur: *Surgens*, scilicet festinanter *secuti est eum* humiliter. Pro quo NOTANDVM. Ambros. in hexam. Perdix est auis adeò fraudulenta, quod oua alterius perdicis rapit, & fouet ea. Sed hæc fraus fructum non habet. Postquam enim pulli fuerint excubati, q̃ citò audierint vocem genitricis, naturali quodam affectu relinquunt falsam nutricem, & propriam sequuntur celeriter genitricem. Perdicis natura.

Perdix figura dæmonis. MYSTICE. Perdix gerit figuram dæmonis, qui valdè est fraudulentus, quia decepit Adam & Euam mentiendo, cum dixit. *Nequaquam moriemini.* Genes. 3. Et adhuc quotidiè *circumit tanquam leo rugiens, quærens* fraudulenter *quem deuoret.* 1. Petri 5. Hic rapit multoties homines per peccatum à suo proprio genitore, scilicet Deo, qui est genitor & pater omnium Matth. 23. *Vnus est pater vester, qui in cœlis est:* Sed hæc fraus fructum non habet, imò magis infert sibi pœnam. Quia secundum Hilarium super Matth. Dæmonibus maius non potest excogitari supplicium, quàm cùm aliquem de numero damnandorum transferri conspiciunt ad numerum saluandorum: quia multi qui rapti fuerunt ab eo, audientes vocem proprij genitoris, scilicet Christi, diabolum reliquerunt, & Christum secuti fuerunt: sicut Maria Magdalena, quæ iam erat in faucibus dæmonis, audiens tamen Christum prædicantem, ipsum per pœnitentiam sequebatur. Luc. 7. Sic etiam Matthæus raptus ab eo, & per longum tempus in auaritia educatus, audiens vocem Christi se vocantis: *Sequere me,* statim relicto diabolo auaritia & amicos secutus est eum, quia nouit ipsum proprium genitorem. Ideò de hac sequela pulchrè scribit Beatus Ambrosius super Lucam, dicens: Sequebatur Matthæus iam alacer, lætus & exultans, dicens: Iam non publicanum gero, iam non porto Leui. Exui Leui, postquam Christum indui. Odi genus meum, fugio vitam meam, solum te sequor Domine Iesu Christe, qui sanas vulnera mea. Quis enim me separat à charitate Dei, quæ in me est? *Et subdit.* Inueni medicum, qui in cœlo habitat, & in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit, id est, non habet. Auferre potest cordis dolorem & pallorem animæ, qui nouit occulta.

DE EODEM SANCTO APOSTOLO.

Sermo secundus,

In caritate perpetua dilexi te, ideò attraxi te, miserans tui. Ieremiæ 31.

A Icit Isidorus lib. 16. Magnes est lapis, ferrugineum habens colorem, & habet virtutem aliquando, quod ferrum à se fugat & repellit; quia inuenitur magnes qui hoc facit. Sed tamen communiter tenent Naturales, quod ferrum ad se trahit, quod probat B. Augustinus in exemplo dicens. Si magnes ponitur sub vase argenteo, vel æneo, & desuper ferrum tunc ex motu lapidis subtus mouebitur ferrum superius. Idem refert, quod etiam in templo quodam paganorum erat simulacrum factum de ferro stans in aëre per se sine suspensione, hoc tamen fuit virtute magnetis, qui erat in testudine situatus. Refert similiter Auctor proprietatum. libro 16. Quod in mari sunt quidam montes magnetini, qui ad se interdum trahunt naues, & dissoluunt, si non cautè prouidentur. Ex quo patet, quod magnes interdum repellit ferrum à se, sed tamen ad se frequentius trahit.

B MYSTICE. Per hunc lapidem Christus Iesus intelligitur, qui ab Apostolo *Petra* nomi-

nominatur, 1. Cor. 10. Sed per ferrum peccator rectè designatur: quia sicut ferrum est durissimum metallum, de quanto enim plus malleatur, de tanto durius efficitur. Sic certi peccatores sunt durissimi, quorum *cor induratur quasi lapis*. Iob. 41. Qui nec malleo prædicationis, nec flagellationis emolliuntur, sed duriores efficientur. Sicut probat Augustinus 23. q. 4. c. Nabuchodonosor. de rege Pharaone, qui inter flagella semper durior effectus est.

Modo ad propositum Christus Iesus, qui est verus magnes, ex sua mera iustitia aliquos à se repellit peccatores, eis gratiam suam retrahendo, vt ex hoc secundum B. August. sua refulgeat diuina iustitia. Sicut manifestum est de sceleratissimo Antiocho, qui quæsiuit gratiam Dei & non inuenit 2. Mach. 9. Quia non quæsiuit ex charitate, & ex cordis feruore, sed viscerum dolore: quia vermes de ventre scaturierunt. Sed aliquos peccatores Christus ad se traxit. & adhuc continuè trahit, vt sua misericordia appareat immẽsa. Et hoc facit quandoq; tribulatione, sicut traxit regem Manassem, vt habetur 2. Paral. 33. Quandoq; interna vocatione, de qua dicit B. Hieronymus in originali. Certè fulgur & maiestas diuinitatis occulta, etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Et declarat p simile. Si inquit, in magnete lapide hæc virtus est, vt dicitur, vt annulos & festucas sibi copulat, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat. Hæc Hieronymus. Et sic traxit ad se Matthæum, quando ad eum dixit: *Sequere me, qui statim relictis omnibus secutus est eum.* Et hoc volunt verba prædicta, quæ ad ipsum dixit Christus. *In caritate perpetua dilexi te, ideò amo te*, &c. In quibus verbis circa gloriosi Apostoli illius conuersionem, tria describuntur. *Primò*, æterna Dei caritas, mouens cordialiter. *Secundo*, æterna vnitas vincens actualiter. *Tertiò* benigna paternitas attrahens finaliter. Quo ad PRIMVM dico, quod in verbis prælibatis tangitur æterna Dei caritas, mouens primordialiter, & hoc ibi: *In caritate perpetua.*

Christus peccatores alios à se repellit, alios ad se trahit.

C

Circa quod NOTANDVM. Aristoteles in lib. Meteor. dicit. Sol est causa efficiens & mouens omnium impressionum, quæ caliditate sua agit in terram, resoluendo vapores & exhalationes à terra ascendentes, eosque subtiliat & ad se trahit, quibus si nihil frigoris obuiat, ascendunt ad locum æstus, & ex illis calidæ impressiones generantur, sicut fulgur, &c Sed si tales exhalationes habuerint frigus obuians, manent in media regione aëris, vel etiam in infima: ex quibus tunc pluuia vel nix generatur. Ita Christus Dominus noster, qui est Sol iustitiæ, est causa mouens conuersionis peccatorum, quia dicit Oseæ 13. *O Israël perditio tua ex te, saluatio tua tamen ex me.* Et verè nisi ipse moueret cor peccatoris, nequaquam conuerteretur. Rectè, sicut Sol, si non traheret ad se vapores per calorem, impressiones minimè generarentur. Agit enim Christus sua fœcunda caritate in terraneos peccatores, terram nimium amantes, & eos subtiliat, vt reijciant terrestreitatem. Sicut factum est de Maria Magdalena, quæ nimium dilexit terrena. Sed Christus eam tantum igniuit, vt ex magno feruore peccata sua defleret, & tota vita sua accensa taliter permaneret, vt dicitur Luc. 7. Sic huius veri Solis iustitiæ æterna caritas, fuit motiuum primordiale conuersionis B. Matthæi. Et hoc tribus modis.

Saluatio nostra ex Christo, sed perditio ex nobis.

D

Mouebat enim cor eius fulgore, feruore, & dilectione. Per *primam* motionem fugabat cæcitatem: per *secundam* frigiditatem: per *tertiam* vanitatem. Ita benè dicere potest cum beato Augustino lib. 10. Confess. cap. 28. Coruscasti, & splenduisti, & fu-

Tribus modis S. Matthæus fuit motus.

& fugasti cœcitatem meam, flagrasti & induxisti spiritum, & anhelo, tibi esurio, & sitio: tetigisti me, & exarsi in faciem meam. PRIMO, igitur perpetua caritas Christi mouit cor Beati Matthæi, fulgore fugando cœcitatem. Rectè enim sicut Sol materialis mane oriens, noctis fugat tenebras, infundendo claritatem. Ideò dicit Beatus Gregorius in homilia Pentecostes. Caritas est ignis non comburens, sed illuminans, non consumens, sed lucens. Ideò suo fulgore primò à mente hominis fugat cœcitatem, & incipit cognoscere veritatem, à via erroris declinando. Sic factum est de B. Matthæo Apostolo, quod figuratum legitur Cant. 3. *Salomon fecit ferculum de lignis Libani, cuius reclinatorium fecit aureum, ascensum purpureum, & columnas argenteas.*

SPIRITVALITER. Per ferculum intelligitur cor hominis, & huius gloriosi Apostoli, quo verus Salomon incessanter ferebatur, & illud fuit de lignis Libani h.e. candidationis, quando fuit illuminatum fulgore veritatis, caritate perpetua manente. Ascensum autem fecit purpureum, quando ipsum in vltima perfectione per Martyrium purpurei sanguinis consummauit.

II. Feruore.

SECVNDO, perpetua caritas mouit cor huius Apostoli feruore fugando frigiditatem, quia in ipsius corde antè *superabundauit iniquitas*, & refriguit diuina caritas, Matth. 24. Ideò ad conuersionem mouit ipsum ignis iste perpetuæ caritatis, quem B. Augustinus lib. 10. Confessionum. c. 3. desiderauit, dicens: O ignis, qui semper ardes, & nunquam tepescis, Deus meus accende me. Et quare desiderauit istum ignem? certè ideò, quia nihil tam durum & ferreum, quod non amoris igne accendatur & vincatur, vt dicit Augustinus lib. 1. de morib. Ecclesiæ contra Manichæos. Hæc assimilantur fonti, de quo idem in libro de ciuitate Dei, in quo quidem accensæ faculæ exstinguuntur, exstinctæ verè accenduntur. In hoc fonte caritatis accensus fuit B. Matthæus, qui exstinctus fuit amore mundi & pecuniarum, quia refert Titus Liuius, quod Romani pingebant Deam Fortunæ habentem faciem splendidam, & aliam obscuram, & hanc habentem chartam ante se; Amor mundi exstinguit caritatem Dei, & excæcat mentem hominis, quod non cogitat diem mortis, nec extremi examinis.

Amor mundi exstinguit caritatem Dei.

III. Dilectione.

TERTIÒ, perpetua Dei caritas, mouit cor huius Apostoli gloriosi, dulcore fugando vanitatem. Quando enim caritas Dei mouet cor hominis, tunc dissipat omnes vanitates mundi, Ideò dicit Bernardus lib. de diligendo Dominum. O iugum sancti amoris, quam dulciter capis laqueo, suauiter premis, delectabiliter oneras. Nec mirum secundum Hugonem de sancto Victore. Amor est dulcedo saporis intimi, & quantò ardentius amat, tantò suauius gustat. Iste gloriosus Apostolus, qui gustauit dulcorem huius caritatis perpetuæ, motus fuit ad sequendum Christum. O si ille amor perpetuus etiam nos moueret, vt Christum cum Apostolo sequeremur. Et hoc ad primum.

E

Triplex amor aquilæ erga pullos suos.

Quantum ad SECVNDVM tangitur interna Dei vnitas, vincens actualiter, ibi; *Dilexi te.* Referunt Naturales. Aquila diligit pullos suos tripliciter. *Primò*, dulci eos sanguine nutriendo, sicut dicit Gregorius super Iob. Quando eius pulli sunt recenter nati, & ad capiendum grossiorem cibum inualidi sunt, tunc sanguinem dulciorem & liquidiorem humorem prædæ, in ore vomit. *Secundò*, diligit eos sapienter, quia naturali industria gemmam quandam, quæ dicitur Achates, in nido reponit,

nit, vt sic pullos custodiat à morsu reptilium venenosorum, vt dicit Plinius in spec. nat. *Tertiò*, diligit eos fortiter, & pullos suos capere volentibus defendit, & fortiter se opponit. Ideoq; ne lædantur consueuit illos portare in dorso, quando mutat nidum, vt dicit Rabbi Salomon super Exodi. III.

MYSTICE. His tribus modis cœlestis aquila, aquila, inquam, grandis, & magnarum alarum, qui venit ad Libanum, hoc est, in corpus Mariæ candidissimum, & tulit de ea medullam cedri, id est, corruptionem corporis sui sanctissimi. Ezech. 17. Dilexit B. Matthæum Apostolum. PRIMÒ quidem dilexit eum dulciter vocando, per amorem, de quo dicit B. Dionysius lib. 4. dedit nomini meo diuinum & humanum amorem, quem esse virtutem dicimus vnitiuam, vt dicit Augustinus in libr. de vtilitate credendi. Quid est amor nisi quædam vita duo copulans, amantem & quod amatur. Ideo benè & congruè dici potest de ipso illud 2. Reg. 12. *Vocauit nomen eius Amabilis Domino: eo quod diligeret eum Dominus.*

Matthæus à Deo diligitur.

1. Dulciter.

SECVNDÒ, dilexit ipsum sapienter, de peccatis præteritis, tanquam à venenosis serpentibus iustificando, hoc enim fuit sapientis amare, quod in amando culpam abluit, quia *non venit vocare iustos, sed peccatores.* Matth. 9. & Luc. 5.

2. Sapienter.

Sed diceres. Quomodo Christus dilexit eum sapienter, ex quo in charitate perpetua dilexit eum, cum adhuc peccator esset, & peccator à nullo diligitur sapienter. Vnde Psalm. 118. *Iniquos odio habui?* Respondetur, quod Christus dilexit eum valdè sapienter, licet diligeret eum, cum adhuc esset peccator: quia nō dilexit eum ad hoc, vt peccator maneret, nam teste Sapiente. *Altissimus odio habet peccatores,* Eccli. 12. Sed dilexit eum vt iustus fieret. Non ergo dilexit eum, vt fuit peccator, sed vt iustum futurum. Vel potest dici, quod semper dilexit eum sapienter, quantum bonus & iustus, quia licet esset peccator, secundum tempus, tamen iustus secundum Dei prouidentiam. Et secundum hoc dilexit eum sapienter, & potuit dicere illud. *Iacob dilexi, Esau odio habui,* Malac. 1. Iacob interpretatur & significat cor contritū, & pœnitentem, vitia supplantantem. Esau interpretatur vanus vel frustra, & significat carnem, vanitatem mundi perpetrantem. Iacob autem dilexit Dominus, id est, Matthæum, vitia per pœnitentiam pœnitentem, sed Esau odio habuit adhuc vitia perpetrantem.

F

TERTIÒ, dilexit eum Dominus fortiter à peccatis futuris eum præseruando. Ideo potuit dicere illud Bernardi. Quando ignorabam, me instruxit; quando errabam me induxit; quando steti, me tenuit; quando cecidi, me erexit; quando iui, me duxit; quando veni ad ipsum, me suscepit; pro omnibus his repensam, non habeo, nisi tantum vt eum diligam. Non enim melius & decentius quàm per dilectionem rependitur, quod per dilectionem datum est.

3. Fortiter.

Quantum ad TERTIVM, subiungitur paterna Dei benignitas attrahens finaliter, cum subiungitur: *Ideo attraxi te.* Vbi NOTA. Tria sunt, quæ naturaliter attrahunt, scilicet calidum, vacuum, & tractus à tota specie. Videmus enim, quod calor solis attrahit rarissimos vapores, & tandem condensat in nubes, ita etiam inuenimus circa conuersionem sancti Matthæi. Ex calore attraxit eum diuina caritas & magnificentia; ex vacuo diuina bonitas & prouidentia; ex tota specie diuina pietas & clementia.

Tria sunt, quæ naturaliter attrahunt.

PRIMVM patet. Potest enim videri sensibiliter, quod calor habet naturam attrahendi aliqua super suam naturam, extra locum proprium, vt patet de calore so-

lis. Similiter patet ex illo. Si quis in aliquo vase vitreo candelam posuerit, & ori illius vasis applicauerit aquam, sic quod sit obturatum ex calore in suprema parte vasis, videbit attrahi aquam, & ascendere vsque ad vitri summitatem. Ita rectè trahit calor diuinæ caritatis & magnificentiæ, cuius *egressio à summo cælo, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.* Calor igitur diuinæ caritatis, quodammodo compellit diuinam libertatem ad magnificentiam, vt homines ad se trahat.

Psal. 18.

G

Quare Deus non omnes homines ad se trahat.

Sed diceres. Ex quo Deus est omnipotens, quare non omnes homines ad se trahit, sed trahit aliquos, & aliquos non? *Respondetur.* quod non ex parte Dei, sed ex parte hominum est defectus. Rectè, sicut homo cadens in foueam per se, quod non extrahitur, hoc non est ex parte trahentis, qui paratus est extrahere, sed illius, qui trahitur, si non porrigat manum vt trahatur. Sic Deus nulli deficit peccatori, sed in quantum in se est, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, quia *venit in mundum peccatores saluos facere*, vt dicit Apostolus 1. Timoth. 1. Sed peccator facit obstaculum, & hæc est causa, quare non potest moueri feruore suæ dilectionis, quia non sunt omnes eius dilectionis capaces, quia licet ipse omnibus hominibus perpetuam caritatem misit, ex qua facit ipsum hominem amatorem, tamen non omnes sunt in hac dilectione, quia sibi finem alium præferunt, per quem extra dilectionem ceciderunt. Vel etiam in simili. Constat enim quod Sol in suo lumine æqualis est omnibus naturalibus, vel saltem in multis, & tamen non omnia, quibus æqualiter est præsens, participant æqualiter eius fulgorem, nec etiam omnia per ipsum trahuntur vt grauia, sed attrahit leuia. Sic etiam Christus non trahit omnes peccatores, causa est, quia sunt indispositi, atque nimia mole peccatorum aggrauati, & non sunt in voluntate ea dimittendi.

SECVNDÒ, traxit beatum Matthæum diuina bonitas & prouidentia, scilicet ad ea, ad quæ erat æternaliter prædestinatus, sicut & quemlibet alium prædestinatum trahit, ne vacuum contingat æternam prouidentiam remanere: & hoc est, quod dicit Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, scilicet secundum diuinam prouidentiam.

TERTIÒ, traxit eum diuina pietas & clementia, in quantum traxit ipsum ad se, expellendo ab ipso miseriam & defectum. Hoc enim propriè attribuitur misericordiæ & clementiæ; & sic fuit tractus à tota specie. Rectè, sicut magneti ex tota proprietate speciei & naturæ suæ, competit attrahere ferrum, sic diuinæ misericordiæ competit attrahere ad se homines. Et ideo tractus diuinæ misericordiæ habet aliqualem similitudinem cum magnete, de quo dicunt Naturales, & præsertim Dioscorides, quod magnes seu adamas verus, si capiti dormientis mulieris cautè supponitur, scire poterit maritus, an sit casta vel infidelis. Si fuerit casta & fidelis, dormiendo amplecti cogitur virum suum. Si verò fuerit infidelis, ab eo subitò resilit & velut præsentia lapidis indigna, subitò de lecto cadit. *(Sed hæc vt superstitiosa, vt alibi monuimus, sine peccato & graui auditorum offensione, pro concione explicari non possunt.)* Sic similiter, qui tractum diuinæ misericordiæ in se sentit, subitò vi huius tractus in amplexum Dei se totaliter conuertit, dicendo Cantic. 1. *Trahe me post te.* Infidelis autem de præsumptione ipsius misericordiæ à Deo citò se diuertit. Ideo ille gloriosus Apostolus Matthæus, cum tractum huiusmodi à tota specie diuinæ naturæ sensit,

ad

ad eius amplexus cito se totaliter conuertit, quia surgens secutus est eum. Et hoc ad tertium.

DE EODEM S. APOSTOLO.

Sermo Tertius.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine, & ait illi, Sequere me, Matth. 9. Marci 2. Luc. 5.



NATVRALITER videmus, quod in via lubrica & lutosa interdum homines maculantur & labantur, ideo necesse est hanc mundam esse. Fit autem munda dupliciter, aut per exsiccationem solis in aestate, aut congelationem frigoris in hyeme. Scimus namque in hyeme, quando frigus terram ligat, tunc etiam viam lubricam mundat. Ita in aestate, quando Sol feruentius terram respicit, plateae ciuitatum desiccantur, & à lubricitate viae expurgantur.

MYSTICE. Per viam lubricam intelligitur mundi amor, qui est lubricus, ducens ad lapsum & ad mortem, vt dicit Sapiens Prouerb. 14. *Est via quae videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* De hac via ponit exemplum Petrus Alphonsus, de quibusdam peregrinis, qui dum irent in quandam ciuitatem, via illorum est diuisa in duas partes, quarum vna per ciuitatem & vadum, altera per pontem ducebat. Et cum sic starent dubij, viderunt senem, quaesierunt, quae illarum viarum citius duceret ad ciuitatem. Et ille; Breuior, inquit, est via per vadum duobus milliaribus, quàm per pontem, sed tamen citius potestis per pontem quàm per vadum transire. Quod quidam audientes, senem illum deriserunt, & per vadum transierunt: sed aliqui submersi sunt, alij autem bona sua perdiderunt. Sed ipsi vix transnatauerunt. Illi autem per pontem salui transierunt. A

Exemplum de peregrinis duplicē viam ingredientes.

SPIRITVALITER autem, nos omnes sumus peregrini in hoc mundo, quia *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus,* ad Hebr. 13. Ciuitas autem ad quam tendimus, est haec, de qua Psal. 86. dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Ad hanc quidam volunt venire per pontem, qui est arctus & angustus, significans hanc viam, de qua Matt. 7. *Angusta est via, quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam:* & illi in hac via ambulantes sunt securi. Alij & (heu) maxima pars, ambulant, per aquam voluptatis, elationis & cupiditatis, & illi, vt timendum est, periclitantur & pereunt: Vbi, inquit Alanus in libro de breuitate vitae sunt fortes & nobiles huius mundi amatores, quos vmbra mortis obtexit. Hi vt frequenter, in ista via ambulantes, cadunt in profundum inferni, nisi piissimus Dominus per frigus tribulationum & poenarum lubricitatem expurget culpas: quia secundum Bernardum in sermone. Multi cum sentiunt poenam, corrigunt culpam. Sicut patet de rege Manasse, qui vinctis caeteris à rege Babylonis, correxit vitam. 2. Paralip. 33. Vel, nisi quod idem misericordissimus Dominus, qui est Sol iustitiae, oculis misericordiae suae respexit peccatorem & exsiccauerit lutum peccati & foetorem, sicut fecit Petro, quem *respexit post negationem, vt exiret & fleret amarè.* Matt. 26 Sic etiam fecit Matthaeo, quem respexit, secundum Bedam in homilia, non tantum corpo-

corporeo intuitu, sed etiam internæ miserationis aspectu, & in eo exsiccauit omnem lubricitatem terrenæ cupiditatis, de quo dicit Euangelium. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* In quo quidem tria describuntur. *Primò*, breuiter sana respectio diuinæ pietatis, ibi; *Vidit Iesus. Secundò*, vana reprehensio humanæ prauitatis, ibi; *Respondentes Pharisæi. Tertiò*, bona excusatio supernæ Maiestatis, ibi; *Ait Iesus, non est.*

B Calandrius auis.

Circa quæ SCIENDVM, secundum Aristotelem lib. animalium. Calandrius est auis albi coloris, nullam habens partem nigredinis; & huius est naturæ, quando aliquis graui infirmitate detinetur, si ægritudo est ad mortem auertit faciem suam, & sic ægrotans sine dubio moritur. Si autem infirmus debet conualere Calandrius visum suum, figit in ipsum, & intendit eum quasi applaudens ei. Per hanc auem intelligitur Dominus noster Iesus Christus, qui est totus albus & candidus, secundum illud Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, & electus ex millibus*, & nullam habens maculam nigredinis delictorum, quia est *candor lucis æternæ, & speculum sine macula*. Sapient. 7. Iste purissimus Dominus duos habet oculos, scilicet dextrum, quo respicit bonos, & iste est oculus gratiæ. De hoc dicitur Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Habet & oculum sinistrum, quo respicit peccatores, & iste est oculus misericordiæ: & tunc si ab eis auerterit, sine dubio morientur æternaliter.
Psal. 24. Ideò Dauid, qui fuit spiritualiter infirmus, petiuit, dicens: *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego.* Si verò Christus infirmum peccatorem respexerit oculo misericordiæ, non moritur in peccatis. Istis duob. oculis respexit Matthæum, oculo misericordiæ quo sibi peccata dimisit, & oculo gratiæ, quo ipsum in Apostolum elegit.

C Matthæus à triplici infirmitate liberatus.

Quod & B. Matthæus testatur per se ipsum in Euangelio hodierno, dicens: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Et enumerat hic tres infirmitates, in quibus ante vocationem laborabat, à quibus ipsum verus Calandrius Christus pio intuitu liberabat. PRIMA infirmitas, quia fuit terrenus per cupiditatem, quam tangit: *Vidit hominem*, non virum. Homo dicitur ab humo, de qua factus est. Gen. 1. *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ.* Matthæus igitur diligendo terrena, factus est terrenus, quia dicit B. Augustinus: Talis est vnusquisque, qualis est dilectio sua terrena.

Homo auarus, terra. Supplicia damnatorum, vbi?

Si diligis terrena, terra es, si diligis Deum, Deus es. Et benè dicitur auarus homo, terra: quia videmus, quod terra in superficie est ornata floribus & herbis, & in medio ditata thesauris innumerabilibus, & in infimo est repleta doloribus & tormentis, quia in inferioribus terræ creduntur esse supplicia damnatorum. Ita auarus siue diues, est terrenus, decoratur in superficie corporis fulgentibus vestibus, quemadmodum ille auarus, Lucæ 16. Qui *induebatur purpura & bysso.* Interius verò est ditatus magno thesauro, scilicet anima, de quo Apostolus 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*, id est, terrenis, vel etiam in cistis est ditatus infinitis thesauris. Sed tamen quantumcunque sit exterius ornatus, interior ornatus est doloribus, plenus & tormentis, quia habet vermem conscientiæ remordentem, ignem auaritiæ æstuantem, de quibus dicitur Isaiæ vlt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.* Et habet solicitudinem suffocantem, & tristitiam exsiccantem, secundum illud Eccles. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atq; tristitia.*

D SECVNDA infirmitas, quia erat in bonis operibus remissus per torporem, & hoc

hoc innuit, cum dicit. *Sedentem*, hoc est, à bono opere cessantem. Tria sunt loca, cœlum, infernus, & mundus. Cœlum est locus deputatus ad sedendum & quiescendum, secundum illud Matth. 19. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* & Apocal. 14. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Infernus autem deputatus est ad iacendum, secundum illud Prouerb. 14. *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum.* Ibi pro culcitra habent tineas demolientes, pro cooperimento vermes corrodentes, secundum, quod prædixit Isaias 14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Mundus vero deputatus est, non ad sedendum, nec ad quiescendum, sed standum, hoc est, ad pugnandum, & in bonis ambulandum. Ad quod monet Apostolus, Ephes. 6. *State succincti.* Sic stetit Dauid, qui dixit: *Stantes erunt pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.*

Tria loca. Cœlum. Infernus. Mundus.

TERTIA infirmitas est, quod erat secularibus irretitus per sollicitudinem: & hanc tangit, cum dixit: *De telonio.* Matthæus enim erat telonarius, quod quidem negotium raro sine peccato, secundum Gregorium, quia communiter sumunt vltra pretium à iure constitutum. Sed quia Cæsares telonium posuerunt, quod ipsi ponunt pro iure, seruatur, vt habetur instit. de iur. gent. & dist. 90. Iudas, &c. Quis autem. Tunc potest esse sine peccato, si illa pecunia seruetur prostratis pacificandis, & pontibus reparandis: & quando capitur illud, quod iura Imperialia statuerunt, vt à quatuor euntibus vnus nummus, ab equite dimidius, à curru onusto quatuor exeundo & redeundo. Sed à personis Ecclesiasticis, & de rebus eorum, non debent exigi telonia, quia sunt ab illis immunes. Si ab ipsis exiguntur tanquam à personis singularibus, sunt ipso facto excommunicati. Si autem à comitatibus, subiici debent interdicto. Et ratio, quare ab eis non sunt sumenda telonia, nec ab eorum familia, quia debent Deum pro salute regni exorare, vt totus mundus eorum orationibus adiuuetur. Si tamen presbyter, vel alij religiosi, ducerent bona sua vt mercimonia ad vendendum, tunc à telonio minimè sunt immunes. C. de vectigalib. L. ex præstatione.

Telonarij raro sine peccato.

Pœna exigentium telonia ab Ecclesiasticis.

Et quod dictum est de sacerdotibus, est etiam intelligendum de militibus, quia illi sunt pro bono communi, quare meritò à donis communibus sunt exempti. C. de vectigalibus & commissis omnibus. Etiam scias, quod telonia noua instituenda non sunt. Nam qui ea exigunt sine consensu Principum aut Regum, si moniti non desistunt, communione careant Christiana, vt patet de censi; & exactio: c. Innouamus per Innocentium III. quod soli Reges & Principes instituere habent nouorum teloniorum potestatem. Et solum intelligitur de rebus, quæ gerunt ad vendendum: qui enim faciunt portare vinum vel bladum ad suum & familiæ vsum, non tenentur ad pedagia vel telonia, etiam si contraria consuetudo esset, vt dicit Hostiensis, quia non sunt danda telonia, nisi de rebus quæ ad negotiationes deferunt, vt ff. de publ. vectig. concordat Bernardus.

De quibus rebus Principes possint imponere telonia.

Sed quia non rectè seruantur telonia secundum ea, ideo committuntur peccata, quibus anima infirmatur. A qua infirmitate, & aliis duabus Matthæum Dominus eripuit, quando eum misericorditer inspexit, & ad se vocauit, dicens: *Sequere me*, non tantum incessu pedum, verum etiam incessu morum, sicut exponit Beda in homilia. Et hoc secundum eundem diuina prouidentia fieri disposuit, vt nullum enormitas peccatorum suorum desperandum venia reuocaret. Ideo dicit B. Augustinus:

Nemo à Dei pietate diffidat, quia maior est misericordia eius, quam nostra miseria. Quisquis ergo ad Deum toto corde clamauerit, exaudiet illum, quia misericors est. Et sic qui misericorditer vocauit beatum Matthæum, cupiditatibus & lucris inhiantem, multo magis te suscipiet ad ipsum fugientem, & clamantem. Ideo contra desperantes de Dei gratia exclamauit B. Bernardus in sermone. O res, inquit, confusa, ô res monstruosa, peccatorum desperantium de Dei misericordia, cum omnia peccata, originalia, venialia, & mortalia, ab origine mundi commissa, diuinæ misericordiæ comparata, sunt quasi vna gutta aquæ, quam pelagus totius maris continet. Et illud aduertit Matthæus, ideo *surgens secutus est eum.*

Contra desperantes.

E Circa quod NOTANDVM. Aliqua sunt impedimenta impedientia Christum sequi, scilicet amor diuitiarum, parentum, & sollicitudo, de quibus dicitur Lucæ 9. Quod quidam dicit ad Christum. *Sequar te quocunq; ieris. Cui Dominus. Vulpes foueas habent,* &c. Ait autem ad alterum: *Sequere me. Et ille; Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.* Et alter dixit. *Domine sequar te, sed permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt.* Ecce sollicitudo. Sed hæc prædicta Matthæum à sequela Christi non retrahebant. Non amor diuitiarum, quia statim *relictis omnibus secutus est eum.* Luc. 5. Nec etiam amor parentum vel amicorum. Non enim sicut Elisæus dixit, quando vocatus fuit ab Elia. *Oro,* inquit, *te, osculer primum patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te.* 3. Reg. 19. Non etiam sollicitudo temporalium retraxit, quia mox vt ipsum Christus vocauit, continuo reliquit telonium, nec dominos suos timens rationes vectigalium imperfectas reliquit, & Christo perfectè adhæsit.

Impedimẽta à sequela Christi. Matth. 8. Lucæ. 9.

F Sed diceres. Quare non vocauit Matthæum statim, cum Petro & cæteris, sed prius fecit signa, & *sanauit socrum Petri febricitantem,* tangens manum eius, Matth. 8. Et paralyticum, quem *miserunt per tectum ante Christum.* Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5. *Ad hoc dicendum.* Ex quo Christus est cognitor cordium & voluntatum, vocat, quando sentit hominem dispositum & habilem, sed in vocatione aliorum, Matthæus fuit indispositus ad vocationem. Ideo etiam dicit Simon de Cassia, Deus qui hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit, prout ab æterno præuidit & prænoscit, vocat, etenim cum toto genere homo abiit. Saluator enim noluit venire in primo, secundo, tertiò & quarto anno, vel millesimo anno, sed in sexto, vbi genus humanum fuit habile. Hæc ille. Et illa est ratio, quare aliqui vocantur, alij non, quia quos vidit dispositos vocat, aliquos in iuuentute, vt S. Nicolaum, Vitum, Barbaram, Agnetem, &c. Alios verò in senectute, de quo B. Gregorius 29. moral. dicit, Misericors Deus, qui peccata hominum tolerat, & cum iam vicinum finem respicit, plerunq; mentes peccantium immutat. Et subdit Euangelista: *Et factum est discumbente eo in domo,* scilicet Matthæi, quia, vt dicit Lucas. *Fecit ei conuiuium magnum in domo sua.* vbi dicit glossa. Ille qui prius faciebat conuiuia publicanis, postea fecit Christo & discipulis. Istud autem conuiuium fecit in signum separationis. Quando enim duo amici debent ab inuicem separari, conuiuium faciunt. Duo amici erant Matthæus & mundus, volens autem Matthæus ab amicitia mundi separari, huiusmodi conuiuium exercuit. Matthæus igitur publicanus inimicitias cum Christo habuit, tum quia officium habebat, quod sine peccato fieri non poterat, tum quia publicè peccabat, sed nunc Christo perfectè reconciliatus, ei conuiuium in signum æternæ degustationis fecit.

Cur quidã à Christo vocentur, alij verò non.

Ideo

Ideo dicit Glossa super illud Lucæ 5. *Fecit conuiuium*, &c. Quia domicilio Christum recepit, interius maximis exuberantium pascitur delectationibus voluptatum. *Fecit*, inquit, *conuiuium magnum*, non solum ratione voti, quia cum magno affectu & desiderio Christum recepit, sed etiam fuit magnum, ratione inuitatorum, qui fuerunt Christus & discipuli: & non solum illi, sed & multi publicani & peccatores, venientes discumbebant cum eo, & discipulis eius. O quanta humilitas, ô miranda benignitas, quod rex cœli, fons munditiæ, & speculum sine macula, dignatur cum publicanis comedere, & accedere hos ad se permittit. Idcirco Bernardus super Cant. Omninò, inquit, propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu Christe. Audimus quod non spernis pauperem, non enim horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non supplicantem Cananæam, & deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulum, non ipsos crucifixores tuos in odore horum vnguentorum tuorum curremus.

Tunc sequitur secundum principale. *Et videntes Pharisæi*, qui semper Christi facta malè interpretabantur, & quod Christus fecit peccatori in bonum, ipsi vertebant in murmur, & in malum, & venenum. Ideo dicebant discipulis eius, scilicet Iesu, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Ad hanc certè interrogationem potuissent discipuli respondisse, ideò fecit, vt per exemplum suę conuersationis vos traheret ad terminum conuersionis.

Et est NOTANDVM, quod Pharisæi habuerunt quadruplicem infirmitatem. *Vna*, fuit murmurationis, qua murmurabant contra apertè bona. Contra quam dicitur Sapient. 1. *Custodiuit vos à murmuratione* & detractione perditæ linguæ. *Alia*, erat infirmitas præsumptionis, quia præsumpserunt reprehendere maiores & meliores se, scilicet Christum, eo quod peccatores recipiebat, & discipulos, qui cum peccatoribus comedebant. *Tertia* erat elationis, quia se iustos credebant, & alios tanquam peccatores despiciebant; sicut illi Lucæ 18. *Dixit Dominus ad quosdam*, &c. *Quarta* erat infirmitas temerariæ suspicationis, suspicabantur enim & iudicabant Matthæum adhuc esse publicanum, quem Dominus elegerat in sanctum discipulum, adhuc suspicabantur peccatorem, quem elegerat in Ecclesiæ Doctorem. Adhuc ipsum esse auarum & cupidum, quem elegerat in martyrem pretiosum. Ideo Christus excusat ipsum, & alios peccatores: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Super quo dicit Augustinus: Aliud est sanum esse, aliud insanabilem. Qui sanus est, non eget medico; qui ægrotat cum spe, sanabilis est, sed qui ægrotat cum desperatione, insanabilis est.

G Pharisæorũ quadruplex infirmitas. I. II. III. IV.

Ex quibus verbis Augustini habetur, quod quidam sunt sani, quidam infirmi: sed sanabiles: Alij infirmi & incurabiles. Sani autem non egent medico, nisi fortè ad sanitatis conseruationem. Sanabiles egent ad curationem. Incurabiles, non nisi ad quandam vitæ prolongationem. Sani sunt viri sancti, isti egent medico, quantum ad sanitatis conseruationem. Non enim egent medico, quantum ad curationem à mortali peccato, aut culpę: egent autem quantum ad conuersationem in gratia. Sanabiles autẽ sunt peccatores pœnitentes, isti indigent medico quantum ad curationem culpæ, & quantum ad gratiæ impetrationem, quia eam non habent. Incurabiles autem non indigent, nec quantum ad curationem culpæ, quia ipsam curationem

H

non requirunt, indigent tamen, quantum ad prolongationem & exspectationem & pœnitentiam, secundum illud Isaiæ 30. *Exspectat Dominus vos, vt vestri misereatur.* Super quo dicit Augustinus: Noli negligere, quod te Deus pius exspectat, quia quantò diutius exspectauerit, vt emenderis, tantò grauius iudicat, si neglexeris. Subditur in Euangelio: *Euntes discite quid est*, scilicet illud quod scribitur Oseæ 6. *Volo misericordiam, & non sacrificium*, quasi diceret secundum Chrysostomum: Cur accusatis me, quod peccatores corrigo & emendo? ergò Deum & Patrem incusate. Sicut enim ille vult emendationem peccatorum, sic & ego. *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Hoc dicit Hilarius omnibus. Tu Domine venisti. Et quo? Dicit, *non veni vocare iustos, sed peccatores*, sed veni propter homines, quia nemo iustus fuit in mundo, quia *omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* Alij sic exponunt. *Non veni vocare iustos*, scilicet tantum, sed & peccatores. Rabanus autem sic exponit. *Non veni vocare iustos*, scilicet falsos, qui de sua iustitia gloriantur, vt Pharisæi, sed eos, qui se peccatores recognoscunt.

Rom. 3.

DE S. MAVRITIO ET SOCIIS EIVS.

Sermo.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Ita scribitur Matth. 5.

A ICVNT Naturales, quod aurum inter omnia metalla meliores & plures patitur malleationes, ita etiam, vt sine ruptione in tenuissimas laminas dilatetur, & licet in ignem ponatur, tamen non corrumpitur & consumitur. Sed si quid habet impuritatis & scoriæ, deponitur. Ideò inter omnia metalla apud seculares melius metallum & beatius appellatur, & possessores suos beatificat, iuxta illud Psal 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, scilicet cistas habentes plenas argento & auro.

B MYSTICE. Per aurum intelliguntur beati Martyres: Rectè enim, sicut sine auro nullus in Regem coronabitur, quia pauperes non habentes aurum nec argentum, non assumentur ad regendum regnum. Si autem aurum habuerint, quantumcunque viles sint, regna impetrabunt, sicut refertur de apostata Iuliano, qui per aurum, quod cuidam viduæ fraudulenter abstulit, imperium adeptus est. Sic etiam sine suffragio Martyrum nequaquam adipisci possumus coronam regni cœlestis. Quod testatur Eusebius in sermone. Honorandi sunt Martyres tota mentis deuotione, sine quorum meritis, suffragio, & fauore, nemo æterna coronabitur gloria & honore. Cui alludit Cassiodorus super Psal. Nemo propria virtute sisti poterit in cœlestibus nisi sanctorum Martyrum precibus adiutus. Etiam videmus quod aliis in Curiis dominorum non potest quicquam impetrari sine difficultate, si portatur aurum, impetratur. Ideo dicitur vulgariter.

Martyres quomodo honorandi.

Da munera summis:

Es wird wol schlecht das da krumb ist.

Munera

Munera si non das,
Es wird woi krum̃ das da schlecht was.

Ideò sancti Martyres impetrant nobis in cœlesti curia, quod nobis precibus nostris non possumus impetrare. Ideò dicit B. Ambrosius in libro de officijs. Dedit nobis Dominus Deus Martyres, vt quod nostra virtute & meritis non valemus, saltem eorum meritis impetrare valeamus. Martyres nobis prosunt.

Isti igitur sancti Martyres inter omnes alios magis sunt tribulati & malleati, & ad decorem templi cœlestis coaptati, sicut figuratum est 3. Regum 6. vbi legitur, quod Salomon, antequam templum ædificaret, fecit prius aptare lapides, qui essent necessari templo pro structura, & cum ædificabatur, *nullus sonus audiebatur malleorum*, eo quod extra templum erant lapides secti & politi. Sic Martyres, quos diuina prouidentia elegit pro structura cœlestis regni, prius hic malleo tribulationis poliuntur, ita vt non fiat ibi, *neq; luctus, neq; clamor, nec vllus dolor*. Apocal. 21. Et etiam hi in igne passionis aduruntur, nec per impatientiam consumuntur, ita vt de ipsis dici potest illud Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus, & tanquam holocausta accepit eos*, ideò benè dicuntur beati. Sicut illi beatissimi martyres Mauritius & socij eius, de quibus assumptum est hoc verbum thematis. *Beati qui persecutionem patiuntur*. In quo quidem principaliter duo describuntur. *Primò*, martyris causa principalis, ibi; *Beati qui* &c. *Secundo*, præmij causa æternalis, ibi; *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*.

Circa PRIMVM. Hugo in didascal. libro quarto dicit. Ventus sedulus si perflauerit ipsam terram, constat, quod hoc anno fertilitas consequitur. Cuius ratio est, quia ventus poros terræ aperit, & fructiferam facit. & etiam tunc terra omnes eos, quos in se habuit vapores, per ventum emisit, quibus emissis fertilitas sequitur frumentorum, & sic terra tunc à vulgaribus dicitur beata, vt sic impleatur illud Deuteron. vigesimo octauo. *Benedictus tu in agro, & benedictus fructus terræ tuæ, & benedicta horrea tua*.

MYSTICE. Per ventum tribulatio & persecutio designatur. Et hoc ideò, quia scimus naturaliter, quod arbores & herbæ odoriferæ, ventis agitatæ, mox qualemcunque habent odorem ostendunt seu emittunt. Ideò petiuit sponsa Salomonis Cant. 4. *Veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*. Sic boni Christiani flante vento persecutionis, bonum de se emittunt odorem confessionis & laudis, sicut patet in sanctis Martyribus Mauritio & socijs eius, qui instante persecutione Diocletiani & Maximiniani suauissimum odorem emiserunt confessionis, dicentes: Non est in nobis formido, non proditio, sed fidem Christi confitemur, & hanc nullatenus deserimus. Milites sumus, Imperator, tui; serui autem, quem liberè profitemur, Christi. Tibi debemus militiam, ô Imperator, illi innocentiam. A te laboris stipendium, ab illo vitæ sumpsimus exordium: vt dicit B. Euchar. Lugdunensis Episcopus. *Et subdit*. Constantes omnia pro ipso tormenta suscipere parati sumus, ab eius fide nunquam discedemus. Ecce quomodo agitati vento persecutionum, odoriferum odorem dederunt. Ideò dicit Gregorius: Sicut vnguenta redolere latius nesciunt nisi commota, ita viri sancti omne quod de virtutibus habent seu redolens, in tribulationibus & persecutionibus innotescere faciunt. *Et subdit*. Sicut granum sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius cognoscitur: Sic vnusquisque

C
Ventus designat tribulationes & persecutiones.

Tribulatio ostendit

quid fit in homine.

que vir cum non pulsatur, lætus aspicitur. Si qua verò illum tritura persecutionis opprimat mox qualis sit, ostenditur. Nam quod in tranquillitate à Domino percipitur in tribulatione manifestatur. Hæc Gregorius.

Historia de S. Machario.

SECVNDÒ. Sicut ventus nonnunquam magna deijcit ædificia, & ea funditus euertit, & arbores eradicat: ita persecutio aliquando viros magnos à fide abstrahit, qui à fide secedunt Christiana. Sicut de hoc legitur in Vitis Patrum, lib. 4. Cum S. Macharius eremum peregraret, inuenit ibi tugurium & arborem palmæ, & virum stantem, cuius capilli erant sibi indumentum, & manum ad cœlum extenderat & orauit. Completa igitur oratione negauit Macharium esse hominem, & tenens manum, interrogauit eum, dicens. Carissime, quomodo huc venisti? Viuit ne aliquis in mundo Christianus? Quia tempore suo cum esset in mundo, tanta erat occisa multitudo Christianorum, vt nõ crederet quòd aliquis viueret in hoc mundo. Cum autem Macharius ei respondisset, quod populus quotidiè acciperet incrementum. Econtra interrogauit, quare illuc peruenisset? Dixit ei. Ego Episcopus eram, & persecutione facta, mihi multa supplicia erant illata, & cum ferre non possem, (heu) idolis sacrificaui. Sed postmodum ductus pœnitentia, dedi me ipsum ad sacrificandum in hoc eremo, & fui hic quadraginta annis in confessione & obsecratione ad Deum, & certitudinem indulgentiæ hactenus non accipi. Tamen isto anno sum consolatus.

E.

Sed iste ventus passionis, non potuit seducere aut deijcere à fide hos sanctos Martyres, quin capitibus truncarentur manibus trucidarentur, & pedibus equorum conculcarentur: quia sciuerunt quod pati secundum quendam Doctorem; est tam nobile, quod nullus dignus est pati, nisi solus Christus, qui innocenter patiebatur. Nullus etiam dignus est pati, nisi qui ex corde desiderat. Etiam pati tam bonum est, quod nemo persoluere potest, quia facit hominem dignum totius boni terrestris pariterque cœlestis. Ideò legitur, quod quidam Doctores inter se disputabant, & quilibet hanc virtutem extollere nitebatur. PRIMVS dixit. Si pater cœlestis in cœlo habuisset melius aliquid filio suo vtiq; in terra dedisset, sed dedit ei pati secundum illud Luc. 24. *Sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ex quo ostenditur, quod passio sit optima in hoc mundo, & quod præualet gaudia mundana. SECVNDVS dixit. Si Maria sanguinolentas lacrymas pro vno peccatore fudisset, non tantum Deo placuisset, sicut tolerantia tribulationum, quam habuit. Et verè sic est, quia pati est tam nobile, quòd patientes pro iustitia beatificantur, & Deus nihil aliud potest dare pro eo, nisi seipsum, quod promisit Abrahæ, Gen. 12. *Ego ero merces tua magna nimis.*

Pati quàm sit homini vtile.

F.

Rationes cur pati non possumus.

Sed cum pati sit tam nobile. Quæritur, quare nos non possumus pati. Huius triplex est ratio. *Primò*, quia paruam dilectionem habemus ad Deum, & magnam ad nosmetipsos. *Secundo*, quia raro cogitamus de fructu & vtilitate ipsius pati, quam daturus est nobis Deus. *Tertio* etiam, quia rarò cogitamus, quid Christus sustinuit. Sed hodierni sancti Martyres, plus Deum quàm semetipsos amauerunt: alias persecutionem passi non fuissent: Cogitabant etiam de fructu, quem Dominus daturus esset eis, hoc est, seipsum. Item considerabant, quod Christus sustinuit pro eis. Ideò omnes persecutiones patienter sustinuerunt, quia dicit Gregorius. Si Christi passio ad memoriam reuocatur, nihil est tam asperum, quod non æquo animo toleretur.

Cui

Cui consonat Chrysostomus super Matth. Si pressuram mundi pateris, passionem Domini memorare, Sic mansuetus patiensq; eris.

Modo ad propositum. Quia venti persecutionum & tribulationum perflauerunt has terras benedictas, hoc est, corpora terrena horum sanctorum Martyrum: ideò nobis magna fertilitas est secuta. Rectè enim, sicut in anno, in quo multi venti perflant terram, multi fructus generantur, qui sunt hominibus infirmis & debilibus in solamen. Quia recreant eos: Ita ipsi per eorum passionem, quæ corpora eorum multipliciter consumauit, multa solamina deferre debilibus & tribulatis meruerunt.

Refert etiam B. Eucharius, qui vitam eorum conscripsit, quod quædam mulier filium suum Abbati monasterij ad erudiendum tradidit, in quo sanctorum martyrum corpora requiescunt, quem in breui defunctum irremediabili luctu plangebat. Cui apparens S. Mauritius, cur filium suum sic fleret, quæsiuit. Quæ respondit. Quod quàdiu viueret, à lacrymis non cessaret. Cui ille. Noli iam eum flere vt mortuum, sed scias eum habitare nobiscum. Quod si probare desideras, cras & omnibus diebus vitæ tuæ, si ad matutinas surrexeris, vocem eius inter monachorum psallentium voces audire valebis: Quod illa semper fecit, & vocem filij sui cum monachis semper discernens audiuit, & consolata multipliciter fuit. Idem narrat, quod rex Guntramus cum thesauros suos, relictis seculi pompis, pauperibus & Ecclesijs erogaret, misit quendam presbyterum, vt sibi de sacrosanctis ipsorum reliquijs apportaret. Qui cum reliquijs impetratis rediens, cum nauis orta tempestate in lacu Lausannensi periret, capsam cum reliquijs fluctibus opposuit, & mox tranquillitas magna secuta fuit. Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM, ponitur causa præmij æternalis, cum subiungitur. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vbi est NOTANDVM, secundum Doctores triplex est regnum. PRIMVM est fidelium animalium, scilicet regnum animæ, & illud est pacificorum, vbi ratio imperat, & caro obtemperat. De quo B. Augustinus super Ioannem: Recta domus, vbi vir imperat, & fœmina obtemperat. Rectus ergò homo, vbi spiritus imperat, caro seruit. Et illi benè dicuntur reges, secundum quod dicit Prosper in suis sententijs; Non caret regia potestate, qui corpori suo nouit rationabiliter imperare. Verè dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ. Illud regnum non est discordium, qui in suis animabus sunt discordes, aliorum enim animas regere non valent, quia *omne regnum in se diuisum, desolabitur*, Lucæ 11.

G Regnum triplex. I. Animarum fidelium.

SECVNDVM regnum est fidelium congregatorum, scilicet regnum Ecclesiæ: & illud est per gratiam vocatorum, quia nemo assumit sibi dignè honorem Ecclesiæ seu dignitatem, nisi qui *vocatus est à Deo, tanquam Aaron*, secundum Apostolum ad Heb. 5. & habetur 8.q.1.c. In scripturis. Ibi additur: Quod locus regiminis Ecclesię negandus est desiderantibus, sed offerendus est fugientibus. Sed (prô dolor) hoc regnum vim patitur, à tyrannis, à potentibus & diuitibus, qui intrant per potentiam contra Canones, modo pecunijs, modo per carnem & sanguinem, modo per seruitia & sic quasi violenter amodo rapiunt illud Matth. 11.

II. Fidelium congregatorum.

TERTIVM regnum est cœlestium gaudiorum, & illud est solum propter iustitiam persecutorum & passorum, secũdum illud Matt. 5 *Beati estis cum vos maledixerint*

III. Gaudiorum cœlestium.

rint homines, & persecuti vos fuerint gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Non enim æstimare debet aliquis, vt sine pati regnum cœlorum possit intrare, cum dicat veritas: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Huius figura habetur 1. Regum 18. Et infra. Quod Dauid non potuit regnum Israël obtinere, nisi per magnas persecutiones, quas sustinuit à Rege Saul. His finitis, tunc fuit in regno stabilitus, vt patet 2. Regum 1. Et infra. Ita etiam secundum Augustinum: Nequaquam ad regnum cœlorum se iudicet peruenire hic, qui in area trituræ non tunditur tribulatione. Deliberent ergò illi benè, qui sine pati volunt regnum cœlorum intrare, vel possidere. Ideò secundum Anselmum non repellas flagella DEI à te, si non vis repelli ab hæreditate sua. Patientes enim voluntariæ pro CHRISTO, veri dicuntur Domini, & eorum festum congruè Dominorum nuncupatur, vt dicit Gregorius in homilia super illo verbo. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et sic isti beati Martyres, Domini & Reges dicuntur, quia regnum cœlorum suo sanguine acquisiuerunt, & nunc hæreditariè possederunt. In quo secundum Augustinum in sermone de vocatione, est tantum gaudium, quod fide non attingitur, spe non comprehenditur, caritate non capitur, desideria & vota transgreditur; acquiri potest. æstimari non potest. In hoc est gaudium sine fine, æternitatis sine labe, & serenitas sine nube. Sed nos miseri minimè hæc perpendimus, ideò parua pati pro CHRISTO pertimescimus. Contra quos dicit idem Augustinus contra Faustum: O homo insensate, miser & infelix, qui pro tanta beatitudinis gloria sustinere modica pertimescis, cum tamen mille millia martyriorum genera ferre deberes, antequam ab illa felicitate excideres.

Figura.

DE SANCTO WENCESLAO BOHEMIÆ REGE ET MARTYRE.

Sermo.

Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.
Ita scribitur Psalm. 104.



REx sapiens, qui habet multos milites in domo sua, non omnes æqualiter remunerat & exaltat, sed aliquos facit Cancellarius, alios Dapiferos, cæteros Cubicularios, nonnullos Marscalcos. Si aliquem autem viderit prudentiorem, & ad regimen domus suæ habiliorem, hunc principem aliorum constituit & rectorem, faciens secundum consilium Poëtæ consulentis. Vnde versus.

Quem videris gnarum rectorem pone tuarum.

Quare hoc? certè ideò, quia bonus rex in multis abundans diuitijs, si non habet sapientem domus suæ prouisorem, omnia sunt inordinata & vltimatè dissiparentur. Ideò dicitur Prouer. 3. *Sapientia pretiosior est cunctis operibus, & omnia quæ desiderantur,*

tur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & sinistra illius diuitiæ & gloriæ.

Et illud sagaciter olim perpendit Pharao rex Ægypti, de quo legitur Genesis. 41. Quod quodam tempore vidit somnium. *Putabat enim se stare super flumen, de quo ascendebant septem boues,* id est, vaccæ *pulchræ, & crassæ nimis, & in locus palustribus pascebantur. Deinde aliæ septem veniebant, quæ priores deuorabant, quæ erant macræ nimis, & in locis palustribus pascebantur. Euigilans autem Pharao, perterritus est, & accersiuit omnes sapientes, eis somnium enarrans, sed non erat qui interpretaretur.* Ex dicto Pincernæ *ductus est Ioseph de carcere, & huic narrauit Rex somnium. Ille autem tanquam sapiens exposuit somnium, dicens. Septem boues pulchræ septem anni sunt futuræ fertilitatis,* &c. *Et septem macræ, anni sunt septem futuræ famis, quæ consument omnia priora. Ideò prouideat sibi Rex sapientem virum, qui præsit terræ Ægypti, qui constituat Præpositos per regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis congregat in horrea propter futuram famem.* Et sequitur. *Placuit Regi consilium, & dixit. Nunquid inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit. Ideò tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediat.* Ecce Pharao tanquam sapiens Rex, qui multos milites habuit in domo sua, nullum rectorem curiæ suæ, nisi sapientem Ioseph exaltauit. A

MYSTICE. Dominus noster Iesus Christus, est Rex regum & sapientissimus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. Ideò *si quis indiget scientia, postulet ab eo, qui dat omnibus affluenter,* vt dicitur Iacob. 1. Iste sapientissimus Rex Christus, habet multos milites in curia sua hoc est, in mundo: sed non æqualiter eos exaltat, sed dat vnicuique vt vult. Nam aliquos fecit Cancellarios, sicut Euangelistas & Doctores, qui scripserunt secreta sua: alios autem Dapiferos, sicut prædicatores, qui ferunt spiritualiter dapes verbi Dei? nonnullos verò constituit Cubicularios, scilicet religiosos contemplatiuos, qui semper in cubiculo regis conuersantur, quia eorum conuersatio in cœlis est. Ad Philip. 3. Reliquos autem fecit Marschalcos, aut Stabularios, sicut Papas & Episcopos, qui debent custodire stabulum Ecclesiæ, ne lupus rapiat oues, scilicet fideles. Ideo dicit Apostolus ad Ephes. 4. *Vnicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, qui dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum.* Si autem Christus viderit aliquem prudentem ad regimen seculare, hunc facit Dominum terræ, & Principem regni secularis, sicut fecit beato Wenceslao, quem propter suam prudentiam fecit Principem terræ Bohemorum, vt per prudens regimen populi huius, veniret ad regna cœlorum, sicut volunt verba thematis præassumpti. *Constituit eum Dominum domus.* In quibus quidem duo describuntur. *Primo*, iuridicæ traditio potestatis, ibi; *Constituit eum. Secundo,* cœlicæ acceptio hæreditatis, ibi; *Et Principem omnis possessionis suæ.*

Religiosi, cubicularij Christi.

Circa PRIMVM est NOTANDVM. Dicunt naturales, quod natura solet constituere in Reges hæc animalia, in quibus plures sunt perfectiones, aut naturalia, scilicet, quæ sunt magis sapientiora, liberiora, mitiora, obedientiora, & iustiora, sicut videtur de leone, qui secundum Isidorum libro 12. est rex animalium quadrupedum, & est sapiens. Cuius sapientia patet in suscitatione suorum catulorum, quos per triduum rugitu magno dicitur suscitare. Et est liberalis, cuius liberalitas patet in Solino de mirabilibus mundi, quod prædam suam quam rapit, solus comedere erubescit, B

Leo rex animalium. Est sapiens. Liberalis.

Mitis. sed à remotis sequentibus alijs animalibus, de ipsa gratia liberalitatis eis partem derelinquit, quod de alijs animalibus non videmus. Et est animal mite & misericors, quia dicit Isidorus lib. 12. Quod natura eius circa hominem est magna, & mirifica, & misericors, quia coram se prostratis parcit, nec hominem nisi magna fama comedit, & occidit. Est & obediens, quia secundum Solinum vbi suprà, quando vidit catulum ante se verberari, statim timet & obedit. Est deniq; animal iustum, quia verberat sibi resistentes, sed parcit, vt dictum est, quæ sunt se coram ipso prosternentes.

Obediens. Iustus.

SPIRITVALITER. Christus, qui est naturalis Dominus totius naturæ, constituit beatum Wenceslaum in Principem terrestrem, omnia hæc perfecta, & alia ad Principem spectantem in se habentem. PRIMÒ enim more leonis habet sapientiam, quæ valdè necessaria est Principibus, & Ciuitatum Rectoribus, quia ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium, sed *Rex insipiens perdit populum suum*, Eccli. 10. Ideò hanc sapientiam didicit à primo ætatis suæ exordio, sicut refert Iacobus Ianuensis, & non segniter agens in aggressis, citò super senes & se docentes intellexit, ita vt dicere potest cum Propheta: *Super senes intellexi, quia mandata tua custodiui.* Similiter potuit dicere illud Sapien. 8. *Puer ingeniosus eram, & sortitus sum animam bonam*, quia omnia lecta cum sensu mystico commendauit.

Wenceslaus leoni cōparatus. I. In sapientia. Psal. 118.

Figura. Hanc sapientiam ostendit in hoc, quod noluit idola surda & muta adorare. Ideò huius sancti pueri Wenceslai præcessit figura in Tobia, de quo legitur Tobiæ 1. *Cum omnes irent ad vitulos quos Ieroboam rex Israël fecerat, solus Tobias fugit consortia hominum; pergens in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël.* Ideò B. Wenceslaus, cū omnes irent ad immolandum idolis, quæ colebat mater eius nequissima, cum sibi adhærentibus, solus fugiebat consortia eorum, & pergebat occultè ad Ecclesias, quas pater eius cōstruxerat nomine Vladislaus, & adorauit Dominum Iesum Christum, vt dicit præfatus Iacobus Ianuensis in Legenda. Idcircò sua sapientia longè lateq; excessit sapientiam Salomonis, de qua legitur 3. Regum 4. *Cum senuit Dauid, dedit Dominus sapientiam Salomoni, & scientiam, & præcedebat eius sapientia, sapientiam omnium Orientalium*, qui, secundum glossam, studebant in cursu astrorum, & Ægyptiorum scilicet, qui studebant in Physicis. Sed tamen hac sapientia ipse est abusus, quia, sicut habetur 3. Reg. 11. *Cum senuit Salomon, deprauatum est cor eius per mulieres, & templa idolorum fabricauit*, & ea similiter adorauit, ne offenderet mulieres. Sed non sic B. Wenceslaus, qui maluit habere iram maledictæ suæ matris idololatræ, quam deserere cultum Dei veri, & opprobria ab ea sustinuit, ideò dicere potuisset cum Psalmo 68. *Quoniam propter te Domino sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam, extraneus factus sum fratribus meis*, &c. Quia frater suus iniquus Boleslaus alter Cain ipsum ob hoc odiuit & occidit.

II. In liberalitate. SECVNDO, Beatus Wenceslaus habuit liberalitatem; quæ debet esse annexa Principibus, quemadmodum ostendit Titus Imperator, de quo refert Suetonius, quod conuiuia fecit, & nullum ante se in liberalitate similem habuit, neminem à se sine munere discedere permisit; & cum moreretur multa suis domesticis remisit. Non, inquit, à Principe oportet quenquam tristem recedere. Sic B. Princeps Wenceslaus conuiuia fecit pauperibus, & nullum à se sine munere abiere permisit, quia fuit alter Iob, de quo legitur Iob. 3. *Si negaui quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: quia mecum*

ab ita

ab infantia creuit miseratio. Ipse enim indigentias pauperum suis diuitijs supplebat. Infirmos in propria persona visitabat, nudos tegebat, peregrinos suscipiebat, insepultos manu propria sepeliebat. De nocte etiam surrexit, lignaq; collegit, in dorso suo ante domos pauperum collocauit, vt de ipso exponi possit illud Prouerb. 6. *Manum suam aperuit inopi.* & rursum de nocte surrexit, *& dedit prædam domesticis suis.* Sic autem non faciunt nunc moderni nostri Principes, qui rapiunt & opprimunt pauperes, quos tñ ille nobilissimus Princeps consolabatur, & alebat. Ideò audiant illud Isaiæ 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* quia dæmones rapiunt eorum animas, sicut testatur Haymo super Apocal. Opprimunt dæmones eius mentem, qui nunc pauperem oppresserit & egentem. Oppressio enim pauperis, & offensio Christi.

TERTIO, beatus Wenceslaus more leonis fuit mitis & misericors, quæ etiam benè conueniunt Principi, secundum illud Prouerb. 20. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roborabitur clementia thronus eius.* Ipse enim fuit alter Moyses, qui erat *vir mitissimus*, Numer. 12. Quamuis enim beatus Wenceslaus erat excellentior respectu aliorum, tamen eorum iniurias sustinuit patienter, & præ maxima mititate multos captiuos liberauit, rectè imitans naturam leonis, de qua refert Isidor. lib. 12. quod captiuos repatriare permittit, quando enim obuiam habuerit aliquem de captiuis, hunc vt fertur, non lædit, sed liberè in patriam ire sic permittit. Ita beatus Wenceslaus, cum adhuc in vita præsenti foret, multos de carcere eripuit, & liberè abire permisit, carceres destruxit, & omnia patibula, animaduertens illud Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et illud Lucæ 6. *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* D *III.* S. VVenceslaus fuit mitis.

Refertur in Legenda, quod post mortem eius pretiosam, plurimi rei vinculati in fœtore cuiusdam carceris iacuerunt constricti, & nulli solatij spem habuerunt, sed mortis horrorem semper cum gemitu exspectabant, & quadam nocte inter angustias positi, venit eis in mentem, vt sanctum Wenceslaum pro auxilio sibi dando implorarent: idcirco dicebant. Domine Deus, per merita & orationes sancti amici tui Wenceslai, nos in præsenti tribulatione digneris liberare. Ecce affuit eis præsidium Martyris inuocati. Nam nocte sequenti dum omnes foris placida quiete pausarent, & hi solum miseri quid requies esset, nescirent. *Primum*, quasi sonus tintinnabuli in auribus eorum insonuit; *Deinde*, lux cunctis miranda in carcere refulsit, & subito vinculum, quo omnes inclusi tenebantur, velut arcus se incuruauit, & mox omnes pedes suos à neruo extraxerunt. Confortati igitur clamabant Domine Deus noster Iesu Christe, adsis nobis seruis tuis in te confitentib. per merita sancti Wenceslai, qui pro tui nominis honore, ab impiorum est manibus interemptus. Mox affuit virtus Christi, & vniuscuiusq; torques cecidit confracta de collo ad terram, & exeuntes de carcere nullo obstaculo retinente, ambulantes per gyrum, Dei mirabilia & sancti Wenceslai enarrabant. Ex qua quidem narratione, gloria martyris vndiq; est dilatata, quæ etiam gentes minimè latuit. In carcere vincti VVenceslaum inuocantes liberantur.

Idcircò contigit quendam paganum in carcere detineri, qui sciens mititatem sancti Wenceslai, ex relatu illorum, dixit. Si Deus sancti Wenceslai & Christianorum me ab hac miseria sua bonitate liberabit, credam in Christum Iesum, & baptisma suscipiam. Vix illa verba compleuerat, & ecce omnia vincula ferrea ceciderunt. Paganus vinctus votū faciens S. VVenceslao, liberatur.

Quem custodes plures meritis beati Wenceslai liberatum, comprehendentes, repetitis vinculis religauerunt. Sed toties iterato fracto vinculo, compuncti dimiserunt liberum, & ille mox vota impleuit.

Aliud exemplum legitur, quod quidam princeps quendam in carcerem misit, & ille frequentibus suspirijs Dominum deprecatus, ait. Domine Deus per merita sancti Wenceslai, adiuua me. Quadam igitur nocte contigit, vt inter angustias obdormierit. Statim igitur expergefactus, extra ciuitatem in media platea stetit, & neque erant compedes eius in pedibus eius, neque torques in collo, neque catenæ in manibus. Et egressus ad Vicarium suum, narrauit quod Dei virtute sit mirabiliter liberatus. Vicarius autem agnita Dei virtute & potentia beati Wenceslai, reum donauit libertati.

IV. Obedientia S. Wenceslai. QVARTO, beatus Wenceslaus habuit obedientiam, quæ etiam necessaria est Principi, vt ipse obediat superioribus, sicut vult sibi obediri à suis inferioribus, vt dicit Leo Papa 2. q. 6. c. Qui scit. Et vt Deo principaliter obediat, quia dicit beatus Augustinus lib. 2. Confessionum, & habetur. 8. dist. c. Quæ contra mores. Sicut, inquit, in potestatibus societatis humanæ maior potestas ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus hominibus. Quod perpendens beatus Wenceslaus, cum esset sub potestate auiæ suæ sanctæ Ludomillæ, ei humiliter obediuit. Constitutus autem in Principem, Deo fuit subditus & obediens, cum omnia contemneret, propter eum sicut canit Ecclesia. *Humilis in gloria fuit, pauper in diuitiis, mundi refutans gaudia, castus in delitiis.* Ideo rectè est alter Abraham, de quo legitur Genesis 12. quod *possessio eius erat multa nimis*, tamen his omnibus dimissis, mandato Dei obediuit, & *de terra sua egressus fuit*, & postea mandato suo obediens, *filium suũ immolare voluit*, Genesis 22. Ita beatus Wenceslaus tanquam Princeps abundans, multa habuit, omnia tamen secundum desideria dimisit, vt impleretur illud Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* & postea voluntariè corpus suum per martyrium Deo obedienter immolauit, vt adimpleret illud Prophetæ: *Immola Deo sacrificium laudis.*

S. Wenceslaus Abrahę cõparatur.

Psal. 49.

E

V. S. Wenceslai iustitia. QVINTO, Beatus Wenceslaus habuit iustitiam, quæ etiam necessaria est Principi, quia secundum Sapientem Prouerbiorum 15. *Qui sequitur iustitiam, diligitur à Deo.* Est autem iustitia, malos punire, & diligere bonos. Hanc habuit beatus Wenceslaus, & austeriter correxit malos idololatras, dicens: O insensati homines, & filij sceleris, semen Chanaan & non Iuda, quis vos fascinauit obedire veritati? vos non quæritis ea, quæ sunt salutis. Sinite seruos Christi fideles, idolis vestris non seruiant. Hactenus prohibuistis me Christo seruire, fidelesq; omnes de terra expulistis. Non erit ita amplius, sed Domino Deo liberè seruiemus, vt dicit Iacobus Ianuensis.

Daniel. 13.

Sed bonos diligebat, eis necessaria largiter ministrando, ita, vt de exponi possit illud Psalm. 111. *Dispersit dedit pauperibus*, infirmitates eorum supportando, vt adimpleretur illud Apostoli: *Alter alterius onera portare, & sic adimplebitis legem Christi.* Ad Gal. 6. Quia multoties infirmis pauperibus, ligna in proprijs humeris portauit. Hæc quinq; debet habere quilibet Princeps vel Rector vniuersitatis: Sicut probat Beatus Augustinus, sermone de dedicatione Ecclesiæ, loquens ad Principes dicens. Estote proni ad misericordiam, & nolite esse faciles ad rapinam; facultas vestra non sit violenta, dignitas vestra non sit superbia, potestas vestra non sit iniusta. Hæc ille. Sed quia Beatus Wenceslaus hæc renuit, ideo Christus ipsum Dominum domus

Principes debent habere quinq;.


suæ

suæ constituit, & nunc Principem omnis possessionis suæ in cœlesti regno, vbi tanquam Princeps residet, omniaq; bona Domini feliciter possidet. Et quomodo illud promeruerit, vide in Legenda.

DE DEDICATIONE TEMPLI.

Sermo.

Sapientia ædificauit sibi domum, & excidit in ea columnas septem. Prouerb. 9.



ICVNT naturales, munda animalia desiderant inhabitare loca pulchra, sicut patet de ouibus, auibus, & columbis, quæ libentius habitant in locis pulchris, quàm immundis. Quare Petrus de Crescentia lib. 9. consulit, quod loca seu stabula omnium sæpius debent mundari, quia fimus non solum lanam, sed & vngulas corrumpit, & scabiosas facit. Idem in eodem ait, quod locus columbarum debet sæpius purgari, & vndiq; decorari: nam in pulchro loco, sicut & homines, auidius commorantur. De Apibus, dicit Aristoteles lib. 10. animalium, quod mirabiles faciunt sibi cellulas, in quibus mella componunt. A Columbaria sæpius mundanda.

MYSTICE. Per hæc animalia intelligitur Dominus noster IESVS Christus, qui se ipsum agno comparat, Ieremiæ 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* & Isaiæ 53. dicit de ipso. *Sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se non aperuit os suum.* & Cantic. 2. comparatur turturi, dicens sponsa: *Vox turturis audita est in terra nostra* & Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ & resident iuxta fluenta plenissima.* Hic Christus mitissimus agnus, & columba simplicissima in domibus ornatis libentius, quàm in immundis desiderat commorari: quia vult, vt templum suum mundum teneatur; quod patet ex hoc quod non sinebat *vas immundum ferre per templum.* Marc. 11. Ideo Propheta in spiritu intelligens dixit, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ideo domus Dei in qua vult sacramentaliter habitare, eo mundius cōseruetur. Iuxta illud in Canone 10. q. 1. c. Sanctorum. Per Calixtum Papam, qui dicit Ecclesias à laicis incastellari, aut in seruitutem redigi auctoritate Apostolica prohibemus. vt dicit Glos. De Ecclesijs non debent fieri propugnacula, aut in eas impelli pecora, nisi propter hostium incursus, incendia repentina, aut alias necessitates vrgentes, propter quas oportet refugium habere ad illas. Sic tamen, vt cessante necessitate, res de Ecclesijs ad loca propria, & pristina reportentur. Vt habetur de custod. Eccles. c. Reliquiæ. Quia Ecclesia est summo Domino & Deo dedicata, ideo ab omnibus immunditijs debet esse aliena. Et hoc perpendit Salomon 3. Reg. 6. Qui ædificauit templum Domino miræ pulchritudinis & magnitudinis, *& texit tabulis & parietes fecit de eisdem oraculum illius habebat XX. cubitos longitudine, & XX. altitudine, & XXX. latitudine, & vestiuit illud auro purissimo, affixitq; lamina clauis aureis, & nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Ideo benè possunt de templo sumi prædicta verba. *Sapientia,* hoc est Sapiens Salomon, *ædificauit sibi,* scilicet Deo *domum.* In quibus duo tanguntur. *Primo,* domus Dei magnificentia, ibi; *Sapientia ædificauit.* *Secundo,* eiusdem sufficientia, ibi; *Excidit in ea columnas septem.* B Psal. 25.

C De Primo est Notandum. Reges seculares, & principes, multas domos sibi facere, & construere permittunt, nec in vna contenti esse volũt, quia in diuersis suis ciuitatibus diuersas constituunt domos, & interdũ quot sunt ciuitates, tot habent domos & habitationes. Quare nõ oportet eos intrare hospitia aliena in quibus essent insecuri ꝓpter intoxicationes & venena, vel in quibus minus benè tractarentur. Ideò legitur 3. Regum 7. de Salomone, qui in ciuitate Ierusalem varias habuit domos decenter ornatas, scilicet propriam, & domum vxoris suæ, ad quam sæpius causa solatij transiuit & postea ædificauit Mella. Sic Dominus noster Iesus Christus, secundum Psalm. 46. est *rex magnus super omnem terram, & Princeps* Isa. 9. *Cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum*. Prouerbiorum. 8. quia, seruis suis in hoc peregrinationis exilio degentibus, suam præsentiam in consolationem promisit, dicens. Matth. 18. *Ego vobiscum sum vsq; ad consumationem seculi.*

Ædificauit sibi varias domos in quibus dignatur nobiscum habitare Primò, est Ecclesia materialis constructa ex lapidibus, quæ suo sancto nomini dedicatur. De hac dicit Dominus Matth. 21. & Marci. 11. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Et Ioannis 2. *Nolite*, inquit, *facere domum Patris mei speluncam latronũ & domum negotiationis*, quia in hac domo non est negociandũ, sed Deus adorandus. Ideo figuratur per templum, quod vidit Alexander Rex Magnus, sicut legitur in sua historia. Cum iret impugnare totum mundum, venit quodam tempore ad quendam montem, sub quo erat ripa, in qua pendebat catena aurea, & ipse mons habebat gradus bis mille, & quingentos. Ascendit autem Alexander in montem cum aliquantis militibus, & inuenit ibi palatium, in quo erat templum aureum, & in medio erant cymbala & campanæ aureæ, & lectus pretiosissimis lectisternijs, in quo iacebat homo magnificentissimus, indutus alba veste bombycina, ornata auro, & lapidibus pretiosis, & circa eum vinea aurea. Quod cum vidisset Alexander, nihil nocuit huic templo, sed adorauit hunc hominem.

Historia Alexandri Magni.

Per hoc templum aureum signatur Ecclesia, & domus Dei, quæ aurea dicitur, non auri materialis, sed magnæ caritatis, quam Christus ad ipsam habuit, ita, vt diceret eum Psalm. 68 *Zelus domus tuæ comedit me*, tantam namq; dilectionem habuit, ad ipsam, vt *faceret flagellum de funiculis & vendentes oues & boues & columbas eijceret, & mensas numulariorum euerteret.* vt habetur Ioan. 2. Sic per cymbala aurea intelliguntur prædicatores Ecclesiæ & Doctores, secundum Gulielmum in rationali diuinorum lib. 1. Quia sicut cymbala & campanæ fideles ad Ecclesiam excitant, sic prædicatores ad fidem inuitant. Lectus autem præciosissimus est altare cum albis corporalibus, quod est ornatum varijs albis pannis, & appendijs, in quo iacet ille homo magnificentissimus Christus Iesus de Maria Virgine natus, sicut fit, in Missa quando Sacerdos consecrationis protulit verba, & hic verus homo est indutus veste alba purissimæ castitatis & innocẽtiæ, cum sit *candor lucis æternæ, & speculum sine macula*. Sap. 7.

Per vineam auream intelligitur omnis congregatio fidelium, Deum nunc in spiritu videntium. De qua dicitur Isaiæ 5. *Vinea Domini exercituum domus Israël est*. Et hæc vinea est aurea, propter caritatis vnionem, & fert botros bonorum operum, quę per lapides designantur.

D Ad hanc domum siue templum debet ire quilibet Christianus, & nihil aliud ibi facere, nec vacare alicui alteri negotio, nisi orare, quia dicitur in Canone quadragesima

gesima secunda distinctione, capite Oratorium hoc sit, quod ibi nec quicquam geratur, quàm quod diuinis mysterijs conueniat. Cui consonat Augustinus ibidem. In Oratorio præter orandi & psallendi cultũ penitus nihil agatur, vt nomini huic, & opera iugiter impensa concordent, vt videlicet ibi adoretur ille homo magnificentissimus Iesus Christus in Sacramento. Et hoc legitur fecisse Tobias, qui fugit consortia hominum, *& pergens in Ierusalem ibique Dominum DEVM humiliter adorauit.* Tobiæ primo. Sed (heu) quidam intrant Ecclesiam non vt adorent, sed vt res ibi positas furtim, vel verius violenter rapiant, & asportent. Et de his dicit Guilielmus super Ray: in de sacrilegio: Si tales violenter frangunt ostia Ecclesiarum, vel fenestras, vt res inde auferant: si publicè fuerint denunciati ab Ecclesia, incidunt excommunicationem maiorem à qua solus Papa potest absoluere, & non ab alio, cui non est commissum ab eodem. Secus si ostio aperto intrarent, licet inde aliquid asportarent, non incidunt in eius excommunicationem maiorem, sed minorem, vt decima septima quæstione 4. cap. Si quis fur. Etiam sicut ait Gulielmus incidit in Canonem, sicut publicus effractor, dummodo fuerit denuntiatus, & à solo Papa absoluendus: vt habetur in Canone, decima septima, quæstion. secunda. cap. De viro. Illi, qui committunt sacrilegium auferendo res Ecclesiæ, vel etiam Ecclesiam violando septem annis debent pœnitere eo modo, quod ex his septem, tres annos compleant in pane & aqua ieiunando; *& Primò*, anno extra cæmiterium Ecclesiæ existant, *Secundò*, stent ante fores Ecclesiæ, *Tertiò*, anno ingredientes Ecclesiam; sed non communicent corpus Christi. Alijs verò annis, carnes non comedant, nec vinum bibant; sed tamen hoc præsupposito, quod prius omnia ablata restituant. Quia dicit Augustinus, & habetur de regula iuris, Peccatum non dimittitur nisi ablatum restituatur. Ibi dicit Glossa Ioannis Andreæ. Quantumuis quis agat pœnitentiam, si non restituat, quod abstulit; nihil agit. si saltem ablatum restitui potest. Si autem euidenter est inops, quòd restituere non potest, tunc benè dimittitur peccatum ex venia, sed non obligatio. Et si ad pinguiorem fortunam venerit, tenetur: vt habetur 16.q.6.c. Si quis. Sacrilegiorũ & Ecclesiam violantium pœna.

E Isti igitur sacrilegi, scilicet rerum Ecclesiæ ablatores, multum timere habent pœnam, quæ accidit Antiocho Regi scelerato, de quo legitur 1. Machabeor. 1. quod intrauit in templum in Ierusalem cum magna superbia & tumultu, & abstulit ab illo altare aureum, & comminuit omnia, & accipit aurum & argentum, & occultos thesauros, quod tamen Dominus non permisit impunitum, sed vt legitur 1. Machabeor. sexto. Percussit eum Dominus infirmitate, graui, & dum sic iaceret in lecto, dixit: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, quando abstuli omnia spolia aurea & argentea, & aurea, quæ erant in ea, & nunc cognoui, quia propterea inuenerunt me hæc mala, & ecce pereo præ tristitia.* Sacrilegis quid timendum.

Quidam Ecclesiam intrant, non vt DEVM adorent & Sanctos honorent, sed vt ancillas suas videant, & non vt Christum, placent suis orationibus, sed vt videantur à mulieribus, & eas suo visu alliciant impudicè: & sic est de mulieribus èconuerso, quod tamen pudendum est dicere, & commune verum, quod iam istis temporibus non est aptior locus ad procandum, quàm domus Dei deputatus orationi, Ideò de illis conqueritur Dominus Matth. vigesimo primo. *Vos fecistis* Quo fine aliqui Ecclesiam intret.

domum

domum meam domum latronum, hoc est dœmonum, qui tunc conueniunt ad perficiendum hoc opus, istius luxuriosi & mœchi.

Quidam autem intrant domum Dei, non sicut Petrus & Ioannes, sed vt ostendant subtiles cantus vocum & fracturas, vt placeant hominibus, quod communiter fit in dedicationibus. Contra quos dicit Hugo in libro de claustro animæ. Quid prodest dulcedo vocis sine dulcedine cordis; frangis vocem, frange & voluntatem; seruas consonantiam, serua & concordiam. Et de eorum Cantu dicit Augustinus. Plus placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm Clericorum Cantus luxuriantium, id est, lasciuè cantantium, vt placeant amasijs.

F

Domus spiritualis duplex.

SECVNDA domus, quam sibi sapientia vera ædificauit, est spiritualis, & est duplex, scilicet specialis & communis. Specialis est quælibet anima ad imaginem Dei facta, de qua habetur in Psalmo vigesimo secundo. *Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudine dierum*. Hanc domum debemus mundam tenere, secundum, quod monet Dominus Leuit decimo nono. *Sancti & mundi estote quoniam ego sanctus sum*, scilicet, qui vobiscum cupio habitare. De ista domo dicit B. Augustinus in sermone nono, ad fratres eremitas. O mens sancta, paradisus deliciarum, varijs bonorum operum virgultis consita, varijs virtutum floribus purpurata, iugiter cœlesti gratia irrigata. Hæc fratres charissimi, est Paradisus in quo plantatur lignum cœlestis Sapientiæ. Hæc est thalamus Dei palatium Christi, tabernaculum Spiritus sancti. Hæc est thronus Salomonis sponsi, lectulus cœlestis, in quo ipsa anima parata optime delectatur, & requiescit cum sponso. Hæc ille. Tamen ostium huius domus Christus pulsat, secundum illud Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Idcircò tali benigno, & locupletissimo Domino debemus aperire, vt ab eo locupletemur, & dicere illud, quod dixit Rebecca ad Eliazar seruum Abrahæ: *Ingredere benedicte domum, cur foris stas?* Genes. 24.

I. Specialis.

Alia domus *spiritualis* est tota Ecclesia Catholica, quæ super Christum tanquam firmissimam petram est fundata, secundum quod canit Ecclesia. *Hæc est Domus Domini, bene fundata, firmiter ædificata super firmam petram*, scilicet Christum. de qua 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus*. De hoc domo dicit Apostolus 1. ad Timoth 2. *Hæc scribo tibi, vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna* recta & forte *fundamentum veritatis*.

Tertia domus est *pacifica* & tranquilla quam ędificauit sibi sapientia, quę est domus triumphatorum. de qua Psalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te*. Quia secundum Augustinum libro quarto de libro arbitrio, tanta est pulchritudo æternæ gloriæ, & domus DEI, tantaque iucunditas lucis æternæ, vt etiamsi non liceret in ea amplius delectari, quàm vnius horæ diei, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies, pleni delitijs, & refluentia bonorum operum temporalium, merito despicerentur. Etiam pulchra est & suauis vt in ea visus non possit amplius delectari. omnem vincit, dulcedinem, & omnem exsuperat concupiscentiam. Et hoc quo ad primum.

Colũnæ septem Domus Dei.

Quantum ad SECVNDVM ponitur domus Dei plena effluentia, cum subditur: *Et excidit in ea columnas septem*. Vbi est NOTANDVM. Illa domus esset sufficiens ad se ipsam, & quo ad habitatores, vbi necessaria vitæ & corporis propria haberentur

vbi

vbi inueniretur cibus & potus, aqua ad lauandum, oleum ad vnguendum, secundum illud Poëtæ.

Sufficiens domus hac vbi cuncta ponentur edenda.

Talis domus est templum Dei, in qua omnia necessaria animæ habentur, sine quibus homo difficulter potest beatè viuere; & significantur septem Sacramenta per septem columnas, quas excidit vera sapientia designata. Rectè enim sicut columnæ Ecclesias sustentant ne cadant, & à ruina præseruant; Sic etiam hæc septem Sacramenta à ruina spirituali animæ præseruant, & si homo ceciderit, rursum resurgat adiuuant, vt dicit Magister in lib. 4. dist 1. Septem columnæ, septem Sacramenta.

G PRIMA columna quam excidit Christus sapientia Patris in hac domo, est aqua baptismatis, quæ sanat sordes peccati originalis, & sine illa non habetur spiritualis, quod probatur in simili. Refert Iacobus Antiochensis in historia Orientalium, quod in Oriente in quibusdam arboribus quædam aues generantur, & illæ quamdiu pendent in eis, non habent vitam. Sed statim cum cadunt de arbore in aquam, vitam habent, & natare incipiunt, atque volant. Per has arbores significantur matres parturientes, in illis generantur filij, sed mortui in gratia. Quia secundum Augustinum de fide ad Petrum. Omnis homo per concubitum viri & mulieris, qui concipitur, cum originali peccato nascitur, mortique subijcitur. Et habetur de consec. distinct. 4. cap. Firmissimè. Si autem debent habere vitam gratiæ, oportet eos in aquam baptismi cadere, aliàs visione priuarentur, vt dicit Augustinus, & habetur de consecr. distinct. 4. Firmissimè tene, non solum homines ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vtero matris viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, & sine Sacramento Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti de hoc seculo transierint, sempiterno igne sunt puniendi. Hæc ille. Sed statim postquam ceciderint ad aquas baptismi, vitam habent gratiæ, & mundabuntur ab omnibus delictis, & vestimentis innocentiæ induentur. Quod exponit Cassiodorus super Psalm. *Omnia delicta iuuentutis meæ*, &c. dicens: Delicta per puerperium commissa, baptismo mundantur, vt illi nos restituant puritati, in qua Adam nascitur procreatus, &c. I. Baptismus. F

SECVNDA columna est confirmatio, quæ se habet, vt electuarium confortatiuum. Quia secundum medicos, homo exiens de balneo, in quo se de immunditijs expurgauit, si ibi contraxit aliquam debilitatem, necesse est, vt detur ei aliqua medicina, qua assumpta sanitas conseruetur. Sic homo exiens de balneo sacri baptismatis, quo est à peccatis originalibus purgato, necesse esse sibi, vt habeat aliquod confortatiuum contra vitia, & hoc est Confirmatio, quæ fuit ab Episcopo, per quam mediante gratia, in baptismo collata, roboratur, & datur robur Spiritus sancti, contra carnem, mundum, & diabolum, litigandi. Et in signum huius vngitur oleo sancto in fronte. Vnde inquit Augustinus: Nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Si quis hoc nobile electuarium friuolè contemserit, audeo dicere; quod condemnatur. Teste Hugone in libro de Sacramentis. Timendum, inquit, est his, qui negligentia non suscipiunt manus impositionem ab Episcopo, ne forte damnentur, cum festinare debuerant cum poterant. Et qui in senectute hanc desiderant, ieiuni & contriti hanc accedant. II. Confirmatio. Confirmationis Sacramentũ contemnens, condemnatur.

H

III. Eucharistia. TERTIA columna est corpus Christi & sanguis, quæ sunt quasi cibus & potus recreationis animæ, & hominem faciunt fructuosum. Refert enim Petrus de Crescentia in libro secundo Ruralium commodorum. Si aliqua arbor fuerit vetulla non ferens fructus, illius radices debent scindi, & lapides immitti, vt eo melius arbor attrahat humorem & nutrimentum, & sic sit fructuosa, quam prius sterilitas inuadebat. Sic homo per arborem designatur secundum illud Matth. 8. *Video homines vt arbores.* Si est in peccatis vetustus, scindere debet radicem cordis per contritionem, malum humorem emittendo peccati per confessionem, & tunc immittere hunc lapidem pretiosum, quem reprobauerunt ædificantes, & qui diuisus est de monte sine manibus, & tunc sine dubio fit fructuosus, Teste Fulgentio, qui ait: Qui dignè miserit sanctam Eucharistiam in cor suum, in ipso proculdubio fontes aquarum fluent, & resoluent in æternum.

IV. Pœnitentia. QVARTA columna est pœnitentia, de qua dicit Hieronymus, & habetur de pœnitentia dist. 1. cap. Medicina, & cap. Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter est confiteri. Hæc significantur per mare, quod secundum naturales est amarum, aut secundum gustum impotabile. Est tamen secundum effectum vtile, est & multarum infirmitatum curatiuum. Quia secundum Constantinum sanat hydropicos, & alios scabiosos; Ita pœnitentia, quamuis sit amara aliquibus ad potandum, est tamen multum vtilis ad peccata delendum. Quia dicit Augustinus libro de pœnitentia; Languores sanat, leprosus curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, surdis auditum, cœcis visum restituit, vitia fugat, virtutes amat.

V. Extrema vnctio. QVINTA columna est Vnctio extrema, quæ tollit infirmitates animæ & corporis. Diminuit enim pœnas pro peccatis, & est alleuiatio corporis morbi. Quare secundum Magistrum libro 4. distin. 23. cap. 2. propter duo instituta est, scilicet propter remissionem peccatorum, & alleuiationem infirmitatum. Rectè enim sicut balsamum soluit iliacam passionem, quotidianis febribus & quartanis subuenit, vt dicit Dioscorides: sic extrema Vnctio quotidiana peccata tollit.

VI. Ordo. SEXTA columna est ordo Sacerdotalis mediante quo domus Dei sustentatur. Hoc comparatur radici arboris, quæ si sana fuerit & intacta, rami pullulant & fructum ferunt. Si autem læsa fuerit mollent folia, & marcida fiunt. Sic si sacerdotium est sanum, populus erit disciplinatus: si autem videris populum indisciplinatum, intellige sacerdotium claudicare, vt dicit Chrysostomus super Matthæum.

VII. Matrimonium. SEPTIMA columna est ordo Coniugalis, sine qua homo carnaliter viuens, non potest saluari. Hic ordo comparatur viti, quæ est arbor distorta, exteriusq; indisposita, fructus tamen profert dulces, scilicet vinum clarum & bonum: sic coniugium quamuis sit cum maculatione, generat tamen fructus nobiles, scilicet virgines. Ideò dicit Hieronymus: Laudo coniugium, quod generat virgines, lego rosas de spinis, & margaritas de conchis. Hæ sunt septem columnæ pretiosissimæ, quas vera sapientia IESVS Christus in Ecclesia excidit, quæ sustentant totam Ecclesiam mirabiliterque exornant.

IN-

IN FESTO S. MICHAELIS, DE ANGELIS.

Sermo Primus.

Angeli eorum vident faciem Patris mei semper, qui in cælis est. Matth. 18.

COmmentator Auerrois super librum de pomo & morte Aristotelis, sic ait. Vnusquisq; hominum quandam sibi appropriatam habet stellam, suis proprietatibus & qualitatibus dominantem. Cuius quidem stellæ exigentia, si homo debitis passionibus corresponderit, aut satisfecerit, pacifica, sana quoq; vita viuet. Sed si à natura stella sua discordauerit, mox orbabitur sua stella, qua orbata tunc mors comitatur. A

MYSTICE. Per stellas Sancti designahtur angeli, quia stellas secundum Aristotelem in libro de cœlo & mundo, in Macrocosmo, hoc est, in maiore mundo, in illis, scilicet inferioribus generant & lumen & calore. Sic Angeli sancti in macrocosmo, id est, in minori mundo, qui est homo, vt dicit Aristoteles 7. Physicorum, generant lumen diuinæ intelligentiæ, vt homo cognoscat beneficia Dei, & generant calorem gratiæ & deuotionis, sicut legitur Iudicum 2. quod angelus vnus venit in persona Domini ad filios Israël dicens: *Eduxi vos de Ægypto in terram promissionis, ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & noluistis audire vocem meam ideo habebitis eos hostes, & Dij eorũ sint vobis in ruinam. Et cũ hoc loqueretur eleuauerunt omnes voces & fleuerunt.* Ecce quomodo generauit in eis calorẽ deuotionis & intelligentiam transgressionis, mentem ipsorum illustrando. Sicut igitur dictum est, quod vnusquisq; hominum habet propriam stellam, sic habet & proprium angelum. Teste Gregorio in libro dialogorum Vnusquisq; hominum, inquit, vnum angelum habet sibi ad custodiam deputatum iugiter.

Et dicunt Doctores quib. cõcordat Vincent. in spec. hist. lib. 32. c. 108. Quod Antichristus, qui erit homo pessimus, habebit à die conceptionis suæ angelum sibi custodem, vsq; ad annos discretionis, ad quos cum pertigerit, super illud omne, quod est Dei extolletur & tunc à suo bono angelo relinquetur. Et quia tàm boni quàm mali habent suos proprios angelos ad custodes, ideò debent eis obedire, & in moribus correspondere, viuendo secundum instinctum eorum & dictamen rectæ rationis. Et si sic fecerint, pacificè viuent in hac vita, sicut patet de Loth Genes. 19. Cui dixit angelus: *Surge tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes; ne & tu pereas cum eis in scelere ciuitatis huius.* Cui Loth obediens exiuit, & alijs periclitantibus, ipse cum suis est saluatus. Sed contingit multoties, vt dicit Origenes in libro de veritate doctrinæ, quod homo per suum peccatum & ingratitudinem, Angelica se reddit protectione custodiaq; indignum, & sic ab angelo relinquitur, & in anima moritur per peccatũ. Ideò nos non sic, sed sequamur instinctum angelorum, quia sunt nobis dati custodes sicut volunt verba Saluatoris. *Angeli eorum*, scil. hominum. In quibus angeli à duobus commendantur. *Primò*, ob vim ministratiuam quia nobis seruiunt indigentiam releuando. *Secundò*, ob vim contemplatiuam quia Deo astant ipsum contemplando. B

Dico PRIMÒ, quod sancti angeli commendantur ob vim ministratiuam, qui à nobis quotidie seruiunt, indigentiam nostram releuando. Circa quod NOTANDVM. Dicit venerabilis Beda, quod stellæ sua claritate mundo seruiunt, quia radiorum suorum emissione sunt noctis illuminatiuæ. Sunt etiam nauigantibus prosperæ, & ipsarum viarum in medio maris directiuæ. Ita sancti angeli per stellas intellecti, nobis hominibus continuè seruiunt in hoc mundo, quia secundum Apostolum ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, hoc est propter homines saluandos. Et etiam in nocte peccatorum illuminant ad peccata cognoscenda, & in mari tribulationis ipsos dirigunt, eisq; assistunt, sicut testatur B. Augustinus in lib. soliloq. Angeli ambulant nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, considerantes quàm piè, quàm honestè in medio nationis peruersæ conuersemur, quanto studio quantoque desiderio quæramus regnum tuum, quantoque timore seruiamus tibi. Hæc ille.

Historia de Tundalo.

Quod autem angeli ambulant nobiscum figuratum est, Tobiæ 6. vbi legitur, *quod angelus Raphael Tobiæ astitit*, eiq; seruiuit, ambulansq; cum eo in ciuitatem Rages, & ipsum incolumem reduxit, & à pisce magno, qui ipsum deuorare voluit, liberauit. Refert etiam Vincentius in spec hist lib. 28. cap 88. de quodam milite Tundalo nomine, qui fuit de metropoli Casiliensi, vir nobilis genere, forma corporis egregius, sed crudelis actione, & de salute animæ nihil sollicitus, Ecclesiam negligebat, Christi pauperes nec videre volebat, sed scurris & ioculatoribus sua dabat. Hic quodam die sedens circa mensam amici sui, statim percussus fuit, & corpus examine iacuit ab hora decima sextæ Feriæ vsq; ad eandem horam Sabbathi, in quo tempore multa supplicia anima eius pertulit. Huic enim occurrerunt dæmones dicentes. Quare non superbis modo? Amodo non adulterabis. Vbi est tua vanitas? Vbi risus immoderatus? Ecce modo ad infernum nobiscum intrabis arsurus. Cumq; hæc dicerent, vidit ille à longè stellam lucidissimam, & fuit angelus suus, qui venerat ad ipsum in hac tribulatione consolandum, & dixit. Quid hic agis? Heu, inquit, Domine, circumdederunt me dolores inferni. Et Angelus. Modo me vocas Dominum, quem semper tecum habebas, & nunquam tali nomine dignum me iudicabas. Semper te à natiuitate tua, quocunq; ibas, sequebar, & consilijs meis acquiescere nolebas, & extendens manum in vnum dæmonem, dicens: Ecce ille cuius voluntatem faciebas, sed tamen adhæreat tibi misericordia Dei quam non meruisti. esto secura. quia pauca de multis, quæ merueras patieris. Et sic post pauca supplicia perduxit animam ad corpus suum. Si enim Angelus huic, qui non meruit, astitit in sua tribulatione, & seruiuit, & à dæmonibus liberauit, quanto nobis magis, si eis obtemperamus, eorumq; custodiæ nos committimus. Quia dicit Albinus in Epistola ad Carolum. Quacunq; die sanctis Angelis laudem condignam impenderis, eorumq; custodiæ te commiseris, multo prorsus periculo interibis. Quare hoc? Quia in mandatis habent à Domino hominem custodire, iuxta illud Psalm. 90. *Angelis suis mandauit de te*, scilicet homine, *vt custodiant te in omnibus viis tuis*, id est, quam diu es viator, *in manibus portabunt te*, &c.

Angeli nobis assistunt in tribulatione.

¶ Non tamen credendum est, quod Angeli habent manus corporales, sed eorum virtus & potentia dicuntur manus. Et tunc secundum Gloss. portant hominem, dum

dum ad bonum iuuant, à malo alleuant. Et quia secundum Beatum Augustinum libro soliloq. cap. 29. Grandis est eis cura de nobis, & magnus affectus dilectionis eorum erga nos, ideò debemus in quantum possumus nos eis conformare. Quia dicit B. Gregorius, homilia 34. in Euangelia. Quid nobis prodest de angelicis spiritibus multa perstringere, si non studeamus hæc etiam ad nostros profectus congrua consideratione deriuare? Quia enim superna illa ciuitas ex angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est Statuit terminos populorum iuxta numerum angelorum. Debemus ergo & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum ciuium ad vsum nostræ conuersationis trahere, nosq; ipsos ad incrementa virtutum bonis studijs inflammare. Hæc Gregorius. Debemus igitur nos conformare pro modulo nostro, quantum possumus, ad similitudinem angelorum. Quod tunc fit, si fuerimus memores angeli ad custodiam nobis deputati, & in conspectu eius peccare erubescamus, quia vbiq; est angelus, & videt nos peccare. In quo vis enim loco sunt angeli, secundum Bernardum. Ne audeas eo, inquit, præsente, quod me præsente non auderes. Exod. 16.

D

Si enim sic fecerimus, angelos lætificabimus. teste Augustino: Quoties benè agimus, gaudent angeli, & contristantur dæmones: quoties etiam à bono deuiamus, diabolos lætificamus, & angelos suo gaudio defraudamus. Sed *Archangelis* conformamur, quando ad magna mysteria capienda per gratiam subleuamur, & fratribus pro loco & tempore pro eorum instructione bona nuntiamus. *Virtutibus* cōformamur, si diuina virtute sufflati, signis & virtutibus clarere meruerimus, vel stipendia aliqua in virtuosis actibus operemur; quia Virtutes dicuntur angeli, per quos signa & miracula frequentius fiunt. *Potestatibus* conformamur, quando diabolicis instigationibus & tentationibus viriliter reluctamur. Quod & facere debemus, iubente Ambrosio, qui dicit. Resistamus ei confidenter, Deus omnium angelorum militia certamen nostrum exspectat. nobisq; contra diabolum dimicantibus parat æternitatis coronas. Dicuntur enim Potestates secundum Gregorium, quibus diabolicæ aduersæ virtutes subiectæ sunt, ne mundo tantum noceant quantum valent. *Principatibus* conformamur, si vnicuiq; reuerentiam secundum gradum suum exhibeamus: quia Principatus dicuntur, qui alijs sibi subditis principantur angelis, eosq; ad diuinum mysterium explendum disponunt. Ad hos pertinet docere homines exhibere vnicuiq; reuerentiam secundum gradum suum. *Dominationibus* conformamur, quando mens nostra per diuinam consolationem confortatur, & carnem ita tenet subiugatam, quod cunctis concupiscentijs dominatur potenter. Quia secundum Gregoriū Dominationes dicuntur, qui mira potentia cæteris præeminent, his, qui eis scilicet ad obediendum subiecti sunt. Horum officium est in bello spirituali homines instruere, quomodo debent sibiipsis dominari. *Thronis* conformamur, quando mens inspecta serenitate quasi auctoritate regia, se ipsum iudicans intimæ conscientiæ suæ penetrat, & diligenter custodit, ne aliquid agat, quod oculos diuinæ maiestatis offendat. Quia dicuntur Throni, eo quod Deus in eis sedeat, & sua iudicia discernat, in quibus præcipuè relucet rectitudo diuini iudicij. *Cherubin* conformamur, quando mens diuino lumine sic perfunditur, vt aliquam veritatem supernaturalem limpidie contemplatur. Quia Cherubin interpretatur plenitudo scientiæ

Archangelis quomodo conformemur.

Virtutibus.

Potestatib.

Principatib.

Dominationibus.

Thronis.

Cherubin.

entiæ: quia in ipsis præ cæteris lucet radius diuini luminis. Horum proprietas est diuinorum sapientiam copiosius suscipere, & studiosius alijs communicare. *Seraphin* conformamur, quando excessiuo ardore in amore Dei accendimur. Quia Seraphin est ignire, Isaiæ 6. vbi legitur, quod Seraphin tetigit labia Isaiæ calculo ignito. Et dicunt quidam Doctores, quod homines non habent desiderare specialem chorum, vel ordinem distinctum, ab ordinibus angelorum, quibus se magis conformarunt. Aliqui etiam assumuntur in ordinem supernorum, scilicet Seraphin, qui magis ardent caritate. Alij in ordine inferiorum, qui minus sunt perfecti. Et sic de alijs. Et hoc ad primum.

Seraphin.

E

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM secundum Doctores, quod ad visionem beatam quatuor requiruntur *Primò*, quod sit aperta. *Secundò*, quod sit iucunda. *Tertiò*, quod sit plena. *Quartò*, quod sit secura & æterna. Et si aliquid illorum defuerit, visio beata non erit, quia secundum Boëtium libro tertio, de consolatione, prosa 2. Beatitudo est status omnium bonorum congregatione suauissima, plenissima & securissima perfectus. Et secundum Richardum tunc est bonorum plenitudo. Vt ergo nihil desit beatitudini angelorum, vident Deum visione clarissima, suauissima, plenissima, & securissima.

I. Angeli Deũ sine ænigmate vident.

De PRIMO, quod vident Deum visione clarissima & aperta nullo ænigmate obumbrata, patet. Si enim sic non viderent, beati non essent, quia adhuc Deum in seipso videre appeterent quare eorum appetitus terminatus non esset, quia secundum. 1. Corinth. 13. *Vident Deum facie ad faciem*, & hoc est clarè & apertè sicuti est. O felix igitur visio, ô desideranda contemplatio illam summam essentiam reuera in se ipsa videre, quæ omnis esse causa exstitit.

De hac visione refert Augustinus, quendam Philosophum dixisse. Tam delicata est visio diuina, vt quicquid haberi possit illa non habita, non facit hominem beatum, sed miserum. Ideò legitur de sancto Thoma de Aquino, cum semel esset in conuentu Nicopolitano, conuersus ad imaginem Crucifixi, cum lacrymis deuotè oraret, audiuit vocem ab imagine dicentem. Thoma benè scripsisti de me, quam mercedem vis de tuo labore? Respondit. O Domine, nihil nisi te. Sic legimus B. Augustinum dixisse. Quidquid voluerit mihi Dominus dare præ se, hoc totum auferat, & seipsum mihi tribuat. Sed (prô dolor) homines miseri. hoc est filij diaboli, non attendunt, sed vadunt, & tota die vana conspiciunt, politas mulierum facies aduertunt, & auro cupidi intendunt, & se ab illa excellentissima visione excludunt.

II. Visione iucunda Deũ vident.

SECVNDÒ, angeli vident Deum visione iucundissima. Quid enim valeret Deum videre, & non visione gaudere, imò quando posset summè delectabile videri, & in eo non delectari? Si enim, vt dicunt naturales, pulchritudo Pantheræ, sic animalia attrahit videre se, quia omnia animalia præter draconem propter suum dulcem odoratum, & pulchritudinem ad ipsum veniunt, & in specie sua delectantur, vt dicit Phisiologus. Si etiam sic delectat aspectus pratorum, suauitas liliorum, rosarum & violarum, amœnitas florentium vinearum, quantum credis delectat videre summum bonum? Et sic creatum delectat videre solem, iuxta illud Eccles. vndecimo. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem*. Quantum credis delectat intueri solem creantem Dicit enim Ambrosius in hexameron; Tunc aquila est in summa delectatione, dum aspicit solem in rota. Ita etiam absque summa delectatione

non

non potest videri diuina essentia. Ideò dicitur 1. Petri 1. *Videntes exultabitis lætitia in enarrabili*, quæ exponi non potest. Et qui semel gustaret hanc dulcedinem, millesies pro Christo non timeret mori. Sic Beatus Bernardus dicit; Qui semel te gustaui, nunc millesies mori possem, vt iterum te gustarem. Vtinam & nos etiam haberemus desiderium Prophetæ, qui ait: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Psalm. 41.

III. Visione plena Deum vident.

Tertiò, vident angeli Deum visione plenaria. Si enim illud bonum non esset summum, angeli ex toto appetitu non perficerentur, sed semper magis appetere possent, ideò necesse est, vt sit plenissimum. Ideò dixit Dominus ad Moysen, Exodi trigesimo tertio. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Et Propheta dicit: *Domine, apud te est fons vitæ.* Psalm. 35. Fons enim habet abundantiam aquarum, vt sit principium fluuiorum: & cum ex plenitudine aquas tenere non possit, eas ad remotissima loca diffundit. Sic etiam tanta est illa gloria, vt redundet in corpora, vt sint ipsa plurimum gloriosa.

IV. Deum vident visione pacifica.

Qvartò, Angeli vident Deum visione pacifica & secura. Quid enim valeret, si esset visionis serenitas, & serenitati adesset iucunditas, & iucunditati societas, si non esset ibi optata securitas. Ideò dicitur Isaiæ vigesimo secundo. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in Tabernaculis fiducia, in requie opulenta.* Væ igitur filijs damnatorum, quæ expulsi à diuina visione, semper erunt in omnibus malis, & exclusi à visione secura, æterna pœna affligentur. Et hoc quo ad secundum.

DE SANCTO MICHAELE, ET ANGELIS.

Sermo secundus.

Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Psalm. 20.

A. Terreni reges solent sub se habere plures milites; quorum aliqui solummodo in aula regia manent, regemque circundant, ad eiusque solatia cantica lætitiæ decantant, Sicut legitur 1. Regum 16. De rege Saul, qui dixit: *Prouidete mihi aliquem benè psallentem, & adducite ad me.* Dictum est autem ei de milite Dauid, qui benè sciret psallere, & esset vir prudens in verbis, & pulcher. Ideò misit Saul ad Isai, patrem eius dicens. *Mitte ad me filium tuum, vt stet in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* Quidam autem militum, custodiunt castra regni & ciuitates. Alij autem inimicos regis expugnant. Reliqui verò ad nutum eius obediunt, & quicquid eis mandauerit, ilico faciunt. sicut habetur Matth. 8. de Centurione, qui dixit ad Dominum: *Habeo sub me milites, & dico huic Vade, & vadit, & alio, Veni & venit, & seruo meo fac hoc & facit.*

B. Spiritvaliter. Omnipotens Deus, qui est Rex regũ super cœlos, & rex magnus super omnem terram & habet sub se multitudinem militum angelorum, de quibus dicitur Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius?* quasi diceret; non est numerus apud homines sicut apud Devm, & horum aliqui sunt qui assistunt, & ministrant

secun-

secundum illud Danielis 7. *Millia ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant.* Etiam illi cantant ei cantica lætitiæ, dicentes illud Isaiæ 7. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* Et similiter illud Apocalyp. 7. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum.*

Quidam autem angelorum custodiunt ciuitates, suburbia atq; villas, vt sunt illi, qui nobis sunt ad custodiam deputati, custodientes statum Virginum continentium & coniugatorum, & castra religiosorum. De illis dicitur Isa. 4. *Super muros Ierusalem constitui custodes, qui tota nocte, & tota die non tacebunt.* Alij vero dimicant pro nobis: contra dæmones, secundum illud Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cælo, Michaël, & angeli eius præliabantur cum dracone.* Sed reliqui ad voluntatem Dei faciunt omnia mandata eius exsequentes. De quibus dicunt verba thematis: *Angelis suis mandauit de te*, &c. In quibus verbis duo tanguntur, *Primò*, magnitudo Deifica iubens hilariter, ibi; *Angelis suis mandauit. Secundò*, promtitudo angelica exsequens celeriter, ibi; *Vt custodiant*, &c.

De PRIMO est NOTANDVM. Dicit Solinus in libro de mirabilibus mundi. Coturnices sunt, quædam auiculæ timidæ, timent enim vndique accipitrem, & quamdiu ipsam vident, tam diu de terra non surgunt. Habent enim consuetudinem, vt veniente hyeme, post æstatem mare transeunt ad calidas regiones. Sed quia timent accipitrem, viam arripere non audent, nisi habitis ducibus. Idcirco natura instinctu naturali præcipit coturnicibus, quæ secundum Isidorum libro decimo, soliti sunt cum accipitribus pugnare, vt præcedant aquilæ, & eas ducant, vt ad loca veniant cupita & optata.

C MYSTICE. Per coturnices possunt intelligi homines, qui more coturnicum, semper habent timere accipitrem infernalem diabolum. Quia vt habetur in Canone. Nulli dubium 3. quæst. 1. Inimicus noster *non cessat circumire quærens quem deuoret*, & quærere quos ex fidelibus perdat & maximè illos quos ardentiores in seruitio Saluatoris eiusq; familiares inuenerit. Ideò Christus, qui est totius naturæ Dominus, mandauit angelis, qui sunt consueti cum diabolo præliare, vt nos in hac periculosa via qua ad patriam pergimus, defendant ab illo, & gubernent. Illi autem mandato DEI obtemperantes, quotidie nobis adsunt, sicut testatur Origenes homilia. 66. Adest enim vnicuiq; nostrum, & minimis in Ecclesia Dei angelus bonus, qui regat, qui moneat, qui gubernat, qui pro actibus nostris corrigendis, quotidie videt faciem patris, qui in cœlis est. Et est NOTANDVM. dicit Archidiaconus Guido in Rosario super decretum, quod Angeli ex mandato Dei præcipuè nobis seruiunt, in quinq; Vnde versus.

Officiū Angelorum.

Excitat, atq; iuuat, protegit, fert à Deo, portat.

D I. Excitāt nos. PRIMO, igitur excitant nos à somno culpæ, aut peccati, ne à diabolo occidamur. Dicit Isidorus libro duodecimo, de quodam serpente, qui hominem in somno occidit. Et declarat in Exemplo de cleopatra Æthiopum Regina, quæ cum mori quæreret, & consuleret quosdam, qua morte melius interimeretur, consultum fuit ei, vt talem serpentem dormientem sibi apponeret. quod cum fecisset, ista morte quasi somno est resoluta. Quia dicit Aristoteles in libro decimo quarto animalium quando homo dormit in campis, aut in alijs locis, vbi talis serpens habitat, intrat os ho-

os hominis propter calidum anhelitum, quia ipse est frigidæ naturæ, & sic veneno intra intoxicat hominem, & intestina ipsius corrodit, & sic occidit leuiter dormientem. Sed contra talem serpentem pugnat lacerta bestiola modica. Nam cum sentit præsentiam serpentis, saltat super faciem dormientis scalpens pedibus, vt excitet & præmuniat contra anguem, vt dicit Auicenna. Per hunc serpentem intelligitur diabolus, de quo Genesis tertio. *Serpens erat callidior cunctis animantibus.* Huius serpentis mos est, vt cum viderit hominem dormientem in peccatis, in anima ipsum occidit, & illa dicitur mors spiritualis, quando quis moritur per peccatum mortale. vt habetur de pœnit. distinct. quarta, dicens; & tandem occidit ipsum morte gehennali & æterna. De quo dicit Beatus Augustinus, & habetur de pœnit. distinct. vltima in fine. Qui inquit, impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur. Hac morte occidit diabolus diuitem epulonem, Lucæ 16. de quo dicitur: *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.*

Mors spiritualis quæ?

Sed ne nos tali morte moriamur, seu à diabolo ita occidamur, datus est cuilibet angelus proprius, qui more lacertulæ huius fidelis animalis, excitat hominem à somno peccatorum, inspirans ei illud Apostoli ad Ephes. 5. *Surge qui dormis*, scilicet in peccatis, *& exsurge à mortuis*, id est, à peccatis mortalibus, *& illuminabit te Christus.* Reuera nostri angeli multoties nos interius admonent surgere à peccatis, si saltem acquiescere his vellemus. Quod figuratum est 3. Regum 19. vbi legitur, quod Elias fugit à facie Iezabel, timens sibi, & subter vnam iuniperum se posuit præ tristitia, & dormiuit. *Et ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede, grandis enim tibi restat via:* qui surrexit, & angelo obediuit. Sic sunt etiam nonnulli, qui statim instinctibus angelicis obediunt, & à somno peccati exsurgunt: Si autem tali instinctui homo non obedit, multoties ab angelo percutitur exterius, aut infirmitate, aut alia passione, vt qui sic leuiter non excitantur, exsurgunt tamen coacti. Quod figuratum est Actorum 12. vbi legitur, quod *cum Petrus dormiret inter milites, astitit ei angelus Domini, & percusso latere excitauit eum, dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius.*

Figura.

SECVNDO, angeli iuuant nos intercessionibus, quia dicit Bernardus: super Cantica. Discurrit angelus medius inter dilectum, & inter dilectam, vota offerens, & referens dona, excitat illam, placat illum. Ideo dicitur Daniel decimo. *Non fuit adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps noster.* Cui consonat Augustinus in libro soliloq. Angeli adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, honorant vincentes: congaudent gaudentibus, compatiuntur compatientibus.

II. E Iuuant nos.

Ideo refert Vincentius lib. 8. cap. 84. de quodam clerico, qui erat seculo multum deditus, & tamen ad Mariam deuotus. Hic cum modestia graui corporis tangeretur, desperauit, quia tantus erat dolor, vt linguam & labia manducaret, qui cum sic iaceret, horrendus aspectu, vidit iuxta lectuli sui caput hominem pulchra facie, & reuerendo aspectu assistere, & erat eius angelus sibi ad custodiam deputatus. Qui ægroti ærumnas deplorans, ait. O Domina Maria, si tu abes tuis, quis tunc aderit non tuis? Non sic Domina, non sic ad nihilum deueniat spes hominum, scil. quod in te incipiant non inuenire refugium. Et cum hoc intercedendo clamaret, aduenit mater

Dei, eumq; ægrotantem lacte suo sanauit. Ex quo patet, quod angeli adiuuant suis intercessionibus sibi ad custodiam deputatos.

III. Angeli seruiunt nobis. Tertio angeli nobis seruiunt, tam ab hostibus visibilibus, quàm inuisibilibus protegendo, rectè enim sicut stellæ secundum naturales protegunt nos à niuis algoribus, calorem inferioribus infundendo. Si enim stellæ non essent illa inferiora dudum frigore perijssent, vt patet de sole, qui suo calore hyemis temperat frigus. Ita angeli protegunt nos à tribulationibus inimicorum, ne nimia offensione tentationum succumbamus; & si non adesset angelica protectio, dudum propter dæmonum impugnationem succubuissemus. Ideo secundum Psalm. 33. *Immittit Dominus angelos in circuitu timentium eum, vt eripiat eos:* quod figuratum est Exodi 13. quod angelus Domini astitit visibiliter inter castra Ægyptiorum, & populum Israël. Et Israël ab Ægyptijs protexit, ita vt dicerent Ægyptij: *Fugiamus Israel, quia Dominus pugnat pro eis contra nos.*

Ad idem legitur 2. Machab. 10. Cum magna pugna esset inter Iudam Machabæum & Timothæum, apparuerunt aduersarijs quinq; viri de cœlo in equis, frenis aureis decorati, ducatum Iudæis præstantes. Ex quibus *duo Machabæum habentes medium, incolumem seruabant, in aduersarios autem tela & fulmina iacebant*, & interfecti sunt viginti millia quingenti, & equites sexcenti.

F. IV. Deo preces nostras offerunt. Qvarto, angeli dona nostra Deo offerunt, & Deus per ipsos vota nostra, & desideria acceptat. Rectè sicut Sol, vt ait Auicenna, de quatuor diluuijs, sursum fert vapores, & inflammat ipsam terram mediantibus stellis; suam virtutem participans influensq; eisdem. Ita angeli ferunt sursum orationes nostras; & alia opera secundum quod dixit Raphael Tob. 12. *Quando orabas, & eleemosynas faciebas, obtuli orationem coram Domino.* Et Christus verus sol influit virtutem & gratiam humanis mentibus mediantibus angelis. Ideò refert B. Augustinus libro soliloq. Diligunt angeli conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras restaurare exspectant. Ideò magna cura, & vigilanti studio assunt nobis, omnibus horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine, & gemitus nostros, & suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis clementissimæ propitiationem; & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Et quod offerunt vota nostra Deo, figuratum Luc. 1. quando Zacharias pater Ioannis offerebat incensum, *apparuit ei angelus Domini Gabriel stans iuxta altare*, vt incensionem deuotionis Deo offerret.

V. Animā mortui Deo sistunt. Qvinto, angeli egredientem de corpore coram Deo portant, si à vitijs totaliter est mundata. Si autem habet adhuc aliquod purgabile, ad purgatorium ab eisdem portatur, teste Damasceno lib. 5. qui ait: Hoc ipsum firmiter imperterriteq; teneamus, quod animæ ad purgatorium non à dæmonibus, sed à cunctis angelis deducantur. Quod autem portant animas totaliter mundatas coram Deo, patet de anima Lazari, Luc. 16. vbi legitur: *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Et hoc quo ad primum.

Quantum ad Secundum. Cum dicitur: *vt custodiant te.* &c. Est Notandum. Scimus hoc naturaliter, quando columbæ iuuenes sunt in nido; indigent custodia parentum, ne ab auibus rapacibus, nidos aliquando intrantibus, rapiantur, & necentur. Similiter cum volare de nido tentant, iterato in aëra à parentibus subleuantur, ne ad

ne ad terram cadant, & hominibus præda fiant. Accedente autem vespere, volant cum eis iterum ad nidum, educendo quousq; assuescunt ad volatum, & sic ab auibus infra stantibus sunt securæ.

G

MYSTICE. Per columbas intelliguntur animæ hominum quas Dominus vocat columbas Cantic. 2. cum dicit: *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Rectè enim sicut columba pro cantu lætitiæ iugiter habet gemitum, ita animæ deuotæ in præsenti tempore debent gemere pro peccatis, & si non suis, tamen alienis. *Quia beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. Istæ animæ hominum in omni loco indigent custodia angelorum, quando adhuc sunt in nido, id est, in vtero maternali, ne à diabolo suffocentur, quando iam egressæ sunt ex vtero, ne gratia baptismali spolientur. Diabolus enim scit illud dictum Augustini, quod ponitur de consec. dist. 4. cap. Firmissimè, quod non solum homines ratione vtentes, verum etiam paruulos qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, si sine sacro baptismate, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Quare assidue nititur, vt abortinus procreetur, vel puer sine baptismo moriatur, sed datur angelus cuilibet puero statim nato in vtero, & ex vtero iam egresso, qui puerum sic custodiat ne sine baptismo hinc discedat. Ex quo elicitur, quod istæ sunt matres diabolicę, qui pueros suos necant prætermisso sacro baptismate, & hoc habent ex diabolico instinctu. Necessaria est etiam custodia angeli homini in mundo viuenti, qui aliàs posset ad multa mala, & peccata prolabi, sed custodit ipsum angelus, secundum Augustinum lib. soliloq. secum in omnibus vijs ambulando, intrando, & exeundo, & peccata quæ facit conculcando. De quibus Psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.*

Quilibet homo à conceptione sua angelum custodem habet.

H

Per aspidem, qui autem ad terram figit, ne incantatores audiat: significantur auari, qui cor suum in terram figunt, ne Deũ, vel Prædicatorem audiant admonentẽ. Per basiliscũ qui visum venenatũ habet, significantur Luxuriosi, quia ipsa luxuria implicatur etiam aspectibus, sicut habetur 2. Reg. 11. q̃ Dauid vidit Bethsabee per centũ passus lauantem se, accersiuit eam, & adulteratus est cum ea. Per leonem, qui aliorum animalium regem se fecit, significantur superbi, qui vltra alios semper volunt dominari. Per draconem, qui visu inficit, dentibus mordet, cauda stringit & trahit, significantur inuidi, & detractores, & ex consuetudine peccantes, qui peccatis adeò inuoluuntur, & à diabolo constringuntur, quod se inde expedire non possunt. Quia Prouerb. 8. dicitur: *Peccator cum in profundum venerit, contemnit.*

Aspis.

Basiliscus.

Leo.

Draco.

Necessaria igitur est homini custodia angeli, vt eius adiutorio possit istas bestias conculcare, scilicet aspidem auaritiæ, basiliscum luxuriæ, leonem superbiæ, & draconem inuidiæ, & detractiones mortiferas, & consuetudines prauas. Est etiam custodia necessaria homini, de mundo per mortem exeunti. Quia diaboli secundum Gregorium in homilia, quasi quidam latrunculi iter nostrum obsident, & quem non possunt diuitijs in vita decipere, nituntur in morte supplantare, maximè de fide tentando, & in desperationem propter peccatorum multitudinem pertrahendo. Ne igitur nobis hoc fiat, facit quolibet anno Ecclesia festum de angelis, secundum Gulielmum in rationali diuinorũ lib 7. vt nobis hic viuentib. auxilia administrent, & de mundo exeuntes à dæmonibus protegant, & ne nos in desperationem trahere

Cur festum de Angelis quotannis celebretur.

 tunc

tunc permittant. Et hoc quo ad secundum. *Gaudium* igitur *erit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Sic scribitur Lucæ 15. Et quia gaudent de nostra conuersione, & nos gaudere debemus de eorum glorificatione. Et si de nobis festum faciunt in cœlis, & nos de ipsis facere debemus in terris. Ideo de angelis Ecclesia quater in anno solennizat: prima solennitas hoc die agitur, & apparitio dicitur, quæ facta est in monte Gargano. Refert Iacobus Ianuensis, quod in Apulia est quidã mons Garganus nomine, iuxta ciuitatem, quæ dicitur Sipontum, in qua ciuitate Anno Domini CCCXC. erat quidam vir Garganus a quo mons ille nomen accepit, qui ouium & boum habebat multitudinem, vt habetur in Rationali diuinorum, &c.

DE SANCTO HIERONYMO ECCLESIÆ DOCTORE.

Sermo Primus.

Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Ita scribitur Eccli. 24.

A  PLINIVS in spec. nat. lib. 2. cap. 4. dicit. Rosa est arbor spinosa, & parua, huius flos inter alios flores obtinet principatum: & ideo solet principalis pars, scilicet caput, rosarum floribus coronari, & habet odorem valdè delectabilem, & quanto magis conteritur tanto magis aromatica sentitur.

B. Hieronymus rosa aurora.

SPIRITVALITER. Per hanc arborem roseam intelligitur Beatus Hieronymus. Nam rectè sicut rosa in viridarium dominorum solet transplantari, vt exinde domini recreentur; ita Beatus Hieronymus plantatus est in hortum delitiosissimi Paradisi cœlestis, sicut de hoc scribit Beatus Eusebius de laude Hieronymi. Ecce, inquit, dilectus pater meus candidus, speciosus ex millibus, in quo non est macula, pascitur inter lilia in vinea Domini Sabbaoth. Ecce filios campi, & rosa modo fragans odore, modo de horto Ecclesiæ in viridarium est translatus. Ecce cypressus in altitudinem cœli se extollit. Hæc delicatissima rosa, in hac fuit spinosa, per corporis macerationem. Quia secundum Beatum Augustinũ in epistola ad Cyrillum; Vinum & siceram non gustauit aliqualiter, ab omni carnium & piscium esu se abstinuit, coctum quid non comedit, nisi in vltima ægritudine, cilicino sacco carnẽ velut Æthiops macerans, desuper panno vilissimo tegebat. Stratum alium mollem nõ nisi terram vnquam sciuit: non nisi semel fructibus, aut herbarum folijs, siue radicibus pastum, in die post vesperas sumsit. Orationibus continuè inuigilabat, postmodum somno fessus, in terra dormiens, vsque ad noctem mediam quiescebat; qua quidem continuè surgens hora, lectionibus & scripturis sanctissimis, quibus tota radiat Ecclesia, vt lampadibus pretiosis, intendus, vsq; ad esus horam perdurebat. Ita leuissima fleuit peccata venialia, vt quis eum æstimasset hominem interemisse. Ter quotidie carnem duris verberibus flagellebat, ita quod ex eius corpore riuuli sanguinis effluebant. Hæc Augustinus.

B. Hieronymus amarè deflet peccata venialia.

Fuit hæc sanctissima rosa, gloriosus sanctus Hieronymus, non magnus in elatione, sed

sed paruus in humilitate, quam impleuit opere, & docuit in sermone, sicut scribit Eusebius in epistola de eius morte, quod docuit cum erat propinquus morti dicens. Nulla paupertas Deo grata sine humilitate. Maluit Deus de B. Virgine incarnari, propter eius humilitatem, quam propter aliam quamcunq; virtutem. Sicut enim ex sola radice superbiæ omnia oriuntur mala, sic ex sola radice humilitatis generantur omnia bona, Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Humiliauit se pro nobis, *obediens factus vsq; ad mortem.*

Istius nobilis rosæ flores, scilicet scientiarum, obtinent inter scripta florigera aliorum Doctorum principatum, teste Beato Augustino in Epistola vbi suprà, dicens: Hieronymus in liberalibus scientijs ita profecit, quod relatione omnium nullus sibi similis appareret: de Scripturis sacris, vbi multarum suarum Epistolarum quas ad me direxit, experientia didici, æqualem sibi neminem vnquam noui. *Et subdit.* Quod si qua sunt, quæ Hieronymus ignorauerit, nullus hominum vnquam sciuit. Ideo ex ore suarum scientiarum totus mundus est repletus, ita vt dicere audeat competenter verba thematis prælibata; *Quasi myrrha electa.* In quibus duo tanguntur. *Primò* gloriosi Hieronymi gloriosa comparatio, ibi; *Quasi myrrha. Secundò.* scientiæ ipsius, & famæ lata propagatio, ibi; *Suauitatem odoris.*

B

Circa quod NOTANDVM. Gloriosus Hieronymus: Conuenienter ad myrrham comparatur duplici ratione. *Prima*, quia myrrha secundum Isidorum lib. 16. Est gutta multum amara, fluens de quadã arbore in Arabia dicta myrrha, quasi amara; quia sua amaritudine interficiuntur vermes, & prohibent ne nascantur. Ideo vermes odiunt myrrham, & fugiunt ab eadem. Ita nostra myrrha dilectissima sanctus Hieronymus, fuit ita amarus contra peccatores, vt diceret, sicut scribit Eusebius in Epistola de morte eius. Vtinam contra clamaret omnis creatura, quia si peccator Deum non timet, tamen homines reueretur. Ideo oderunt eum peccatores & mali, secundum, quod refert Seuerus Sulpitius in dialogo sancti Martini dicens. Hieronymo iugis aduersus malos pugna erat, perpetuumq; certamen: Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desijt. Oderunt Clerici, quia vitam eorum insectatur, & crimina. Sed planè omnes boni & mirantur, & eum diligunt. Sed tamen vt dicit Eusebius, vbi suprà ipse fortitudine Domini roboratus non formidauit aduersarios suos, sed super ipsos correctionibus, & doctrinis sanctis, tonuit, dans imperium regi suo, & sublimans cornu Christi sui: non enim timuit prælatos malos, sed durè correxit, exclamans contra illos. Heu, inquit, quot sunt hodie in Ecclesia non pastores, sed mercenarij, ad quos nihil pertinet de ouibus Christi Iesu. Sed vt verius dicam, ipsimet sunt lupi rapaces qui oues rapiunt & dispergunt. Certè nihil peius, quàm cum ille, qui custodire debet, dissipat. *Et subdit.* Quot sunt hodie in aliquibus Ecclesijs similes non pastoribus, qui substantias hominum & labores, tanquam infernus insaturabilis deglutiunt, & non solum eos à peccatis non emendant, sed ipsimet, vel ex sui negligentia vel suis pessimis ministris, vel nefandis operibus, contrahunt ad illicita; ita si Deus tales impunè derelinqueret, Deus non amplius esset DEVS.

B. Hieronymus cur myrrhæ cõparatus.

C

Deinde contra malos sacerdotes dicit, vt ait idem Eusebius de morte Hieronymi. Ecce, inquit, mundus vndique feruet Sacerdotibus, & Monachis, tamen à Deo præuisus vix de centum vnus reperitur. Nulla certè in mundo tam crudelis bestia, NOTA.

quàm malus Sacerdos & Monachus. Nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire potest: & breuiter dicam, omnes præeminent in malitia. *Et subdit declarationem de auaritia eorum dicens.* Heu quantum in quibusdam habitu, & nomine creuit cupiditas, immò vt breuius perstringam, causa huiusmodi spiritualitatis est auaritia. qui certè sunt lupi rapaces in vestimentis ouium. Vbi ergo Sacerdos, vel Monachus cupidus est, & sine misericordia, ab eodem plus, quàm à serpente fuge. Sunt etiam nonnulli, qui totum suum fructum æstimant, Ecclesias & monasteria miro modo, ex opere & ex pauperum mercede ædificare, in quibus viget cupiditas, vt terram, & omnia sibi deficere putant. Ibi cor, ibi mens, ibi est semper eorum cogitatio, vt aliena marsupia possint exspoliare. Hos Saluator increpans, ait Matthæi vigesimo tertio. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum.* Ecce, qui monasteria ædificant, & Ecclesias miro modo aptant, bonum videntur opus facere, siquidem pauperibus misericordiam facerent, bonum esset. Vis, vt opus tuum placeat Deo, fac vt de hoc pauperes gaudeant, quod templum Deo est charius. Cum pauperi manum tribuis, aut cum viro in suis necessitatibus subuenis, cum errantem ad viam veritatis reducis. O quàm admirabile & laudabile templum ædificasti. Hæc Hieronymus.

Sacerdos cupidus vt serpens fugiendus.

D Item sciendum, Beatus Hieronymus amarus fuit Corrector Simoniæ. Refert Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Epistola ad Augustinum quod apud superiorem Thebaidam fuit quoddam monasterium Dominarum, mira pulchritudne decoratum, in quo penè ducentæ Dominæ, multis pollentes virtutibus, vnum tamen pessimum vitium Simoniæ committebant. Nam instigante diabolo obseruabatur apud eas abusio, vt si quam vellēt in moniale̅ recipere, non tàm intuitu charitatis, quā pecuniæ respectu recipiebant. In hoc monasterio erat sanctimonialis quædam, ætate grandæua, quæ vitium illud plurimum abhorrebat. Cui quadam nocte in oratione posita, B. Hierom. apparens, locum illum immenso lumine illustrans, eidem præcepit, vt Abbatissimam manè, & cæteras moniales congregaret, dicens ei: nisi à peccato inueterato cessarent, vltionem diuinam subitò exspectarent. Quo dicto disparuit. Visione igitur insueta illa perterrita, totam noctem duxit insomnē. Adueniente crepusculo diei, omnes in Capitulo moniales pulsato tintinabulo congregauit, & surgens in medio, quæ viderat & audiuit narrauit, & omnibus patefecit. Fit illico ex hoc omnibus monialibus irrisio, exclamantes eam esse fatuam: sed ipsa gaudens de illata contumelia, ad solitas orationes rediјt, supplicans continuo ne omnibus contingeret monialibus, quod audierat. Decem diebus transactis, nocte media idem iterum Hieronymus apparuit, & denuo prædicta nuntiauit. Tunc illa. Quis es Domine, qui mihi talia mandas? Ait, Hieronymus ego sum & euanuit. Illa autem sciēs monialium duritiam, quid ageret nesciebat, malēs tamen ab eis insana & ebria reputari, quàm diuinis contraire præceptis, fecit vt prius. Illæ autem audientes eius verba, è Capitulo cum magnis cachinnationibus exierunt. Transactis tribus diebus eidem moniali dormienti Hieronymus cum societate multa angelorum nocte apparens media, eam excitauit, & iussit, vt de monasterio subitò exiret, & non futuram sententiam exspectaret. Cum illa multis lacrymis ne hoc fieret suppliçaret: Hieronymus dixit. Ad Abbatissam & moniales cæteras pergito sine omni mora, eisdem nuntians, quòd nisi pœniteant, hac nocte sentient diuinam vltionem. Si autem in

Moniales Simoniam exercētes, grauissimè puniuntur.

sua

ſua permanebunt duritia, ſtatim exeas de monaſterio, ne moreris. His finitis, abſceſſit. Hoc illa audiens, plena triſtitia Capitulum adiens, & campanam cœpit vehementer reſonare. Quo Abbatiſſa à ſomno euigilans, cognoſcenſque ab hac fuiſſe pulſatam campanam, iracunda ad Capitulum properauit. At vbi eam vidit, diris minis increpauit, nullum voluit audire verbum, promittens ſi non ceſſaret hæc agere, ſecum in monaſterio amplius non remaneret. Cui illa. Ne tardes quæſo agere, quæ promittis. Profectò me cognoſcas in hoc loco amplius non manſuram. Glorioſus Hieronymus apparens mihi tantummodo hoc ſtatim monaſterio iudiciũ futurũ patefecit. Hæc Abbatiſſa audiens, deridere cœpit hanc, æſtimans eam veſano capite iſta fari; & oſtiariam aduocans, iuſſit, vt hanc de monaſterio protinus effugeret, mandans eidem, vt poſt moram aliquam faceret iterum intrare. Factum eſt autem cum ſanctimonialis exiuiſſet, ſubito totum monaſterium diuino iudicio corruit, omnes opprimens virgines moniales, ita quod vna ex eis non remanſit.

Fuit etiam B. Hieronymus amarus contra hæreticos. quia ſecundum Euſebium ſuit malleus hæreticorum, vt in eadem epiſtola dicit de morte eius. Hic Princeps pacis iuſtitiæ Dux, Doctor veritatis, & æquitatis, armiger, & integritas fidei, contra hæreticos bellator fortis, cuius ſagitta nunquam declinauit retrorſum; nec declinauit clypeus in bello. *Hieronymus malleus hæreticorum.*

Refert Cyrillus in Epiſtola ad Auguſtinum: Quidam hæreticus Arrianorum reſpondit cuidam, qui auctoritatem Hieronymi in ſua diſputatione induceret, dixit, quod mentiretur, & ſubitò fuit diuina vltione percuſſus; & antequam verbum finiret, clamaret toto die non deſijt. Miſerere miſerere glorioſe Hieronyme, quia à tuis pœnis duriſſimis torqueor. Et hoc per totum diem quantis vocibus poterat, clamans hora Completorij miſerabiliter, cunctis, qui ad hoc concurrerunt, cernentibus, exſpirauit.

Fuit etiam, & eſt, glorioſus Hieronymus contra luſores amarus vltor, ſicut refert idem B. Cyrillus in epiſt. Nuper in Samaria dum miſer quidam luderet, & quaſi omnia quę habere poterat conſumſit, Hieronymi cœpit nomẽ temerariè blaſphemare, cunctis videntibus fulmen de cœlo cecidit, & ipſum interemit. Tres etiam alij ludentes dixerunt. Quantam tu vis exercere Hieronyme poteſtatem, quia te inuito ludum iſtum alacriter finiemus. His dictis inceperunt ludum; elapſo igitur vno inſtanti, ſe terra aperiens illos ſic abſorbuit, vt ex eis amplius nihil viſum fuit. *B. Hieronymus fuit hoſtis luſorum.*

Eſt etiam glorioſus Doctor amarus nobilium malorum redargutor, teſte B. Euſebio de laude Hieronymi. Vlulate, inquit, vos ò miſeri, nomen inſtabilis fortunæ, nobiles & potentes, qui alios confunditis, & tanquam ignobiles conculcatis; quia huius mundi honorum & falſarum dignitatum fumis obcœcati, cui veſtræ vitæ breuiſſimæ tela à morte, velut à texente forte hac nocte ſuccidentur; & in inferno ſine interminabili præ alijs cruciabimini continuè moriendo. Viuentes in laboribus hominum mundi non eſtis; immo cum hominibus labores non fertis, ſed & laborantes viuere non permittitis. Idcircò non cum hominibus, ſed cum dæmonibus flagellabimini. Quanto enim in mundo maior fuit gloria & lætitia tanto in inferno maior erit pœna. *Et ſubdit.* Sed quid dicam? Duodecim Chriſtus Apoſtolus habuit quorum omniũ ſolus Bartholomæus carnis origine fuit nobilis & Matthęus diuitijs (antequam Apoſtolatũ reciperet) inſiſtebat, Cæteri verò erant pauperrimi piſcatores. *E* *Redarguit nobiles* *Bartholomæus ſolus inter Apoſtolos nobilis origine fuit.*

Cur

Cur hæc retuli, audiatis. Si Christus verax est: & si omnia, quæ ex ore eius audiui, mendacia non sunt; huiusmodi hominum vix vnus aptus regno Dei inuenitur ex mille. Quia verò multi eorum mihi non credunt, post modicum tempus positi in tormentis sentient. Hæc ille. Vnde Gregorius: Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.

Myrrha in morbo confortat.

SECVNDÒ, quamuis myrrha sit amara, tamen est morborum confortatiua: virtute enim ipsius, nerui, & alia sensibilia membra confortantur, & humores in iuncturis, & articulis existentes, vt dicit Magister in proprietatibus lib. 17. Sic gloriosus Doctor Hieronymus, quanquam fuit amarus malis in corrigendo, fuit tamen bonus & dulcis bonis in consulendo. Sicut de hoc refert B. Eusebius in Epistola de laude eius dicens. Cum viderit vultus discipulorum suorum ex morte sua graues, confortauit eos dicens. Cesset modo luctus, sit omnium vox gaudens, quoniam *nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies salutis & lætitiæ.* pro omnibus diebus vitæ meæ, in quo fidelis Dominus, in verbis suis, & sanctus in operibus suis, aperuit manum suam, vt exulem animam meam reuocare ad supernam gloriam. Nolite filij dilectissimi, quos habui in visceribus pietatis, impedire gaudium meum, ne prohibeatis reddere terre, quod suum est. Ideo huius consolationis & confortationis idem B. Eusebius non immemor, id eadem Epistola dicit. Vox certe sua dulcis & iucunda, quia Christi fidelium erat, mel dulcissimum. Heu qualem Ecclesia amisit consolationem & adiutorem Exstincta est lucerna in medio Ecclesiæ micans, vt non nobis, sed sibi luceat; non mundo sed cœlo splendeat.

F Refert etiam B. Cyrillus in Epistola ad Augustinum, quod post obitum B. Hieronymi, quædam hæresis inter Græcos surrexit, quæ ad Latinos vsque deuenit, quæ negabat purgatorium, & similiter dicebant, quod animæ beatorum vsque ad diem iudici; non haberent gaudium, nec animæ damnatorum interim paterentur tormentum. Et ratio eorum erat. Sicut anima cum corpore meruit, vel peccauit: ita cum corpore præmia recipit, siue pœnas. Crescente igitur hac secta pestifera tantus dolor irruit in Christi fideles, vt pigeret eos amplius viuere. Indicens igitur Episcopus Cyrillus ieiunium trium dierum, vt suam fidem diuina bonitas non sic permitteret agitari. Expletis igitur his diebus Hieronymus suo dilecto filio apparuit Eusebio orationi incumbenti, benigna eum locutione confortans, dixit ei. In hac secta pestifera minimè formidare debes, quia finis sibi iam imponendus est. Videns igitur Eusebius tanto eum modo fulgentem splendore, ita vt oculis humanis in eum respicere non valeret, clamans præ gaudio, dulces fundens lacrymas, ait: Pater mi Hieronyme. Et hæc verba pluries reiterans, ait: Cur me deseris? Cur meam societatem spernis? Certè te teneam, nec te dimittam. Ad quem Hieronymus. Non te, inquit, dilectissimi fili deseram. Confortare: vicissimo enim die me sequeris, & simul in gaudio permanebis sine fine. Sed Cyrillo cunctisque fratribus nuntia, vt die crastina iuxta præsepe Domini, vbi corpus meum requiescit, omnes in vnum conueniant tàm Catholici, quàm illius sectæ viri. Et tu trium hominum, qui in hac sunt vrbe, hac nocte defuncti cadauera in humata ad locum in quo corpus meum est humatum facias deportari, super quemlibet saccum, quo vtebar ponens & statim vitæ pristinæ redditi, hanc radicitus hæresim extirpabunt & valebunt; & valedicens ei, disparuit. Veniens autem Eusebius mane ad Cyrillum, quæ viderat

Hieronymus apparet Eusebio.

enar-

enarrauit,& omnibus congregatis prædictorum virorum cadauera illic deferri fecit, accessitq; ad singulorum cadauera: flexisq; genibus, & manibus in cœlum extensis, cunctis audientibus sic orauit.

Deus,cui nihil est impossibile nihil graue,inuictæ fortitudinis & virtutis,qui facis mirabilia magna solus, & nullum in te sperantium spernis,nunc preces tuorum exaudi fidelium,& vt tua,quam dedisti,fides, intemerata inuiolataq; per secula maneat ac etiam vt horum error appareat;& per merita,& intercessionem gloriosissimi tui dilecti Hieronymi, introduc in hæc cadauera animas, quas de ipsis egredi voluisti. Qua quidem oratione finita, sacco gloriosi Hieronymi, singula eorum cadauera tangens,in ea spiritum vitæ protinus introduxit. Qui cœperũt beatarum animarum gloriam, & peccatorum pœnas, tam purgatorij, quàm inferni, clara voce omnibus intimare. Quia B. Hieronymus ipsos defunctos, sicut retulerunt Cyrillo, secum duxit in paradisum, purgatoriũ,& infernum, vt quæ ibi ageretur, patefacerent vniuersis. His igitur peractis tàm fideles, quàm sectæ erroneæ videntes tam certum erroris experimentum, laudes referunt Creatori. Tres mortui suscitantur.

Ex his igitur gestis in multis nationibus fama huius sanctissimi Doctoris Hieronymi longè lateq; est prolata, sicut de hoc dicit venerabilis Eusebius de morte eius. In generationem, inquit, & generationem virum annuntiate, quia per illum Deus ostendere voluit, vt magnificaret eum, & colendum exhiberet vniuersis, quam magnus est iste tot faciens mirabilia, quia certè similis non est illi secundum opera suà magna & magnalia. De hoc per mundum resonet vniuersum, sui gloriosi triumphi fama in omnis terræ spatio rutilat sua lucida lingua. Et tantum de illo.

DE S. HIERONYMO ECCLESIÆ DOCTORE.

Sermo secundus.

Quasi oliua speciosa in campis, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Eccli. 24.



Consuetudo obtinuit in curiis secularium dominorum, quod fidelem militem, & præ aliis sublimiorem, & digniorem, quem ob sui fidelitatem honorat Dominus & laudat, non solum Dominus, sed alij satrapæ, & capitanei hunc honorant, & cæteri famuli: Quod figuratum est Esther. 3. vbi legitur, quod rex Assuerus exaltauit quendam militem nomine Aman, super omnes Principes regni sui, faciens eum post se secundum, ideo hæc videntes omnes alij, honorabant ipsum, & ei genua flectebant.

Mystice. Assuerus, qui interpretatur beatitudo, significat Christum, qui est beatitudo omnium electorum, qui hodie exaltauit dilectum athletam, B. Hieronymum, & in sublimiorib. sedibus cœlestis curiæ collocauit, teste August. in epistola ad Cyrillum, dicens: Nulli dubium est, intra Patrũ mansiones ipsum sanctissimum Hieronymum, vnam ex maioribus & sublimioribus sedibus obtinere. Cum enim homo ibidem secundum opera præmiatur, & iste perfectorum penè vitæ extiterit, clarè patet ipsum de maioribus, & clarioribus, & sublimioribus cœlestis Ierusalem fore quib us. Et declarat hoc in exemplo, dicens: Cogitanti mihi, quid laudis de Hiero-

nymo recitarem, hora veniente noctis media, me somnus oppressit; & ecce maxima mihi affuit multitudo angelorum; inter quos fulgentes plus infinito sole duo erant viri ita similes & vniformes, vt nulla in eis videretur differentia, qua alter ab altero differre posset, nisi quod alter tria serra gerebat in capite, ex auro & lapidibus pretiosis; alter verò duo. Hi candidissimo induti collobiis, vndique auro, gemmisq; contextis, tantæ erant pulchritudinis, vt non satis valeat quispiam imaginari. Accedentes itaque illi ambo, ad me sub silentio paulisper steterunt. Deinde, qui tria serta ferebat, his verbis me allocutus est. Cogitas Augustine, quid debeas laudis de Hieronymo in veritate proferre? Et certè diu cogitans non inuenisti: ideò huc venimus, vt eius gloriam tibi indicemus. Iste quem vides, Hieronymus ipse est; qui sicut æqualis mihi in vitæ sanctitate fuit; ita per omnia in gloria æqualis est. Et quæ possum, ipse potest. Sertum autem quod illo plus fero aureola martyrij est, quo vitam finiui corporis; sed quia ipse vitam gladio non finiuit, aureolam non habet. Serta verò duo alia, quæ habemus, aureolæ sunt, quæ solum Virginibus & Doctoribus dantur. Ad hæc, vt mihi videbatur, respondi. Quis es Domine? Et ille. Ioannes Baptista sum, quia huc ad te descendi, vt nuntiarem tibi Hieronymi gloriam, quatenus ipsum gentibus nunties. Hæc ibi.

Aureola Martyribus datur.

Et quia ipsum Christus in tantum exaltauit honorando, vt etiam maiores sancti in cœlo, sicut Ioannes Baptista & cæteri, ipsum laudent, ideo secundum Augustinum in Epistola vbi suprà, non pigeat hominem hunc venerari. Quare ob honorem ipsius verba prædicta thematis sunt assumpta cum dicitur: Hieronymus fuit, *quasi oliua speciosissima*. In quibus verbis B. Hieronymus commendatur, à duobus. *Primo*, à placabili reconciliatione ibi; *Quasi oliua*. *Secundo*, à laudabili introductione, ibi; *& quasi plantatio rosæ in Iericho*. Dico PRIMÒ, quod gloriosus Doctor & beatissimus Hieronymus, commendatur à placabili reconciliatione, in hoc quod dicit; *Quasi oliua speciosa in campis*.

A Circa quod NOTANDVM. Isidorus libro 17. dicit Oliua est arbor reconciliationis. Quod probat per historiam Romanorũ, in qua legitur, quando Romani mittebantur pro pace offerenda, vel facienda, sine oliuarum ramis non mittebantur, in signum reconciliati fœderis. De illo etiam cum Noë columbam emisisset, pro inquisitione reconciliationis Dei, non cum alterius arboris ramusculo, sed solum cum cum oliuæ intersignio ad arcæ fenestram est reuersa. Et hoc habetur Gen. 8. Vbi legitur, quod cessante diluuio, & aquæ iam essent in partes diuisæ & diminutæ, aperuit Noë fenestram arcæ, quam fecerat *dimisitq; coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur donec aquæ super terram siccarentur: emisitq; columbam post eum, vt videret si cessassent aquæ super terram, quæ cum non inuenit vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad arcam, Exspectatis vltra septem diebus, rursus dimisit columbam, & illa venit ad vesperam, portans ramum oliuæ virentem foliis in ore suo, per quod intellexit Noë, quod iam cessassent aquæ, & iam Deus reconciliatus esset mundo.*

Oliua arbor reconciliationis.

MYSTICE per oliuam intelligitur B. Hieronymus qui in campo cœlestis Ierusalem firmiter iam exstat radicatus, neque ventus doloris, neque tempestas tribulationis, valet eum vnquam eradicare, ita quod de ipso potest dici illud: Hieronymus est quasi *oliua speciosa in campis* scilicet cœli. Ibi secundum beatum Eusebium in Epistola de morte Hieronymi, est felix refectorium animarum post labores, & ærumnas:

ibi

ibi dulcis solennitas angelorum, vna societas & charitas omnium ciuium supernorum: ibi nemo timore concutitur: ibi penitus nulla cognoscitur angustia, & tribulatio, nulla aduersitas, nulla infirmitas dominatur. In hoc igitur securissimo campo, vndique floribus Virginum, rosis Martyrum, & violis Confessorum & Doctorum redimito, speciosa hæc floret oliua sanctissimus Doctor Hieronymus, vbi pro suis deuotis famulis orat assiduè, illos Deo reconciliando, & non perire permittendo, secundum quod dicit beatus Eusebius in Epistola de morte Hieronymi. Vir iste mitissimus in populo suo apparuit, & Deo dilectus, & hominibus, orat nunc pro Ecclesia sancta. *Et subdit*. Hic certè dux nostræ fidei, ad se currentes, ad cœli contrahit arcem. Et illud probat Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in Epistola ad B. Augustinum.

Refert enim quod in superioribus partibus Ægypti in deserto, quidam degebat Monachus Helias nomine, antiquissimus, & magna vitæ sanctitate radians, qui in vita B. Hieronymi ei familiaris valde fuit. Hic die quodam solitis incumbens orationibus, somno repentino adueniente, aliquantulùm obdormiuit. Et ecce in visione, in quodam palatio miræ & ineffabilis pulchritudinis, & à mortalibus vnquam visæ, vt sibi videbatur, erat. Cumq; per horam per palatium illud, huc atq; illuc gradiens, eius admiraretur pulchritudinem, vidit quoddam præparari tribunal à quibusdam nimiæ pulchritudinis iuuenibus, stratis tapetibus & vestibus, auro & gemmis, ac multiplici artificis varietate decoratis, circumquaq; parieti inuoluto. In quo postmodum rex quidam maximus & decorus, magna virorum sole lucidiorum societate comitatus veniens, se posuit, vt iudicia exerceret. Inter hæc cuiusdam Præsulis anima, catenis igneis vincta, à dæmonibus apportata, maiestati regiæ præsentatur. Quæ priusquam de aliquo interrogaretur, cœpit diris vocibus se infernalibus mansionibus dignissimam acclamare. Hanc inter cæteras maximè assignans causam principalem; quoniam vanis mundi pompis intentus, in conuiuiis & vestibus & huiusmodi stultissimis vanitatibus & voluptatibus delectata esset. Quibus finitis lata est per iudicem sententia, vt pœnis infernalibus traderetur, donec corpori iuncta, duplices pœnas sustineret. Mox illam secum ferens omnis illa nequam spirituum turba, inde cum diris clamoribus recessit.

Deinde alterius cuiusdam anima dicti Theodosij senatoris, ante maiestatē multis circumstantibus, nequam spiritibus eam grauissimè accusantibus, in medium ponebatur. Cumq; à diabolis in longum accusatio traheretur, & nullus ex aduerso responderet; Vir quidam septies sole splendidior, & vt sibi videbatur, cæteris astantibus eminentior, ad regis sedens dexteram, in pedibus se erexit. Quo quidem surgente, rex manu propria silentium à cunctis fieri imperauit. Tunc qui steterat, omnibus se opponens accusantibus, hunc suum fuisse fidelissimum & deuotissimum asseruit, & ei continuè exhibuisse reuerentiam specialem, eisdem mox loquendi audaciam abstulit, & taciturnitate prænotauit. Postmodum verò is flexit genua ante regem, huic suo fidelissimo veniam & æternam requiem, solita pietate & misericordia infinita clementissimè elargiri impetrauit. Ita tamē vt pro commissis in mundo flagitiis in purgatorio purgaretur suis precibus vt voluit, est adeptus. Tunc omnis ille nefandorum spirituū multitudo gemens & vlulans, de illo loco protinus se remouit. Interuallo aūt facto horæ vnius, iuuenis quidā pulcherrimus concito gradu, ter palatium

veniens, ad huncq; accedens, se fore dixit vnum ex Sanctis, & inquit. O Petre Patrone Romanorum, te precor, coram Deo impetra, ne Hieronymi filij Domini preces fusæ, pro Theodosij anima, respuantur. At Petrus rogauit Dominum, vt ita fieret. Ad hæc rex. Quod, inquit, à filio meo Hieronymo Petrus postulat, certè fiat. His omnibus sic finitis, à somno mox Elias monachus excitatur; laudes immensas reddens, & glorioso Hieronymo. Qui diem, in qua illa viderat, prænotans, eodem postmodum intellexit die Episcopum Anconitanum, & Theodosium Senatorem ex hoc seculo migrasse. Quare patet hæc vana somnia non fuisse.

C Refert idem Cyrillus in epistola prænarrata, quod quidam presbyter Cardinalis, Andreas nomine gloriosi Hieronymi deuotissimus cultor, in Romana Vrbe, multis circumstantibus exspirauit: iam exsequiis insistentibus, assistente summo Pontifice cum penè toto clero & populo Romanorum, qui ad eundem Andream aduenerant, honorandum, emissis vlulatibus, & crebris gemitibus in feretro, cunctis stupentibus, & velut amentibus effectis, tanquam si à somni dormitione excitaretur, mirabiliter exsurrexit. Cumque à Romano Pontifice, remoto de Ecclesia maiori Beati Petri Apostoli vniuerso populo, clausisque foribus interrogaretur, intulit ista verba: Dum starem diuino examine iudicandus, & iam propter vestium & ciborum, quibus hactenus vsus eram, nimiam superfluitatem, tartareis cruciatibus condemnarer, subitò adueniens quidam sole splendidior, niueq; candidior, quem fuisse gloriosum Hieronymum ad se inuicem referentibus, qui astabant intellexi, præsidenti iudici flexis genibus animam corpori meo iterum iungi, porrectis precibus impetrauit. Quibus finitis verbis, in ictu oculi, vt inde recedens, anima (vt cernitis) corpori est coniuncta. Quare omnes Deum & gloriosum Hieronymum laudauerunt. Ecce quod hæc speciosissima Oliua est suorum famulorum reconciliatiua.

D SECVNDÒ, Oliua est signum victoriæ assecutæ. Ideo refert Plinius in spec. nat. libr. 15. quod victores apud Athenienses quadam oliua coronabantur. Sed Græci tandem suos victores oleastro coronari iudicabant. Quid per hoc denotatur, certè nihil aliud nisi quod gloriosus Doctor Hieronymus, est victoriam contra dæmones & mundum plenè assecutus, & iam regnat victor insuperabilis. Ideò dicit B. Eusebius in epistola sæpè dicta. Cantet quilibet nostrum nouum Domino canticum, Sonoris iubilet vocib. mater Ecclesia. In hymnis & confessionibus plaudat hodie plebs Catholica. Vndique iucundetur Christiana concio. Hodiè certè obtinuit Hieronymus, quod tanto æstuabat desiderio. Hodie, deuictis hostibus, securum obtinuit triumphum. Certè, omnibus expletis laboribus, requiem possidet sine fine. *Et infra subdit.* Iam victor de suis hostibus triumphauit, cum quibus scuto amoris Domini munitus viriliter dimicauit: Iam denarium accepit, pro quo tanto labore in vinea sanctæ Ecclesiæ laborauit. Hæc ille. Vicit enim beatissimus Doctor Hieronymus adhuc viuens suos hostes & sanctæ Matris Ecclesiæ perfidos hæreticos, quia ipse fuit dispersio eorum, vt patet in Legenda. Vicit etiam eos post mortem, sicut patuit in sermone suprà præcedente.

Refert Cyrillus in epistola ad Augustin. quod Græcorum quidam hæreticus die quadã cum sacerdote quodam in Ierosolymitana Ecclesia publicè disputabat. Cumque sacerdos ob suæ partis defensionem auctoritatem quandam Hieronymi allegaret, vt Græci rationes destrueret, temerario pestifer Græcus ore, gloriosissimum Hiero-

Hieronymum, totius veritatis lumen, fuisse mentitum, non erubuit voce fari. At quia voce talem nequitiam perpetrauit vocem deinceps amisit.

Hæreticus, quidam alius pestiferæ hæresis Arianæ Hieronymi imaginem cernens. Vtinam, inquit, sic te cum viuebas meis manibus tenuissem: te meo gladio iugulassem. Hoc autem cum dixit gladium euaginans, totum ipsum gutturi imaginis infixit, sed de imagine gladium, & à gladio manum extrahere nullatenus compos fuit, quousq; res innotuit. Moxque ex percussionis loco tanquam ex hominis corpore viui, sanguinis vnda profluxit. Eadem insuper hora, qua hoc factum est iudici in atrio existenti, idem gloriosus Hieronymus cum gladio gutturi infixo apparens, pro offensione huiusmodi vindictam fieri postulauit, narrans sibi factum. Hæc dicens, abijt. Stupefactus iudex cum cæteris qui astabant ad Ecclesiam properans, hæreticum manu gladium, imaginis gutturi infixum tenentem reperit. Qui protinus, vt eum vidit, capi eum iussit. Captus est itaq; hæreticus, in sua permanens duritia, ob aliud nō se dolere, nisi quòd viuum non teneret Hieronymum, garriens, à multitudine populi lapidibus, lignis, ensibus & lanceis iugulatur.

Gloriosus deniq; Hieronymus non solum vicit hæreticos, sed & dæmones humani generis inimicos, in tantum, vt in eius præsentia nequaquam audeant apparere, seu permanere, sicut de hoc idem refert Cyrillus in Epistola præfata de venerabili Eusebio, qui per duas horas ante beatæ animæ exitum, quandoq; transuersis oculis, & manibus simul iunctis, facie terribili, voceq; dira quasi sæuiens clamabat. Non faciam, non faciam: mentiris, mentiris. Post hæc faciem in terram firmans clamauit. Adiuuate me fratres, ne peream. Hæc videntes monachi, lacrymantes & trementes, eum interrogauerunt: Quid habes pater? Ad quos ille. Non videtis dæmonum agmina, qui me debellare cupiunt? Et illi Quid te facturum volebant, cum dicebas, Non faciam, non faciam, &c. Et ille. Conantur, vt diuini nominis blasphemus inueniar: ideò hoc me non facere clamabam. Tunc illi. Quare faciem tuam, pater, abscondebas in terram? Ne, inquit, eorum aspectum cernerem, quoniam tam terribilis est & turpis, quod omnes penè formidines, quæ in mundo sunt, respectu eius nihil sunt. Ad extremam horam tunc venerabili Eusebio Hieronymus apparuit, eum benignè confortans. Cuius aduentu omnis illa dæmonum turba quasi infinita, timore perterrita, ab eo velut fumus euanuit, non valentes eius præsentiam sustinere, sicut testatur Cyrillus ad Augustinum, dicens. Mirares, Augustine, (vt multiplicibus patet exemplis) tantus à conspectu gloriosi Hieronymi diabolis timor inest, vt etiam picturæ non audeant appropinquare.

B. Hieronymus dæmones vicit.

Nam si à dæmone obsesso illa pretiosa demonstraretur imago, ab eadem continuo effugatur. Hæc ille. Et hoc probat in exemplo, dicens Sanctimonialis penè omnium mulierum pulcherrima, ætate iuuencula, B. Hieronymo deuotissima, in cœnobio dominorum multa vixit sanctitate, illius antiquus serpens inuidens operibus, vt eam à sancto proposito reuocaret, cuiusdam nobilissimi iuuenis animum in eius cōcupiscentiam in tantum incitauit, ita quod non poterat die noctuq; aliud, nisi quomodo possit eam attingere, cogitare. Auxilio igitur proprio desperans de eo, quod vellet obtinere, quendam inueniens magum, & magnam ei promittit (si quod optat, expertus fuerit) pecuniæ quantitatem. Tunc conuocauit magus dæmonem, nocte media ad sanctam destinauit monialem. Ad cellam igitur accedens dęmon transire vl- E

ire vltra Hieronymi imaginem in cella depictam præ magno tremore & timore, nequit, negligens sibi commissum explere opus, desperans ad mittentem reuertitur, se non posse perficere intentum apud monialem, ad quam mittebatur, pandit, propter Hieronymi imaginem in cellula depictam. Magus eum deridens dimisit, aliumque vocatum dæmonem mittit ad huiusmodi opera facienda: cui accidit sicut primo. Per horam forte manens coactus, excelsa cœpit voce clamare; Si me Hieronyme hinc sinis recedere, huc vlterius non reuertar. Ad hæc stupefacta mulier, quæ orationibus in cella insistebat, inquit. Quis istas fundit preces vel voces? Non cessante, diabolo sic clamare, excitatæ illius cœnobij moniales, timore percussi grandi: tremulæ ad illam accurrunt cellam, cruce Domini præeunte. At vbi illum spiritum nequam sciunt, eundem coniurant, vt debeat intimare, qua de causa venerit. Narrans igitur seriem rei, seq; miserum pandens, & catenis vinctum igneis à Hieronymo, rogat eas, vt suis mereatur precibus abeundi gratiam inuenire. At vbi hæc moniales audiunt, Deo & glorioso Hieronymo laudes reddunt, suppliciter postulantes, vt dæmonem hunc nullatenus reuersurum, de cœnobio effugaret. Vix finitis orationū verbis, diabolus magnis stridoribus ex eodem loco recedens, Magum adijt: eumque capiens, tantis verberibus & cruciatibus flagellauit, vt per multa horarum spatia aliquod signum vitale paulò minus appareret. Videns ergò ille, suas artes nullum sibi auxilium adferre, refugium habuit ad B. Hieronymum, dicens: Gloriose, inquit, Hieronyme, subueni mihi, misero. Promitto enim, si tuis hac hora adiutus fuero auxilijs, perniciei tam horribili non succumbam, ac deinde cunctis exutus flagitijs, à tuis obsequijs non recedam. His finitis, velut fumus spiritus nequam euanauit. Per annum autem iacens idem Magus verberibus castigatus in tantum sui corporis inops quod nisi alieno auxilio potuit se mouere. Mox idem accepta pœnitentia, antequam de lecto surgeret, combustis cunctis codicib⁹ magicis, venditisq; omnibus, quæ habebat pauperibus erogauit. Anno finito ad pœnitentiam peragendam, in spelunca quadam clausa in eremo, ibi per quadriennium gloriosè stetit.

Magus conuertitur & libros magicos comburit.

F

TERTIÒ, oliua est quo ad fructum rubea primò, sed post virescit, deinde nigrescit. Sic S. Doctor Hieronymus fuit rubeus per caritatem, viridis per virginitatem, niger per humilitatem. Caritatem ergò magnam habuit erga homines, vt eos Christo acquireret dum hic vixit in mundo, quotidiè prædicans Epistolas scribens, & peccatores inducens ad bonum, & nunc etiam iugiter sanctam Ecclesiam diligens, vt dicit Eusebius de laude Hieronymi in Epistola. Hodie vndique facta est in populo Christiano lætitia. Exultet præcipuè sancta mater Ecclesia; cuius hodie gloriosus cultor & propugnator præcipuus, omnibus exstirpatis hæreticis dogmatibus cum suis fallacibus auctoritatibus, de agro fidei catholicæ doctrinis sacratissimis & præfulgidis signis ac prodigijs, vt sol relucet iter agmina beatorum: Habuit etiam B. Doctor caritatem non solum in opere, sed in doctrina docendo fratres suos, dicens. Predilecti mei, diligite vos inuicem. Non enim accepi ab homine, sed hoc à Saluatore, qui ait: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* In sola enim dilectione omnium genera virtutum consistunt. Sicut ex vna radice multi rami exeunt, sic ex caritate multæ generantur virtutes. Habuit enim Hieronymus virginitatem, sicut testatur Eusebius in Epistola, vbi suprà. Si, inquit, quis vult accipere Ioannem Baptistam, ipse est virgo & pariter eremita.

Ioan. 15.

Sed

Sed diceres. Tamen ipse in Epistola ad Pammachium scribit, dicens: Virginitatem in cœlo ꝓfero, non quia habeo, sed magis miror, quia non habeo. Ex quo dicto videtur clarescere, quod non sit virgo. *Ad hoc dicendum*, quod illud dixit, vel ex humilitate, vel ideò virginitatem minimè habere reputabatur, quia carnis incentiuam sæpius passus fuit. Et sic loquitur de virginitate mentali, & non corporali; quia corpus suum nunquam luxuria maculauit, quam vt docuit, esse spernendam & fugiendam. Nam sicut virginitas hominis par est angelis, immò plus eum facit angelis, ita luxuria hominem deformem reddit, &, vt ita dicam, multò peiorem bestia efficit. De nullo alio peccato legitur Deum dixisse; *Pœnitet me fecisse hominem*. Nam luxuria facit hæc opera: corpus debilitat, & semper illud quasi morti destinat, famam denigrat; marsupia euacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor auffert, oculos vtriusq; hominis cæcat, & præ cæteris iram prouocat. Hæc ille.

Opera luxuriæ.

Legitur etiam hoc vitium durius arguisse, sicut refert Cyrillus in Epistola ad B. Augustin. ꝙ in ciuitate Candia Sacerdos quidam Ecclesiæ custos, impudicus, ebrietati & luxuriæ deditus, miserrimè de hoc mundo migrauit. Cuius corpus in cæterorum sacerdotum sepulcho est sepultum, sequente nocte, vt eius punitio cunctis innotesceret ad exemplum, tantus in Ecclesia, eiusq; cæmiterio fuit strepitus, quòd in Vrbe illa commorantes terrore percussi sunt excitati, velut amentes ad Ecclesiam concurrunt, vbi strepitus vehementes, campanorumq; sonitus audiunt; sed neminem ibi videntes; diuinam exorant clementiam quatenus cur ista fiant, velit reuelare; sed nullum exauditionis sentiunt adiuuamen. Diluculo hoc cessante, omnia in Ecclesia inueniunt reuoluta, & quasi vndiq; flammis ignium violata. Tunc Nicolaus Archiepiscopus Ecclesiæ illius, orationes indicens populo, quid sequenti nocte eueniat, præcepit expectare. Qua veniente duplex strepitus & pauoris tribulatio est secuta. Qua de re homines velut mortui existebant. Die autem elucescente, omnibus in Ecclesia pro orationibus congregatis, gloriosus Hieronymus subitò septies sole splédidior, in Ecclesiam veniens, & altareq; gradiens, cunctis videntibus & mirantibus, per horam fortè sub silentio permanens, obstupenti populo hoc propter sacerdotis illius miserrimu cadauer, sacris indignè locis conditum, ad terrorem peccantium cótigisse intimauit, eisdemq; mandans, vt cadauer miserum, post resurrectionem omnium tartareis deputandum, ab illis mansionibus ereptum, flammis traderent protinus concremandum. Quod cum populus lætabundè fecisset pestis illa cessauit. Et sic deinceps B. Hieronymum omnes vnanimiter deuotione maxima colore inceperunt. Et hoc quo ad primum.

G

Exemplum terribile de Sacerdote impudico.

Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Videmus experientia cum tempore venientis æstatis rosæ maturescunt, tunc homines ciuitatis exeuntes, intrant hortos, vbi rosas colligentes secum in manibus ad mansiones suas deferunt cum iubilo & eas in suo collocant aspectu. Ita beatissima rosa Hieronymus, cum venit tempus suæ senectutis, tanquam candidissima rosa, de horto huius seculi ad cœlestem delata est mansionem, non solum ab angelicis spiritibus, sed à Domino nostro Iesu Christo cum magno honore & iubilo, & plantata est in viridarium Dei, teste Eusebio in Epistola vbi suprà. Ecce, inquit flos campi, & rosa miro modo fragans odore, de horto nuper Ecclesiæ in viridarium Domini est transplantata. Quod autem cum lætitia sic in cœlum sit delata anima sanctissima, declarat Beatus Augustinus in Epistola ad Cyrillum, dicens. Hora Completorij defunctus est gloriosus Hieronymus,

Seu-

Seuerus cum duobus monachis diuinis locutionibus insistentibus, infinitos repentè audiunt organorum, tympanorum, & totius symphoniæ & instrumentorum sonos, quibus cœlum, vt ipsis videbatur, vndiq; resonaret, quorum sonorum suauitatibus, eorum animæ penè à corporibus exhalabant. Stupefacti omnes oculos in cœlum eleuant, totum æther, & omnia quæ ambitu eius continentur, intuentes, viderunt quandam lucem septies solis luce clariorem præclarescere, ex quo omnium odorum aromata erumpebant. Hæc illi tam mirando affectu cernentes Deum exorabant precibus, vt eos cur talia fierent non lateret; & vox de cœlo veniens, ait. Nulla vos moueat admiratio, nihil vobis videatur mirabile, si talia videtis & auditis. Hodie enim Rex regum, & Dominus dominantium Christus, exeunti de hoc seculo nequam animæ gloriosissimi Hieronymi, totus festiuus obuiam venit, & eam præ cæteris tantò honorificentius, tantò excellentius & sublimius, ad sua reducit regna, quantò præ cæteris sublimioris vitæ meritis refulget. Hodie omnium Angelorum ordines exultantes, in talibus vocibus alternatim concinentibus, suum sociant dominum. Hodie enim Prophetarum cœtus; hodie Apostolorum chorus; hodie omnes Confessores; hodie gloriosa commitiua Virginum; hodie omnium beatorum animæ lætabundæ & festiuæ occurrunt compatriotæ. Et cum hæc dixisset, vox siluit, sed tamē lux magna & odor magnus postmodum per horam durantes, non cessauerunt.

Ista solennis & laudabilis in cœlum animæ B. Hieronymi introductio, etiam ostēsa est Episcopo Cyrillo, sicut refert Eusebius in Epistola de morte Hieronymi, dicens: Cum iam dicta hora Cyrillus Episcopus deuotus in sua cellula orationibus inhæreret, sursum in spiritu raptus, velut in exstasi factus, subitò quoddam à monasterio, in quo vir sanctissimus migrauerat vsque ad cœlum mirabile & speciosissimum vidit iter, cuius tanta erat pulchritudo & admiratio, vt stupore velut amens effectus, huc illucq; admirans, sui paulisper credebat obliuisci. In hac positus anxietate eleuans oculos, & ecce Angelorum maxima multitudo à monasterio tanquam societas veniebat, alternatim melodiarum & mellifluorum canticorum vocibus, cœlum & terram resonare faciebant; etiam singuli Angeli singulis manibus accensos cereos habebant, quorum claritas solis & lunæ lumen repellebat. Et deniq; Cyrillus vertens oculos plus in cœlum, non minorem Angelum vidit cum magno etiam Angelorum numero istis obuiam venire, qui rei huius anxius exspectat euentum: quem cum interrogasset, quidnam hoc esset, cum stupor ita oppresserat, vt quid diceret, nesciebat. At ille diutius exspectans gloriosam vidit Hieronymi faciem, cunctisque præibat angelis, & similiter sequebatur animam decoratam pulchrè, similiter erat ad dexteram Saluator, cum eo pariter se vniendi, quo quidem loco Cyrillus degebat, gradum figens & stans, taliter est ei locuta. Agnoscis ne me? Ad quam: Minimè quidem. Quis enim es, qui in tanto cæteris hominibus emines. Et illa. De Hieronymo vnquam fuit tibi aliqua cognitio. At ille. Certè quem nominas singulari affectu diligo caritatis. Sed quæso, es ille? Et illa. Eius sum anima, quæ gloriam iam obtineo, quam sperabam. Ad meos perge filios, quæ vidisti nuncia, vt & à luctu desinant & incessanter congaudeant. Quibus omnibus finitis, illa visio ab eo euanuit. Ad ipsum ergò clamemus, sicut iubet B. Augustinus in Epistola ad Cyrillum, & exultemus congaudendo eius honori, & dicamus cum Eusebio in Epistola sæpè dicta. O vir ineffabilis, ô virtutum vas admirabile, ô splendor patientiæ, columba

aureæ

aurea totius Ecclesiæ, lampas præfulgida. O diadema honoris & gloriæ, angularis lapis, fortissimum exemplar innocentiæ, nostri semper facias memoriam apud Dominum, & vt tua semper valeamus intercessione piissima protegi à nociuis, & in futuro gaudia quæ iam possides, adipisci, quod nobis præstare dignetur Iesus Christus Mariæ filius, qui est idem cum patre & sancto Spiritu in secula, Amen.

Refert amplius Cyrillus in Epistola ad Augustinum, quod Sabinianus hæreticorum fautor, duas in Christo asserens voluntates, assumens pro se illud Matt. 26. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Ex hoc elici potest, quod fugere voluit passionem, vna voluntate, & altera eandem, coactè subire oportuit passionem. Ex his dicebat, quod Christus multa voluit, quæ obtinere non potuit: & hoc errore peruertebat gregem Christi, & vt suum errorem tegeret, & ei fides daretur magis, glorioso Hieronymo & eius opusculo imputabat. H

Ad prædictum igitur hæresiarcham, & suos discipulos, in Ecclesiam Hierosolymitanam quodam die Dominico ad disputandum, & errorem refutandum, Cyrillus cum suis suffraganeis Episcopis, & alijs orthodoxis adueniens. Disputatio à nona incepta, vsq; ad vesperas protenditur. Cum ergò idem hæresiarcha contra nos opusculum ab ipso compositum, falseq; glorioso intitulatum Hieronymo allegaret, has tãtas B. Hieronymi iniurias sufferre non valens Syluanus, sanctę Nazareth Ecclesiæ Archiepiscop⁹; qui tanta B. Hieronymum affectione animi & deuotione colebat, vt quicquid faceret, diuinum nomen & B. Hieronymi præmittebat, vnde quasi ab omnibus Hieronymus dicebatur, prædicto hæretico mox assurrexit, dirè eum increpans, quòd tot & tantas exercuisset nequitias. Dum autem inter eos longa oriretur contentio, & vterq; pro posse opprobria sibi dicerent, in fine sic ambo pariter statuerunt, quòd si vsq; in subsequentis diei horam nonam B. Hieronymus hoc opus falsò compositum euidenter ostenderet, hæresiarcha capite puniretur: Sin autem, Archiepiscopus; & singuli ad propria remearunt. Per totam autem noctem orationibus quisq; nostrum vacabat, vt nobis auxilium in oportunitatibus à Domino eueniret. Statuta autem hora hæresiarcha lætus cum suis nequitiæ filijs in Ecclesiam veniens, huc illucq; discurrens: quærebat Dei seruum, tanquam leo rugiens paratus eum deuorare. Stabat autem fidelium omnium concio in Ecclesia, quilibet S. Hieronymi clamans nomen. Sed ille finxit se dormire, orationem supplicantium non intendens, vt mirabilior appareret. Deniq; cum nihil miraculi appareret, sæuire cœpit hæresiarcha canina rabie, vt Syluanus quod promiserat iam expleret. Ad locum autem quo decollandus erat Syluanus sanctissimus ducitur, gaudens, lacrymantes Episcopos & omnes alios Catholicos, qui ad hæc conuenerant, his confortabat verbis: Exultate mecum carissimi, gaudete & nolite contristrari: quoniam non derelinquet Deus sperantes in se. Si non exaudiat, plus meis iam perpetratis peccatis merui. Post hæc genua flexit, sancte, inquit, Hieronyme adesto mihi, si placet: quanquam hoc & maiore sim dignus supplicio: tamen ne falsitas locum teneat, veritati succurre. Hæc dicans, spiculatori collum præbet, vt feriat, ipsum erigit. Eleuat autẽ spiculator ensem Antistitis venerandi caput vno ictu cupiens amputare. Adest subitò Hieronymus gloriosus cunctis cernentibus, manu extensa tenens ensem, Syluano imperans vt exsurgat. Deinde hæresiarcham increpans, scripturas falsò composuisse innuens, eique comminans ab omnium euanuit oculis, confestimque, vt Hierony-

mus disparuit, hæresiarchæ caput terram petijt à corpore detruncatum tanquam ense spiculatoris manus amputasset vno ictu. Quod tam mirabile cuncti videntes qui aderant, illico stupefacti, Deo gratias egerunt & Hieronymo glorioso, & ad veritatem discipuli hæresiarchæ redierunt.

I Idem refert de Syluano nominato, quod serpens antiquus diabolus inuidens eius senectuti, nocte quadam sumens eius formam, cuidam mulieri nobilissimæ iam in stratu quiescenti apparuit cōsensum sui corporis requirebat. Ad quod perterita mulier, cum se solam in thalamo cum viro cerneret, diabolus cœpit voces diras emittere, vt omnes excitarentur dormientes, etiam conuicini omnes, qui ad mulieris thalamum conuenerunt, quid sibi acciderit inquirentes. Perquirere autem cœperunt, tandem diabolum in specie Episcopi inuenerunt, accensis q; candelis intuentes eum, Syluanum Archiepiscopum crediderunt. Ad quod omnes stupefacti quid dicerent, aut quid agerent ignorabant, scientes eius sanctitatis nomen interrogantes, cur tantas nequitias perpetrasset. At ille. Quid, in quid malè feci, si mulier hæc me ad huiusmodi negotium inuitauit? Quod audiens mulier, eum fore mendacem lacrymans respondit. Tunc ille vt homines ad maius odium erga virum Dei incitaret, ita cœpit horrenda fari, quod nullus potuit auribus sustinere. Quare & ipsum cum contumelijs extra domum expulerunt. Mane facto, quæ gesta fuerant narrantes, Syluanum hypocritam & dignum incendio acclamabant. Qua de re quasi tota ciuitas Nazareth commota est contra ipsum, ita vt audiendo eius nomen, omnes blasphemarent. Audiens autem hæc Episcopus mouetur & stupescit, propter iniurias, sed nullam habuit in se impatientiam, grates semper agens Deo, sua hæc confitetur noxia meruisse. Reuoluto igitur anno, vir Dei, vt hominum scandalum mitigaret, occultè Nazareth deserens, ad Ecclesiam, in qua Hieronymi corpus humatum quiescit, veniens, se in sepulturæ loco posuit oraturus in quo per duarum horarum spacium manens, vir quidam nequam Ecclesiam intrans, sanctum que virum reperiens super sepulchrum in oratione positum ad eum velut draco properans, dixitq; quod mulieres ad libidinem incitaret. Quem innocens Syluanus, sed despici gaudens, solita humilitate, vt ea[illegible] illa diceret inuitauit. Quod ille audiens gladium extrahens, vt Syluani gutturi infigeret. Cui cum hoc verbum: Succurre gloriose Hieronyme, opponeret, in guttur suum ille proprium gladium infixit, & se interemit. Casu itaq; alius superueniens, vt hoc vidit, gladium arripiens, à viro Dei æstimans hominem interemptum, eum interficere conabatur, & id quod primò acciderat, euenit ei. Cum autem iste in terram cecidisset, duo viri alij Ecclesiam intrantes & videntes hoc diuini iudicij ignari, à viro Dei putant perpetratum. Quorum vnus id præ alio grauę ferens, furia inflammatus, cœpit clamare: quousq; viget tua malitia? Tu mulieres ad libidinosas cogis voluptates, & homines interficis in occulto: certè tuæ nequitiæ hodie finis erit, & subitò currens, vt eum exstingueret, nudato ense venerat. Ille autem vt ait: Succurre gloriose Hieronyme. Vir ille sicut duo primi manu propria se interemit. Vir autem alius, qui cum eo venerat, tremebundus ad Ecclesiæ fores cucurrit, qui hoc maleficijs factum putans, quantum poterat, clamare cœpit. Huc omnes occurrite, ecce maleficus Syluanus, non solum mulieres vituperat, sed suis etiam incantationibus homines necat. Fit itaq; his auditis nimius virorum & mulierum concursus clamantium, ipsum esse comburendum. Hæc ad Episcopi Cyrilli sonant aures,

tes, qui pergens, vbi stabat agnus inter lupos, mitis & lætus, nihil aliud dicens: Hæc iustè patior, quia in Deum grauiter peccaui. Verberatur igitur vir Dei, capitur, vt ad supplicia deducatur. Cumq; extra Ecclesiam duceretur, subitò gloriosus Hieronymus visus est in loco in quo iacebat, surgens tanto circumfusus lumine, quod radijs in eum intuentium oculi vibrarentur, cunctis apparuit, suo deuoto præmia donaturus, qui sua dextera Syluani venerandi capiens dexteram, his qui eum captum retinebant, voce terribili, vt eum dimitterent, imperauit. Et antequam vox illa finiretur, omnes tantus timor inuasit, quod in terram velut mortui ceciderunt. Inter hæc quædam mulier à spiritu nequam obsessa, catenis ligata liberationis caussa ad Ecclesiam deportatur. At vbi illa limen Ecclesiæ tetigit, clamare cœpit. Miserere, miserere mei gloriosè Hieronyme, nam per te crucior ante tempus. Cui Hieronymus. Nefande spiritus, exi ab hac Dei famula, & tuas detege nequitias & fallacias, quas erga Syluanum egisti. Apparuit ergò in forma Syluani, vt ab omnibus ipse esse crederetur, & rem quam fecerat, enarrauit. His dictis diris vlulatibus de templo disparuit. Tunc gloriosus Hieronymus ad Episcopum, inquit, voce leni. Quid optas Syluane carissime tibi placitum me facturum scias. At ille. Mi Domine, vt me hic amplius non relinquas. Et Hieronymus. Quod postulas, ita fiat. Post me velociter ergò veni. Hæc dicens, cunctorum visu se negauit. Interuallo autem vnius horæ facto, Syluanus Archiepiscopus exspirauit. Fit ob hoc cunctis admiratio & lacrymæ ab omnibus effunduntur, quilibet se reum in Dei virum, aut quod aliquid contra eum commisisset, clamat, timens, ne se vlciscatur post mortem, quemadmodum contigit illis in Ecclesia, qui eum conuitiabantur. Demum cum honore congruo ad Nazareth portatur, ibiq; corpus venerandum, vt decebat, sepelitur, &c.

DE ANIMABVS.

Sermo primus.

Intende animæ meæ, & libera eam, Psalm. 68.



NIHIL est inter omnia, quod plus trahit pium amicum & liberalem ad misericordiam, vel suffragium, quàm pænosæ captiuitatis intersio. Quare homo, qui est grauiter captiuatus ab inimicis, & seipsum non potest liberare, clamat pro auxilio aliorum, vincula eius ostendendo, vt eo citius ad pietatem moueantur, ipseq; à captiuitate liberetur. Hoc figuratum habetur Exodi 3. vbi legitur, quod filij Israël in graui affligebantur captiuitate Pharaonis, ideò clamauerunt ad Dominum, qui dixit motus pietate: *Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius, descendam, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & deducam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, quæ fluit lacte & melle.*

MYSTICE. Secundum sensum omnis sacræ scripturæ nulla est dolorosior pœna, quàm captiuitas in purgatorio. Animæ enim ibi existentes dicere possent illud Threni. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* In mundo non est dolor, sicut dolor noster, quasi diceret; nō potest tantus A

dolor in tota terra esse, quia scimus, quod captiuus qui patitur in terra propria, & in carcere qui est in terra, & in præsentia parentum, non tantum dolet, quantum in terra aliena, infra terram, & in præsentia aliorum, cum possit interdum ab amicis visitari, eo citius liberari, nec à vermibus molestari, modo ex illo pœnam grauissimam animarum possumus, perpendere, quia captæ sunt in terra aliena, secundum illud Psalm, 135. *Interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos*, & non solum in terra aliena, sed etiam subtus terram, vt habetur Isa. 14. Cui locus purgatorij est vicinus, etiam patiuntur in præsentia dæmonum, secundum illud Psalm. *Diabolus stat à dextris eius.* Ideò de hac graui captiuitate clamat quælibet illarum ad suum amicum, dicens: sicut ponit Amandus in horologio Sapientiæ lib. 2. c. 2. O amicorum omnium dulcissime, succurre miseræ animæ tuæ. Memento incarcerati, miserere mihi, & præbe auxilium desolato. Ne diutius me permittas affligi in carcere caliginoso, quia derelictus sum ab hoc mundo. Non est qui felicitatem ostendat, non est qui manum porrigat egenti. Et hoc est etiam quod petunt verba thematis. *Intende animæ meæ, & libera eam.*

B Animabus defunctorũ cur succurrendum. *I.* Propter naturæ similitudinem.

Pro quibus est Sciendvm, quod animabus defunctorum succurrere debemus propter quinq;. Primo, propter naturæ similitudinem, quia scimus, quod similitudo est causa dilectionis, & hoc testatur Aristoteles 8. Ethicor. dicens: Simile diligit sibi simile. Sic omnis homo proximum sibi. Cui alludit dictum Sapientis Eccli. 13. *Omne animal diligit sibi simile.* Et si animalia sibi similia vident aliquod in angustia constitutum, celeriter occurrunt, & auxilia ferunt, quantum possunt. Sicut hoc scribit Albertus in libro rerum de elephantibus, quorum est natura quando volunt pausare in die vel in nocte, solent incumbere in magno arboris ligno, eo quod carent iuncturis membrorum. Venator autem hoc sciens, truncum arboris in parte cauat & resecat. Veniens autem elephas more consueto se illuc volens inclinare, cum arbore cadit. Et si homo non aderit, tunc gemit siue barrit; quod audientes alij elephantes, concurrunt ad clamorem eius, & cupiunt subleuare. Illi autem non possunt voces emittere vt consueuerunt, quousque venerit minor elephas, cuius rostro elephatur. Mystice. Quid per elephantem nisi humana anima intelligitur. Quia sicut elephas est animal magnum, & magnæ reputationis apud homines, vt nonnunq̃ propter ipsum capiendum, homines periculo se exponunt. Sic anima est tam magna & apud Deum tantæ reputationis, quod pro ea in periculo mortis se dedit Christus filius Dei, sicut de hoc dicit Bernardus in lib. meditat. ca. 3. Sublime est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Nam filius Dei, cum esset in sinu Patris, à regalibus senibus pro ea descendit, vt eam à potestate diaboli liberaret. *Et infra.* Totus iste mundus ad vnius animæ prætium æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quàm pro anima humana dedit. Et dicit Plinius in spec. nat. ꝙ inter elephantem & draconem ꝑpetua est dimicatio, quia vnus inuidet alteri propter magnitudinem virium, & corporis quantitatem. Ita inter animam & draconem infernalem, magna est pugna, secundum Augustinum in lib. soliloq. c. 16. Quia ille draco nihil aliud desiderat, nisi vt animam perdat. Nam contra eam multas dirigit sagittas, quæ sunt ira, luxuria, inuidia, superbia, & acedia, quibus anima vulneratur, secundum Bernardum in lib. meditat. c. 10. Ideò benè elphanti comparatur.

Istæ igitur animæ solent pausare in arbore, hoc est, in corpore, de terra formato, quod benè arbori comparatur, quia dicit Agathon in Vitis Patrum. Homo est similis arbori corporali, cuius labor folia, interior custodia fructus. Hæc arbor corporis multoties est causa ruinæ animæ, sicut testatur Augustinus lib. soliloq. loquens in persona animæ, dicens: Nullum peiorem patior hostem, quàm corpus, in quo habito. Est enim quasi leo subuersor in domo mea, vndique me pestifero morsu dilanians, & consumens. Quod perpendens venator, hoc est, mors, incidit arborem, quia *securis eius iam dudum ad radicem arboris posita est.* Matth. 3. Ideo cadente arbore, hoc est, corpore, cadit cum eo anima. Et si habet aliquid adhuc purgandum, tunc cadit in foueam purgatorij, de qua per se surgere minimè potest, quia est extra statum merendi. Est enim anima secundum Psalmistam, *Spiritus vadens & non rediens.* Psal. 77. Vadit enim in pœnas ex grauedine peccatorum, & non redit nisi auxilio Christi fidelium, & bonorum operum. Ideo hodie clamant, & per multa annorum curricula clamauerunt pro auxilio nostro, vocando nos dominos secundum Psalmum 129. *De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes, in &c.*

Idcirco cum nobis similes sunt in natura, non simus immitiores animalibus irrationabilibus, quæ occurrunt sibi similibus, & succurramus eis, de pœnis eas iuuando. Quia secundum B. Ambrosium nihil est tam pium quàm naturam iuuare. Et si non possumus tunc citò liberare, debemus cum eis more elephantum flere, & ipsis condolere, secundum illud Apostoli ad Romanos 12. *Flete cum flentibus*, donec veniat Christus, qui fuit minimus per humilitatem, & liberat eas per suam misericordiam à tali cruciatu. Sic fecit quidam Abbas, qui condoluit cuidam defuncto, vt secum vberrimè fleret.

Refert Vincentius in spec. histor. libr. 25. cap. 35. Quod quidam famulus cellarij beneuolus infirmatus cuidam est confessus. Cum autem quoddam dixisset peccatum, confessor timuit recipere, sed vt Abbati confiteretur iniunxit. Abbate igitur absente, infirmus interim est defunctus. Cum autem ille esset reuersus, & sederet in lecto, volens se discalceare, vidit illum mortuum per gradus dormitorij ascendentem, qui & cecidit ante Abbatem, rogans humiliter, vt suam confessionem audiret; & cum confiteretur, tanta vtebatur abundantia lacrymarum, vt Abbas lacrymans moueretur, & fleuit in tantum, vt manica cucullæ valdè humecteretur. Quo facto, rogauit Abbatem, vt pro se oraret, quia in magnis esset pœnis, & ab eo disparuit in instanti.

II. Caritas defunctis à nobis impensa, in nostrum meritum transmutatur.

SECVNDÒ, debemus eis subuenire propter boni proprij considerationem; quia quicquid boni ei impendimus ex pietate, hoc totum præmittimus nobis ad præmium assequendum. Quod testatur B. Ambrosius lib. de officiis, dicens: Omne quod defunctis causa pietatis impenditur ad nostrum tandem meritum transmutatur, & illud post mortem in centuplo percipiemus duplicatum. Quod probat in simili Auicenna in nat. 3. lib. mineralium, dicens. Cum aliqua plumbea massa terræ immergitur, transactis aliquot annis creuisse signanter inuenitur. Nam etiam secundum Euenum libro de euentibus in natura, plumbea tecta ex imbre crescunt. Sic & si purgandis animabus, quæ sunt subtus terram aliquid à Christi fidelibus destinatur, per quod earum supplicium minoratur; tandem post mortem centuplum inuenitur

augmentum, teste Origene de ritu Ecclesiarum. Quid nunc homo consolationis supplicio transmittit animarum, sine dubio idipsum centuplum recipiet in futurum. Quia *opera illorum sequuntur illos*. Apoc. 14. Ideo dicitur 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Salubre, inquam, non solum eis sed & nobis, quia in sinum nostrum oratio nostra conuertetur, vt ait Psal. 34.

III. Ratione debiti. TERTIÒ, debemus liberare animas propter debiti rationem. Ratione enim debiti tenemur eis subuenire, ex quo enim iubemur inimicos diligere & eis benefacere. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt*. Multò magis tenemur hoc facere amicis & parentibus nostris, qui nos genuerunt, & labore magno nutrierunt, pro quo eis satisfacere non possumus, secundum illud Aristot. 9. Ethicor. Diis, parentibus, & magistris, non potest reddi æquiualens. Sed (heu) quidam inter nos faciunt, sicut pulli degeneres pellicani.

Refert enim Solinus in libro de mirabilibus mundi. Pullos Pellicani naturaliter odit serpens. Cum autem pro pastu mater exiit, serpens descendit arborem, & hos occidit. Veniens autem mater, & mortuos inueniens, in pectore se vulnerat, & super pullos sanguinem spargit, & suscitat hos à morte. Ex effusione enim sanguinis mater debilitatur, quapropter pulli pro cibo exire coguntur, & quidam pulli naturali affectu matrem debilitatam pascunt, alij autem degeneres nihil curant de matre, quod ipsa diligenter aduertens, receptis viribus, filios se pascentes refouet, alios tanquam ingratos eiicit & expellit.

Sic SPIRITVALITER. Parentes nostri dum vixerunt, magnam curam de nobis habuerunt, quia secundum Aristotelem 8. Ethic. sunt nobis causa essendi generando, causa nutriendi educando, & causa disciplina informando. Et hoc aliqui prudentes filij animaduertunt, & multa bona faciunt post obitum parentum suorum: tum Missas pro salute eorum ordinando, tum eleemosynas pauperibus elargiendo, tum orationes deuotas faciendo, tum corpus ieiuniis affligendo, tum & lacrymas effundendo, ita vt de illis potest dici illud Psal. 9. *Oculi eius in pauperem respiciunt*, scilicet in purgatorio degentem animam respiciunt.

C Sed contrà, quidam filij & filiæ ignobiles, post mortem parentum & suorum amicorum minimè curant, sed bona ab eis relicta inutiliter dilapidant. Ideo de illis petunt vindictam, vt testatur Guido in tertio opusculo sermonum; Clamant super nos hi, qui sunt in purgatorio, eo quod suorum nulla fit mentio in hoc seculo, petentes vindictam fieri de his, qui sunt sub cœlo. Sed pro bonis & benefactoribus interpellant, vt ait Richardus; Ipsi, qui iam de purgatorio eiecti, cœlesti assunt gaudio, miro modo interpellant pro his, qui eis & aliis defunctis subuenerunt in hoc mundo

IV. Propter præmium quod inde consequimur. QVARTÒ, debemus eis benefacere propter præmij retributionem. Scimus namque, si filius Regis esset in carcere positus, & esset aliquis extraneus, qui speraret ab ipso præmium; & posset ipsum suis petitionibus, aut etiam pecuniis liberare, multum laboraret, vt eum liberaret, vt ab eo maius præmium acciperet, & laboris sui recompensam.

MYSTICE autem, in purgatorio sunt filij summi Regis, qui exspectant hæreditatem eius, quamuis nunc sustinent pœnam purgatorii. Cum autem purgati fuerint, ad

ad cœlum sublevantur, vt æternaliter ad regiam mensam sumant cibum. Sicut figuratum est . Reg. 25. in fine, vbi legitur: *Euilmerodach sublevavit caput Ioachim regis Iudæ de carcere, & mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, dans ei meliores, & comedit semper panem in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ.* Per Euilmerodach Christus intelligitur qui sublevauit caput regis Iudæ, hoc est, animarum, quæ in fine vitæ suæ principaliter ipsum sunt confessæ, per veram pœnitentiam & contritionem . & induit illos vestibus regiis, secundum illud Isaiæ 52. *Induentur vestimentis gloriæ:* & tunc dicent illud, quod dixit B. Agnes: Induit me Dominus cyclade auro texta & immensis monilibus ornauit me. Et sic tunc comedent panem de mensa Domini de quo dicitur Lucæ 14. *Beatus qui manducat panem in regno tuo.* Et cum ibi fuerint, facient proculdubio suis liberatoribus recompensam. Sicut de hoc refert Vincentius in specul. hist. Quod Angelus duxit animam Tundali in domum mirabiliter ornatam, cuius parietes ex auro & argento erant, & ex omnium lapidum genere pretiosorum vbi vidit sedile aureum cum gemmis & serico, & omnibus ornatum ornamentis, & vidit regem nomine Tharmachum, in ipsa sede vestitum mirabilibus vestimentis, viditque venire plurimos in domum suam cum muneribus, & singulis sibi offerebant etiam sacerdotes & reges solenniter induti veniebant, cum cyphis aureis & calicibus, ponentes ante eum, sibiq; ministrantes, & genua flectentes, dicebant: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Psal. 127. Et cum hoc vidisset, dixit ad eum Angelus. Isti sunt pauperes, quibus dum vixit, ista bona sua rex impenderat in mundo, & in purgatorio, ideo ministerio eorum retribuetur ei merces æterna.

V. Quia euasorunt pœnam æternam.

QVINTO, debemus eis subuenire propter æternæ pœnæ euasionem. Si enim illis nunc succurrimus, æternam euademus læsionem, quod probatur in natura. Dicit Themistius in breui diuersorio artium. Quando sal igni iniicimus, totus ipsius cessat fumus, & vapor postmodum nullum infert capiti læsionem. Sic dum sal spiritualis condimenti bonorum operum transmittimus ipsis animabus, totus eorum, vel saltem in parte cessat cruciatus . & nos in futuro non sentiemus tormenti læsionem, sicut testatur Beda super Matthæum, dicens. Vna gutta refrigerii facta per hominem, totam sedat animarum vapulantium torsionem, ipsamque à futuris præcauet suppliciis peccatorum. Si autem de bonis eorum nobis derelictis, aut nostris propriis, non subuenienus, pœnas minimè euademus. Quia dicit Haymo super Apocalypsin. Iste iusto Dei iudicio æternæ damnationi se subiicit, qui defunctorum immemor, quantum ad eorum auxilia suffragiaq; existit. Cui consonat Hugo de sancto Victore. Omnis ei consolatio post hanc vitam denegabitur, qui defunctis in hoc seculo minus suffragatur. Et hoc probat Torstinus Rhemensis Archiepiscopus, dicens: Miles quidam in bello Caroli Magni cum Mauris pugnaturus, rogauit cognatum, vt si in bello moreretur, equum suum venderet, preciumque pauperibus erogaret. Quo mortuo, cum equus sibi nimium placeret, eum sibi retinuit, & post modicum tempus defunctus ei apparuit tanquam sol refulgens, dicens sibi: Cognate, benè per octo dies fecisti me pœnas pati in purgatorio, propter equum, cuius pretium, vt iusseram, pauperibus non tribuisti. Sed impunè non euades. Hodie enim dæmones ferent animam tuam in infernum, & ego purgatus vado ad regnum. Et ecce subitò in aere factus est clamor, velut leonum, vrsorum & ipsam inde abstulerunt. Sic veraciter continget illis, qui bona mortuorum sumunt, eisque nulla

Testamentum demortui non exequens, damnatur.

bona

bona auxiliaque impendunt. Nos autem non sic carissimi, sed hodie debemus desiderium implere, vt petunt verba thematis: *Intende animæ meæ & libera eam*, vt æternas pœnas euadamus, & cum illis postea Deo in æternum conregnemus.

DE ANIMABVS.

Sermo secundus.

Educ de custodia animam meam, id est, de carcere. Psal. 141.

Leonis natura.



SECVNDVM Isidorum lib. 12. Leonis natura circa hominem misericors est, & mirifica, quia prostratis ante se parcit, nec hominem nisi in magna famæ concedit, vel occidit. Veniente autem senio, tunc hominem persequitur, quia ad quærendas belluas virtus iam deficit. Persequitur tamen aliquos magis, aliquos minus. Nam in viros sæuit acriter, contra fœminas verò tantum fremit: infantes rarò, non nisi in magna necessitate inuadit, vt dicit Plinius in spec. nat.

A MYSTICE. Per leonem hic intelligitur Christus, de quo dicitur Apoc. 5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda*. Huius nobilissimi leonis natura est magna & mirifica, indulgere erga hominem peccatorem, nunc in tempore gratiæ, quia secundum Chrysostomum super Matth. neminem damnat nec punit, nisi inuitus, quia benignissimus est: & quando se homo erga eum humiliat, ei parcit, quod figuratum est 2. Regum 11. de Dauid, qui peccauit peccato adulterij, proditionis, & homicidij, sed cum dixit vnicum verbum, se humiliando: *Peccaui*, Dominus ipsum benigniter suscepit, quod patuit ex verbis Nathan Prophetæ, qui ait: *Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris*. Ideo de hac benignitate Dei non sufficio admirari, quod tantum potest parcere homini peccatori.

Sed quamuis Dominus in præsenti tempore gratiæ est misericors, veniente tamen senio, hoc est, fine hominum, eos tam grauiter persequitur, secundum quod prædixit Ps. 82. dicens: *Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos*, subaudi, qui in peccatis discedunt. *Aliquos* tamen punit magis, aliquos minus, & contra eos solum ostendit potentiam suam. *Alios* rarò aut nunquam lædit, secundum quod magis vel minus peccauerunt. Quia aliqui sunt vt viri potentes in peccatis, de quibus Psalm 5. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*. Contra hos dicit in alio Psalmo, scilicet 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Illos grauiter punit in inferno, secundum quod testatur Sapiens: *Potentes autem potenter tormenta patientur*. Sap. 6.

Aliqui sunt, vt mulieres, qui satisfactionem sibi iniunctam tanquam fœminæ molles complere recusant, & contra hos fremit horum satisfactionem in purgatorio implendo, quàm hic negligenter subire noluerunt. De his Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Ipse autem saluus erit sic quasi per ignem*. *Alij* autem sunt qui incipiunt viuere in vteris matrum, & ibi moriuntur: *aliqui* iam de mulieribus nati, sine baptismo moriuntur, & illos non inuadit Christus acriter puniendo, quia secundum quosdam pœnam actualem vel materialem non patientur, pœna eorum erit minutissima, re-

spectu

ſpectu aliarum perſonarum. Erunt tamen in tenebris, ſecundum Auguſtinum, de baptiſmo paruulorum. Cum aut poſt iudicium finale neceſſariò fient ſolum duo loca, vnus damnatorum, alius ſaluandorum. Tunc ſecundum certos Doctores quoſdam hi infantes etiam ſentient pœnam ſenſus. Secundum verò Hugonem Cardinalem, punientur diuerſis tormentis, tamen minus quàm illi, qui actualiter peccauerunt. Et illi infantes, nec etiam primi poſſunt per nos adiuuari, ſed ſolum illi, qui pœnitentiam ſibi iniunctam, cum ſatisfactione nondum moriendo compleuerunt: & illi clamant per hæc verba. *Educ de cuſtodia animam meam.* In quibus duo tanguntur. *Primò*, grauitas carceris, ibi; *Educ. Secundo*, dignitas animæ, ibi; *Animam meam.*

De PRIMO eſt NOTANDVM. Videmus naturaliter, quod auicula cum eſt libera tempore ſuo in ramis arborum dulciter ſonorans, cantare deſinit, & triſtis efficitur, quando in caueam ducitur, quia cauea eſt quidam carcer grauis: ideo ſaltat hinc inde, quærens exitum, vt caueæ euadat grauitatem. Sicut de hoc dicit venerabilis Boëtius lib. 3. Metro. 2.

Quæ canit altis garrula ramis
Ales; caueæ clauditur antro:
Huic lucet illita, id eſt confecta, *pocula melle,*
Largasq; dapes dulci ſtudio
Ludens hominum cura miniſtret,
Si tamen arto ſaliens tecto,
Nemorum gratas viderit vmbras,
Sparſas pedibus proterit, id eſt, annihilat, *eſcas.*
Siluas tantum mœſta requirit.

SPIRITVALITER. Per auiculam quælibet anima hominis deſignatur. Rectè enim ſicut auicula de nidulo ſuo volans, neſcit quo feratur, ſed volat in incerto. Sic anima exiens de nido ſuo, ſcilicet de corpore, incerta eſt an debeat oculis diuinæ maieſtatis, an pœnis præſentari, ſed fertur quo voluerit ipſe Deus. Hæc anima hominis cum eſt libera à peccatis, cœleſti gaudio in ſe iam patitur, ſicut teſtatur beatus Ambroſius in hexameron, dicens: Anima expers ſceleris, ſuæ carnis non feruens incentiuis, ſed ab omni carnali illecebra libera penitus & immunis, iam eo ipſo in ſe omni gratia fruitur cœleſtis gaudij & dulcedine. Si autem capitur laqueis peccatorum ab aucupe infernali, iam deponit omne canticum lætitiæ, quia dicit Fulgentius lib. 3. vnitatis thagorum. Quale gaudium peccatrici animæ eſſe poterit, quæ lumen cœli non conſpicit, ſed inuolutam peccatorum caligine ſe cognoſcit. Quaſi diceret: nullum poteſt habere gaudium, & ſi tunc talis anima peccatis ſuis exigentibus in caueam purgatorij ponetur, triſtis nimis efficitur, quia omnis carcer valde grauis eſt, reſpectu pœnarum carceris apud nos, vt patet ſupra ſermone *Miſeremini mei* memb. 1. Et hoc patet in exemplis. B

Refert Albertus Ratiſbonenſis Epiſcopus de quodam viro, qui poſt longam pœnitentiam, quam ſanus fecerat, in grauiſſimum incidit languorem, quo per annum eſt quaſſatus Rogauit itaque Dominum, vt tandem finem imponeret languori. Ad quem miſſus angelus dixit: Exaudiuit Dominus preces tuas, & dedit tibi optionem: aut tribus diebus in purgatorio, aut adhuc per annum vnum in mundo vis cruciari. Ille autem præſentem pœnam memorans, nec futuram aduertens, ait: Mori potius

eligo, & non tantum tribus, sed quantum Domino placuerit, in purgatorio tribulari. Fiat, inquit, Angelus secundum verbum tuum. Mortuus est igitur languens, & eius anima in purgatorium deportata. Vno ergo exacto die, venit ad locum purgatorij Angelus, vbi anima torquebatur, & dixit ei: Quid nunc agis, ô anima, quæ pro languore vnius anni tribus diebus in purgatorio elegisti detineri? Cui anima. O seductor, non Angelus, qui me in pœnis multorum annorum curriculis per terminum dierum fefellisti. Cui Angelus. Non mora, sed inæstimabili tortura deceptus es nisi vnum diem de tribus peregisti. Tamen tui, si adhuc retractare volueris, Dominus miserebitur, vt ad corpus, quod nondum sepultum est, reportetis, & per annum vnum languorem quem expertus es, patiaris. Cui anima. Non per annum, sed vsque in finem mundi etiam detineat languore acriori. Hoc dicto, anima ad corpus reportatur, & per annum languore detenta, multos, quibus hoc retulit, ad pœnitentiam animauit, & post annum iterato est defunctus. Ideo dicit Beatus Augustinus. Nescit quid petit, qui purgatorium petit, quia est eadem pœna, & idem ignis qui est in inferno.

Purgatorij ignis idem qui in inferno.

C Intende igitur, ô homo, secundum Isidorum, anima quascunque tormentorum seculi pœnas, quoscunque tormentorum dolores, quorumcunque dolorum acerbitates, hoc comparatum pœnæ purgatorij & gehennæ, leue est omne quod pateris atque dulce. Refert etiam Vincentius in specul. histor. libr. 26. quod Angelus Domini animam cuiusdam militis Tundali, in horribilem vallem fabrorum misit, vbi erant multæ fabricæ, in quibus maximè audiebatur sonus. Cœperunt igitur eam tortores animæ, & cum forcipibus ignitis in caminum ignis proiecerunt, vbi multæ animæ torquebantur; cumque liquefierent, extractæ sunt tridentibus ferreis, & positæ sunt in incudem, & percutiebantur malleis, vicenæ vel tricenæ, aut centenæ in vnam massam redigebantur: & post proiecerunt eas de incudibus, & alij eas capiebant, huc illucque iactabant. Sed nec hoc durum & derisorium cuiquam videatur quod illæ animæ taliter malleantur, audi Spiritum sanctum per os Sapientis loquentem. *Parata sunt*, inquit, *derisoribus supplicia & mallei percutientes stultorum corpora*. Prouerb. 19.

Historia Tundali.

D Sed diceres. Quia pœna purgatorij est tam grauis & acerba, quare tunc eam seculares non timent, neq; curant, sed dicunt: Nisi sacerdotes dicerent esse infernum, ipsi non possent se nutrire. *Ad hoc dico*, quod ideò non timent, quia pœnam in scripturis non vident. Cum autem viderint, fidem adhibebunt, quia sentient, vel si viderent, vtiq; crederent. Refert enim, cum viri religiosi & literati de purgatorio loquerentur, & timerent coram laico, qui & dixit. Mirum est, vos literati multum timetis, & seculares non timent: dixit vnus tale exemplum. Cœcus quidam habens puerum qui ducebat eum, hic venit ad quoddam præcipitium & non audebat transire. Tunc cœcus posuit puerum super collum, dicens, vt cum baculo sibi viam pontis demonstraret; quo facto, transiuit cœcus vbi non audebat puer videns. Quare hoc? Quia non videbat. Sed quia puer videbat, ideo timebat. Ita & homines, qui non timent pœnas purgatorij, non curant eas, sed si gustassent, nimium formidarent, & quoscunque dolores hic non curarent. Sicut legitur de quadam muliere, de qua refert Iacobus Episcopus Tusculanus, quæ propter pœnitentiam agendam de purgatorio est reuocata, & tantum se afflixit quod in sepulchris habitabat, & in niue, glacie, igne q;

Obiectio.

Exemplum de cœco.

Igneq; frequenter se voluebat. Et quia pœnæ carceris purgatorij sunt tam graues & acerbæ, ita vt non habeant requiem ibi existentes, donec exeant: ideo clamant ad quemlibet Christi fidelem, dicentes. *Educ de custodia animam meam.* Sed per hæc possumus eas educere, vt dicit Hostiensis. Versus:

Missa, preces, dona, ieiunia, quatuor ista,
Absoluunt animas, quas purgans detinet ignis.

Et tunc cum absolutæ fuerint, dicent illud Psalm. 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Et hoc ad primum.

Quantum ad SECVNDVM. In his verbis ponitur animæ dignitas, cum dicitur, *Animam meam.* Circa quod NOTANDVM. Animæ dignitas patet ex multis. PRIMÒ, ex illo, quia ad imaginem suam creauit illam altissimus, secundum quod dicit deuotus Bernardus lib. meditationum 3. cap. Anima insignita imagine Dei decorata similitudine, vt suprà. SECVNDÒ, quia eam custodiæ angelicæ deputauit. Ideo dicit Beatus Hieronymus super Matthæum. Magna est dignitas animæ, vt vnaquæque ab ortu natiuitatis suæ habeat in custodem angelum sibi deputatum. TERTIÒ, quia eam à morte pretioso sanguine liberauit, teste Bernardo, qui ait. O pretiosa anima, Dei imagine insignita, nec opibus redempta, sed agni immaculati & innocentis sanguine, attende quantum vales, quantum datum est pro te recogita. Noli te ipsam ponere in perditionem, quia Christus fudit pro te suum sanguinem, qui te satis dilexit, qui te tanto pretio redemit. Hæc Bernardus. Sed hanc dignitatem minimè perpendimus, sed nostras animas in perditionem multoties perpetuam tradimus. Quod venerabilis Beda conqueritur, dicens. Heu quid animæ nostræ dignitatem tam parum attendimus, quam Deus tanti pretij æstimabat, quod vnigenitum suum in mortem pro eo tradidit, quam etiam diabolus tanti pretij æstimauit, quod pro eo totum mundum dare voluit. QVARTÒ, quod eam cibo nobilissimo Eucharistiæ sæpius satiauit, iuxta illud Psal. 80. *Cibauit illos ex adipe frumenti.* QVINTÒ, quod eam ad veram beatitudinem veraciter creauit finaliter. Ideo possumt dicere illud Augustini lib. Confessionum: Creasti nos Domine ad te, ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Propter has nobilissimas dignitates animarum meritò desideria earum exaudienda sunt. Quia quanto sunt personæ nobiliores & digniores, tanto petitiones earum sunt exaudibiliores.

E
Animæ dignitas patet.
I.
Quia est ad imaginem Dei creata.
II.
Habet angelicam custodiam.
III.
Sanguine Christi redemta.
IV.
Quia Eucharistia refecta.
V.
Ad beatitudinem creata.

Sed quia animæ sunt filij & filiæ summi regis, ideo sunt dignissimi, & citius exaudiendi, & à pœnis liberandi. Ipsarum dignitatem sagaciter perpendit. S. Thomas Cantuariensis, qui quotidie laborauit in Missis suis, vt eas à pœnis liberaret, sicut patet in exemplo. Quidã miles cum rege Franciæ iuit ad bellum, contra regem Hispaniæ purgnaturus. Et cum simul pugnarent, accidit, vt equus sub milite occideretur. Et ipse periculo mortis subiaceret, quod videns fidelis seruus suus Hermelius, de equo descendit, & domino tradidit equum, & ipse in bello occisus fuit. Tribus igitur lapsis annis, contigit, cum miles in Cantuariensem ciuitatem equitaret, somnus ipsum oppressit, ita, vt in equo dormitaret. Duxit igitur ipsum equus in siluam densam, quæ per medium à ciuitate distat milliare. Cumque euigilasset, vidit creaturam aduersus se mirabilem, vehit globum venientem,

& miserabiliter clamantem. Miles autem coniurando percunctatur, cuiusmodi esset creatura? Quæ respondit: Ego sum seruus tuus Hermelius, qui pro te mori elegi. Et quis est inquit miles, status tuus? Et ille. Status est miserabilis, quia nimis in flamma crucior. Ad quem miles. Est de te aliqua spes? Salutem, inquit, me spero adepturum, quia propter fidem, quam in te exercui, Dominus contulit mihi contritionem, sum tamen vsq; ad diem iudicij pœnis datus. Cui miles. Dic mihi, si possem tibi in aliquo subuenire? Respondit ille. S. Thomas Episcopus Cantuariensis tanti est meriti apud Deum, vt per suas Missas multæ sunt animæ à purgatorio liberatæ. Quod cum miles audiuit, ad S. Thomam transiuit, & illi euentum rei exposuit atq; seruum illum commendauit. Ille verò benignè suscepit, & pro eo orauit. Cum autem Missam inciperet, vidit miles Ecclesiam repletam animabus, quæ vnanimiter dixerunt. Salue reuerende Pater, & benedictus sermo oris tui, quia à te sumus à pœnis purgatorij liberatæ. Et quoties Episcopus se ad populum conuertebat, toties conuolutis manibus, hæc verba referebant. Finita igitur Missa, tota Ecclesia splenduit, & vidit miles Michaëlem in multitudine angelorum venientem, & inter se animam candidiorem sole deferentem, quam sibi Sanctus Michaël præsentauit, dicens. Hanc animam tibi Dominus offert, quia pro ea deuotè exorasti.

Sacrificio Missæ liberantur animæ à pœnis purgatorij.

Ecce quàm salubre est Missas pro defunctis exorare. Nam ille, qui fuit vsq; ad finem mundi pœnis purgatorij adiudicatus, per vnam Missam deuotè celebratam fuit liberatus. Ideo dicit B. Augustinus. Nunquam celebrantur diuina mysteria, quin ibi concurrunt duo virtuosa beneficia, aut vnius peccatoris conuersio, aut vnius animæ liberatio. Et non solum vnius, sed credibile est, Missa dignè celebrata multæ animæ per eam liberantur. Sicut de hoc dicit Magister Gulielmus Antisiodorensis. Credo quod nulla Missa est, quæ, cum dignè cantatur siue legitur in Ecclesia, per quam non multæ de purgatorio animæ eruantur. Ideo præcipitur Clericis negligentibus rarò Missam celebrantibus, Extra de celebrat. Missæ, cap. Cum creatura, quòd Missas celebrent pro animabus; & vt habetur de consecratione dist. 1. cap. Cum visum. Consilium est, quod hoc faciant quotidiè, vel ad minus collectam de memoria eorum legant. Nam legitur in vita sancti Martini, quod tot animæ de purgatorio in primitiis eius fuerunt liberatæ, quot ibi fuerant homines præsentes, scilicet plus quàm trecentæ.

DE ANIMABVS.

Sermo Tertius.

Homo cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, vbi quæso est? Iob. 14.



EXPERIENTIA videmus, quod pauo, quam diu viuit in pulchritudine pennarum suarum, in cauda gloriatur. Cum autem mortuus fuerit, pennis spoliatur, & caro sic deplumata, in certo loco relinquitur, & à vermibus deuoratur.

A MYSTICE. Per pauonem hominem licet designari: quamdiu enim homo viuit in diuitiis, & gloria mundi exaltatur, *sicut diues*, Lucæ 16. Similiter Arphaxat Rex Medo-

Medorum, qui cum multas nationes suo imperio subiugasset, elephatum est cor eius in tantis diuitijs, vt dirigeret ad omnes terras, vt sibi homagium (propriè holdigung) facerent, vt habetur Esther. 1. Sed certè quamuis homo sic gloriatur, tamen cum nõ æstimat, per mortem præscinditur, & rebus omnibus, & gloria spoliatur, & quo anima vadit incertum est nobis. Quod probat Ioannes Damascenus, & Vincentius in spec. hist. lib. 16. dicens: In quadam ciuitate fuit talis consuetudo, vt vnum extraneum omni anno in principem eligerent, qui omni potestate accepta, quicquid facere volebat, licitum erat. Cum igitur finis esset anni, repente ciues in ipsum surrexerunt, & per totam ciuitatem trahentes, in remotam siluam nudum miserunt, vbi nec cibum nec vestimentum inueniens fame & frigore vrgebatur. Ciuitas illa est mundus, de qua Eccles. 9. *Ciuitas parua, & pauci viri in ea*, scilicet, qui viriliter contra vitia pugnent. In ista ciuitate est quilibet homo extraneus, quia vt dicit Apostolus ad Heb. 13. *Non habemus hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus.* Ciues autem huiusmodi sunt dæmones, qui sæpè falsis delectationibus hominem alliciunt ad honores, vt in diuitijs glorientur. Sed dum homo non timet, sed semper sic manere putat, superuenit mors, & omnibus ipsum priuat rebus. Quia dicit Iob. 27. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*

Ideò refert Vincentius lib. 3. c. 54. Quod Saladinus Rex, cum obiret circa Damascum, sciretq; mortem, vocauit signiferum suum dicens: Tu qui soles ferre vexilla mea per bella, fer etiam vexilla mortis meæ, scilicet panniculum vilem, per totum Damascum super lanceam, clamando. Ecce Rex Orientis, nec fert secum nisi hunc pannum vilem. Sic factum est de parentibus nostris, qui licet hic in mundi gloria fuerunt, tamen per mortem de hoc mundo recesserunt, & nihil secum nisi opera bona vel mala detulerunt, secundum illud Apoc. 14. *Opera illorum sequuntur illos.* Ideò debemus eis bonis operibus subuenire, ex quo nescimus, an adhuc sunt in purgatorio, vel in cœlo. Et hoc innuit in verbis præmissis. *Homo cum mortuus fuerit & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* In quibus quatuor tanguntur. *Primò*, humanæ conditionis vilitas, ibi; *Homo. Secundo*, ipsius substantiæ fragilitas, ibi; *Cum mortuus fuerit. Tertio*, rei temporalis amissibilitas, ibi; *Nudatus. Quartò*, æternalis mansionis dubietas; *Vbi quæso est?*

Circa PRIMVM NOTA. Homo dicitur ab humo, Gen. 2. *Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ*, quod elementum est vilius inter alia elementa. Sed quomodo homo concipitur, pudet enarrare: quia dicit Innocentius de vita humanæ conditionis lib. 1. c. 1. Formatus est homo de puluere, de luto, & de cinere, quodque vilius est, de immundo spermate conceptus, & in fœtore libidinis & labe peccati. Ideò hanc vilitatem cognouit, qui dixit. Sum quidem homo mortalis, similis hominibus ex gener terrigenarum, qui prior in ventre formatus & figuratus sum, tempore coagulatus sum in sanguine & semine hominis. *Et subdit.* Nemo ex regibus habuit aliud natiuitatis initium, nemo cum purpura, nemo cum corona nascitur. Sap. 7. His verbis confundentur, qui de genere gloriantur, aut superbiunt, vnde gloriatur rex vel miles non enim fecit duos Adam, vnum de luto, alium de auro. Quid ergò à carne gloriaris, quia pater tuus putredo. Iob. 17. *Putredini dixi, pater meus es.* Ideò dixit idem Iob. c. 30. *Comparatus sum luto, & assimilatus fauillæ & cineri.* Quod autem B

 vilita-

vilitatem homo non considerat, sed audet superbire, hoc miratur Bernardus exclamando, dicens lib. medit. c. 3.

Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci pœna, labor, vita, necesse mori,
Post hominem vermis post vermem fœtor & horror,
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Et subdit. Cognosce igitur vnde venis, & erubesce, vbi es & ingemisce, quo vadis & contremisce. Illi consentiunt verba B. Augustini, dicentis? Quid horribilius homine mortuo? Quid fœtidius cadauere humano? Cuius erat in vita tam gratus amplexus, fit in morte tam horribilis aspectus? quid ergò deliciæ? quid diuitiæ? quidue honores prosunt? nec diuitiæ à morte, nec deliciæ à verme, nec homines liberant à corruptione. Et hoc probat in exemplo.

Quidam Dux Burgundiæ, volens corpus patris sui transferre aperte sepulchro, vidit magnum busonem patris faciem rodentem, & tunc prudenter ad se rediens, coram omnibus militibus suis exclamauit. O gloria falsa mundi, delusisti patrem meum, me autem non decipies, & conuersus ad patrem, dixit: Vbi sunt diuitiæ & deliciæ quas habuisti? Nam comederis tam turpiter à busone, & vermes te deuorant, sicut pauperes deuorasti, & relictis statim omnibus religionem intrauit.

Et sic patet ex iam dictis, quòd sicut caro datur corruptioni, sic anima interdum datur purgatorio. Si enim descendit cum venialibus, datur purgatorij ignibus, de quibus dicit Gregorius super primam Epistolam ad Cor. 13. Pensandum est sollicitè, quod per ignem futuræ purgationis, vt asserit Apostolus, omnes purgari non posse, eo quod habent pro fundamento ferrum, aut æs, vel plumbum, id est, peccata maiora, aut duriora posuerunt, quæ purgari non possunt. Sed eos qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam id est, peccata leuissima & leuiora, quæ ignis facilè consumit, quæ licet nimia sint, tamen illic purgationis ignem obtinebunt, quem denique ignem nulli obtinebunt, nisi qui in hac vita hoc promouerunt. Hæc ille. Et illis debemus subuenire operibus nostris bonis quibus possunt adiuuari, vnde Hostiensis Versus.

Missa, preces, dona, ieiunia, quatuor ista,
Absoluunt animas, quas purgans detinet ignis.

C Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Dicit Aristoteles in libro de vita & morte. Mors est speratio animæ à corpore. Et quia hæc separatio faciliter, ideò homo secundum substantiam est fragilis, & durans tempore paruo. Vnde est meritò similis flori, qui crescit in aruo. Quare à Sapiente similatur & comparatur fragilibus rebus. Sapient. 5. *Spes impij quasi lanugo,* id est, flos tribuli *quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Et sicut prædictæ res paruo tempore durant, sic & homo: Quia vt probat Augustinus ex toto tempore vitæ nostræ, non habemus, nec nostrum est, nisi momentum vnum: quia quod est præteritum, non est: quod autem futurum, nondum est & incertum. Ideò dixit Philosophus 4. Physicorum. Nihil habemus de tempore, nisi præsens nunc.

Mors quid?

Ideò breuitatem huius temporis considerauit ille potentissimus Rex Xerxes, de quo

quo refert Augustinus in Epistola ad Heliodorum, quod solicitus erat superuertere montes maniaq; constituit. Hic tamen cum staret in loco sublimi. & cerneret multitudinem exercitus sui fleuit: & cum interrogaretur, cur fleret? ait: quod post centum annos nullus eorum quos nunc video superuicturus est, quia pauci inueniuntur qui nunc viuunt centum annis, vel octoginta nouem. Et si aliquis inuenitur illum terminum transire, eius vita iam non est vita, sed labor & miseria, dicente Psalm. 89. *Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.*

Nec mirum, quod nostra vita est tam breuis, quia refert Vincentius lib. 16. cap. 5. quod sanctus Barlaam posuit exemplum, quod vita nostra est sicut arbuscula, cuius radices duo mures, quorum vnus albus, & alter niger, quotidiè corrodunt. Vbi per arborem, vitæ nostræ mensuram; per mures, diem & noctem designat, quæ quotidiè auferunt partem vitæ nostræ. Hodie enim propius sumus mori quàm heri, quia secundum Bernardum: Vita nihil aliud est, nisi transitus ad mortem. Ideò refert Ioannes Patriarcha ad Alexandrum, quod antiquitus talis consuetudo erat, pro die quo Imperator coronabatur, monumentum sibi fiebat, vt ex hoc breuitatem vitæ & fragilitatem cognosceret, & nequaquam in imperio superbiret.

Quantum ad TERTIVM est NOTANDVM. Res temporalis est duplex, scilicet exterior & corpus quod est nobis coniunctum. Quo ad res exteriores, homo dicitur nudatus: sed quo ad corpus, dicitur consumptus. Mortem enim corporis necessariò amisso rerum & consumptio comitatur corporis. Hoc attendentes homines religiosi & deuoti quàm diu viuunt in hac vita mortali, nudant se omnibus terrenis, corpus suum castigantes. Et illud significatur in Dauid, qui nudus lusit coram arca. 1. Reg. 6. Et meritò pro nudatur, qui pro nobis in cruce est nudatus. Sed sunt pleriq; qui hîc ad modicum nolunt nudari temporalibus rebus, vt darent pauperibus; sed tales, velint nolint, tandem quando fuerint mortui, totaliter nudabuntur, secundum illud Psal. 48. *Diues cum interierit, non sumet omnia, neq; descendit cum eo gloria eius.* D

Nónne plures nudantur, qui de vestibus pretiosis, & cæteris rebus quas habebant in seculo, nihil secum deferunt, nisi vestem vilem quo inuoluti ponuntur in sepulchro; vt quilibet possit dicere illud, Iob primo. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus illud reuertar.* Sic factum est defunctis nostris: nam nudi egressi sunt de hac terra, nudati omnibus rebus suis, quod iam non possunt facere eleemosynas & seipsas redimere à peccatis, secundum illud Danielis quarto. *Peccata tua eleemosynis redime* Idcircò nos debemus vices eorum explere exemplo ciconiarum, de quibus refert Ambrosius in hexameron. Quando ciconiæ efficiuntur senes, & seipsas pascere non possunt, tunc pascuntur à pullis suis. Et quia magna fuit eorum pietas erga pullos. Ideò quantum tempus expendunt in fœtibus educandis, tantum ipsi à pullis suis vice reciproca nutriuntur. Ita nunc nos facere debemus, quia parentes nostri. & alij proximi, sunt extra statum merendi, & seipsos pascere non possunt operibus, ideo pascamus eos eleemosynas nostras pauperibus dando. Quia dicit Aristoteles 8. Ethicorum. Parentes nostri magnam dilectionem & pietatem erga nos habuerunt, in iuuentute pascendo, quare eis vicem rependamus orationibus nostris. Quia legitur de quodam, qui frequenter orabat pro animabus parentum, & non solum illorum, sed &

Simile.

Eleemosyna animabus subuenitur.

omnium

omnium fidelium, & quoties orabat, toties videbatur, quod fumus aureus de ore eius protendebatur, quo animas quandoq; octo, quandoq plures, & multoties pauciores, extrahebat.

Et non solum rependere debemus vices orationibus nostris, sed & eleemosynis, quia sunt in carcere arcto, in quo multum egent: quia legitur, quod eleemosyna iuuat adhuc viuentes, multò magis in purgatorio degentes. Vnde quidam miles ductus fuit in captiuitatem paganorum, & positus in carcerem, quem vxor sua mortuum credent, sæpius pro ipso eleemosynas faciebat, & quale pauperibus dabat, tale angelus marito in carcerem deportabat. Tandem de captiuitate liberatus, rediit, & mulieri, quod per angelum factum fuit, enarrauit, quæ diligenter perpendens tempora & qualitates eleemosynarum, eleemosynas se dedisse deprehendit.

E Morientes secundum merita accipiunt receptacula.

Quantum ad Qvartvm est Notandvm. Dicit B. Augustinus in libro de cura pro mortuis. Secundum diuersa merita morientium, diuersa sunt receptacula mortuorum. Morientium enim aliqui sunt valdè boni, qui mox ad requiem transeunt, iuxta illud Sap. 4. *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Super quo dicit Glossa ordinaria, quod qui post mortem statim ad vitam æternam vadunt sine omni medio, isti adiutorio non indigent nostri, vt in sermone præcedenti. *Alij* sunt mortui valdè mali, qui decedunt in peccato mortali, qui mox vt mortui fuerint, descendunt in infernum, iuxta illud Iob. 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Pro illis etiam non est orandum, vt habetur 23. q. 5. cap. Placuit. Quia talis oratio eis non prodest. Sicut legitur de quodam mortuo, qui habuit filium. Ille igitur volens scire de anima eius, quia sciuit eum in peccato discessisse; rogauit Deum, vt ostenderet ei, vtrum anima Patris esset damnata, an non? Et raptus fuit in montem, vbi vidit vallem tenebrosam, in qua homo iacuit super faciem, & lacrymabiliter clamauit, quia serpentes ignei & bufones corpus eius rodebant & consumebant, & consumpto corpore iterum integrum creuit, & illi fortiter rodebant. Ipse quæsiuit, quis esset? Respondit, ego sum damnata anima Patris tui, & talem pœnam quam vides oportet me æternaliter sustinere. Ad quem filius. Possum te in aliquo iuuare? Ille respondit, non potes. Nam si Maria, & omnes virgines, omnes Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli, Martyres & Confessores, omnes Angeli, & omnis cœlestis exercitus, & omnes boni rogarent Dominum pro vna anima damnata, vt eam Dominus saluaret nisi Dominus permitteret eam ad corpus redire ad pœnitentiam agendam, nihil proficerent.

F Morientes in peccatis venialibus transeunt ad purgatorium.

Sunt & alij morientium, qui cum venialibus, vel imperfecta pœnitentia migrauerunt, isti in purgatorium transeunt. Istorum memoriam facit Ecclesia exemplo Iudæ Machabæi, qui misit duodecim millia drachmas Ierosolymam, offerre ea ibi pro peccatis mortuorum. 2. Mach 12. qui nouit ex instinctu Spiritus sancti, quod aliqui in peccatis venialibus discessissent, qui purgatorio deputati; & illos eleemosynis & Missarum solemniis volebat adiuuare.

An dæmones in purgatorio animas puniant.

Sed diceres: Puniunturne in purgatorio per dæmones? *Dicunt aliqui sic*, sicut in multis patet exemplis: quorum vnum ponit Petrus Cluniacensis, quod quidam vir prostratus in oratione vidisset in purgatorio quendam, qui pro eo quod accepit quin-

quindecim libras argenti, propter præsentationem cuiusdam clerici ad quandã Ecclesiam, licet de hoc pœnituisset, tamen adhuc miserabiliter puniebatur à dæmonibus, qui singulis diebus illos denarios accensos, sibi imponebant, quos ipsum accipere, & iterum dare oportebat.

Contra hoc faciunt aliqui, dicentes; quod animæ non punientur per dæmones; & probant hoc sic. Ex quo purgatur hic scoria peccati, secundum quam aliquo modo similis erat anima diabolo, & diabolus cum nolit suam delere similitudinem, sed potius conformare, nec vnquam excæcat ipsam, nisi in quo sperat habere victoriam: hinc est, quod anima non punitur per dæmones. Et huic opinioni consentit Cæsarius in libro dialogorum, probans per simile. Sicut, inquit, rex terrenus non permitteret sponsam suam prædilectam pertractari, aut duci per carboniarum nigrum, sic nec rex cœlestis permittit sponsam suam animam, quam secum vult regnare æternaliter, nigerrimis dæmonibus ad purgandum.

Et addunt illi; quod nec animæ per bonos angelos punientur, quia in egressu animæ à corpore, adsunt spiritus boni & mali, & statim fertur sententia. Si est bona per ministerium angeli deducitur in cœlum; si autem habet adhuc aliquid ad purgandum, per eundum ducitur ad purgatorium, teste Damasceno lib. 5. Hoc ipsum firmiter & imperterritè teneamus, quod animæ ad purgatorium non à dæmonibus, sed sanctis angelis deducantur, & cum purgatæ fuerit, ab eis in cœlum deferuntur. Si autem anima est mala, tunc per diabolum deducitur in infernum. Ideò non est probabile, quod angeli tam grauiter affligent conciues suos sed potius ignis ille per se agit in animas, vt est diuinæ iustitiæ instrumentum. Piè tamen credendum est, quod boni angeli conciues suos frequenter visitent & consolentur, & vt patienter sufferant exhortentur. Et quãuis sunt in tam graui carcere, habent tamen hoc consolationis remedium, ex eo quod certò futuram gloriam exspectant.


Habent etiam certitudinem de gloria, minorem quidem quàm illi in patria, sed maiorem quàm nos qui sumus in hac vita. Quia certitudo illorum qui sunt in patria, est sine exspectatione & timore. Nam futuram non exspectant, cum præsentem habeant, nec illam de cætero formidant perdere; Certitudo autem nostra qui sumus in via, est & à contrario secundum illorum certitudinem, qui sunt in purgatorio. Est enim cum exspectatione, quia ipsæ gloriam exspectant futuram. Sed est sine timore, quia habent liberum arbitrium confirmatum, & de cætero se peccare non posse, recognoscunt. *Animæ in purgatorio sunt certi de beatitudine.*

Habent & aliam consolationem, quia pro se suffragia fieri credunt. Sed quia habent spem de gloria, *& spes quæ differtur, affligit animam*, Prouerb. 13. Ideo quilibet Christianus debet hodie pro eis orare, facere eleemosynas, & Missas redimere, vt spem quam habent citius consequantur, & amodo non affligantur. Et hoc iubet Augustinus in libro de cura pro mortuis. Ora, inquit, pro defunctis, vt dum in æterna vita fuerint, pro te orare non negligant Exspectant enim nos, vt iuuentur per nos, tempus namque operandi profugit ab eis, & sic ipsæ liberatæ pro nobis orant, sicq; simul saluamur.

DE ANIMABVS.

Sermo Quartus.

In requiem mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui. Eccli. 38.

A. Icunt Medici, quod homo patiens febres, debet interdum potare rorem decoctum, à quo exstinguitur ipsa febris. Ideò Galenus in libro medicinalium ait. Dent Medici rorem ipsis languidis, & citius tunc consumitur ipsa febris.

Cui consonat Ioannitius in Isagogis de regimine sanitatis. Qui rorem mane biberit, omnem in se æstum exterminat & calorem. Cuius ratio est, quia ros virtute refrigerationis, nobilem in superioribus sortitur partem, mediante qua febrim mitigat caloremq; exstinguit.

Mystice. Animæ in purgatorio calorem magnum patiuntur, quia sunt in igne, qui secundum Augustinum in libro de purgatorio, est durior quàm quicquid potest in hoc mundo videri, vel excogitari. Et quia nos Christiani adhuc superstites sumus eorum medici, ideò debemus eas potare rore bonorum operum, qui est coctus in caritatis igne; quia illum à nobis petunt, dicentes cum Isaia 45. *Rorate cœli desuper*, quasi diceret: O vos cœlestes & fideles homines, rorem bonæ operationis nobis desuper stillate. Et quod opera nostra bona desiderant, declarat deuotus Doctor Amandus in horologio lib. 2. cap. penult. dicens. Cum quædam persona religiosa cum cæteris Psalmum De profundis diceret, apparuerunt in visione quadam animæ multæ, locis purgabilibus deputatæ, quæ ex vili habitu & gestu miserabili, valdè præ se ferebant, suffragiorum se beneficio indigere. Inter quas tamen vna singulariter hanc personam accessit & flebiliter petijt ab ea, vt se permitteret esse huiusmodi suum mendicum, & ille hoc ei permisit, & quotidie in mensa De profundis pro eleemosyna decantauit. Ita & nos specialem eleemosynam eis hodie tribuamus, qua eorum carbones exstinguamus, quia dicit Beda super Matthæum. Vna gutta refrigerij facta per hominem, multum sedat animarum vapulantium torsionem. Ideò iubet hoc Sapiens, quod debemus eas consolari in exitu, cum dicit; *In requiem mortui*, &c. In quibus verbis ad duo monemur. *Primò*, vt circa sepulturam mortuorum curam habeamus. *Secundò*, in exitu istorum pro eis memoriam faciamus.

B De Primo est Notandum. Dicunt Naturales, delphines habent dilectionem magnam ad seipsos. Nam si vnus in mari moritur, non insepultus relinquitur, sed alij ipsum sumentes in profundo arenæ maris sepeliunt, ne à belluis deuoretur. Hanc nobilem virtutem secuti sunt antiqui Patres, qui magnam curam circa sepulturam suorum mortuorum habuerunt, quorum vnus fuit Abraham, de quo legitur Genesis 23. quod mortua Sara vxore sua, venit vt plangeret super eam, & officium funeris impenderet, & ille planctus fuit ex naturali pietate. Quod est contra illos, qui ex desperatione plangunt mortuos suos, quod non est faciendum. Quia dicit Cyprianus, & habetur 13. q. 5. cap. Quod est præposterum, non eas amittimus, sed præmittimus.

Ideò

Ideò beatus Doctor Augustinus in lib. 2. de consolatione mortuorum refert, quod fuit quidam princeps paganus, qui habebat filium vnicum satis dilectum, hic cum in Capitolio idolis suis immolaret, nunciatur ei, quod filius eius vnicus obijsset non ergò reliquit sacra, quæ gerebat in manibus non lacrymatus est, nec animo suspirauit. Sed quid respondit? Audite. Sepeliatur, inquit, memini enim me genuisse filium mortalem. *Et subdit Augustinus.* Vide hominis pagani virtutem, vt nec spectare se iusserit, nec se præsente filius sepulturæ traderetur. Quid agamus fratres, diabolus si hunc in die iudicij coram Christo contra nos producat, & dicat. Ecce hic cultor meus, quem ego præsagijs decipiam meis, vt seruiret cæcis & surdis simulacris, cui ego nec resurrectionem à mortuis, nec paradisum, nec regna cœlorum promiseram. Hic filij nobilis, sapientis, vnici, nec mortem doluit, nec ingemuit, nec pro tali nuntio sacra mea reliquit, tu autem Christiane fidelis, pro quo Christus crucifixus est, & mortuus, vt mortem non timeres, & esses de resurrectione securus, non solum luges mortuos voce & habitu, sed etiam ad Ecclesiam clamando procedis. Confundantur autem regnantes ipsi clerici & pastores tui, qui infra ministerium intromittunt vacantes luctui. Quid ad hoc respondere poterimus, fratres, nos cõfusio apprehendet, cum ad hanc partem inferiores gentibus inueniamur. Hæc ille. Ideò Abraham fleuit super Saram. Expleto igitur fletu, surrexit & emit terram pro quadraginta argenteis, in qua eam sepeliuit, vt habetur Gen. vbi suprà.

Et si diceret aliquis, Abraham emisse sepulturam, & commisisse simoniam. Responde ei, quod non emit sepulturam, sed ad vsum sepulturæ deputabilem emit puram terrã, in qua nullus fuit ante sepultus, & hæc benè potest emi & vendi. Quod probatur 12. q. 5. c. Aurũ. Sed sepultura, quæ est locatio hominis mortui in fide decedentis, in cemiterio cõsecrato nec emi nec vendi debet, vt probatur ff. de rei vendit.

Idem legitur Gen. 50. Mortuo Iacob *præcepit Ioseph filius eius, vt condirent eum aromatibus*, & deinde accepta licentia à Pharaone, ascendit in terram Chanaan, in ciuitatem Arbee, quæ est iuxta Hebron, habens secum turbam non modicam, currus & equites solenniter conducentes corpus patris eius, & expletis exsequijs septem dierum sepelierunt eum in spelunca, in qua Sara fuit sepulta. Idem legitur de Tobia, qui magnam curam habuit ad mortuos sepeliendos, vt suprà sermone præcedente.

Et quamuis (vt dicit Gregorius, & habetur. 13. q. 2. c. Animæ) exsequiæ pomposæ non sunt auxiliatiuæ mortuis, quia plus sunt solatia viuorum, quàm subsidia mortuorũ. Non ideo tñ contemnenda & abijcienda sunt corpora mortuorũ, maximè iustorum, qui sunt templa Spiritus sancti, sed sunt cum honore sepelienda & deuotione quia dicit Augustinus in libro de cura mortuorum, & ponitur. 13. q. 2. c. Non æstimemus. Sepulturæ deuotæ affectus bonæ fidei est testimonium: in hoc enim ostendimus, quod bonæ fidei fuerunt, & etiam sibi fidem nostram demonstramus, & nobismetipsis in hoc proficimus. Pompose exsequiæ, solatia viuorum.

Ad hoc probandum refert Valerius in Policrate, quod Simonides Poëta nauigans semel per mare, cum littus applicuisset, inuenit corpus mortui hominis inhumatum; motus igitur misericordia, ibidem illud in littore sepeliuit. In nocte igitur sequenti admonuit ipsum mortuus per somnum, ne die altera in mari nauigaret, quia sibi periculum aliàs immineret, qui acquiescens monitis; die sequenti in terris

remansit. Alij verò, quia die illa nauigabant, omnes sicut defunctus dixit, submersi sunt. Alio die cum idem Poëta apud Scopam cœnaret, nuntiatum est ei duos nuntios stare ante ianuam, qui rogarent eum, ad se exire, qui cum exisset, neminem reperit. Creditur autem fuisse ille mortuus. Eo autem momento quo exiuit, cecidit triclinium, & omnes conuiuantes oppressit, & solus ille euasit. Idcircò bonum est mortuos sepelire, secundum status dignitatem. Decentius enim debent sepeliri Reges quàm milites; & honestius miles quàm simplex ciuis. Sepultis igitur corporibus, suprà sepulchra eorum est aliquod memoriale relinquendum, ne eorum statim obliuiscamur, quia legitur 1. Machab. 13. quòd filius Mathathiæ accepit ossa fratris sui Ionathæ, & sepeliuit ea in ciuitate Modin patris & fratrum suorum, & erexit ædificium altum visu de lapide polito antè & retrò, & statuit columnas marmoreas ad memoriam æternam, scilicet quod pater eius & fratres fuerunt in exercitu armorum pro defensione fidei & populi.

Consuetudo epitaphia ad sepulchra ponendi, vnde?

Ex hoc nunc deuenit in consuetudinem, vt ad memoriam sepulturæ, epitaphia, scilicet lapides sculpti, ponuntur super sepulchra mortuorum: & in quibusdam locis ponuntur ligna cancellata figuram crucis intus habentia, vt venientes amici etiam, & alij orent pro ibidem sepultis. Et hoc est quod iubet Sapiens hic; *In requiem mortui*, id est, super sepulchro, vbi requiescit corpus eius, fac supponere aliquod signum stabile ad memoriam eius, quod ibidem eum defunctum repræsentat. Et hoc ad primum.

Animæ defunctorum quib. modis soluuntur.

Quantum ad SECVNDVM dicitur: *Et consolare illum in exitu.* Vbi NOTANDVM quatuor consolatoria sunt principaliora. De quibus dicit beatus Gregorius in 4. dialogorum, & ponitur 13. q. 2. c. Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.

D

I. Missæ sacrificio.

PRIMVM igitur, quod consolatur mortuos, est sacræ hostiæ immolatio. Sicut hoc testatur beatus Augustinus ad Volusianum. Fideles, inquit, sacerdotes in Ecclesia defunctis carnem Christi transmittentes & sanguinem, totam Christianarum animarum extinguunt miseriam & doloré. Et hoc probat Gregorius 4. lib. dialogorum in exemplo. Cum quidam monachus nomine suo Iustus, arte medicinali imbutus, ad extremum veniens, se habere tres aureos, indicasset cuidam fratri nomine Copioso, & de hoc ingemiscens mortuus fuisset, præcepit Gregorius fratribus, vt corpus eius cum tribus aureis in sterquilinio sepelirent, dicens. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Misericordia tamen motus, præcepit cuidam ex fratribus, vsq; ad tricesimum diem omni die pro eo hostiam immolare. Ille cum iussa complesset, is qui defunctus erat, die tricesimo eidem fratri apparuit. Quem cum vidit, requisiuit, quomodo, inquit, vales? At ille. Hucusq; malè habui, sed modo benè valeo, quia consolationem recepi.

II. Deuota fidelium oratio.

SECVNDVM consolatiuum est, amicorum & aliorum fidelium deuota oratio, De qua dicit beatus Ambrosius libro Præfationum. Sæpè etenim defuncti, amicorum suorum temporali suffragio, in omni suo erecti supplicio, mutuo præsentantur aspectui diuino. Quod probat Gregorius in 4. dialogorum de quodam viro miræ sanctitatis & virtutis, nomine Paschasio. Ille quodam tempore cum duo essent in summos Pontifices electi, & Ecclesia postmodum in vnum conuenisset electorum,

solus

ſolus ipſe ex errore ſemper alium prætulit. & in hac ſententia vſq; ad mortem permanſit. Qui cum defunctus eſſet, & Dalmaticam feretro ſuperpoſitam defunctus tetigiſſet, ſtatim ſenatus eſt. Poſt multum vero temporis, cum Germanus Capuanus Epiſcopus balneum ob gratiam ſanitatis ingreſſus eſſet, prædictum Paſchaſium Diaconum ſtantem & ſibi obſequentem vidit, & vehementer extimuit, & quid ibi faceret requiſiuit. Et ille pro nulla alia cauſa ſe in illo loco pœnali deputatum aſſeruit, niſi quod iniuſtè in cauſa præfata cõſenſiſſet. *Et addidit*. Quæſo te Domine, pro me deprecare, & in hoc cognoſces quod exauditus ſis. ſi huc redieris, & me non inueneris. Qui pro eo cum oraſſet, & poſt aliquot dies rediſſet, eum non inuenit. Paſchaſius Miſſæ ſacrificio à purgatorio liberatur.

TERTIVM ſolatium quo conſolantur mortui, eſt eleemoſynarum largitio. De hoc refert Vincentius in ſpec. hiſt. lib. 25. de Papa Benedicto, qui poſt deceſſum apparuit Ioanni Portuenſi Epiſcopo, & ſe in pœnis tenebroſis eſſe dixit, & quod Dominus ipſum à pœnis per Odilonem Cluniacenſis ordinis Abbatem liberare decreuit. Tunc Epiſcopus Ioannes ſtatim eleemoſynas largas fecit, & ipſum liberauit, quod apparuit ex hoc. Nam quadam die vidente fratre Adalberto clauſtrum pulcherrimè ſtipatum candidorum angelorum agmine intrauit, & ad Capitulum, vbi pater Odilo cum fratribus reſidebat, iuit, gratiasq; humiliter egit, quod eum à pœnis liberaſſet. III. Eleemoſynæ diſtributio.

QVARTVM ſolatium quo conſolantur eſt amicorum ieiunium vel corporis maceratio. De quo dicit Hugo de ſancto Victore. Dolor qui pro releuandis animabus aſſumitur, in dulce ipſis ſolatium diuinitus tranſmutatur. Idcirco legitur 2. Regum 1. quod mortuo Saul & Ionatha filio ſuo in bello, cæteriſq; de filijs Iſraël à Philiſtæis, *ieiunauit Dauid cum omnibus qui cum eo erant vſq; ad veſperas*. Idem legitur in Vitis Patrum de quodã, nomine Paſtor, qui trib. annis pro patre ſuo ieiunauit, ipſum à pœnis purgatorij liberauit. Ita & nos ieiunia pro parentibus noſtris & amicis noſtris ſumamus, & ſic eos à tormentis liberemus, vt tandem cum eis in cœlo conregnemus. IV. Ieiunium & corporis caſtigatio.

DE VNDECIM MILLIBVS VIRGINVM.

Sermo Primus.

Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. Ita ſcribitur Cantic. 2.

PLINIVS in hiſtoria naturali, ſic ait. Cum merica floruerit in deſerto, conſtat hoc anno quod fertilitas magna, & tranquillitas conſequetur. Naturale eſt enim quando de ſe flores producit merica quod campi abundant in frumentis. Cuius ratio eſt, quia merica eſt herba penitus infœcunda, & ideo florem nunquam portat, niſi ſuperabundanter fertilis fuerit ipſa terra. Supereffluens autem fœcunditas terræ, non ſolum ad herbas fructuoſas ſe diffundit, ſed etiam ad infructuoſas remittitur. Ergo NOTA, quod merica florens fœcunditatem terræ indicat, & oſtendit, quæ quidem fœcunditas abundare fructus facit.

Spiritualiter. Per mericam mundus iste designatur. Rectè enim sicut in mericis deserti sunt vndiq; insidiæ, tam latronum quàm ferarum, quæ hominem molestant sæpius ibidem. Sic etiam in mundo sunt vndiq; insidiæ latentis inimici, sicut hóc conqueritur beatus Augustinus in libro soliloq. Mundus, inquit, circumcingit & obsidet me vndiq;, & per quinq; portas sensuum sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas. Idem perpendens B. Bernardus in libro meditationum, dicens: Heu mihi misero, vndiq; bella, vndiq; tela, vndiq; tentamenta, vndiq; pericula. Bella video mihi parari à dæmone, quocunq; me diuertero, ibi est insecuritas. Hæc ille. Et quamuis homines in mundo habent varias tentationes, tamen plus castitas virginea, sicut testatur Augustinus in libro de Virginitate. Inter omnia Martyriorum genera, diuturniora sunt castitatis prælia. Ideo pauci inueniuntur in hoc mundo, qui seruent florem pulcherrimæ castitatis & virginitatis, quia mundus ad instar mericæ est infœcundus, sed tamen olim floruit producens hos nobilissimos flores, Vrsulam virginem Regalem, de qua canit Ecclesia. *Flos fulsit Vrsula Germaniæ Regis.* Et etiam suos consodales, de quibus canitur: *Hi sunt flores venustatis, quos spirans ver & æstas charitatis, produxerunt hodie.* Ideo nobis respectu earum venit magna fertilitas ad ferendos fructus virtutum, ingensq; tranquillitas beatitudinum cœlestium. Ideo gloriantur dicere possumus, in quibus verbis electæ virgines à duobus commendantur. *Primò*, de ornatu virginali, ibi; *Flores apparuerunt. Secundò*, ab exitu finali, ibi; *Tempus putationis aduenit.*

B Circa quod Notandum. Dicunt Naturales, quod naturaliter flores habent varias prærogatiuas præ alijs rebus, ob quas hæ iucundissimæ virgines Vrsula cum sodalibus suis floribus comparatur. Primo, quidam flores sunt pulcherrimi, ornati colore nigro & albo, sicut flores fabarum sunt nigri, flores liliorum sunt albi & flaui. Flores autem rosæ, colore rubeo sunt decorati. Et cæteri flaueo colore, sicut flores Solsequij & violarum: isti colores naturales ita pulchri, sunt quod nullus color artificialis potest illis comparari, secundum testimonium Christi, qui Matthæi sexto dicit. *Dico vobis, quod Salomon in omni gloria sua non est coopertus sicut vnum ex istis*, scilicet lilijs & floribus, quia Salomon habuit vestes alienas flores autem proprias. Ille habuit ab arte factas, isti à natura exortas, quæ præcellit omnē artē. ita ad instar florū istæ sanctæ fuerunt virgines albæ in virginali puritate, qua cœlesti regi amabiles fuerunt, secundum quod canitur: *O sanctæ virgines Deo amabiles.* Fuerunt nigræ in vera humilitate, sine qua virginitas habet se sicut lumen ardens, quod si inclinetur, clarius lucet, sicut testatur Fontinus in descriptione vniuersi dicens. Candela quidem ardens parum inclinata deorsum, pulchrius exardescit, quia vnctuositas redit quæ per ardorem luminis consumpta fuit. Sic virginitas inclinata ad humilitatem, in cœlesti lumine diuinoq; amore sincerius inflammatur, quia dicit Richardus de sancto Victore. Sola quidem humilitas mentem accendit, diuinoq; lumine cœlestiq; desiderio inflammat & amore. Quod patuit in istis sacratissimis virginibus, quæ ex humilitate ita fuerunt inflammatæ in diuino amore, quod in eis lumen virginitatis nullo modo potuit exstingui, neque blandicijs neque terrore.

C Istos flores debemus nos omnes ab istis nobilissimis virginibus colligere, scilicet

scilicet florẽ Virginitatis seu castitatis, & florẽ humilitatis. Quia dicit Bernardus super Missus est: Si virgo es & humilis, quisquis es magnus es. Si autem non possumus earum virginitatem sequi, studeamus earum humilitatem imitari. Quia secundum eundem Bernhardum vbi suprà. Laudabilis virtus virginitas, sed magis humilitas necessaria. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris: de illa dicitur. *Qui potest capere capiat*, de ista dicitur. *Nisi efficiatur quis vt paruulus, non intrabit in regnum cælorum.* Illa enim remuneratur, ista exigitur. Potest denique homo sine virginitate saluari, sine humilitate non potest. Vnde sine humilitate Deo Mariæ virginitas non tantum placuisset, quod eius digna fuisset, *Super quem enim* inquit, *requiescit spiritus meus nisi super quietem & humilem:* super humilem dixit, non super virginem. Hæc Bernardus. Fuerunt itaq; istæ nobilissimæ virgines rubeæ, & rubore verecundiæ & timoris. quia dicit Bernhardus super Missus est. Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper esse pauidæ & verecundæ, & nunquam esse securæ, scientes se in vasis fictilibus thesaurum pretiosum portare, & nimis arduum esse viuere inter homines & angelos, & in terris more cœlestium conuersari. Matth. 19. Matth. 18.

Sed (heu) hunc florem rubeum verecundiæ, nunc virgines mundi abiecerunt. Nam illud quod nefas est in virginibus, in fas excusabiliter conuertunt: quia vbi sunt publica spectacula & choreæ, ibi citius quàm in Ecclesia inueniuntur, ibique exaltant voces suas inuerecundè chorizantibus præcinendo. Non autem sic istæ sanctæ virgines Vrsula cum cæteris, sicut iam de istis canitur: *Per monasteria fundentes lacrymas trahunt suspiria commendant animas sanctus & redeunt.* Idcircò audiant istæ inuerecundæ præcentrices exemplum Thomæ Cantipratensis libro 2. Apum, cap. 43. part. 5. Quidam Comes Lossensis Brabantiæ, Ludouicus nomine, transiens per villam, vbi lasciuæ virgines habebant choream: inter quas vna facie pulchra, quæ cum mira vocis suauitate chorizantibus præcinuisset, & eam Comes per horam intuitus fuisset, cum familia pertransiuit. Non longè venientibus clamor validus in villa fuit auditus. Comes igitur directis nuntijs, cognouit prædictam præcentricem subita morte obiuisse. Præcentrix in choreis, subitanea morte perit.

Fuerunt deniq; istę sacratę virgines flaueæ ex virtute constantiæ, non enim fuerunt inconstantes & vagabundæ. Quia dicit B. Augustinus in libro ad sacras virgines. Dominica virgo debet primitus publicos vitare aspectus, & platearum frequentiam declinare, atq; in domo posita lanificio insistere, vel lectioni diuinæ.

Sed diceres. Nónne fuerunt inconstantes? quia dicitur in Legenda, quod interdum currebant, modo discurrebant, interdum bellabant, modo fugam simulabant. *Ad hoc dicendum*, ꝙ beatissima Vrsula, quæ fuit ductrix earum, hæc eas facere permittebat, quia ex hoc ad maius bonum eas alliciebat, & eas per hoc ad fidem trahebat: ex hoc ipsæ etiam ibant de virtute in virtutem.

SECVNDÒ, flores habent prærogatiuam hanc, quod fugant ranas & bufones, & præcipuè flores vineæ, de quibus dicit Plinius in spec. natur. Odor virentes vineæ contrariatur omni veneno. flores enim fugant colubres, & bufones eius fragrantiam sustinere non valentes. Istam etiam prærogatiuam habent nostræ floridissimæ virgines, quia legitur in libro trium Regum, cap. 45. In terris Indorum sunt horribilissimæ paludes, & aquæ stagnales, in quibus vltra omnia incommoda, inauditas maximarum ranarum coaxationes patiuntur. Peregrini autem Cismarini de Colonia, D II.

vbi

vbi iacent ossa sanctarum Virginum, sumunt terram de cæmiterio, & hanc ponunt in hospicijs eorum, & portant in terras suas. Et cum de tali terra sumpta cæmiterio vndecim millium Virginum in paludes proiecerint, mox omnes ranæ raucæ fiunt, & fugantur, & sic à clamoribus earum liberantur. Si hoc facit terra solum tactu corporum eorum sanctificata, quantò magis ipsæ suo flore virginali fugant à nobis omnia venenosa. Fugant tamen præcipuè istæ sanctæ Virgines à suis seruitoribus bufones infernales quæ in fine non permittunt intentatos neq; iustos.

Refert Cyrillus in Epistola ad Augustinum de venerabili viro Eusebio, qui veniēte hora exitus sui communione sanctissimi Domini nostri Iesu Christi se muniuit, & insuper beato Hieronymo se commendauit. Qui dum sic iaceret, die quā moriturus erat per horas duas ante beatæ animæ exitum, tam terribiles actus cœpit peragere, q circūstantes monachi pauore perterriti, velut amētes in terra iacebant. Nam quandoq; transuersis oculis & manibus simul iunctis, facie terribili, voceque dira quasi se mouens clamabat: Non faciam, mentiris, mentiris. Post hæc ad terram faciem firmabat, quantum poterat clamabat: Adiuuate me fratres ne peream. Quod monachi audientes, & videntes lacrymantes & trementes eum interrogauerunt. Quid est pater? Ad quod ille. Non, inquit, videtis dæmonum agmina, qui me debellare cupiunt? Et ille. Quid te facturum volebant, cum dicebas; Non faciam? Et ille. Conantur namque me decipere, vt diuini nominis blasphemus inueniar, ideo hoc me non facere acclamabam. Tunc illi. Quare faciem abscondebas in terra? Et ille. Ne eorum aspectum cernerem, qui tam turpis, & terribilis, & horribilis est, quod omnes pœnæ quæ in mundo sunt, respectu eorum visionis, nihil sunt.

O si tantum virum non miserunt intentatum. quid tunc erit de nobis peccatoribus, ad quos (heu) veniet infinita dæmonum multitudo, quærens nos auertere à via veritatis. Ideo consulo omnibus ô dilectissimi, quod refugium habeamus nunc ad istas virgines sacratissimas, eis fideliter seruiendo. Ipsæ reuera in hac magna necessitate non deserunt suos seruitores & famulatrices, sed succurrunt celeres adiutrices.

Ad quod probandum narrat Iacobus Ianuensis. Quod religiosus quidam has virgines in magna deuotione habuit diu eis fideliter seruiendo, quadam die dum grauiter infirmaretur, & in magna esset necessitate & angustia, vidit quandam virginem pulcherrimam sibi assistentem, & vtrum se cognosceret, inquisiuit. Ille autem adhuc pulcherrimam virginis visionem admirans, eam sese noscere nequaquam fatebatur. Tunc illa confortans eum, ait: Ego sum vna virginum, erga quas habes tantæ deuotionis affectum. Et inde mercedem accipias, si amore & honore nostri vndecies millies orationem Dominicam dixeris in hora mortis tuæ, in protectionem contra dæmones & in solatium nos habebis. Hæc cum dixisset, ab eo disparuit. Ipse autem de hac iucunda visione confortatus, quanto citius potuit, hæc impleuit. Quibus completis, vocauit Abbatem, & inungi fecit se qui cum inungeretur, subitò exclamauit vt surgeret, & venientibus sacris Virginibus locum daret. Quem cum Abbas interrogaret, quid hoc esset? Ille promissionem Virginis enarrauit, quod audientes cuncti recesserunt. Et cum paulo post redissent, ipsum migrasse ad Dominum inuenerunt. Et sanè credendum est hunc hominem non habuisse dæmonum tentationes, quomodo enim ibi adesse potuerunt dæmones, vbi tot & tantæ fuerant sacratæ Virgi-

Moriente religioso assistit S. Vrsula cū sodalibus

Virgines. Et verè felix & lætus erit huius hominis obitus, qui his sanctis Virginibus sedulus fuerit & deuotus.

TERTIO, flores sunt in hoc priuilegiati à natura, quamuis interdum à porcis calcantur, tamen à medicis colliguntur, & in apothecis ponuntur, vt de eis salubres fiant medicinæ. Sicut probat Plinius in speculo naturali libro secundo de floribus rosarum, qui sua virtute multis languoribus succurrunt. Idem de floribus violarum, qui si contriti fuerint, & positi super calidum apostema, multum prosunt, vt dicit Petrus de Crescentia lib. 6. *III. Virtus & operatio violarum.*

Sic isti splendidissimi flores, & candidæ margaritæ, sunt hodie à porcinis hominibus conculcatæ, sicut canit Ecclesia; *Date porcis margaritas, lupis oues non innuite.* Sed Christus medicus animarum nostrarum, succidit eas per enses & gladios crudelium tyrannorum, in apothecam gaudiorum. Et hoc attestatur sancta Ecclesia quæ canit. *Isti flores hodie de terra succisi, complantati liliis florum paradisi.*

Ex his floribus beatissimis fecit nobis Christus suauissimas medicinas, Ipsarum enim virginitatem dat nobis quasi dulce electuarium, contra malam luxuriæ humiditatem, quasi diceret hodie Christus. Respicite immundi peccatores & luxuriosi, has mundissimas Virgines, quæ sunt nobis positæ quasi speculum puritatis, quatenus exemplo earum diuinitatis opera faciatis. Quæ, inquam, opera luxuriæ, vt ait Gregorius in moralibus, si semel mentem occupauerint alicuius, vix eum bona desideria cogitare permittunt. Etiam Christus ipsarum Virginum humilitatem, proponit nobis quasi emplastrum contra superbiæ tumorem, quasi diceret; Videte Virgines illas de nobile stipite mundi genitas, quæ tamen humilitatem tenuerunt, vt exemplo ipsarum superbiam malignam fugiatis; quia scriptum est. *Qui se exaltauerit, humiliabitur.*

DE VNDECIM MILLIBVS VIRGINVM,

Sermo secundus,

Quærantur regi virgines speciosæ. Esther. 2.

DICVNT Naturales, quod vnicornis est animal tantæ fortitudinis, vt nulla venantium arte capiatur: sed quia in virginali pulchritudine gloriatur, & delectatur naturaliter, ideò scientes hoc venatores, eligunt puellas pulcherrimas, & has locant circa vias, vbi illud transire consueuit. Illa autem ad quam venerit, sinum suum aperit. in quo vnicornis deposita omni ferocitate, caput deponit, sicq; soporatus leuiter capitur, vt dicitur Isidorus lib. 12.

MYSTICE. Per vnicornem animal forte, Christus intelligitur, Quia secundum Psalm. 23. *Est fortis & potens in prælio.* Ipse enim est Dauid fortis, qui robustum Goliath diabolum prostauit, 1. Regum 17. Et populum suum à potestate diaboli liberauit. Hic in virginali puritate multum delectatur. Vnde Hugo de sancto Victore, Non solum, inquit, humana iucunditas, sed & ipsa excelsa diuinitas in virginalibus gestis delectatur. Ipse etiam est verus iste Salomon, de quo dicitur Cantic. 6. quod habuit adole-

adolescentulas, quarum non erat numerus. Ideò positæ sunt ei hodie à sanctis angelis, qui sunt venatores virginitatis, istæ speciosissimæ virgines Vrsula cu socijs suis, quæ secundum Ambrosium in lib. de virginitate sunt amicæ diuinitatis templa Trinitatis, specula puritatis, ornamenta mysticæ venustatis, riuulæ perpetuę voluptatis. Et hoc figuratum est Esther 2. vbi legitur, quod ministri regis Assueri dixerunt: *Quærantur regi virgines speciosa, & mittantur qui considerent per diuersas prouincias puellas speciosissimas, & adducant eas ad ciuitatem Susan, & accipiant vestes muliebres ornatus.* Et sequitur, quod inuentæ sunt virgines speciosæ, quæ ingrediebantur ad regem, *& quicquid postulabant, quod ad ornatum pertinebat, accipiebant.*

Assuerus interpretatur beatus, & significat Christum, qui est beatus omnium beatorum, cuius ministri sunt angeli: De quibus scribitur Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Isti igitur dicebant, quærantur regi nostro virgines speciosæ, quæ assistant coram eo, ei in munditia seruientes. Inter omnes autem inuenta sunt ista vndecim millia, sicut canitur: Istæ regis filiæ charis inuentæ margaritæ sunt hodie longius quæsitæ. Et sequitur. *Muliebrem ornatum mundum acceperunt*, & ad verum ac beatum regem intrauerunt, vbi iam pro nobis mitigant Christum, vt omni feritate deposita, nobis propitietur, quia ipse eis nihil denegat, sicut testatur Richardus de sancto Victore.

Hanc quidem in istis sacris Virginibus prærogatiuam inuenio, quicquid enim petierint, ipse misericors Deus exaudiet in momento, quia ad ipsum ad hoc sunt quæsitæ, vt innuunt verba prædicta: *Quærantur regi virgines.* In quibus clementissimæ virgines à duobus commendantur. *Primo*, ab electione virginali, ibi; *Quærantur regi virgines. Secundò*, à pulchritudine speciali, ibi; *Speciosæ.*

A. Virgines triplices. I. Carne, non mente. De PRIMO est SCIENDVM. Petrus de Tarantasia super 4. sententiarum, & Chrysost. super Matth: & habetur 32.q.5.c. Sicut enim & Magis, dicunt. Triplices sunt virgines. *Aliquæ* sunt virgines carne sed non mente, vt sunt illæ, quæ habent propositum nubendi, quando tempus occurrit opportunum: & istæ virgines in hoc sunt laudandæ, quod præter totum cōiugij, nullo modo proponunt violare virginitatē. De numero istarum sunt certæ, quæ licet munditiam habent corporis, non tamen mentis. De quibus dicit Chrysost. super Matth. Multæ sunt virgines; quæ castitati corporis student, adulterium tamen committunt in mente, aut voluntate: & tales non sunt laudandæ, quia earum virginitas nihil prodest. Teste B. Gregorio, qui ait: Nihil valet eum mundū esse corpore qui pollutus est mente. Cui concordat venerabilis Boëtius in epistola ad regē Virgineū. Nihil omnino tibi proderit virginitas corporis, si non & ipsa præsto sit virginitas mentis. Hæ sunt virgines fatuæ, quæ oleum in vasis suis non habent, ideò veniente Domino à regno excluduntur. Cum dicet eis: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. Et 33.q.5 c. Si Paulus. Illæ, inquit, sunt virgines carne & non spiritu, quæ non habentes oleum, id est, pinguedinem bonorum operum, à cœlesti sponso excluduntur. Istæ virgines similes sunt *sepulchris dealbatis.* Matth. 23. Quia exterius splendent interdum ornatu corporis, interiùs autem sunt plenæ, vt timeo, fœtore & labe. Ipsæ etiam sunt similes Sirenibus, quæ secundum Aristotel. & Albertum, virgineum prætendunt vultum, & dulci cantu nauigantes in Sirenes. mari decipiunt, & submergunt. Ideò debent cautè nauigantes de remedio prouidere, vt scil. aures obdurent, ne cantum earum audiant. Sicut fecit Vlysses de quo refert Alexan-

Alexander in Scintillario Poëtarum. Hic cum per eas nauigaret, aures sociorum suorum obturauit cera, ne audirent harmoniam, & seipsum malo alligauit, & totaliter deceptiones euasit.

MYSTICE. Quædam virgines virgineas prætendunt facies, in corde autem & gestu turpes deceptiones. Nam ornant facies suas vnguentis, pectora monilibus, lumbos zonis sericis, colla clenodijs. Sed dicitur Isaiæ cap. 3. quod *in die illa*, scilicet nouissima, *auferet Dominus ornamenta ista, & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus* Quid enim ex tali ornatu volunt, nisi vt æstimo, incautos capiant adolescentes. Procedunt enim sic ornatæ ad choreas, vbi plurimos capiunt, & in peccatis submergunt. Qui ergo voluerit esse cautus, faciet vt Vlysses, debet enim obturare aures suorum sociorum id est quinq; sensuum, ne videant tales vanitates, secundum illud quod orauit Dauid. *Auerte oculos meos ne videant vanitates.* Similiter, ne audiant secundum illud Sapientis. *Cum saltatrice ne sis assiduus, ne audias illam ne fortè pereas in efficacia eius.* Eccli. 9. Similiter ne eas tangant, dicit Hieronymus in epistola. Bonum est, mulierem non audire, melius est eam non videre, optimum est eam non tangere, quia corpus mulieris est ignis. B

Sicut legitur in Vitis Patrum lib. 1. de quodam fratre, qui habebat matrem senem, quam cum debebat portare per fluuium, tulit pallium & manus inuoluit, ne aliquo modo tangeret corpus eius. Ad quem mater. Vt quid operuisti manus tuas fili? Ipse respondit. Quia corpus mulieris est ignis. O quoties timendum illi accenduntur in multa concupiscentia, qui tales ornatas virgines ducunt ad choreas, vel interdum vanè corpora earum amplexantur. Insuper ille, qui vult euadere deceptiones, non solum debet custodire sensus suos, sed etiam se ipsum alligare ad malum sanctę Crucis, vt sic euadat, vt ait Holkot super librum Sapientiæ lectione 83.

Mulieris corpus est ignis.

Cum his virginibus non habent partem beatissimæ virgines Vrsula cum sodalibus suis, quia colla sua & humeros non exornabant nolis aureis, nec vultus suos vnguentis. Quia dicit Augustinus in libro ad sacras virgines. Dominica virgo, quæ vultum suum ob splendorem genarum aliquo succo linierit, Isaiæ Prophetæ de filiabus Sion promissam sententiam promerebit. Istæ etiam virgines sanctæ lasciuas vitabant choreas, nec quenquam alliciebant libidinoso aspectu, sciuerunt enim illud Augustini, vbi suprà: Dominica virgo à noxis flexibus saltantium, vel cymbalis cithararum, vel tympanistarum, omniumq; ludorum, quantum potest vultus suos auertat, ne aut eorum repentino amoris telo percussa grauiter, incipiat merere. Hæc ille.

Omnibus igitur corporis reiectis ornamentis, animas virtutibus, decorabant, ita quod de qualibet earum dici potest illud Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis*, &c.

SECVNDÆ virgines sunt mente & non corpore, vel illæ quæ sine consensu violenter corrumpuntur, vt temporibus contingit tyrannorum. Refert enim Iacobus de Vitriaco, cum hostes infideles Londinensem ciuitatem destruxissent, multas virgines violenter corruperunt. *Aliæ enim* cum ad Ecclesiam confugere non possent, se in fluuium proiecerunt, magis mori eligentes quàm virginitatem amittere. *Quædam etiam* in stercoreas sentinas saliebant, & potius exstingui volebant, quàm virginitate spoliari. C

II. Virgines mente, non corpora.

Idem quoq; refert, quod vna sanctarum virginum in flumen salijt, & cum ibi periculosè laboraret duo ex hostibus cū nauicula ad eam venientes, eam extraxerunt,

 vt ea

vt ea turpiter abuterentur; quod animaduertens, maluit iterum fluuio submergi quàm corrumpi, à naui prosilijt inter vndas, dumq; nauis ex impetu salientis mergeretur, simul illi duo mersi perierunt. Illa autem per gratiam Dei sine damno corporis & animæ, ad ripam peruenit fluuio obsequente. Istæ igitur virgines, quæ sic temerè corrumpuntur, sunt bonæ; & licet non sunt bonæ coram hominibus, aut iudicio hominum, tamen coram Deo minimè sunt corruptæ Quia dicit Beatus Ambrosius, & ponitur. 32.q.5.cap. Reuera. Non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit prius corrupta. Vbi dicit Glossa, quod talis corruptio non potest sibi ad reatum, siue ad damnationem imputari, obest sibi tamen ad aureolam, & quia non consecrabitur inter virgines, vt probatur 34.q.5.cap. Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris, oppressione barbarica, perdiderunt, se incontaminatis non audent comparare virginibus, secundum Glossam, ex toto, vt velint inter virgines consecrari.

Virgo vi oppressa, an virginitatis coronam amittat.

Dicunt tamen Doctores, quod talis violenter corrupta, posset consecrari inter virgines, si sciretur, quod nullo modo consensisset, & in cœlo virginitatis aureolam possideret, quia aureola principaliter est in mente, sed Canon ille, qui est allegatus, intelligitur propter periculum, quia fortè sic corruptæ non totaliter dissenserunt, ideò cautum est, quod se illis non comparent, sed potius se humiliter abstineant, vt consulit Canon, Si quis non iratus. 12.quæst.1. Et dicit Thomas super 4. sententiarum. Virgo, quæ vouisset castitatem, & oppressa violenter, si pateret ex illo actu, coram Deo adhuc esset virgo. Sed tamen alio modo Maria, quæ concepit Spiritu sancto cooperante, istæ autem humano semine. Talis tamen Virgo duplex habebit præmium, vnum propter violentiam & iniuriam sibi factam, aliud propter virginitatem mentis contentam. Et isto modo intelligitur dictum beatæ Luciæ, quæ ait: Si me inuitam violaueris, castitas mihi duplicabitur ad coronam.

Virgines mente & corpore.

TERTIÒ, sunt virgines mente & corpore, quæ se ita custodiunt, ne animas iuuenum ad se alliciant, ne eos mentaliter concupiscant. Quarum vna fuit, de qua refert Heraclides, nomine Alexandrina, quæ reliquit vrbem, & intra quoddam sepulchrũ sedit inclusa, per foramen exiguum per decem annos accipiens alimenta, & in tanto tempore, nec viros, nec mulieres, vidit. Audiens eius famam sancta Melania Romana, venit vt eam videret, sed non potuit. Stans itaq; ad fenestram, causam eius conclusionis requisiuit. Cui illa. Animus cuiusdam iuuenis quondam in me fuit læsus, & ne videret me, vel contristaretur, vel perderet me, vel ego eum, malui quam diu viuo in sepulchro includi, quàm nocere animæ ad similitudinem Dei creatæ.

Ita fuit de beata Vrsula, quam concupiuit filius regis Angliæ, sed ipsa habens desiderium castitatis, rogauit Dominum, vt taliter præordinaret, vt suum propositum conseruaret. Tales virgines sunt præ omnibus honorandæ. Quia legitur in gestis Romanorum, quod Cæsares Romani virgines honorabant. Nam omnes qui illis obuiabant eis cedebant, præter solæ virgines. Ita Cæsar cœlestis Christus, hodie & quotidie hodiernas sanctissimas virgines honorat, ipsis cedendo. Quando enim Christus commouetur contra peccatores, si illæ virgines sibi occurrunt pro peccatore rogando, veraciter Christus eis cedit, peccatori indulgendo: quia orationes quæ fiunt pro eis, dulciter sonant in aure Domini, sicut probatur in simili dicit Theophrastus in breui. Domini Arch. Serenitatis quidem tempore, campanas quas igni

igni traducendo fundimus, dulcius resonabunt. Cuius ratio est. Non sereno existente aere, tota per ignem euaporatur sulphureitas de metallicis corporibus, vt ait Theophrastus. Sic & in tempore virginitatis & munditiæ, preces quas fundunt hæ sanctissimæ virgines, dulciter resonabunt in auribus pietatis: Quia dicit Cyprianus libro de monastica vita: Quamdiu quis castitate pollet, oratio eius dulcius intonat apud Deum. Et ideò, quia pro nobis sedulæ exorant, debemus eas honorare, quia vt dignũ est, ipsæ volunt honorari, quod patet exemplo. Abbas quidam ad Abbatissa Coloniæ corpus vnius virginis impetrauit, promittens, quod ipsum in capsa argenteo in sua Ecclesia collocare vellet, & dignè honorare. Attamen ad integrum annum super altare in capsa lignea posuit, nec promissum impleuit. Quadam igitur nocte, dum Abbas Monasterij cum suo Conuentu matutinas decantaret, virgo illa corporaliter de altari descendit, & reuerenter inclinans per medium chori, videntibus monachis & stupentibus, inde recessit. Abbas ergo ad capsam currens & vacuum inueniens, Coloniam properauit, & Abbatisse rei ordinem intimauit, pergensq; ad locum vbi caput sumpserat, ibidem inuenerunt. Abbas autem veniam petens, certissimè promisit capsam pretiosam se citius facturum, sed nullo modo impetrauit.

DE SIMONE ET IVDA APOSTOLIS.

Sermo.

Isti sunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum. Apoc. 11.



A

ALcabitius in Theorica planetarum sic inquit. Benigni benignum habent planetam suæ nascentiæ, atque mortis, quasi diceret; Omnes homines benigni nati sunt sub benignis planetis. Cuius ratio est, cum quidam planetarum sint maleuoli, scilicet Mars & Saturnus, & qui sub his nascuntur, sunt ad malitiam naturaliter inclinati. Quidam verò sunt benigni, vt Venus & Sol, ideò benignos faciunt effectus. Versus.

Veneris hic natus cunctis exstat benè gratus,
Quamq; laudabiles virtutes hic tenet in se.

MYSTICE. Christus est omnium benignissimus & mitis, quia dicit Origenes super Isaiam. Tanta est benignitas Saluatoris, vt magis crucietur in damnatione peccatoris, quàm ipse cruciatur peccator in multitudine pœnæ & doloris. Ideò hanc pietatem influit suis filijs. Quia secundum Richardum de sancto Victore; Summa DEI delectatio est, effundere ex se imbrem suæ benignitatis & naturæ. Et quia isti duo sancti Apostoli Simon & Iudas sunt sub eo spiritualiter nati cum adhuc essent in terris mortales, ideò influit eis suam salubrem doctrinæ mititatem, scilicet cum dixit. Matthæi vndecimo. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* quasi diceret: sicut ego mitis sum, sicut & vos estote mites & benigni. Influit etiam illis misericordiam, cum dixit Lucæ 6. *Estote misericordes* & benigni. Ex illo influxu possunt de eis competenter exponi verba prædicta: *Isti sunt duæ oliuæ.* In quibus duo ponuntur.

itur. *Primò* benignitatis miræ nutrimentum ibi; *Isti sunt duæ oliuæ*, *Secundò*, charitatis splendidæ incrementum, ibi; *Et duo candelabra.*

B De Primo est Notandum. Hi sancti Apostoli hic oliuæ non immeritò comparantur. Primo, secundum Isidorum libro decimoseptimo. Oliua est arbor pacis nuntia, ideò in signum pacis, columba portauit ad Noë in arcam, ramum oliuæ, Genesis octauo. In signum pacis Romani mittebant ad rebelles ramum oliuarum, vt darent intelligere, quod essent eis reconciliati & vniti, vt dicitur in historia Romanorum. In signum pacis pueri Hebræorum tulerunt ramos oliuarum, & obuiauerunt Domino in die Palmarum, vt habetur Matth. 21. & Lucæ 19.

Cur Apostoli oliuæ cõparati.

Ita isti beati Apostoli Simon & Iudas, velut veræ oliuæ, fuerunt nuntij pacis, & sunt figurati per nuntios, qui fecerunt pacem inter Iosue & Gabaonitas, de quibus legitur Iosue nono. Qui venerunt habentes cibaria & vtres vinarios, induti veteribus vestimentis, & panes erant duri & in frusta comminuti perrexeruntq; ad Iosue, & dixerunt: *De terra longinqua venimus pacem vobiscum cupientes.* Sic & ipsi beati fecerunt pacem inter verum Iosue Christum & Gabaonitas, id est, peccatores, quos Christo in pace per suas doctrinas vnierunt. Quia veri discipuli Christi non possunt pati discordias, sed amant concordiam & pacem, secundum illud Hugonis de sancto Victore. Veri discipuli non miracula, sed pacis & concordiæ & amoris opera, constituerunt. Ipsi enim sancti Apostoli Simon & Iudas, non solum fuerunt pacis nuntij inter Deum & peccatores, sed etiam inter Persas & Indos, qui continuè litigabant.

Ideò Christus secundum Gregorium & auctor pacis & amator, misit eos in Persidem regionem, vt vtrumq; populum concordarent. Simon igitur, qui interpretatur obediens, & Iudas quasi confidens, obedienter & confidenter fuerunt, portantes verba Dei, quod est cibus animæ, secundum illud Deuteronom. 8. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Similiter vtres vinarios, hoc est, corda plena charitatis, quæ tanquam nobile vinum lætificat hominem secundum Psalm. 103. *Vinum*, scilicet charitatis, *lætificat cor hominis.* Ideò Simon alia interpretatione, ponens tristitiam dicitur, Iudas quasi iubilum dans. Ipsi enim mediante illa deposuerunt tristitiam afflictorum & iubilum infuderunt seu dederunt cœlestium gaudiorum. Ita de quolibet illorum dicitur illud Tobiæ 3. *Post lacrymationem & fletum, exultationem & gaudium infundas.*

Portauerunt etiam secum vestimenta vilia & vetera, propter quæ & ipsi fuerunt contempti, quia nouerunt dictum Sapientis Eccli. 11. *In vestitu ne glorieris vnquam.* Insuper habuerunt secum panes duros asperæ correctionis, contra hos magos Zaroën & Arphaxat, secundum illud Apostoli ad Timotheum 5. *Peccantes coram omnibus argue*, scilicet durè, *vt cæteri timorem habeant.* Sic igitur isti Apostoli habentes cibaria verbi veritatis, & corda plena vino charitatis, venerunt ad ducem Baradach, & dixerunt: De terra longinqua, scil. Iudæa, venimus, & facere pacem inter vos Persas & Indos: & noli timere, quia pax huc nobiscum intrauit, & cras hora die tertia legati Indorum ad te venient, & tuæ potestati subijcientur cum pace. Quis enim dubitat istam pacem meritò Apostolorum sanctorum esse factam? Certè nullus. Quia dicit beatus Hieronymus in quadam epistola: Pacifici primo in corde suo, deinde inter fratres dissipantes, faciunt pacem.

Ita

C

Pax, quid?

Ita nos fideles necesse est esse oliuas pacis. Quia dicit Beatus Augustinus de verbis Domini sermone 5. Pax est securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis. Hæc est quæ bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordias sedat; inimicos concordat cunctis est placida, nescit extolli, inflari & hanc qui accipit, teneat, qui perdidit, repetat, qui non habet, exquirat. Hæc ille. Sed (heu) quidam nostrum habent se sicut rhamnus, propriè Hagendorn / quæ secundum Isidorum lib. 17. est arbor spinosa. Si enim vento fuerit agitata, seipsam aculeis lædit, manumq; tangentis, & pedes pungit. In calidis regionibus multoties igneum flatum emittit. Sic & illi sunt tam rancorosi in seipsis, quando solum à ventis aduersitatis pulsantur, statim pacem dimittunt, & ad discordias incitantur. Sicut legitur de quodam in Vitis Patrum lib. 4. cap. 7. de patientia. §. 6. qui habitans in claustro frequenter ad discordiam mouebatur. Hic ait intra se; Si solus habitarem, ad iram non tam citò prouocarer. Intrans igitur in eremum; reliquit claustrum, sed quadam vice cum vasculum atquæ compleuisset & illud mox esset euersum, impleuit mox secundò & tertio, sed iterato vas euersum est, & aqua effusa. Tunc ille furore commotus, proiecit vasculum in terram & confregit. In se autem reuersus cognouit, quia ab eodem dæmone iracundia sit illusus, surgens, reuersus est in locum suum

Iracundi fratris aquæ vasculũ dæmon tribus vicibus euertat.

II.

SECVNDÒ, oliuæ faciunt varios fructus, quorum *primi* sunt terrestres & virides; *secundi* sunt rubei; *tertij* sunt nigri & quanto sunt nigriores tanto sunt maturiores, vt dicit Plinius in hist. nat. lib. 17. cap. 2. quod oleum extorquendum, vt melius eliquetur, necesse est baccas siue grana aqua feruentissima perfundere. Nam per talem vnctuositas ab amurca & nucleo separatur. Ita isti sancti Apostoli Simon & Iudas triplices fecerunt fructus olei misericordiæ, de quibus legitur in Canone dist. 4 2. tria sunt genera. *Primum* fuit in remittendis iniurijs, sicut patet de iniurijs magorum prædictorum, qui ipsos persequebantur cum pontificibus idolorum: sed ipsi eis omnia remittebant, secundum doctrinam Magistri sui, scilicet Christi, qui docuit eos, dicens; Matth. 5 *Diligite inimicos vestros, venefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.* Sic & nos si volumus esse filij Dei, debemus iniurias nobis illatas remittere, quia dicit Cassianus in libro sanctorum Patrum: Nequaquam cœlestia summunt præmia, qui seipsos vindicant, iniuriasque illatas.

Triplex fructus olei misericordiæ.

I.

Remittere iniurias.

D

Quod autem non sit bonum proprias iniurias vindicare, refert Gregorius in 3. dialogorum. Quidam vir simplex: nomine Florentius in eremo habitans, habens vrsum sibi à Deo in consolamen datum: quod scientes quatuor monachi, condixerunt vt vrsum occiderent. Quod ille cum comperisset factum ait: Spero in omnipotentem Deum, quia in hac vita ante occulos hominum ex malitia sua vindictam recipient, qui nihil lædentem se vrsum meum occiderunt statimq; illi quatuor qui hoc fecerunt, elephantico morbo percussi sunt, ita vt membris putrescentibus interirent. Quod factum ille cernens, expauit vehementer, & omni tempore vitæ suæ deplorauit. Et dicit Gregorius; quod Deus ideò hoc fieri permisit, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus, vltra præsumeret iaculum maledictionis & vindicationis intorquere homini, sed patientiam esse semper in omnibus habendam. Vnde Augustinus de verbis Domini, dicit: Patientia est, æquo animo omnia tole-

tolerare, & non murmurare contra illum, qui malum ei fecit. Taliter fecerunt sancti Apostoli quia hoc est valdè meritorium. Augustinus vbi suprà. Non granum de palea percutitur, sed mundificatur. Rosa inter spinas oritur, non tamen læditur, sed pulchrior crescit, & cautior. Sic Iob cautior fuit in doloribus, quam Adam in voluptatibus paradisi; quia ille vicit per patientiam, iste autem victus erat per gulam. Ita adhuc (heu) multi inueniuntur, qui omnes iniurias suas volunt illico vindicare, verbis maledictionis, non attendentes illud Deut. 32. Et ad Romanos 12. quod dicit Dominus: *Mihi vindictam, & ego retribuam*. Sic autem isti Apostoli non fecerunt, quia nec iniurias eis illatas per alios vindicare voluerunt. Nam cum Dux Pontifices incendere vellet, prohibuerunt Apostoli ne hoc fieret, cum ipsi non venientes occidere, sed viuificare mortuos, missi essent, vt dicit Affricanus in Legenda.

II. Corrigere errores.

SECVNDVS fructus quem fecerunt sancti Apostoli, fuit in corrigendo erroneos. Ipsi enim errores gentilium correxerunt, & in hoc misericordiam ostenderunt. Quia dicit Augustinus in Enchiridio, & habetur 42. dist. c. Et qui emendat. Non solum inquit, in eo, quod dimittit, atque orat vt dimittatur, verum etiam in eo, qui corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam facit; quia misericordiam præstat, Iacobi 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum*.

III. Dare eleemosynas.

TERTIVS fructus fuit in retribuendis eleemosynis. Ipsi enim tanquam fructiferæ oliuæ, de se fuderunt oleum sanctæ eleemosynæ; quia fuerunt perfusi feruentissima aqua Spiritus sancti, sicut dicitur. Ezech. 26. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Et vbi fuerit illa aqua Spiritus sancti, ibi vnctuositas misericordiæ fluit ab homine. Sic & nos debemus esse oliuæ fructiferæ de nobis dantes oleum eleemosynæ.

E Rectè enim sicut oliua de se fundit oleum, & tamen non deficit in futurum, ita nos si pauperibus misericordiam fecerimus, in bonis non deficimus, secundum illud Prouerb. 29. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam*. Quod confirmat Augustinus in sermone 10. de aduentu Domini. Ideo, inquit, flagellamur in frugibus, quia egentibus non benè facimus. *Ideò subdit*. Dicit tibi Deus, si considerans homo ingrate, te ipsum ego feci; quod fueris, meum est; quicquid habes, ego dedi tibi, & ingratus es. Ecce quid tibi dedi, auferam à te: & si potes, viue sine me: Tibi dedi quæ habes; pauperi non dedi, vt te probarem. Non quia vnde darem, non habui; sed per pauperem te probare volui. Ego sum Deus, qui pauperem & diuitem feci: per te diuitem pascere volui: erogatorem in bonis meis constitui. Fac ergo misericordiam, quia nihil perdis, & me qui tibi dedi, non offendis. Nec solus comedas quod ambobus creaui, quia te fingis filijs tuis seruare, quod omnibus potest sufficere. An si tuo hoc labore habes, assignes: si tuos esse putas ipsos fructus, quos terra producit, proba. Ecce aufero auxilium meum, habeto tu laborem tuum, abduco pluuiam meam, & arefaciam terram tuam; auferam, misericordiam meam, & apparebit miseria tua. Si tua est terra, mea est pluuia. Plue super terram, si potes; producat germen tuum, si valeat; fac oriri solem vt excoquat messem tuam. Ecce nunc spargam pluuiam meam, & producet terra tua panem. Et ipsa terra non est tua sed mea: Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius*. Ego fructuosissimam feci pluuiam meam, vt producat terra tua panem; & pauperes mei haben-

habentes me, omnia habent. Si quid habes, qui me non habes, quasi diceret. Nihil. Hæc ille.

Ex his dictis patet, si fuerimus fructiferæ oliuæ in donis eleemosynarum, Christus erit misericors datur in bonis diuitiarum. Refert venerabilis Thom. Cantipratensis Episcopus libro 2. Apum, cap. 25. part. 7. quod circa annum Domini M. C. XC V. in partibus Brabantiæ erat matrona, quæ circa montes Alpium & Anglicum mare habitabat, & magna eo tempore erat fames tam valida, ita vt communis populi multitudo moreretur. Illa autem matrona opibus & genere clara, egenis cœpit sine pondere, mensura, & numero, liberaliter erogare. Quod cernens vir eius miles, arctauit eam, & ei farinæ mensuram certam per singulas hebdomadas dari fecit. Cui autem die quadam totum expenderat, instante paupere & petente, præcepit Domina ancillæ, vt diligenter cistam scopet in qua farina reposita fuerat, & pauperi daret, & fecit ancilla vt Domina iussit. Post hunc verò venit alter, qui se nihil comedisse infra biduum deplorabat. Quod audiens Domina, fleuit amarè. Iteratoq; iubet ancillam scopare cistam, & pauperi dare. Iurauit ancilla, nihil penitus in cista remansisse. Instante autem Domina cum lacrymis, vt attentet: cucurrit impatientius illa, & cistam aperiens, plenam florentissima simila mox inuenit. At cuius intuitum, ancilla clamans cecidit in extasi resupina. Clamore audito, accurrit Domina, occurrit Dominus & familia, & viso miraculo, Dominum in omnibus benedicunt. Mox ipse Dominus horreum apperuit, lætus omnibus ex illa die videntibus & venientibus largissimè dedit. Nec deficit farina in cista, donec superueniente Augusto propitiaretur Dominus populo suo, quem afflixit. Et dicit Episcopus, qui hoc scribit, quod prædictus miles sibi retulit, nisi fuisset hoc diuinum miraculum, nequaquam tria vel quinq; horrea sibi suffecissent.

Matronæ farina à Deo mittitur, quia erat liberalis in pauperes.

TERTIÒ, oliuæ sunt pingues in materia olei, & quanto serenius fuerit cœlum, de tanto melius proficiunt. Quia secundum Plinium libro 11. capite 3. Serenitatem, roremq; cœli & aëris diligunt, caligineq; pluuiarum deficiunt. Si enim tunc oliuæ maturescunt, vitiatur oleum & consumitur. Serenitas autem quàm citò venerit, liquor subsequitur. Ita nostri beatissimi Apostoli, oliuæ speciosæ, fuerunt pingues in gratia Spiritus sancti, quam copiosè in die Pentecostes, cum alijs Apostolis, receperunt, secundum illud Actor. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ideo dilexerunt lumen cœli, id est, Christum qui est lux vera, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. III.

Ipsi sunt figurati per duos filios Isaac. Genes. 28. quibus benedixit, dicens, Iacob: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti vini & olei: seruiant tibi populi.* Sed Isaac benedixit Esau: *In pinguedine terræ & rore cœli desuper erit benedictio tua.*

MYSTICE. Isaac interpretatur gaudium, & significat Christum, qui secundum venerabilem Bedam in homilia, suorum gaudium omnium effectus est populorum, angelo attestante, qui ait: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2. Hic, inquam, benedixit Simonem beatum, dicens: *Det tibi Deus de rore cœli,* hoc est, de gratia Spiritus S. *& de pinguedine terræ,* de qua Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium & abundantiam frumenti,* id est, doctrinæ, *vini,* id est, amoris *& olei,* id est misericordiæ, *& seruient tibi populi:* quia hoc per totam Christia-

nitatem fidele seruitium ab omni populo in sancta Ecclesia beato Simoni exhibetur & Iudæ fratri suo, secundum illud quod canitur:

Exultet cœlum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Apostolorum gloria,
Sacra canunt solennia.

Sic etiam hos Christiani exemplo horum Apostolorum serenitatem conscientiæ & rorem scilicet gratiam Spiritus S. debemus diligere, vt simus bonæ oliuę, & vt quilibet dicere possit cum Psal. 51. *Ego quasi oliua fructifera in domo Dei.* Sed (prô dolor) aliqui nostrûm plus diligunt caliginem peccatorũ, in qua impinguescimus. Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem*, quia dicit Constantinus in libro de natura liquidorum. Sumus etenim in tenebris naturaliter pinguiores. Cuius ratio est. Nam tenebræ frigida corpora constringunt, & operiunt, ne humidum quod in natura dulce fuerit, euaporari quidem possit, quemadmodum in captiuis cernitur, quia postquam de tenebris exeunt, pinguiores solito apparent, vt refert Valerius lib. 6. Sic & nos intra caligines & tenebras peccatorũ, vt frequenter sumus pinguiores, quo ad felicitatē & affluentiam terrenorum, secundum quod Richardus testatur de S. Victore. Quanto etenim quis suæ mentis cæcitate caliginęq; oppressus fuerit, tanto in hac vita felicior apparebit. Sicut patuit de diuite epulone & auaro, qui hic feliciter abundabat, & lautè comedebat. Luc. 16. Postea spoliatus fuit per mortem omnibus rebus, & nudus est in inferno sepultus. Et nunc pro illa pinguedine dicere potest cum Psal. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.*

F Quantum ad SECVNDVM est NOTANDVM. Refert Isidorus lib. 16. de gemmis, cap. 1. cum Solino in libro de mirabilibus mundi, quod in quodam templo Deæ Veneris erant facta candelabra subtilia, in quibus erant lumina ardentia quæ nullo imbre, nec vlla poterant exstingui tempestate; & prouenit ex virtute cuiusdam lapidis, qui Abeston dicitur, qui vt Magister libro 16. proprietatum dicit, cum semel accensus fuerit, exstingui nunquam poterit, de quo & dicta candelabra erant facta.

Lumina ardentia, nunquã exstinguibilia.

MYSTICE. Per hoc templum intelligitur sancta Ecclesia, in qua homines debent contemplari diuina, secundum illud Augustini dist. 42. cap. Oratorium. In Ecclesia, inquit, præter & orandi & psallendi cultum nihil penitus agatur. In hac, inquam, erant duo candelabra, Simon beatus Apostolus & Iudas, de quibus in verbis thematis. *Isti sunt duo candelabra lucentia ante Dominum*, quia mundum illuminarunt vndiq;, ita quod de eis potest exponi illud Matth. 5. *Vos estis lux mundi.*

Super hæc tamen candelabra posuit Deus specialiter lumen intellectus, quia Deus secundum Aristotelem 3. Rhetoricorum, animæ infundit lumen. Illo igitur lumine illustrati cognouerunt versutias dæmonis & magorum, quorum præsagia detegebant. In hoc etiam lumine cognouerunt verum lumen Christum, vt dicere possint cum Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Illud lumen in eis nunquam potuit extingui, nec imbre tribulationis, nec tempestate aduersitatis, ita vt quilibet dicere possit cum Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*, quia aduersitatibus omnibus a Christo nunquam recesserunt.

Dæmon & Magi comparantur.

G Sed hoc lumen intellectus (heu) nobis multoties exstinguitur & obfuscatur; & hoc

hoc declarant Naturales, & præcipuè Auicebron in libro fontis vitæ. Lumen quidem omni altero lumine superueniente, quodammodo obumbratur, sicut manifestum est de stellis, quæ solent lucere de nocte, surgente autem mane sole, stellæ obumbrantur, quia lumen maius obfuscat minus. Sic lumen veritatis, gratiæ & intellectus, in nobis nonnunquam obfuscatur, veniente vmbra tribulationis, & in mundanæ felicitatis aduentu. Teste Damasceno lib. 7. contra errores Græcorum. Venit lux inquit, de cælis, quod lumine mundanæ felicitatis & effluentiæ penitus obumbrescit, sed hoc lumen mundanæ effluentiæ, interdum infert pœnalitatem æternam. Quia dicit Athanasius in sermone. Nihil enim aliud quàm mortem corporis & animæ ipsa infert felicitas & affluentia huius vitæ. Cui consonat Hieronymus contra Iouinianū. Candor, inquit, & charitas huius vitæ, caliginem infert cæcitatis atq; horroris æternæ. Et probatur in simili. Refert Philaretus in tractatu de natura morborum. Ita disponuntur anni, vt post annos siccos & calidos anni proueniunt humidi, post humidos sicci. Cuius ratio est. Nam secundum Calcidium super Timæum Platonis, quod vni annorum subtrahitur, hoc anno sequente vlterius adimpletur.

Ita prouidentia iusti Dei consilio disponit, vt prius lumen mundanæ felicitatis, dolor sequatur æternæ pœnalitatis. Sed post ægestatem præsentis miseriæ, felicitas præsto sit beatitudinis sempiternæ. Ad hoc sonat dictum Sidonij in epistola. Post mundi, inquit, huius gaudia, æterna debetur mœstitia; & pressuram huius seculi, necesse est gaudium æternæ beatitudinis comitari. Ideò lumen intellectus non debet in nobis statim exstingui, mundana felicitate veniente, sed mediante eo videre debemus, quid eam finaliter sequatur, scilicet miseria sempiterna. Quare Moyses Deuteronom. 32. optat, dicens. *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Et Metrista.

Mundi gaudia habent æternam tristitiam.

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Non debes, ô homo, per mundanam felicitatem vel aduersitatem, lumen vitæ exstinguere rationis, scilicet in prosperitate te extollere, & in aduersitate deficere, à Deo recedendo. Quia sancti Apostoli Simon & Iudas, tam in prosperitate, quàm in aduersitate semper lucebant. Quod figuratum est Zachariæ 4. vbi legitur. *Vidi candelabrum, circa quod stabant duæ oliuæ, vna à dextris, & alia à sinistris.* Per has duas oliuas significantur hi duo Apostoli, qui semper stabant circa Christum, & lucebant à dextris prosperitatis; cui adhuc manebant cum Christo dicebant, Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ habes.* A sinistris aduersitatis quando persecutiones patiebantur, nec ab eo recedebant. Sed iam potest dici illud cum Psal. 90. O Christe, *cadens à latere tuo*, id est, à sinistra tua, *mille & decem millia a dextris tuis*, quia multi in aduersitate à Deo recedunt per impatientiam, & multò plures in prosperitate per excellentiam. Sic non isti Apostoli.

H

Ideò quilibet ipsorum figuratur, Zacharię 4. vbi legitur, quod dixit Zacharias. *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius & septem lucernæ super illud: & septem infusoria erant super caput eius.* Per hoc candelabrum significatur beatus Simon cum fratre eius Iuda. Ipsi enim luxerunt per mundi climata, secundum doctrinam Magistri Matthæi quinto. *Sic luceat lux vestra coram hominibus* &c. Fuerunt aurei, quia sicut aurum in ignem positum, nihil euaporat: ita isti ad ignem positi tribulationis, non euaporauerunt per impatientiam, nec minorati sunt in fide

per idololatriam. Ideo potest exponi de ipsis illud Sapien. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit eos, & sicut holocausta accepit eos.* Sicut etiam aurum inspicientes lætos facit homines, secundum illud Fontini in descriptione vniuersi; Cumq; aurum inspicimus, naturaliter læti sumus. Quia secundum Tarentinum lib. de onerat. In natura aurum sibi dulcorat proximum aërem, & alterat; aër autem alteratus cor alterat humanum.

Sic in simili, cum deuoti homines hodie inspiciunt per fidele seruitium hos aureos Apostolos veraciter lætantur in omnibus suis necessitatibus, & tribulationibus. Ideo dicit Ambrosius lib. præfationum. Ingruente metu tribulationis & angustiæ, tutum est sub vmbra sanctorum Apostolorum confugere, quorum à facie omnis fugit dolor tribulationis, afflictionisq; humanæ & mundanæ. Fugata igitur tribulatione lætitiam comitatur, & præcipuè lætitia sempiterna erit eis qui dignè seruiunt illis Apostolis, secundum illud Eusebij sermone III. Intuentes quidem auream lucem cœlestium gaudiorum, spiritum intus accipimus æternum. Et sic patet quod fuerunt candelabra aurea, beati Apostoli. Hæc candelabra habuerunt super caput lampadem auream, id est, fidem, quæ secundum Chrysostomum super Matth. animam sicut lampas domum illuminat, quia fides eorum luxit contra hæreticos, & Magos deceptorios.

II In hac lampade fuit oleum caritatis, iucunditas mentis, & puritas conscientiæ. Super illa igitur spiritualia candelabra fuerunt septem lucernæ, per quas intelliguntur septem virtutes beatorum Apostolorum Simonis & Iudæ quas habuerunt, quarum tres sunt Theologicæ, scil. Fides, Spes, & Caritas, aliæ quatuor cardinales, quæ sunt prudentia, magnanimitas, continentia & iustitia. Habuerunt insuper ista nobilissima candelabra septem infusoria, quæ sunt septem Spiritus S. dona, scilic. timor, pietas, consilium, intellectus, fortitudo, scientia, & sapientia.


Sic MORALITER. Omnis Prælatus, siue vir Ecclesiasticus, debet esse candelabrum luminosum. Sed (heu) quidam sunt, vt asserit Petrus Rauennas in sermone, qui ante dignitatis adeptionem satis commendabiles exstiterunt, super candelabrum Ecclesiæ constituti, lucem in tenebras, & famam in infamiam conuerterunt. Quorum vnus, scilicet Saul, quia ante electionem in regiam dignitatem erat electus & bonus; & *non erat de Israel vir melior eo*, vt habetur 1. Reg. 9. Sed factus rex, est in malitiam peruersus. Et sic in multis alijs inuenitur, de quibus subdit prædictus Doctor: Melius, inquit, fuisset, illos latere sub modio quàm cum infamia candelabrum ascendisse. *Et subdit*. Adhuc n. turpitudo eorum sub paupertatis obsequio lateret, nisi eam dignitas diuulgasset. Creuit honor, & cum honore infamia: priuato peccanti sæpe parcit, sed si Prælatus Deum quærit, in eius infamiam linguæ omnium acuuntur. Hæc ille. Ex quo habetur quod necesse est, quod Prælatus sit candelabrum luminosum per sapientiam, & lampas super caput eius, hoc est, Christus fulgens per gratiam in mente ipsius. Et sic de alijs virtutibus. Et tantum de secundo.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Sermo Primus.

Videns Iesus turbas, ascendit in montem. Matth. 5.

Dicit


Icit Aristoteles libro problematum. Aspicientibus, inquit, nobis, intra solem continuè tres effectus seu euentus accidunt & contingunt. Nam sternutatio sequitur, oculus lacrymatur, & visus aliqualiter excecatur. Cuius ratio est, quia excellente lumine solis, humidum liquatur oculorum, qua quidem facta liquatione, sternutatio accidit, lacryma effluit, visusque obscurior apparebit. A

MYSTICE. Per solem, quo ad præsens, æterno beatitudo, quæ est Deus, designatur. Rectè enim sicut sol secundum Isidorum est fons totius luminis, quo omnia superiora & inferiora illustratur. Quia luna, vt ait Aristoteles in libro elementorum, semper mediante illuminatur sole, & omnes aliæ stellæ. Quid enim est splendor solis, nisi illuminatio lunæ & stellarum? Ideò Deus est fontale principium luminis matris suæ Mariæ Virginis & omnium sanctorum, quorum hodie sub vna memoria festum celebratur. Ideò possunt dicere illud Psalm. *Domine apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, nostram claritatem, quia ipse est, secundum Gregorium in collecta, sanctorum omnium splendor mirabilis. Sed si nos mortales intra hanc lucem supernæ beatitudinis & claritatis sanctorum oculum animæ defigimus, sequitur mox sternutatio admirationis & stuporis, secundum illud Athanasij in sermone. Cumq; beatitudinis æternæ gaudia, intra mentem resoluere incipio, mox stupore immenso extra me ipsum transeo. Et homo cogitans hanc beatitudinem, & gaudium sanctorum vtiq; lacrymas non potest continere; quia tam diu ab eorum societate debet esse sicut prædictus Doctor Athanasius, *qui subdit*. Atq; in corpore tam diu protrahi ab hac sanctorum caritate, nimis langueo & lugeo. Sic Dauid qui luxit. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Etiam oculi nostri totaliter excæcantur mentis, si voluerimus gloriam & lumen sanctorum perscrutari, quia est impossibile, sicut patet de sanctissimo Augustino qui scribit in epistola ad Cyrillum, dicens. Dum in mea cellula quiescens, auidè cogitarem, qualis inesset animabus beatorum: qui cum Christo gaudent, gloriæ & lætitiæ quantitas: breuem cupiens scribere epistolam sanctissimo Hieronymo destinandam, vt quicquid ex hac sentiret, responderet. Scieueram enim iam difficili quæstione, è nullo alio viuentium me posse edoceri euidentius. Cumq; iam scribens, salutationis exordium Hieronymo prænotarem, ineffabile subito lumen, nunquam visum temporibus nostris, minimeq; linguis declarandum, cum ineffabili inauditaque odorum fragrantia, cellulam in qua scribebam intrauit hora iam Completorij. Quo à me viso, stupore admirationeq; commotus, animi & membrorum virtutes amisi. Nesciebam enim, tunc, quod dextera mirabilis Dei, exaltasset seruum suum Hieronymum. *Et subdit*. Inter hæc meis in me perstrepentibus cogitationibus, quid hoc esset, de luce hæc dicens verba, vox emicuit. Augustine. Augustine, quid quæris? Putas ne breui immittere vasculo mare totum, breui includere pugillo terrarum orbem, cœlum firmare ne vsitatos exerceat motus? Quæ oculus nullus hominum vidit, tuus videbit? Quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, existimas te posse intelligere? Certè nequaquam. Potius totum mare in artissimo clauderetur vasculo: potius totum terrarum orbem paruulus teneret pugillus: potius à motu continuo cœlum desisteret, quàm gaudiorum & gloriæ, quibus beatorum animæ sine fine potiuntur, minimam etiam intelligeres particulam. Hæc Augustinus.

Sol fons luminis.

Psalm. 119.

De hac beatitudine & gloria sanctorum omnium recitat Euangelium, dicens. *Videns Iesus turbas.* In quo principaliter tria describuntur. *Primo*, multitudo electorum, ibi; *Videns Iesus turbas.* *Secundo*, pulchritudo cœlorum, ibi; *Ascendens in montem.* *Tertio*, sanctorum differentia, ibi; *Beati pauperes spiritu.*

B De PRIMO est NOTANDVM, quod Reges & Principes; & potentissimi seculares, consueuerunt habere in suis seruitutibus & exercitibus multitudinem famulorum. Quod declaratur 4. Reg. 19. de potente rege Sennacherib, qui veniens contra filios Israel pugnaturus habens in suo exercitu centum octoginta quinq; millia armatorum.

Idem legitur Iudith 2. de Nabuchodonosor rege magno, qui volens omnem terram suo imperio subiugare, vocauit Holofernem exercitus suæ malitiæ Principem, dicens. *Egredere aduersus omne regnum, & non parcat oculus tuus vlli regno, omnemq; vrbem munitam subiugabis mihi. Tunc Holofernes vocauit omnes magistratus virtutum Assyriorum, & dinumerauit viros in expeditionem centum viginti millia peditum pugnatorum, & equites sagittarios duodecim millia, & cooperuerunt terram sicut locusta.*

Refert etiam Orosius super Cantica, quod Principes Romanorum tantam habuerunt ciuium multitudinem, quod Hannibal princeps Carthaginensium in vno die tot ciues Romanos interfecit, quod tres modios annulorum digitis eorum abstraxit.

MYSTICE. Omnipotens Deus, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, Apocal. 19. multitudinem sibi elegit famulorum. Habuit enim in suo exercitu, hoc est in imitatione passionis, tantam militum multitudinem, qui excedunt non solum numerum militum Regis Senacherib & Regis Nabuchodonosor: sed etiam Principum Romanorum.

C Refert beata Brigitta regina in libro suarum reuelationum. Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & seminares eam plenam paruis granis tritici ita cõpressè, quod non esset distantia inter granum & granum, nisi articulus vnius digiti, & quodlibet granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres passi Romæ, à tempore illo quo Petrus venit, vsq; ad tempora, quibus Cœlestinus Papa ad suam solitariam vitam recessit.

Ingens Martyrum numerus.

Refert etiam gloriosus Hieronymus in epistola ad Heliodorum, quod ante tempora Theodosij Imperatoris, quo ipse floruit, tot fuerunt iam Martyres martyrizati, quod per singulos dies, diuersarum prouinciarum vrbium, plus quàm octingentorum aut nongentorum millium Martyrum sint nomina, vt nullus sit dies, qui inter quinq; millia martyrum reperiri possit asscriptus, excepto duntaxat die Kalendarum Ianuarij. Et dicit Doctor Bartramus de vesti. creatu. per creaturas. Æstimo, quod multò plures tempore pacis postea ab hæreticis & paganis, vsq; ad præsens, sunt tam in bellis contra paganos, quàm in prædicatione fidei, pro fide Christi martyrizati. Quis enim dubitet, quin multos Martyres fecit prauitas paganorum, & hæretica prauitas Bohemorum, qui iam sunt computati in numero electorum. Quia dicitur in Cantic. 23. quæst. 4. cap. Omnium quisq; fidelium, qui moritur in certamine quod contra infideles agitur, cœleste regnum promeretur. Et si tot tantiq; sunt martyres, & quot sunt sancti innocentes, qui ab Herode sunt occisi, de quibus Apocal. 14. *Et cum agno centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, &*

nomen

nomen patris eius, scriptum in frontibus suis. Etiam multi tempore Constantini Imperatoris sunt conuersi ad Christum, vt dicit Nicolaus de Lyra super Apocal. 7. quos enumerat ibidem Ioannes ex duodecim tribubus Israël, ex qualibet duodecim millia signati. Et postea addit. *Post hæc vidi turbam magnam, quam nemo denumerare poterat ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, stantes ante thronum in conspectu agni amicti stolis albis.* Et dicit Nicolaus de Lyra in Glossa q; tempore Diocletiani tot fuerũt Martyres, quod dinumerari non poterant; quia infra triginta dies decem septem millia occidit. Et vno die cum collega suo maximiano occidere iussit Thæbeorum legionem, scilicet sex millia sexcenta & sexaginta sex. Iudices etiam de mandato ipsorum tot inter fecerunt, quod sub certo numero redigi non potuerunt. Quia Diocletianus viginti annis legitur imperasse. Ecce, numera si potes exercitum regis cœlorum Christi, qui omnes ipsum per bellum Martyij sunt secuti. O quot sunt Patriarcharum in numero & Prophetarum? Certè nobis innumerabiles. Ideò dictum fuit Abrahæ Gen. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas eius si potes, sic erit semen tuum.* vbi dicit Gloss. Semen Abrahæ sunt omnes sancti, qui innumerabiles sunt. Ideò dicit Euangelista. *Videns Iesus turbas.* Super quo dicit Simon de Cassia. Turbarum nomine multoties multitudo hominum designatur. Et hoc quantum ad primum.

Quantum ad SECVNDVM ponitur cœlorum pulchritudo, cum dicit: *Ascendit in montem*, de quo Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto? &c.* Et alibi Psalm. 67. *Mons Domini, mons pinguis.* Pro quo SCIENDVM, secundùm Naturales, mons Libani omnes montes pulchritudine præcellit. Est igitur mons redolentiæ & aromaticus, propter flores herbasque odoriferas. Est mons pulchritudinis & amœnitatis propter cedrorum, palmarum, cypressorum, oliuarum, arborumque aliarum proceritatem, propter auium siluestrium sonorositatem, riuorum & fontium multiplicitatem. Est mons lætitiæ & iucunditatis, propter abundantiam vini lætititiæ inductiui. Est etiam mons confidentiæ & securitatis, & non sunt ibi serpentes, neque aliud animal venenosum, propter aromaticitatem morari permittitur. Ideò ibi tute quiescitur & dormitur, vt dicit Hieronymus. D

Mons aromaticus. Pulchritudinis. Iucunditatis. Securitatis.

MYSTICE. Per hunc montem Libani intelligitur mons cœli, in *quo beneplacitum est Deo habitare.* vt ait Psal. 67. Est enim mons miræ redolentiæ, quia ibi est redolens flos campi. Canticor. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ibi sunt violæ Angelorum, oliuæ Patriarcharum, & balsamum Prophetarum. Illic Cypressi Apostolorum, rosæ Martyrũ, palmæ Confessorum, & lilia Virginum. De hoc plenius dicit Augustinus in libro supputationum, parte. 27. cap. 2. Speciosa factus es & suauis in delicijs ô mater Ierusalem, ideò rex regum in medio, & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymni dici chori Angelorum. Ibi societas supernorum. Ibi dulcis solennitas omniũ ab hac terrestri peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum prouidus chorus. Ibi iugis Apostolorũ numerus. Ibi innumerabilis victorũ exercitus. Ibi sanctorum Confessorũ sacer conuentus. Ibi veri & perfecti Monachij. Ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates seculi, & sexum infirmitatis vicerunt. Ibi pueri & puellæ, quæ annos suos moribus transcenderunt. Ibi sunt oues & agni, qui iam huius mundi laqueos euaserunt. Hæc ille.

Et reuera mons ille cœli gloriosus mons pulchritudinis & amœnus. Quia dicit B. Augustinus de libero arbitrio, libro nono. Tanta est pulchritudo supernæ gloriæ

Pulchritudo superna gloria.

tanta

tanta est amœnitas lucis æternæ, vt etiam si non liceret in ea amplius delectari, quàm vnius hora diei, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies pleni delicijs & circumfluentia bonorum temporalium, meritò despicerentur. Tam enim pulcher est & suauis, vt ea visa non potest amplius delectari, omnem vincit dulcedinem, omnem exsuperat concupiscentiam & sola sufficerent si nulla alia adessent. Sed præterea ibi adest cedrus alta, iucunda & decora, Virgo Maria, quæ dicit Eccli. 24. *Ego quasi cedrus exaltata sum in Libano*, quæ cœlestem præ omnibus sanctis lætificat montem, quia ipsa est sole *splendidior*, Sap. 7.

Ideo ad hanc pulchritudinē desiderauit beatus Augustinus in libro supputationum parte 27. cap. 2. Felix anima mea, quę semper in secula felix si intueri meruero merito gloriam tuam, beatitudinem tuam, portas & muros, atque plateas & mansiones tuas multas nobilissimas aues tuas; & fortissimum regem tuum in decore tuo. Muri namque tui ex lapidibus pretiosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo. In quibus iucundum Alleluia sine intermissione concinitur. Hæc Augustinus. Ibi insuper est cœlestium auium dulcis sonorositas, quia secundum Amandum in horologio sapientiæ lib. 1. cap. 11. ibi cœlestes harmoniæ personant, diuinæ flagellæ intonant, voces iubilosæ decantant. Ibi lætabunda plaudunt agmina, ac se lætis blanda miscent modulamina choris.

Vide Collectorem magni speculi exemplorū.

Quia autem in hoc monte iubiloso est dulcis sonorositas angelorum. Legitur quod quidam monachus legens hunc versum Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, &c. Item: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt*. Psal. 89. Super his cœpit feruidè cogitare. Qua durante cogitatione, quædam auicula veniens saltauit ante illum, cœpitque dulciter decantare. Ille enim nimium in dulcedine eius delectatus, deprehendere nitebatur hanc, auicula se remotius elongauit. Monachus autem chorum, præ dulcedine æstuans, relicto psalterio exiens claustrum sine licentia, illam sequebatur in quoddam nemus. Cum autem auicula super arborem sedebat, ipse inter duas arbores resedit, vt diligenter cantus dulcedinem auscultare. Peractis igitur trecentis & quadraginta annis, auicula ipsum relinquens cœlos penetrauit. Ille autem putans se solum à Prima vsq; ad Tertiam à claustro abfuisse. Cum intrasset inuenit omnes officiantes immutatos. Quærentibus igitur illis, quis esset? eis ordinem enarrauit. Tunc in chronicis eorum est inuentum trecentos & quadraginta annos ab Abbate, quo abiuit, defuisse. O quàm dulcis cantus modulatio ibi est in cœlis, vbi non solum vnus Angelus cantans audietur, sed mille millia & decies centena millia Angelorum dulcissima organa audientur, & non solum voces angelorum, verum etiam cantus omnium beatorum.

Dulcedine harmoniæ auiculæ Monachus vltra trecentos annos in nemore detentus perdurauit.

Ideò beatus Augustinus optat audire hæc modulamina dulcium vocum, in lib. supputationum, vbi supra. Felix ego & verè in perpetuum felix, si post resurrectionem huius corpusculi, audire meruero illa Cantica cœlestis melodiæ, quæ cantentur ad laudem regis æterni ab illis supernæ patriæ ciuibus, beatorumq; spirituum agminibus. Fortunatus ero & nimium beatus, si cantare meruero, & assistere regi meo.

Est insuper mons cœli, mons lætitæ & iucunditatis, quia vt dicit Augustinus vbi suprà: Exultent omnes in proprijs mansionibus, dispar est gloria singulorū, sed communis

munis est lætitia omnium plena & perfecta, vbi regnat caritas, quæ Deus est vna omnibus, quem sine fine vident, & semper videntes eius amore ardent, amant & laudant. Omne opus eorum laus, sine defectu, & sine labore. Et Bonauentura Doctor. Vt, inquit, de aliarum omnium penè innumerabilium iucunda visione & lætitia taceam, mirabiliter omnium spirituum mentes lætificat, & mira ineffabili gaudio omnem beatam creaturam inebriat, videre illius cœlestis reginæ claritatem, suæ beatissimæ prolis glorificatam humanitatem. *Et subdit.* O anima mente deuota pertracta, quid sit plenum omnium suauitatum gaudium, videre hominem hominis conditorem, fœminam omnium conditoris genitricem, IESVM quondam fratrem perditum, abiectum & despectum, nunc viuentem & regnantem, nunc omnibus imperantem.

Est & deniq; mons confidentiæ & securitatis, quia ibi sedent in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Isa. 32. Ideo Vincentius in spec. hist. lib. 33. in fine, dicit: Hanc beatam sanctorum vitam facilius est consequi, quàm enarrare: cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, sub antiquis perpetuisq; gaudiis semper noua iucunditas, & sine vllo amittendi periculo perfecta felicitas. In isto glorioso monte suauissimæ redolentiæ, pulchritudinis, lætitiæ, & fiduciæ, parauit hodie Deus sanctis suis omnibus festum gaudiosum, secundum illud quod canit Ecclesia. *O quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti.* Ideo nos Christiani cum illis debemus gaudere, & festum eorum hic in terris deuotè peragere, vt illis post mortem associari mereamur. Rogemus ergò Dominum, &c.

IN EADEM FESTIVITATE.

Sermo secundus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matth. 5.



PLINIVS in hist. natur. ait, quod omnes aues tenebrosæ diurno tempore excæcantur, sicut in volatilibus cernitur noctuarum, quæ non die sed nocte volant. Cuius rationem ponit Isidorus in historia dicens: Tantæ se fore noctua æstimat pulchritudinis, quod si in die volatum faceret, totus mundus ob nimiam pulchritudinem eam caperet, & teneret. Etiam in nocticorace & in bubone, qui oculos suos ad lumen solis non valent attollere propter debilitatem.

MYSTICE. Istæ aues sunt homines mundiales, qui sunt in cordibus suis tenebrosi, ita vt de eis dicit Apostolus ad Romanos 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum.* A
Et quamuis sunt obscuri, tamen quærunt pulchritudines huius mundi, & delicias, & nolunt attollere oculos cordis, affectum & intellectum, ad æternam beatitudinem, sed ad diuitias. Contra quos dicit Anselmus in Prosologion, & beatus Augustinus in meditationibus. Cur per multa vagaris homuncio, quærendo bona creata. Amà vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Si delectat pulchritudo, *fulgebunt iusti sicut sol.* Si libertas aut fortitudo, *similes erunt angelis Dei in cœlo.* Si longa & salubris vita, ibi sanitas æterna, quia *iusti in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino.* Si satietas & ebrietas, satiabimur de gloria Domini, *inebriabuntur ab vbertate domus*

 Dei.

Dei. Si melodia, ibi canunt Angeli. Si societas & amicitiæ, ibi sanctorum societas, & omnium vna voluntas. Si honores & diuitiæ, ibi *gloria & diuitiæ in domo eius.* Si securitas & certitudo, ibi omnium temporum æterna longitudo. Hæc ille. Si illa homo mundialis attenderet, cæcitatem cordis vtique repelleret, & oculos eius ad sanctorum beatitudines eleuaret, de quibus dicunt verba præassumpta: *Beati pauperes spiritu*, cum sequentibus. In quibus verbis tanguntur septuplices sancti, quibus septem beatitudines possunt attribui, sed octaua est communis omnibus.

B

Consilia senum ac iuuenum.

PRIMVM, ibi; *Beati pauperes spiritu*, &c. Pro quo est NOTANDVM. Terreni reges solent in curiis suis habere diuersas familias, & discretas. *Aliqui* magis diligunt iuuenes, sicut Roboam, 3. Reg. 12. qui mortuo patre Salomone, spreuit consilia senum, & acquieuit consilio iuuenum, qui secum erant nutriti. *Alij potius* habent senes sicut rex Alexander, de quo legitur in historia sua, postquam sepeliuit patrem suum Philippum, venerunt ad ipsum senes milites, dicentes. Rex Alexander, multis annis militauimus patri tuo, & virtus non est in nobis, vt angustias ferre valeamus, vt tibi placet, recusetur à nobis militia, quam hactenus egimus. Respondit Alexander. Magis volumus hos habere in militia nostra, quàm iuuenes; Quia iuuenis confidens in virtute sua, acquirit mortem; senior autem omnia agit cum consilio. *Alij autem* in curiis suis habent prudentes & futura scientes, sicut rex Pharao Genesis 44. qui habuit Ioseph, qui illi sapienter exposuit præsagium futurorum. *Alij habent* pauperes, sicut rex Nabuchodonosor Iudith 1. qui habuit multos Principes, quorum primus fuit Holofernes. *Alij solent* habere strenuos milites, sicut rex Saul, qui habuit militem fortem Dauid, qui robustum Goliath Gigantem superauit, 1. Regum 17. *Alij libenter* habent innocentes & immaculatos, sicut dicit Psalm. 24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* Et iterum Psalm. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Reliqui verò* habent multitudinem Virginum & adolescentularum, sicut rex Salomon, qui, vt ait Ioseph, habuit septuaginta Reginas. 3. Reg. 11. dicitur, quod fuerint septuaginta, intellige principales, & aliæ fuerunt earum domicillæ.

Quibus hominibus delectentur Principes.

MYSTICE. Christus, qui est secundum Psalm. 46. *Rex magnus super omnem terram*, habet Curiam mirabiliter ornatam, & rectissimè ordinatam. De qua dicit deuotus Amandus in horologio Sapientiæ lib. 1. cap. 11. O quàm felix ciuitas, vbi iugis solennitas, & quàm iucunda curia, quæ curæ prorsus nescia. In hac, inquam, curia, habet ipse rex iuuenes, videlicet electissimos Angelos, & senes beatissimos Patriarchas, ita vt impleretur illud Psalm. 148. *Senes cum iunioribus laudent nomen Domine.*

In hac sacra curia habet sapientes Prophetas, qui futura sciuerunt, habet & Principes electos Apostolos, de quibus Psal. 44. *Constitues eos principes super omnem terram.* Ipse enim habet milites Martyres fortissimos: Ideo B. Ambrosius cum B. Augustino Cantico hoc testatur, dicens: *Te gloriosus Apostolorum chorus, Te Prophetarum laudabilis numerus, Te Martyrum candidatus laudat exercitus.* Ibi insuper habet immaculatos Confessores, & candidissimas Virgines, secundum illud Psal. 44. *Adducentur regi virgines,*

PRI-

PRIMÒ igitur Christus Rex cœlorum habet in sua Curia adolescentulos ele- I.
gantissimos Angelos, quibus prima attribuitur beatitudo. *Beati pauperes spiritu*, id In Curia Christi sunt Angeli.
est, humiles, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Dicit Magister lib. 2. sentent. dist. 2. Cœlum empyreum statim vt est factum, Angelis est repletum. Cui consonat Beda ibidem. Hoc superius cœlum, quod à voluntate Domini factum est, mox vt est creatum, sanctis Angelis est repletum, inter quos fuit vnus, vt dicit Magister dist. 6. omnibus aliis excelsior: & probat cum Ezechiele 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus scientia & perfectione, decorus in delitiis paradisi fuisti.* Quod exponens Gregorius ait? Quanto in ea subtilior fuit natura, eò magis in illo imago Dei similis insinuatur impressa. Et addit Ezechiel de pulchritudine eius: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Glossa Magistri, id est, omnis Angelus quasi operimentum erat eius. Quia secundum Gregorium in comparatione aliorum, clarior fuit. Iste, vt testatur Isidorus, postquam creatus fuit, eminentiam naturæ, & profunditatem scientiæ perpendens, in suum creatorem superbiuit, dicens, Isaiæ 14: *In cælum ascendam*, id est, ad celsitudinem Dei, *supra astra cæli exaltabo solium meum, & ero similis altissimo*, secundum Glossam, non per mutationem, sed per potentiæ æqualitatem. Ideo secundum Magistrum ibidem. Tantæ superbiæ merito de cœlo empyreo, in quo cum aliis fuit, deiectus est in istum caliginosum aërem, cum omnibus suæ prauitatis consortibus. Quia secundum Ioannem Apocalypsis 12. Draco de cœlo cadens, *secum traxit tertiam partem stellarum*, quia Lucifer ille aliis clarior & maior, non solus cecidit, sed cum eo alij multi, qui ei in malitia superbiæ consenserunt, eosque cadentes huius caliginosi aëris habitaculum excepit. Et hoc ad nostram probationem factum est, vt sint nobis exercitationis causa. Non enim concessum est eis habitare in cœlo, quia clarus locus est & amœnus, nec in terra nobiscum, ne homines nimium molestarent, sed in isto aëre caliginoso, qui eis quasi carcer est, vsq; ad tempus iudicij deputatus est. Tunc autem trudentur in abyssum inferni. Hæc Magister.

Sed alij Angeli sancti, qui perstiterunt, sub potenti manu Dei se humiliauerunt, secundum illud Sapientis, *Humilia valdè spiritum tuum.* Eccli. 7. Ideo cæteris superbis deiectis, ipsi in cœlo permanserunt, & ipsum hæreditariè possederunt; ideo merito conuenit eis prima beatitudo. Quia dicit Petrus Lambardus libro secundo sentent. distinct. 55. quod boni Angeli, qui perstiterunt, fortè suæ beatitudinis præscij fuerunt, & sic quod iam beati exstiterunt, non autem isti, qui ceciderunt. Ideo potuisset de eis dici, *Beati pauperes spiritu*, id est, humiles Angeli, qui Lucifero in superbia non adhæserunt, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* In hoc glorioso regno laudant Deum hodie & quotidie, sicut dicitur Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, & Angelos circumstantes illum, & audiui clamantes ad eum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens exercituum.* Et quia scimus, quod exercitus regum terrenorum in suis clypeis gestant flaueam violam. Viola secundum Naturales, quanto altius crescit, tanto plus se deponit. Sic sancti & boni Angeli, quanto se à Deo exaltatos viderunt, tanto plus se per humilitatem depresserunt, & per constantiam, quam significat flauedo violæ, steterunt. Si igitur cum illis spiritibus beati dici volumus, & regnum cœlorum possidere, necesse est nos in vera humilitate permanere. Ideo dicit Bernardus in libro

de gradibus humilitatis. Per humilitatem ascende ad sublimitatem, quia hæc est via, & non alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendit.

II. Sancti Patriarchæ. SECVNDÒ, Christus habet in sua Curia sanctos Patriarchas, quibus conuenit secunda beatitudo scilicet: *Beati mites.* Ipsi enim beati Patriarchæ sunt valdè mites. Quia legitur Genes. 13. de Abraham, quod dixit ad Loth. *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est; recede à me, obsecro. Si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Et hoc dixit ex vera mititate. Quia dicit Glossa hic, quod mitis non irritat, neque irritatur, non nocet neque nocere cogitat.

De Isaac legitur Genesis 26. quod *seuit in terra Palæstinorum*, & inuenit in ipso anno centuplum, *benedixitq; ei Dominus. Et locupletatus est, & ibat proficiens, donec magnus effectus est. Habuitq; possessionem ouium, & armentorum, & familiæ plurimam. Ob hoc inuidebant ei Palæstini, & omnes puteos, quos foderant, serui patris sui Abraham obstruxerunt, humo implentes. Et dixit ad eum Abimelech, recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè, & ille quasi mitis inde recessit.* Quia dicit beatus Augustinus, Mitis est, qui improperantibus non resistit in malo, sed vincit in bono malum. Venit igitur sic recedens ad torrentem Geraræ, ibique fodit puteos alios. *Sed iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac dicentium: Nostra est aqua:* ideo iterum discedens fodit alium puteum, & pro illo iterum rixati sunt, & sic iterum fodit tertium, pro quo non contenderunt.

D De Iacob legitur Genesis 29. quando venit ad Laban, vt ei seruiret, dixit ad eum: *Mihi vt seruias, quid mercedis accipies? At ille: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Et ille: Melius est quod tibi eam dem, quàm viro alteri: mane apud me. Seruiuit autem pro Rachel septem annis, & videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. Quibus finitis, ait ad Laban: Da mihi vxorem meam, nam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam: Qui vocatis turbis fecit conuiuium & vespere Liam filiam suam introduxit ad eum. Mane facto, ad Laban mite iuit. Quid est, inquit, quod facere voluisti? Nonne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi,* id est, decepisti me? *Et Laban: Non est moris nostri, vt minores ante tradantur ad nuptias. Imple hebdomadam dierum huius copulæ,* hoc est, septem dies, *& hanc quoque dabo tibi. Ille autem placidè acquieuit:* quod fuit signum mititatis. Quia dicit Richardus de sancto Victore. Mites sunt lenes & patientes, patienter enim exspectant tempus exoptatum.

De Moyse legitur Numeri 12. quod erat vir mitissimus, & sic de multis aliis. Horum numero annectitur beatus Ioannes Baptista, qui valde mitis fuit, ita vt *omnis turba ad ipsum exiret, & baptizabatur ab eo, peccata sua confitentes.* Matthæi decimo tertio. Ideo ipsi nunc possident terram, de qua Psalm. 141. *Portio mea in terra viuentium.* Et alibi Psalm. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Ibi laudant Dominum, sicut vidit beatus Ioannes Apocalypsis 4, quod *viginti quatuor seniores procedebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, & dicebant. Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem.* Isti in suis clypeis gestant elephantem argenteum, quia sicut elephas secundum Aristotelem libro anima-

animalium, est mitis naturaliter & benignus, eò quòd caret felle. Sic & ipsi Patriarchæ fuerunt mites & benigni. Ideò hic dicitur de eis: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Elephas caret felle.

E

III. Sancti Prophetæ.

TERTIÒ, Christus habuit in sua Curia sapientes Prophetas, quibus conuenit tertia beatitudo. *Beati qui lugent.* Ipsi enim fleuerunt pro dilatione incarnationis Christi, sicut Isaias qui ait 63. cap. *Vtinam disrumperes cœlos & descenderes.* Et Dauid Propheta Psalm. 143. ait. *Inclina cœlos & descende.* Fleuerunt etiam pro peccatis proprijs, sicut idem Dauid qui dixit Psalm. 6. *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Et etiam pro alienis, sicut Hieremias c.9. *Quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt plorem die ac nocte interfectionem populi.* Similiter Dan. 10. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* Ideò nunc æternaliter consolantur, quia pro illis lacrymis sanantur, & consolantur æternis gaudijs.

Isti in suis clypeis gestant aquilam auream. Rectè enim sicut aquila à longè intuetur prædam. Quia secundum Isid. 12. lib. est limpidissimi visus, vnde quamuis existens in aëre, adeò alte volat, quod vix videatur, tamen in mari videt pisciculum paruum. Sic & ipsi à longè viderunt Christum venturum, sicut Propheta Aggæus, qui ait: *Venit desideratus cunctis gentibus*, Aggæi 2.

IV. Sancti Apostoli.

QVARTÒ, habet Christus Principes sanctos Apostolos, quibus congruit quarta beatitudo, scilicet, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Ipsi enim feruenter verbum Dei prædicauerunt, & ad hoc esuriebant, vt alios adducerent ad iustitiam. Ideò nunc saturantur secundum illud Cantic. 5. *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.* Ad quemlibet enim dicit Christus, Bonauentura innuit: Bibe nunc & comede, & accumbe cum iucunditate, quia inuenisti gratiam coram sumo Pontifice, & respondet quilibet cum gaudio: Bibam, & hilarior ero, quia magnificata est hodie pro omnibus vitæ meæ possessio. Isti in suis clypeis gestant Crucem purpuream, quia in Cruce Christi gloriati sunt, sicut Paulus qui dixit ad Galatas 5. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.*

F

V. Sancti Martyres.

QVINTÒ, Christus habet multos fortes milites, sicut Martyres, quibus conuenit quinta beatitudo: *Beati misericordes;* scilicet suis proprijs animabus, secundum illud Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens DEO:* quia vt animas seruarent, corpora ad supplicia tradiderunt. Ideò misericordiam sunt consecuti, quod absque purgatorio ad cœlum volauerunt, cum afflictio non est superaddenda afflictioni. 7. q. 1. Isti in suis clypeis gestant leonem purpureum. Quia sicut leo, vt ait Plinius in hist. nat. lib. 8. in periculis maximè apparet gloriosus. Non enim abscondit se à canibus, vel venatoribus, sed procedit in publicum, vbi possit videri. Ita & ipsi in periculis passionum non latuerunt, sed publicè nomen Christi confessi, attendentes illud Lucæ 12. *Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo & angelis meis.*

Leo purpureus.

VI. Confessores immaculati.

SEXTÒ, habet in Curia sua immaculatos Confessores, quibus conuenit sexta beatitudo: *Beati mundo corde:* nam ipsi multis confessionibus & abstinentijs animas suas mundauerunt. Ideò Deum vident, quia dicit Sapiens Prou. 22. *Qui diligit munditiam cordis, propter verba labiorum suorum habebit regem amicum,* scilicet Christum. Illi in suis clypeis gestant columbam argenteam. Rectè enim sicut columba diligit munditiam, sic & ipsi munditiam cordis dilexerunt.

Columba argentea.

VII. Virgines mundissimæ.

SEPTIMO, habet virgines mundissimas, quibus congruit septima beatitudo: *Beati pacifici:* ipsi enim carnem cum spiritu concordauerunt, ideò pacificæ vocantur. Quarum prima est beatissima Virgo Maria; de qua habeatur illud. Ex quo Beata Dei genitrix, Virgo semper Maria, est templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, Virgo ante partum, post partum, & in partu. Ideò solennitatis præsentis diei, cum suis Virginibus expers nullo modo est credenda. In cuius signum istæ in suis clypeis gestant lilium mundissimum; quia inter spinas nuptiales, lilium conseruauerunt virginale.

Lilium mūdissimum.

VIII. Sancti & celesti Dei omnes.

OCTAVA, beatitudo est omnibus sanctis communis, tam Christo, quem oportuit pati, *& ita intrare in gloriam suam,* Luc. 23. Tam beatæ Virgini, cuius *animam pertransiuit gladius* doloris, Luc. 2. quàm alijs omnibus sanctis, de quibus dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quia dicitur Actorum. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.*

Istis omnibus simul congregatis facit Christus rex cœlorum hodie, sicut & semel in anno solennem festiuitatem & conuiuium; quia reges seculares, facere vtiq; semel conuiuium familiæ suæ consueuerunt, sicut legitur Esth. 1. Assuerus Rex potentissimus fecit grande conuiuium cunctis principib⁹ & pueris suis, vt ostenderet, &c. Et hæc solemnitas fuit in horto mirabiliter decorato. Ibi *bibebant de aureis poculis,* qui inuitati erant, Vasthi etiam regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex manere consueuerat, & ad hanc conuiuij solennitatem vocauit omnem populum.

MYSTICE. Per Assuerum qui interpretatur beatus, intelligitur CHRISTVS, qui est sanctorum suorum beatitudo, hic fecit hodie solennitatem & conuiuium gaudiosum cunctis principibus & pueris suis electis, de quibus loquitur deuotus Amandus libro primo, capite vndecimo. O vos cœlestes principes, ô nobilissimi Reges & Imperatores, ô filij DEI excelsi, diuinæ naturæ consortes, quàm immensa hilaritate facies vestræ videntur perfusæ, corda vestra quàm copiosè & supereminenter cernuntur superaffluere præ exultatione. Serta desertis aurea, ineffabiliter micantia, facie corrusci, indumento splendidi, cantu iucundi, sertis redimiti. Hæc ille.

Et hanc solennitatem ideò facit Dominus, vt ostendat, q gloria & diuitiæ sunt in domo eius. Ibi etiam hodie regina cœlorū Maria fecit conuiuium omnium fœminarum, Virginum electarum, & sanctarum viduarum. Ad hanc solennitatem & festiuitatem omnium sanctorum, inuitat Christus omnem cœtum Christianorum, vt cum eis gaudeant & exultent, dicentes: Gaudete & exultate omnes sancti, quoniam merces vestra est in cœlis, quasi diceret: Si nunc festum eorum agetis cum deuotione, ipsi intercedent pro vobis, vt tandem ad consortium eorum veniatis, vbi sine fine exultabitis & gaudebitis.

Exemplum.

Quod autem pro nobis hodie intercedant, principaliter demonstratum est in exemplo. Refert Iacobus Ianuensis, quod sequenti anno ab huius solennitatis institutione, hac die custos Ecclesiæ S. Petri ex deuotione omnia altaria visitauit, & omnium sanctorum suffragia implorauit, demum verò redijt ad altare S. Petri Apostoli, & ibi paullulum requiescens, extra se rapitur, Et ecce vidit Regem regum in subli-

mi solio-

mi solio consistentem, & omnes angelos in circuitu eius commorantes. Tunc virgo virginum in diademate præfulgenti aduenit, quam innumerabilis Virginum & continentium multitudo sequebatur. Huic rex protinus assurrexit, & posito solio iuxta se sedere fecit. Post hæc aduenit quidam vestitus de pilis camelorum quem sequebatur multitudo venerabilium seniorum. Deinde aduenit alius de Pontificali habitu decoratus, quem aliquorum chorus in habitu consimili sequebatur. Postea verò processit innumerabilis multitudo militiæ. Post quos sequebatur turba diuersarum gentium infinita. Omnes igitur ante regis solium venerunt, & ipsum genibus flexis adorauerunt. Is autem qui pontificali habitu erat indutus, Matutinas præ cæteris inchoauit. Angelus autem qui prædictum custodem ducebat, eidem visionem exposuit asserens Virginem Mariam primam matrem esse Dei, vestitum de pilis camelorum, Ioannem Baptistam cum Patriarchis simul & Prophetis. Pontificali habitu ornatum, Petrum cum cæteris Apostolis, milites Martyres, turbam reliquam Confessores, qui ideò omnes ante regem venerunt, vt pro honore sibi hac die à mortalibus exhibito, gratias agerent, & pro vniuerso orbe exorarent.

DE COMMEMORATIONE OMNIVM ANIMARVM,

Sermo primus.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 2. Machab. 12.



COmmentator Auerrois super de impressione aëris. Cumque nebula ascenderit, ea die inundatio pluuialis imminebit. Cuius ratio est. Quia talis exhalatio nebulosa conuertitur in impressiones pluuiales: tunc autem talis pluuia prodest his animalibus, quæ degunt in aquis, vt piscibus, & nocet auibus, vt dicunt Naturales.

A Constans hominis oratio non est sine fructu.

MYSTICE. Per nebulam potest intelligi deuota oratio, quæ fit in sancta matre Ecclesia. Hæc igitur si deuotè ad Deum ascenderit, infructuosa non redibit quia dicit Eusebius in sermone: Impossibile est constantem frustrari orationem hominis, quin ad aspectum pertingat Saluatoris. Cui consonat beatus Bernardus in sermone. Quæ fidelis & humilis oratio fuerit sine dubio cœlum penetrabit, vnde vacua redire non poterit, sed vtique pluuiam miserationum reducit. Et hæc pluuia miserationis Dei prodest, si sunt in aquis tribulationum purgatorij, in quibus flent, dolent & ægrotant. Flent, inquam, quod pœnitentiam præteritam & iniunctam, negligenter omiserunt. Flent, quia amici eorum obliuioni eas tradiderunt. Et quælibet potest dicere cum Psalm. 30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Flent igitur, quod à pœnis acerbis afflicti diutius ibi fuerunt. Dolent quidem, propter dilationem gloriæ quam exspectant, quia *spes quæ differtur affligit animā*, scilicet in purgatorio existentem, Prouerb. 13. Ægrotant autem quia se ipsas iuuare non sunt potentes,

tes, nec mederi, quia medicinæ sunt obliti. Ideò nos qui possumus vti his medicinis, scilicet orationibus, debemus eis impartiri, quia consolantur flentes, curant dolentes, & sanant ægrotantes, teste Augustino, qui ait: Oratio est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotantium. Sed hæc eadem oratio nocet dæmonibus, qui dicuntur *volucres cœli* Luc. 8. Quia secundum Augustinum: Oratio est diabolo supplicium, quia per eam multæ animæ liberantur, & ab eius potestate soluuntur. Ideò dicit Ecclesia præmissis verbis. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare*, &c.

Oratio est diaboli supplicium.

Pro quibus NOTANDVM. Plinius in histor. nat. dicit, quod fortis odor rutæ, rosas solet aperire, si ruta infra eas plantatur, & interdum moueatur. Sic oratio aperit pijssimam mentem nobilissimæ rosæ Christi, si fit pro animabus in purgatorio degentibus. Talis *oratio*, secundum Sapientem. Eccli. 35. *cœlos & nubes penetrat, & donec propinquet, non consolabitur anima*, scilicet in purgatorio, *& non discendet donec Altissimus aspiciat. Et Dominus non elongabit*, scilicet auxilium suum. Ideò statuit sancta Ecclesia, vt ait Guilielmus in rationali diuinorum, lib. 7. quod habetur memoria omnium fidelium defunctorum, vt iuuentur orationibus & beneficijs generalibus, quæ non specialia habere possunt: quia tales orationes generales, animas adiuuant.

Refert Vincentius in spec. hist. lib. 25. c. 5. Quidam religiosus veniens seu reuertens à Ierusalem, dum mare transiret, ventorum horror ipsum cum multis alijs propulit in quandam insulam vel rupem, vbi sanctus quidam insulam vel rupem, vbi sanctus quidam manebat, ibiq; tranquillitatem maris exspectabat. Ille autem religiosus cum sancto viro colloquium habebat, qui inter cætera requirebat ab eodem religioso; Vtrum Abbatem cognosceret Odilonem. At ille se cognoscere ait. Et pater. Quare pro eo inquiritis? Et ille. Sunt vicina nostra loca, in quibus grauissima inueniuntur flammarum incendia, in quibus etiam animæ diuersæ luunt, pro meritorum qualitate tormenta. Hic sunt innumerabiles dæmones deputati, qui intolerabiles pœnas quotidiè renouant, quod ego frequenter audiui eas quærelosè clamare, quod orationibus & eleemosynis quorundam, frequenter eripiantur de manibus eorum: & præcipuè de Cluniacensi ordine & cœtu, & eorum Abbate querimoniam faciunt, quod sæpè per eos sui iuris piacula perdunt. Et ait ille vir sanctus. Quamobrem per Dei nomen obtestor, vt sanctis fratribus illis, quæ tibi dixi fideliter referas, vt orationibus & eleemosynis magis ac magis insistant, vt de manibus dæmonum eas deducant. Ille igitur reuersus in patriam, hæc Abbati Odiloni retulit vt promisit. Quod audiens Abbas, per omnia monasteria generale edictum constituit, vt sicut die primo Nouembris omnium sanctorum festiuitas ageretur. Ita sequenti die in Psalmis & eleemosynis, omnium in Christo fidelium quiescentium memoria celebretur. Idcircò hæc perpendens Ecclesia, idem obseruat, & hodie pro fidelibus defunctis generaliter celebrat, qui sunt in pugatorio.

Odilo Abbas Cluniacensis memoriam peragit omnium defunctorum.

Et dicitur NOTANTER *pro fidelibus defunctis*, quia damnatis & infidelibus talia suffragia ab Ecclesia facta, non prosunt. Ideò dicit Dominus Ier. 7. *Tu noli orare pro populo isto*, scilicet damnatorum, *ne assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te.* Super quo dicit B. Hieronymus. Frustra dicimus orare pro aliquo, qui hoc non meruit dum vixit recipere. Ipsi enim infideles & damnati, non meruerunt cum hic essent super terram, vt eis suffragia Ecclesiæ prodessent.

Vnde

Vnde dictum est, quod orationes facit Ecclesia pro illis, qui sunt in purgatorio, B
quia non sunt necesse illis q sunt in cœli refrigerio: ideò solum prosunt illis qui pur- Quinam
gantur. Et illi sunt in triplici differentia. Primi qui satisfactionem sibi iniunctam in- in purgatorium descẽdant.
de decedentes nondum compleuerunt, & hi in pœnis purgatorij grauissime puniuntur, nisi fortè eorum satisfactio ab alijs assumeretur. Ad hoc tamen quod prædicta I.
commutatio valeat, requiruntur quatuor. *Primum* est ex parte commutationis, scilicet eius auctoritas, quia de sacerdotis auctoritate fieri debet. *Secundum* est ex parte 1. 2.
illius, quo cum fit commutatio, scilicet eius necessitas, quia in tali statu debet esse, quod per se satisfacere non potest, sed adiuuari nõ indiget. *Tertium* est ex parte illius 3.
in quem fit commutatio, scilicet charitas, quia necesse est eum esse in charitate, qui debet facere ipsam satisfactionem meritoriam & satisfactoriam.

Ideò legitur, cum quidam miles cum vxore in lecto esset, & cuidam militi defuncto, qui sibi fuit familiaris, detraheret, subitò ille qui mortuus fuerat, thalamum intrauit, & dixit illi: Amice, noli aliquod malum suspicari de aliquo, & condona mihi si in te in aliquo peccaui. Quem cum super statu suo interrogaret, dixit: Varijs pœnis affligor, præcipuè quod tale cæmiterium violaui, & ibi quendam vulnerans sua cappa spoliaui, quæ mihi supraponitur, & omni monte me magis premit. Rogauit vt pro se orationes fieri faceret. Cui ille. Vis, inquit, à tali, vel à tali sacerdote vt orationes fiant. Ille verò ad hoc nihil respondit, caput concussit renuens. Deinde dixit, si vellet quod talis eremita pro se oraret. Quod cum se facturum promitteret, ille ait: Et ego dico, tibi, quia ab hac die vsque ad annos duos, tu etiam morieris. Sicque disparuit, & miles vita sua mutata in melius, vt ille dixerat in Domino obdormiuit. *Quartum* est ex parte pœnæ, scilicet debita proportionalibitas, vt si minor pœna permutatur in alienam, quia plus valet propria pœna quàm aliena. Et est triplex pœna. *Propria voluntaria*, quæ maximè satisfacit. *Alia est propria & non voluntaria*, quæ est in purgatorio. *Tertia voluntaria*, sicut quæ assumitur pro aliquo. Et hæc quidem minus satisfacit, quàm prima, ex eo quod non est propria; & magis quàm secunda, quæ non est voluntaria.

Mortuis nõ detrahendum.

4.

Pœna triplex.

Veruntamen si iste pro quo satisfactio est assumpta discedit, nihilominus tamen in purgatorio cruciatur, sed tamen propter istam pœnam quàm iste sustinet, & q̃ alij pro eo soluunt, citius liberatur, quoniam Dominus pœnam suam, & pœnam illorum in sortem computat. Ideò si debet pœnam in purgatorio sustinere talis, sic poterit iuuari, quod liberabitur infra mensem; Nunquam tamen inde eripitur, quousque sit solutum. Quo finito, illud quod soluitur, deinde est illius qui facit, & in sinum eius conuertetur: & si ipse non indiget, conuertetur in sinum Ecclesiæ. Vel, valet alijs qui in purgatorio existunt, &c. C

SECVNDI, qui ad purgatorium descendunt, sunt, qui satisfactionem sibi iniunctam compleuerunt, sed tamen illa pœna ex ignorantia vel negligentia sacerdotis, sufficiens non fuit. Hi enim nisi magnitudo contritionis suppleat, totum in purgatorio complebunt, quod minus in hac vita fecerunt. Deus n. qui modum & mensuram peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam satisfacientem, ne peccatum maneat impunitum. Vnde pœnitentia iniuncta aut est maior, aut est minor, aut æqualis: Si maior, tunc illud quod plus facit, cedit ei ad augmentum gloriæ. Si æqua- II.

lis sufficit ei ad totius culpæ dimissionem. Si minor, tunc id quod restat, suppletur virtute diuinæ iustitiæ.

III. Tertii qui in purgatorium descendunt, sunt, qui lignum, fœnum, stipulam secum ferunt. De quibus dicit B. Gregorius super primam Epistolam ad Corinth. c. 3. Pensandum est sollicitè, quòd per ignem futuræ purgationis, asserit Apostolus saluos fieri posse, non eos qui super hoc fundamentum ferrum, aut æs, aut plumbum, id est, peccata duriora & maiora, sed eos qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam, id est peccata leuissima & minora, quæ ignis faciliter consumit. Istis igitur subueni- re debemus propter quatuor, quia secundum Hostiensem in sua summa propter legem naturæ, scripturæ, amicitiæ, & iustitiæ.

Cur animabus in purgatorio subueniendum

D

I. Propter legem naturæ.

Primò, propter legem naturæ. Dicunt Naturales, quod animalia eiusdem generis se mutuo diligunt, & sibi in necessitatibus subueniunt, sicut videmus de passeribus. Quando enim contingit aliquem laqueo comprehendi, pro adiutorio clamat, cui compatiens passerum multitudo, mutuum se conuocant, & vt captum liberent, pro viribus festinant. Idem patet de elephantibus, qui succurrunt his, qui ceciderunt, sua naturali pietate.

Istorum igitur animalium exemplo instructi, quis inter nos esset tam duri cordis vel stultæ mentis, si cecidisset in foueam, vnde exire non posset, quod pro auxilio tardaret clamare, aut si igne cremaretur, & extrahi non desideraret, certè æstimo nullus esset tam stultus, quod pro iuuamine non clamaret. Et si nobis vellemus illa fieri, debemus & illis facere qui sunt in purgatorio. Quia dicit Beatus Augustinus super Ioannem, sermone 48. Legem naturalem habent homines in cordibus desixam. *Quod tibi fieri non vis, minime fac alijs.* Idem Matthæi septimo. & Tob. 4 Illi enim in purgatorio ceciderunt in foueam pœnalem, à qua exire per se non possunt: quare clamant ad nos, antequam eis suffragia destinamus, quod probatur in exemplo

Refert Plinius in histor. nat. Antequam imber ad veniat, rana viridibus arboribus insidet, valdeque clamat, sic anteq̃ imbrem orationis & deuotionis defunctis instillemus, animæ ipsorum clamant, ad nos; dicentes: pauperi manum porrige. Et iterum illud Iob decimo nono, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini*, &c. Ideò sicut vellemus nobis ab alijs subueniri, sic eis debemus subuenire, alias clamant vindictam super nos, sicut testatur Guido in tertio sermonum opusculo. Clamant, inquit, super nos hi qui sunt in purgatorio, eo quod eorum nulla fit mentio in hoc seculo petentes vindictam fieri de his, qui sunt sub cœlo.

II. Propter legem scripturæ.

Secundò, debemus eis subuenire propter legem scripturæ, quæ præcepit vt illis suffragia destinemus, Neemiæ 8. *Mittite partes eis qui sibi non praparauerunt.* & Esdræ vltimo. *Mittite*, inquit, *munera his qui non habent.* Et iterum Sapient. 7. *Mortuo ne prohibeas gratiam*, scilicet auxiliorum. Quia refert Gulielmus in rationali diuinorum, quod Abbas quidam prohibuit fratribus suis, ne in die Dominico celebrarent pro defunctis, quare grauiter fuit vulneratus verberibus & ipse prohibitum recusauit. Præcipit etiam Canon. Extra de celebrat. Missæ. cap. Cum creatura. quod Missas pro defunctis celebrare debent Sacerdotes. Super quo dicit Bartholomæus Brixiensis. Illi de quibus dicit Decretalis, negligentes orant in officijs mortuorum.

Ideò

Ideò mandauit Papa vt torporem & negligentiam abijciant, & Missarum solennia celebrent, anniuersarijs defunctorum. Et quia sacra Scriptura præcepit subuenire animabus, ideò est illis succurrendum, alias præceptum obligat ad mortale peccatum, pro quo homo tandem posset damnari, secundum quod dicit Haymo super Apocal. Iusto Dei iudicio æternæ damnationi se subijcit, qui defunctorum immemor, quantum ad auxilia suffragiaq; exsistit.

TERTIÒ, subueniendum est eis propter legem amicitiæ, quia parentes nostri, fratres & sorores exstiterunt. Ideò si dileximus eos viuos, diligamus & mortuos, secundum illud Prouerbiorum 17. *Omni tempore diligit qui verus amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Idem Eccles. 6. *Si possides amicum in tentatione posside eum.* Qui enim fidelem habens amicum & dilectum, videret ipsum in maximo cruciatu, & ei citius non subueniret, certè qui hoc facere tenueret fimus & falsus esset amicus. Modo amici nostri, vt timendum est, adhuc sunt in grauibus cruciatibus purgatorij, cuius pœna minima superat supplicium quodcunq; huius mundi, vt dicit Amandus lib. 2. c. 2. Ergò crudeles sumus, si eis non subuenimus. III. Propter legem amicitiæ. Minima pœna purgatorii grauior est omni supplicio mundi.

Ideò legitur in libro de dono timoris: Abbas quidam decedens, rogauit Monachos, vt auunculum suum eligerent in Abbatem, & mortuus est. Illo igitur sepulto, fecerunt illi vt rogauit. Contigit autem quadam die, vt Abbas sic electus, hortum in quo erat fons, solus intraret, ibique audiuit vocem de fonte emissam cum gemitu miserabili. Cumq; adiurasset gementem, vt diceret, quis esset. Respondit, se esse auunculum suum, & quod ibi ineffabiliter vreretur, pro hoc quod carnaliter rogauerat, vt eligeretur in Abbatem. Et nepos. Cuiusmodi ardorem potes ibi sustinere, cum fons sit temperatus. Dixit supplicando, vt afferret candelabrum cupreum, & proiiceret in fontem. Quod cum fecisset, ita liquefactum est, sicut cera in igne. Et verè nullus ignis in toto mundo est ita feruens, quod cuprum in ipso tam subitò possit liquefieri. Ideò Abbas cogitans legem amicitiæ, officium resignauit, & vocem modo non audiuit. Exemplum punitionis ob inordinatam promotionem.

QVARTÒ, debemus eis subuenire propter legem iustitiæ. Quia dicunt leges Imperiales, onus transit cum hæreditate; vt qui accipit prædium, oportet & habet dare censum. Sic etiam filius, vel amicus vel amica, accipiens hæreditatem parentum, vel amicorum, tenetur de ipsa benefacere parentum animabus; quia hoc iustitia exigit ordinata. Sed filij benè accipiunt parentum hæreditates, viriq; vxorum, & econtra, promittunt se fideliter post mortem velle eis suffragari; quod tamen minimè implent, sicut legitur. IV. Propter legem iustitiæ.

Quidam habuit vxorem Deo deuotam, quæ cum defuncta esset, dixerunt vicini & amici, vt aliquid pro anima faceret, quia fidelis et in acquisitione rerum fuisset. Respondit ille. Claues domus habuit, si benè fecit, inueniet, nihil dabo. Horum adhuc multi sunt, qui pro defunctis nihil faciunt, ideò conqueruntur hoc per deuotum Amandum lib. 2. c. 2. dicentem: Vbi est nunc auxilium amicorum nostrorum? Vbi sunt promissiones bonæ consanguineorum, & aliorum, per quorum inordinatum affectum nos ipsos neglexinus & hanc pœnam nobismetipsis adduximus. Heu cur hoc fecimus, laborauimus complacere eis volentes & remunerati sumus. Ardemus & æstuamus, nec ab eis adiutorium accipimus. Heu cur de salute nobismetipsis non prouidimus. Ideò dicit Poeta:

Fac benè dum viuis, post mortem viuere si vis.
Vxor cum pueris modicum dant si morieris.

Sed diceret quis? Nihil mihi successit de bonis parentum meorum, quare nolo pro eis benefacere & orare. Audi. Certè adhuc teneris pro parentibus tuis Deum exorare, ex præcepto Dei, *Honora patrem & matrem,* Etiam dicit Aristoteles 8. Ethic. Parentes sunt filijs causa essendi, generando, nutriendo, & educando, & causa disciplinæ informando: & de his non potest reddi æquiualens, teste Aristotele 9. Ethic. Dijs & parentibus non potest reddi æquiualens.

DE COMMEMORATIONE FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Sermo secundus.

Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Ad Romanos 12.

A XPERIENTIA videmus, quod pueri bonæ indolis, si vident gaudentem matrem & ridentem, cum ea rident & lædantur. Si verò vident eam lacrymantem ex naturali inclinatione cum ea lacrymantur.

SPIRITVALITER. Sancta mater Ecclesia est mater nostra, qui spiritualiter fonte baptismatis generauit, & filios regni cœlestis nos fecit. Quia dicitur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, scilicet baptismi, *& Spiritus sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Marci vltimo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc, inquam, sancta mater Ecclesia spiritualis, plus dat filijs suis quàm carnalis mater. Illa namq; vitam spiritualem & æternam: Ista solum carnalem & gehennam. Sic patet de pueris non baptizatis, qui si decedunt, filij sunt perditionis, vt habetur de consec. dist. 4. c. Firmissimè. Si autem per matrem spiritualem baptismate renascantur, ad vitam æternam coaptantur. Ideò debemus huic matri sanctæ Ecclesiæ, nos sicut filij in omnibus conformare, quia heri secundum Guilielmum in rationali diuinorum lib. 7. fuit dies exultationis, in quo beatitudini omnium sanctorum congaudebamus, gratiarum actiones Deo pro ipsorum gloria referendo. Et hodie est dies orationis in quo pro his qui in purgatorio detinentur, oramus: modo pœnam eis minorando, modo veniam & absolutionem impetrando. Et hoc est, quod dicit Apostolus Rom. 12. *Gaudete cum gaudentibus.*

Triplices sunt morientes. I. Pro quo est breuiter NOTANDVM, quod triplices sunt morientes: ALIQVI sunt, qui statim vt animæ exeunt à corporibus saluantur: & sunt illi, qui sunt in gaudio, & ab eis omnis allata est lacrymatio, secundum illud Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorũ, & iam non erit amplius neq; luctus, neq; clamor.* Ideò cum eis potius gaudendum est, quàm consolandum aut flendum. Et hoc docet Augustinus sermone 2. de consolat. mortuorum. Si sanctificatus gratia, fide & conuersatione probatus, vel innocentia securus de hoc mundo procedit, beatificandus est non lugendus, desiderandus & non plangendus. Possunt tamen tales defleri, non quia ab hac

ab hac miseria recesserunt, sed quia nos præcesserunt, sicut legitur fecisse B. Ambrosius, cui cum obitus alicuius Episcopi sancti vel sacerdotis nuntiaretur, amarissimè fleuit, vt vix valeret consolari. Cumque interrogaretur, cur viros sanctos defleret? Non, inquit, putetis eum me deflere, quia recessit, sed quia me præcessit, & quia difficile inuenietur qui tanto officio dignus habeatur. Cur B. Ambrosius defleat mortem Episcopi sancti.

ALII MORTVI sunt, qui recto cursu vadunt ad inferos, & damnantur. De illis quidem esset flendum, sicut innuit Augustinus sermone vbi supra, dicens. Vtique lugeri deberet paganus, qui nesciens Deum, recto cursu, pergit ad pœnas. Plangi deberet Iudæus qui Christum discredens, animam suam damnationi deputauit. Plangendum est planè de Catechumenis, si anima negligentia sine baptismo salutari discesserit. Hæc ille. Sed tamen planctus ille non est eis vtilis ad salutem, quia à perpetua pœna nunquam liberantur, secundum illud Matth. 25. *Ibunt hi*, scilicet damnati, *in supplicium sempiternum*. II.

TERTII sunt mortui, qui nondum per pœnitentiam purgati, purgabilibus locis deputantur. Igitur illi flent propter præteritæ pœnitentiæ obliuionem, instantis pœnæ afflictionem, charorum suorum obliuionem, exspectatæ gloriæ dilationem. III.

PRIMÒ igitur flent propter præteritæ pœnitentiæ omissionem, quia omiserunt complere pœnitentiam in præsenti vita, vbi in breui misericordiam inuenire potuissent, & purgatorii pœnas acerbissimas de facili euasissent, eo modo, quo docuit deuotus Amandus libr. 1. cap. 14. Si, inquit, vis pœnam purgatorij longam & acerbam in temporalem, quæ breuis & leuis est, commutare. Primò omnium debes corde contrito & spiritu contribulato, cum gemitu cordis enormitatem peccatorum tuorum grauissimè considerare & ponderare, confitendo aduersum te in iustitia tuam Domino amarissimè cogitando quid feceris, quidue merueris, dicens cum Manasse. 2. Paralip. 33. *Peccaui super numerum arenæ maris, & non sum dignus respicere altitudinem cœli.* DEINDE coram oculis æterni iudicis humiliter despice teipsum & vilem æstima, dicens cum filio prodigo, Lucæ 15. *Pater peccaui in cœlum & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* POSTEA debes passionem Domini præmeditari, quod per eam redemptus es, & quod minima gutta sanguinis pretiosissimi, qui per omnes partes corporis sui largiter effluxit, pro redemptione & satisfactione totius mundi satisfecisset. TANDEM debes misericordiam piissimi Domini humiliter postulare, nihil hæsitando, quia ipse est pronior ad dandum, quàm tu ad accipiendum. Hæc Amandus. Hanc doctrinam qui sunt in purgatorio, hic non omnino compleuerunt, quamuis enim confessi sunt & contriti, tamen non tantam contritionem habuerunt, quæ ad delenda peccata suffecisset, qua habita, liberè in requiem euolassent, nec etiam pœnitentiam sibi iniunctam totaliter perfecerunt, sed dies hic ad pœnitentiam datos vanè consumpserunt. I.

Ideo quælibet anima purgatorio deputata, potest dicere illud Amandi in horologio Sapientiæ, libro 2. cap. 2. Pretiositatem temporis non attendebam, sed me quasi onagrum liberum natum esse putabam. Nunc autem sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues comprehenduntur laqueo, sic captus sum in tempore malo. O mi Deus quare neglexi? quare tardaui? cur tot gratiosissimos dies in longissimis & vanissimis locutionibus expendi. Quare studui vanitati? & quare non tota vita didici- B

ci mori? Heu grata iuuentus, qualiter te perdidi? O Deus æterne, tibi conqueror miseriam quam patior. Melius mihi erat, si natus non fuissem, quàm quod tempus ad pœnitentiam mihi concessum, tam inutiliter expendi. Ideo nos adhuc superstites, pœnitentiam iniunctam hic compleamus, rogantes cum Iob; *Dimitte me Domine, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam*, Iob. 10.

II. SECVNDO, flent propter pœnæ afflictionem. Est enim pœna illa valdè grauis, quia pœnæ infernali similis, de qua dicit Augustinus in sermone quodam: Qantum distat ignis materialis ab igne picto tantum distat ignis infernalis ab igne nostro. Huius tanta est violentia, si marium vniuersitas influeret, ipsum nec ad modicum refrigeraret. Cuius etiam immanitas patet in quodam scholari, de quo legitur.

Simile.

Magister quidam quendam suum scholarem ægrotantem obnixè rogauit, vt post mortem ad se rediret, & statum suum sibi renuntiaret. Igitur post aliquos dies sibi apparuit cum cappa de pergamento, tota sophismatibus plenè descripta, & ignis flamma in eius toga contexta. Qui requisitus à Magistro, quis esset? Ait ille. Sum qui à te redire promisi. Requisitus igitur de statu suo, ait: Hæc cappa super me plus ponderat, & plus punit quàm si vnam turrim super me haberem, & est mihi data, vt eam portem pro gloria, quam in sophismatibus habui; & flammam ignis, qua est cooperta toga, sunt delitiæ variæ, quas ferebam, & flamma me cruciat & exurit. Sed cum Magister illam pœnam facilem iudicaret, dixit ei defunctus, vt manum extenderet; vt sic facilitatem suæ pœnæ sentiret. Cumq; manum extendisset, ille guttam sui ardoris vnam dimisit, quæ Magistri manum citius quàm sagitta perforauit, ita quod cruciatum mirabilem sensit. Et ait: Talis sum totus. Ille igitur Magister ex ipsius pœnæ acerbitate perterritus, seculum deserere deliberauit, & religionem intrauit. Mane igitur congregatis scholaribus hos versus composuit.

Pœnæ sophismatum.

Linquo coax ranis, cras cornis, vanaq; vanis,
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Et sic seculum deserens, religionem subitò intrauit. Igitur propter huius pœnæ afflictionem, animæ in purgatorio lacrymantur. Et hoc cognouit B. Augustinus, ideo dixit: O Domine, hîc vre, hic seca, quasi diceret: & parce in futuro. Maluit enim hoc igne vri, ne vreretur igne infernali.

III. TERTIO, flent propter charorum obliuionem, quia amici obliti sunt eorum, quorum suffragiis citius liberari deberent. Ideo quilibet potest conqueri & dicere cum Psal. 37. *Amici mei & proximi mei longè à me recesserunt*. Et iterum Psal. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filius matris meæ*. Et aliquæ inter eas, quibus ab amicis eorum nulla est memoria, possunt dicere illud Amandi lib. 2. c. 2. Circumspicio ad omnem plagam, & deficit consolator, nec est adiutor.

Talibus enim contingit sicut ouis struthionis. Refert Gregorius super Ioan. 19. Cum struthio oua sua ponit, foueam facit in arena, eaq; sabulo operit. Cumque ab eis recesserit, statim obliuiscitur, vbi ea posuit, & nunquam ad ea redit. Sed calefacta arena solis feruore, abscondita oua decoquit, & pullos producit. Cumque autem fracta testa pullus productus fuerit, tunc primum ipsum mater recolligit & nutrit. Sic contingit sæpè animabus defunctorum. Si enim corpora eorum ad funera sepulchri posuerint, amici statim recedunt, & post sonum campanarum seu exsequiarum, obliuiscuntur.

Similitudo.

ſeuntur animarum. Sic ait Pſal. 9. *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Et tunc benè poſſunt dicere cum Pſal. 30. *Obliuioni datus ſum nunquam mortuus à corde.*

Sed feruens ignis purgatorij, decoquit eas quouſq; totalis culpa conſumitur, & tantò diutius ibi ardent, quantò diutius hic in culpis iacuerunt, ſecundum illud Apocalypſis 18. *Quantum ſe glorificauit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ideo dicit Bonauentura ſuper 4. ſentent. Animæ diutius purgabuntur, quæ in peccatis diutius permanſerunt. Poſtquam totaliter ſunt purgatæ, & ad eſſe æternum productæ, tunc ſtatim mater vera Ieruſalem, *quæ ſurſum eſt* ſecundum Apoſtolum ad Galatas 4. recolligit eas, & æternaliter conſeruat atque nutrit, & pro illis hodie ſtatuta eſt hæc dies, ſicut legitur de cuſtode templi ſermone 2. de omnibus ſanctis in fine.

Quem Angelus ducebat ad locum, ibiq; vtriuſq; ſexus homines, alios in ſtratis aureis, alios in menſis gaudentes, diuerſis delitiis, alios nudos & inopes auxilium mendicantes, oſtendit: dixitq; hunc locum purgatorij eſſe, abundantes verò animas illas eſſe, quibus ab amicis per multa ſuffragia ſubueniebatur copiosè, egentes verò quorum cura nullatenus habebatur. Iuſſit ergo vt omnia ſummo Pontifici intimaret, vt poſt feſtum omnium Sanctorum, ſtatueret diem animarum, vt ſaltem ſuffragia generalia pro illis illa die fierent quia ſpecialia habere nequirent. C

QVARTÒ, flent propter exſpectatæ gloriæ dilationem. Habent enim firmã ſpem ad futuram gloriã, ſed tamen minorem quàm illi, qui ſunt in patria, maiorem autem quàm nos, qui ſumus adhuc in via. Quia certitudo illorum, qui ſunt in patria, eſt ſine exſpectatione & timore. quia nec illam futuram exſpectant, quàm præſentem habent, nec illam de cætero perdere formidant. Certitudo autem illorum, qui ſunt in purgatorio medio modo eſt. Eſt enim cum exſpectatione, quia ipſam futuram exſpectant, & talis ſpes & exſpectatio eſt eis magna afflictio. Prou. 3. *Spes quæ differtur, affligit animam.* IV.

Ideo talibus afflictis & flentibus compati debemus, & eis ſubuenire cum ſeptem ſuffragiis. Vnde verſus. D

Quibus ſuffragiis animabus ſubueniẽdum.

Fle, pete, ieiuna, vigila, da, redde, celebra.

PRIMVM igitur ſuffragium eſt effuſio lacrymarum. Quia dicit Plinius in hiſtoria naturali. Cumq; modicus imber diſtillauerit ſol ipſe mox ſerenius atque iucundius elucеſcit, ſic poſt modicum imbrem deuotionis & lacrymas, Chriſtus ſol iuſtitiæ lucet iucundius per auxilium ſuper defunctorum animas. Ideo refert Vincentius in ſpec. hiſt. lib. 25. cap. 49. de Carolo Magno, qui in ſacra nocte Dominicæ diei, poſt matutinas, cum vellet ire repauſatum raptus erat in ſpiritu, & ductus in vallem, quæ ex vna parte erat tenebroſa & ardens velut clibanus ignitus, ex altera parte erat amœniſſima. Vertitq; ſe contra tenebroſam, vbi vidit aliquos reges de genere ſuo in magnis ſuppliciis, ibiq; vidit dolium, in quo erat feruens aqua, & patrem ſuum Ludouicum in eo vſq; ad femora ſtare, qui dixit ad eum: Carole, ſcio quod reuertetur ſpiritus tuus. Ideo ſi tu, & mei Epiſcopi, & Abbates: omniſq; ordo Eccleſiaſticus fletibus ſuis, & vigiliis mihi ſubuenietis, citius liberabor. Ille autem ad corpus rediit, & Epiſcopos præmonuit, & eum liberauit. I. Lacrymarũ effuſio.

SECVNDVM eſt redditio orationum deuotarum, propter quas omnipotens Deus tranſmittit conſolationem animabus. Vbi enim nubes vaporem multum attra- II. Deuotæ orationes.

attrahit, illuc etiam multum imbrem pluuiamq; transmittit. Sic Christus, si ab homine sumit vaporem orationis, ipse reuera eis mittit pluuiam consolationis & refrigerationis sempiternæ. Ideo dicit Richardus de Sancto Victore. Facta quidem memoria defunctorum in mente hominis, scilicet per orationes solem diuini præbet luminis & candoris.

III. Ieiuniorum obseruatio.

TERTIVM, est obseruatio ieiuniorum. Cum enim pro defunctis ieiunamus, citius nos exaudiet Deus. Rectè in simili dicit Auicebron in libro fontis vitæ. Nobis quidem ieiunis atq; sobriis existentibus, cœlestis profectò patebit maior influentia atq; virtus: teste Platone in Phedrone qui ait. Tempore quidem sobrietatis & ieiunii, cœlestis magis sumus influentiæ suscepturi. Sic ieiunantibus nobis & corpora macerantibus pro defunctis fidelibus, cœlestis eis patebit influxus pietatis, secundum illud quod ait Richardus de sancto Victore. Mediante quidem ieiunio cœlestis illabitur suauitas & dulcedo. Ideo legitur in Vitis Patrum, quod quidam vir sanctus, nomine Pastor, tribus annis pro patre suo orauit & ieiunauit, & ille liberatus venit, & gratias illi egit, qui eum suo ieiunio liberasset.

Exemplum.

IV. Vigilia.

QVARTVM est vigilia, quæ si assumitur, anima à purgatorio liberatur. Sicut patet de anima Ludouici, quæ per vigilias purgatorii pœnas euasit.

V. Eleemosynarum distributio.

QVINTVM est tributio eleemosynarum. Refert Constantinus in libro liquidorum. Gummi quidem quod in Augusto fluit, in medicinis infirmorum salubre erit. Cuius ratio est quod virtus solis de gummi tunc roris terrestreitatem humiditatemque consumit. Sic eleemosyna nostra, quæ fluit in Augusto caritatis, pro fidelibus defunctis salubris medicina erit eis. Quia dicit Origenes in libro de ritu Ecclesiæ. Sola eleemosyna quæ intuitu charitatis Christi facta fuerit, felicitatis æternæ gaudia obtinebit, quibus? certè illis in purgatorio existentibus, quia mediante illa peccata eorum remittuntur, secundum illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime.*

VI. Debitorum solutio. Propter debita non persoluta, quidam in purgatorio detinetur.

SEXTVM est solutio debitorum. Non enim possunt mortui à pœnis liberari, nisi debita quæ commiserunt, sint soluta. Quidam enim Magister Parisiensis nomine Thomas in infirmitate, qua postea obiit, quendam Magistrum Parisiis rogauit, vt à diuitibus peteret, vt debita non soluta persoluerent. Cum verò executor in soluendo curam non egisset, nec soluisset, apparuit ei mortuus. Vir ille quæsiuit, qualiter se haberet. Benè, inquit, si absolueris me à vinculis: & sic ille disparuit. Iste autem qui nondum certus erat à quibus vinculis hoc intelligeret, debitum non soluit. Iterum apparuit ei mortuus flexis genibus & vinctis manibus, & quod ipsum à vinculis solueret supplicauit. Et cum quæreret. A quibus? Respondit mortuus. A debitis, quibus obligatus sum, statimq; recessit. Et Magister statim debita soluit, & defunctus ei amplius non apparuit.

Aliud exemplum.

Idem legitur de quodam puero nouem annorum, qui decedens confessus est. Post mortem autem apparuit matri suæ, dicens: se esse in magna pœna, eo quod non soluisset quædam debita, quæ contraxit à familia patris sui, ad ludos faciendos, nec de hoc recoluerat in morte. Mater verò omnia soluit, & puerum à pœna liberauit. Idem legitur de quodam viro qui obiit, & quoddam debitum insolutum reliquit. Postea autem vxori apparuit, monens eam, vt debitum illud solueret, quo soluto, à pœnis liberatus fuit. Bene igitur erit filiis illis in extremis, qui debita soluunt suorum parentum, vel suorum amicorum secundum illud Psalmi 40. *Beatus qui intelligit*

Aliud exemplum.

git super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, scilicet à vinculis peccatorum, si & ipse soluerit debita amicorum.

Sunt (heu) quidam autem, qui sumunt hæreditates parentum & aliorum amicorum, & non soluere volunt contractiones amicorum debitorum: & nisi iure debitum ab eis extorqueretur, audent temerariè dicere ore mendaci, patrem in nullo vel amicum sibi fuisse obligatum, licet hoc sciant ex relatu eorũdem. Et tales iure essent exhæredandi; quia habetur in Glossa supra decret. quintauallis de iure iuris, libro 2. si filij patrem de vinculis carceris deducere & soluere negligant, pater potest eos exhæredare, & hæreditatem aliis dare. Et quia hoc sic est in lege Imperatorum, multò fortius in lege regis cœlorum: vt ille, qui scit patrem suum propter debita contracta esse in vinculis pœnarum, & ipsum non curat soluere, cœlesti hæreditate spolietur, & tanquam inuasor rei alienæ puniatur. Quia dicit beatus Augustinus, & habetur de regula iuris libr. 6. Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Quid enim aliud faciunt illi quàm quod res, quæ ex merito debentur alteri, sibi auferunt, & sibi ipsis appropriant & vsurpant, & nisi restituant, cœlesti hæreditate priuabuntur.

SEPTIMVM est celebratio Missarum. Dicit Enæus Septimus in libro de content. or. Lapides igniti missi in stagnum, si hirundines sint intus, faciunt euolare. Sic dum verum lapidem Christum in cruce ignitum igne charitatis, in stagnum transmittimus purgandarum animarum, mox à suis suppliciis eas facit euolare. Teste Gratiano in apparatu iuris. Trahunt enim animas Missarum solennia & frequentia, extra sua cuncta supplicia, & euolare faciunt ad gaudia sempiterna. Ad quæ nos perducat Iesus Christus Mariæ filius, &c. VII.

DE SANCTO MARTINO EPISCOPO.

Sermo primus.

Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna lucet in diebus suis, & quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei. Eccles. 50.



APES secundum Naturales tres habent proprietates. De *prima* dicit Ambrosius in hexameron; Apum nulla est otiosa, quædam enim certant quasi in bello campestri contra alias apes; aliæ vigilant circa victum. Adolescentes enim apes ad opera exeunt, seniores intus operantur. Et quamuis diuersa habent opera, nulla tamen alienis insudat laboribus, nulla raptu victum quærit, sed proprio volatu & labore, inter herbas & flores, quæ sunt necessaria, colligunt. De *secunda* proprietate dicit idem Ambrosius, quod apes vnam incolunt mansionem, omnibus communis est labor & operatio. De *tertia* dicit Aristoteles 10. libro de animalibus, quod sugunt ad præparationem mellis ex frondibus & floribus arborum & herbarum, & prius incipiunt facere domos, in quibus habitet apiaster, deinde domos alias, in quibus aliæ habitare consueuerunt.

Martinus fugit otiū.

SPIRITVALITER. Has apum proprietates beatus Martinus est secutus: nam in statu militari non fuit otiosus. Sciebat enim quod otiositas & voluptas, sunt arma antiqui hostis, vt patet de renunciat. c. Nisi pridem. Ipse enim tanquam adolescens pro patre suo antiquo militiam, licet inuitus, assumpsit, & contra hostes non segniter pugnauit, quos non armis, sed orationibus potius superauit. Per Moysen ipse figuratus est Exodi 17. qui dixit ad Iosue: *Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea*, & factum est. *& vincebat Iosue & Israël cum Moyses eleuaret manus: sin autem paululum emisisset, Amalec superabat.*

Sic ad propositum; cum Iulianus contra barbaros pugnare intenderet, dixit beatus Martinus: Crastina die ante aciem astabo inermis, & in nomine Christi signo crucis me muniens, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos securus penetrabo. Et benè creditur, quod ipse interim manus leuauit ad Dominum, & pro vnione pacis suppliciter exorauit, sic quod postea sequenti die gens barbarica multa, quod nemo dubitet meritis B. Martini, pacem assumpsit, vt patet in Legenda.

Orante S. Martino, pacem barbari petunt.

A

B. Martini status militaris.

In hoc statu militari non vixit de rapina, sicut nec apes, sed sua pauperibus largitus est, ipse namq; est ille Samuel, de quo Reg. 12. cum quo potest confidenter dicere. *Loquimini coram Domino de me, vtrum bouem cuiuspiam tulerim: & sic quem oppressi*, quasi diceret, Non potestis me de hoc coram Domino accusare.

Monachalis.

In statu igitur monachali, cum suis monachis in vna habitauit mansione, & eisdem cibis potibusq; contentus, quia sciebat illud decreti 12. quæst. 1. cap. Dilectissimis, quod religiosi communem vitam debent habere, nec aliquam rem priuatim possidere, si cum Anania nolint interire.

Episcopalis.

In statu autem tertio scilicet Episcopali, quasi apis operosa, B. Martinus ad aluearium duxit mel dulcissimæ doctrinæ, quia canitur: Corpore quidem virgineo, blandum habebat eloquium. Ideo de eo potest dici illud Cantic. 4. *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Et hi triplices status inueniuntur in verbis præassumptis, vbi dicit. *Quasi stella matutina*, ideo in his à tribus laudatur. *Primo*, à statu militari, ibi; *Quasi stella matutina. Secundo*, à statu monachali, ibi; *Quasi Luna plena. Tertiò*, à statu Episcopali, ibi; *Lucens in diebus suis.*

DE PRIMÒ est NOTANDVM. Aristoteles in libro de causa elementorum sic describit firmamentum. Est elementum ab elementis inferioribus distinctum, non enim graue est, quia tunc descendere posset; neq; leue, quia sursum ascenderet. Istud firmamentum pulcherrimè est stellis decoratum infinitis, quas nullus Philosophorum potest numerare, nisi solus Deus, secundum illud Psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum*, &c. Est tamen principaliter exornatum septem Planetis, quorum principales sunt stella matutina, Luna atq; Sol, quæ præ cæteris sunt stellis clariores.

Firmamentum septem planetis ornatum est.

MYSTICE. Per firmamentum intelliguntur Confessores & Doctores. Rectè enim sicut firmamentum inferiora illuminat tenebras depellendo, sic sancti Confessores & Doctores, mediantibus suis salutaribus monitis & lucidissimis doctrinis, tenebras expulerunt peccati & ignorantiæ a cordibus, lumen cognitionis infundendo, & horum præclarissimi sunt Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius. De quibus dicit Dominus Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, de quibus annectitur quintus

Con-

Confessor B. Martinus, qui inter alios Confessores, sicut canitur, vt rosa fulget, & velut pulchrum firmamentum, ab aliis merito & sanctitate est distinctus. Ipse enim non fuit grauis per peccati grauitatē, quia à pueritia nitebatur se à peccatis expurgare, Deo studuit in vera innocentia famulari, ita vt dicere possit illud Iob. 33. *Mundus sum ego, & absq; delicto, immaculatus, & iniquitas non est in me.*

B

Sed (heu) nos, inquam, sumus granati multis peccatis, ita vt dicere possimus cum Psal. 37. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Sed tamen horum grauitatem non sentimus. Quare hoc? Certè propter consuetudinem. Quia dicit Isidorus in libro sententiarum. Quamuis sit graue peccatum, dum in consuetudinem venit, leue æstimatur, & sine vllo metu committitur. *Et subdit.* Peccatum committere, cadere est in puteum; consuetudinem verò peccandi facere, est os putei coangustare, ne is qui cecidit, exire possit; nequissimum est peccare, peius verò consuetudinem peccandi facere: ad illud facilè ab illo cum labore surgitur. Hæc ille. Quia peccatum ex grauitate semper deprimit, & hominem surgere citius non permittit. Ideo B. Dauid in persona cuiuslibet peccatoris orat. *Non, inquit, absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* quod exponit B. Augustin. vt habetur de pœnit. dist. 1. c. Puteus. Puteus est profunditas humanæ iniquitatis, in quam si cecideris, non claudit super te os suum, si tu non claudis os tuum. Confitere ergo & dic cum Psalmista: *De profundis clamaui ad te Domine,* &c. Et euades eodem modo quo euasit Manasses de profundo cum dixit: *Peccaui super numerum arenæ maris,* &c. 2. Paralip. 33. Statim enim etiam in duodecimo anno ad Ecclesiam inuitis parentibus iuit, & Catechumenum se fieri permisit.

Psal. 68.

Psal. 129.

Ipse quidem est tanquam nobile firmamentum, quod non recipit in se peregrinas impressiones, scilicet peccatores, & potest illud dicere Sapient. 8. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Neque ipse fuit leuis ad mundi vanitates, scilicet ad risus, & ad cæteros iocos, sicut de ipso canitur: Grauis erat in moribus & intenta mente cœlo suspensus, quia sciebat illud Sapientis. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prouerb. 14.

Legitur etiam quod quidam vir fuit in purgatorio Patricij, in quo recepit vulnera & plagas. Rediens ergo de illo, in maxima fuit semper pœnitentia. Iste quando videbat aliquem iuuenem immoderatè ridentem, vel leuiter se habentem, exclamauit vehementer, dicens: O si scires, quàm acerba pœna datur leuitatibus istis, tu fortassè mores tuos corrigeres, & in melius mutares.

Exem. lum.

Tamen secundum Doctores, non omnes leuitates risuum & iocorum sunt culpabiles, si scilicet in bonum finem ordinantur. Quia dicit Egidius Romanus, in libro de regimine Principum, parte de virtutibus ad mundum in 3. Credunt aliqui omnia verba vel facta deseruientia iocis, vel risus, esse otiosa; nō tamen sic se habet, quia otiosum est, quod caret debito fine. Quod ergo de se est ordinabile in debitum finem, non est culpabile vel otiosum. Iocus enim & risus est licitus, si moderatus & honestus, in bonumq; finem habet ordinari. Quia dicit Aristoteles 4. Ethicorum. Ludus & requies sunt necessaria in vita humana: & sic etiam piè creditur, quod Martinus fuit grauis in suis moribus, interdum leuis, ordinatè tamen cum suis fratribus, iuxta illud dictum Sapientis Catonis:

Non omnis risus aut iocus est culpabilis.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Reuera ipse sicut stabile firmamentum decoratus fuit innumeris virtutibus, quasi cœlum sideribus, quæ quidem impossibile esset ab homine numerari. Horum tamen aliquam Sanctus Ambrosius in libro Præfationum numerat. Sanctus, inquit, Martinus profani erroris templa destruxit, vexilla pietatis erexit, mortuos suscitauit, ab obsessis corporibus dæmonia sæua expulit, ac alios laborantes languoribus virtutis remedio liberauit, qui ita perfectus inuentus fuit, vt CHRISTVM texit in paupere per vestem, quem egenus acceperat. Hæc ille. Et sicut firmamentum habet septem ornamenta planetarum, ita Martinus ornatus erat septem donis Spiritus sancti.

B. Martinus ornatus donis Spiritus sancti.

PRIMVS ergo planeta est *Saturnus*. Hic, vt dicunt Astronomi, est ponderosus, in colore pallidus, & habet qualitates mortiferas, & ideò fœtus sub ipsius dominio susceptus, vel moritur, vel pessimas qualitates consequitur, &, vt ait Ptolomæus in libro de iudiciis astrorum, facit hominem grauem & tristem, raró hilarem vel ridentem.

Saturnus timorem Dei designat.

Per hunc Planetam intelligitur timor Dei, quem habuit beatus Martinus, quod patet ex eo, quia fuit ponderosus, quando ponderauit omnia verba sua loquendo, secundum illud Sapientis, Eccli. 2. *Adolescens loquere in tua causa vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Si fecit ipse facie pallidus, quia semper cogitauit extremum diem iudicij, & potuit dicere cum glorioso Doctore Hieronymo, Siue comedam, siue bibam, semper sonat in auribus meis hæc vox. Surgite mortui, venite ad iudicium. Et talis vtique cogitatio fecit ipsum in corpore indispositum, sed in mente lætum & iucundum, secundum illud Eccli. 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium & lætitiam in longitudine dierum.* Ille timor ipsi in tantum dominatus est, quod omnes conceptus peccatorum statim mortificauit, & statim in moribus ipsum grauem fecit, vt dictum est. Quod autem timor Domini ipsi dominatus est, patet, quia omnes creaturæ ipsum timuerunt. Dicit enim quidam Philosophus: Timenti Deum omnia obediunt.

B. Martinus incendium exstinguit.

Refert Gregorius 4. dialogorum, vbi supplet illa quæ omisit in Legenda, quod ignis & aqua ipsum timuerunt. Cum enim domus proxima esset accensa, B. Martinus tectum ascendit, & obuium se flammis aduenientibus inseruit, mox contrario vento flammam retorquet, vt conflictus quidam inter se elementorum videretur.

Sedat maris tempestatē.

Refert similiter. Cum nauis periclitaretur, quidam negotiator nec dum Christianus, exclamauit: Deus Martini eripe nos: statim tranquillitas magna successit. Ac irrationabilia quoq; sibi animalia obediebant. Cumq; enim canes lepusculum insequerētur, imperauit canibus, vt animal insequi desisterent, mox illi steterunt. Serpens dum quoddam flumen pertransiuit, ait Martinus: In nomine Domini te iubeo redire, mox se ad verbum Dei retorsit, & in ripam aliam transmeauit. Ideo ingemens Martinus ait: Serpentes me audiunt, & homines me nolunt audire.

Recitat idem, cum canis quendam ex discipulis Martini allatraret, ille ad eum conuersus, ait: In nomine Martini iubeo te obmutescere, canis continuò obmutuit, ac si linguam haberet abscissam. Quare illa animalia timuerunt eum? quia ipse timuit DEVM. Similiter ignis & aqua illi obediebant, causa fuit, quia ipse timebat suum creatorem. Ita nos Christiani exemplo beati Martini Dominum finaliter timea-

timeamus, ex præcepto Sapientis, qui ait: *Time Dominum fili mi.* Prouerb. 23. Et sic vtiq; verba nostra, & actus nostri mali, possunt derelinqui, peccata mortifera, si ea mediante timore expellamus, quia dicitur Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.

SECVNDVS planeta, qui exornat firmamentum est *Iupiter*, qui est pius, colore argenteus, candidus, clarus, & fœtus sub eo conceptus viuus manet, & fit lætus & pulcher, & iocosus, secundum Ptolomæum in libro de iudicijs astrorum. Iste planeta significat pietatem, qua armatus fuit Beatus Martinus, quasi spirituale pulchrumque firmamentum. C

Iupiter designat pietatem.

Refert Seuerus in prædicto dialogo, quod Martinus in quadam festiuitate tendens ad Ecclesiam, pauper nudus quidam eum secutus est, ipse autem Archidiacono præcepit, vt egentem vestiret. Cum autem ille facere distulisset, ingressus Beatus Martinus secretariam, tunicam suam illi tribuit, & continuò abscedere iussit. Cum eum Archidiaconus moneret, vt ad diuina procederet, ille de se loquens, respondit, se ire non posse donec pauper vestem accipiat. Archidiaconus verò non intelligens, quia cum extrinsecus cappa esset tectus, ipsum nudum interius non vidit, pauperem non adesse censet. At ille inquit; Vestis deferatur, & pauper non deerit vestiendus. Compulsus ille ad forum vadit, & quinque argenteis tunicam vilem, & curtam emit, & ante pedes Martini iratus proiecit, quam ille secretè induit, cuius manicæ vsque ad cubitum, & longitudo vsque ad genua procedebant, & sic Missam celebraturus processit. Et quia fuit tantæ pietatis, ideò omnia sua opera Deo placuerunt, & coram eo viua fuerunt, quod ostendit in hoc, quia globum igneum misit super caput eius, dum diuina celebraret, qui à multis visus est.

Ista etiam pietas fecit ipsum candidum & clarum, quia refert Ipse Ioannes Beleth, cum in prædicta Missa, vt moris est, manus ad DEVM elepharet, lineis manicis retrò labentibus, cum nec brachia eius essent grossa, nec multum carnosa, & præfata tunica nisi ad cubitum protenderetur, eadem brachia nuda manserunt. Tunc miraculosè torques aurei & gemmati, deferunt ab Angelis; & brachia decenter exornantur. Pietas eius etiam claret ex hoc, quod adhuc miles secularis existens, chlamydem diuisit, & nudum pauperem texit. De qua pietate dicit Beatus Ambrosius libro Præfationum: O felix largitas, qua diuinitas operitur. O gloriosa diuisio chlamydis, quæ militem texit & regem. O inopinabile donum, quod vestire meruit diuinitatem. Hæc ille.

B. Martini in pauperem liberalitas.

Hac igitur virtute similiter ornari studeamus, vt DEO omnia opera nostra placeant. Quia dicit Seneca in lib. de cle. Veram pietatem inquire, quia non solum homini, sed omnium placere poteris creatori.

TERTIVS planeta decorans firmamentum, dicitur *Mars*, qui disponit ad audaciam & ad fortitudinem. Ideò dicitur Deus belli, & est colore fulgidus. Ille planeta significat tertium donum Spiritus sancti, quo fulcitus fuit B. Martinus, velut clarum firmamentum, quod dicitur fortitudo, & hæc fecit ipsum tam audacem, quod iram Valentiniani non timuit Imperatoris.

Marte designatur fortitudo.

Refert Seuerus in lib. dialogorum, quod Martinus Valentinianum Imperatorem adijt, quodam tempore, pro quadam necessitate exorandum. Sed ille sciens eum velle petere, quod ipse nolebat dare, fores palatij claudi fecit, ac Martinus semel &

iterum passus repulsam, cilicio obuolutus, & cinere conspersus; p vnam hebdomadam in cibi & potus abstinentia maceratur: Tunc monente angelo ad palatium venit intrepidus, & nullo prohibente ad Imperatorem vsque deuenit. Quem cum vidisset, iratus est, quia fuisset admissus ei assurgere noluit, donec sellam regiam ignis operiret, & ipsum in posteriori succenderet. Tunc factus iratus, assurgens virtutem diuinæ offensæ confessus est, multumque ipsum amplectendo, ei omnia antequam rogaret concessit. Ista virtute debemus arctare mentes nostras, quia dicit Seneca de quatuor virtutibus Cardinalibus: Fortitudo si insit animo tuo, omnia vinces cum magna fiducia, liber, intrepidus, & alacer. Si magnanimus siue fortis fueris, nunquam vindicabis tibi contumeliam illatam de inimico; nam nihil nocuit, quanquam nocendi animum habuerit.

D QVARTVS planeta qui firmamentum decorat, est *Mercurius*. Iste semper iuxta solem graditur, nunquam plus distans, quàm per triginta gradus. Aliquando enim ante solis ortum, aliquando post splendet, & secundum Ptolomæum in lib. de iudicijs astrorum, dat esse studiosos, & scientiæ numerorum amatores.

Mercurius scientiam denotat.

Per hunc planetam signatur quartum donum Spiritus sancti, scilicet scientia, qua decenter fuit Beatus Martinus exornatus, sicut longè ante prædixit Propheta Malachias. *Labia*, inquit, *sacerdotis, custodient scientiam, & legem* viuendi, *ex ore eius requirent*. Malachiæ 2. Ipse enim semper per suam scientiam iuxta Christum gradiebatur, non declinans in scientias erroneas. Ideò de ipso dicit Dominus Malach. 2. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate*, subaudi per sanctam salutiferamque vitam, per quam in præsenti seculo luxit ante mortem, vt dicere possit illud Ioan. 8. *Ego sum lux mundi*. Similiter post mortem luxit in glorificato corpore, propter suas scientias, secundum illud Daniel. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos in perpetuas æternitates*. Ideò refert Seuerus in quadam Epistola, quod post matutinas cum ipse leniter obdormiuisset, vidit S. Martinum albis vestibus, vultu igneo, scintillantibus oculis, crine purpureo, tenentem librum in dextra manu.

E QVINTVS planeta qui exornat cœleste firmamentum est *Venus*, & alio nomine dicitur *stella matutina*. Quia secundum Bedam de mane præcedit solem, & sic dicitur Lucifer, & de nocte sequitur, & sic dicitur Vesperus. Hæc stella seu planeta inter nebulas non perdit lumen suum, sed lucet, & hoc dicitur in verbis thematis. *Quasi stella matutina in medio nebulæ*, &c. scilicet lucet. Per hunc planetam significatur quintum donum Spiritus sancti, scilicet Consilium, quo ornatus fuit Beatus Martinus, hoc nobile firmamentum, in statu militari: quia decet milites esse bonos consiliarios. Nam dicit Beatus Ambrosius in Epistola: Consiliorum vsus maximè consiliat hominem, & quia milites sunt in curijs dominorum terrenorum, in quibus debet esse pax & concordia, si salua consistere debent eorum regna, ideò necesse est, vt milites sint boni Consiliarij, vt per sua consilia consulant dominis. Et sic legitur, quod rex Alexander voluit in sua curia habere senes milites, in quibus vigent consilia. Illud habetur supra sermone secundo, de omnibus sanctis. Idem refert Seuerus, quod Iulianus Imperator voluit habere B. Martinum, in quo viguit bonum consi-

Venus denotat Consilium.

consilium in sua militia, per quem & ipse cum hostibus suis barbaricis est sine effusione sanguinis concordatus. Ideò de ipso potest exponi illud Psal. *Posuit fines tuos pacem*: quia hostes ad Iulianum venerunt, & se suaq; potestati suæ dederunt, ita vt finibus eorum pax fieret.

Sic facere deberent alij domini seculares, si essent pacis & concordiæ amatores, vt videlicet sibi eligerent bonos Consiliatores, & eorum consilia sequerentur, & non propriam voluntatem, secundum quod docet Solon Philosophus: Cum quid inquit, volueris, non sequatis voluntatem, sed quæras consilium, per q; scias veritatem, & illud quidem debet præcedere in omnibus arduis rebus. Rectè sicut Venus præcedit solem, sic consilium voluntatem. Ideò dicit Sapiens: *Ante omnem actum præcedat consilium stabile*. Eccli. tricesimo septimo. Et debet præcedere mane, quia dicit Socrates in sententijs suis: Oriente sole consilium, sed occidente conuiuium.

SEXTVS planeta qui fulcit firmamentum est *Luna*, quæ cum clare splendet in firmamento, hostes manifestat: & cum habuerit dominum super hominem, reddit ipsum castum. Iste planeta significat sextum donum Spiritus sancti, quod dicitur Intellectus, & est lumen, quod Deus animæ infundit, vt habetur 3. Rhetoric. Illo fuit B. Martinus ornatus, in statu monachali. Et quia ille in firmamento mentis suæ claruit, per ipsum insidias hostis antiqui cognouit. Luna designat intellectum.

Dicit enim Seuerus suus discipulus, quod multæ subtilitatis fuit erga dæmones cognoscendos. Nam interdum dæmon se in Iouis personam, plerumq; Mercurij, aliquando Veneris transfigurauit, & se eius vultibus obtulit, quos ille omnes suis nominibus increpabat. Sed per quid hoc sciuit? Certè per donum intellectus, quo tanquam plena Luna in sua mente lucebat, vnde dæmonis versutias noscere poterat.

Recitat prædictus discipulus, quod quadam vice diabolus in forma regis purpura indutus, & diademate & caligis aureis ornatus, sereno ore lætaque facie sibi apparuit. Cum ambo diu tacuissent. Agnosce, inquit, diabolus, Martine, quem colis Christus ego sum, qui de cœlo descendi, & me tibi manifestare volui. Cum adhuc B. Martinus admirans taceret. Rursus ait: Martine, cur credere dubitas, cùm me videas? Christus ego sum. Tunc ille à Spiritu sancto doctus, qui aperuit ei intellectum ait: Dominus Iesus Christus non se purpuratum, aut diademate coronatum, venturum esse prædixit. Nisi Christum in eo habitu & forma qua passus est, nisi crucis stigmata perferentem venisse videro, non credam. Ad hanc vocem diabolus disparuit, & totam cellam fœtore repleuit.

Illud similiter Spiritus sancti donum intellectus, tenuit ipsum castum in corpore & anima, & hoc testatur Ambrosius in libro Præfationum. Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui p quantitate vestis exigua, Deum vestire meruit, & videre. Istud donum Spiritus sancti intellectus multum vtile est religiosis, vt intelligant insidias diaboli, qui quidem eos plus cæteris infestat. Ideo orauit cum Psal. *Intellectum da mihi, & viuam*. Similiter, vt sint casti, quia vt habetur Extra de statu Monachorum. c. Cum ad monasterium. Castitas adeò annexa est regulæ monachorum, quod neq; summus Pontifex cum his poterit dispensare. Donum, Intellectus religiosis valde vtile.

Quan-

Sole designatur sapientia.

Quantum ad SEPTIMVM, quod ornat fundamentum est Sol, per quem significatur sapientia, qua erat ornatus B. Martinus, quo ad statum Episcopalem. Sapientia enim requiritur maximè ad illius status dignitatem. Ideò dicit Apostolus. 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse ornatum.* Et taliter Beat⁹ Martinus fuit decoratus, quia fuit prudens, vt canitur de eo in hymno.

Qui pius prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit & quietus,
Vita dum praesens, &c.

IN FESTO S. MARTINI.

Sermo secundus.

Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est, similem fecit illum Dominus in gloria sanctorum. Ita scribitur Eccles. 45.



COnstantinus in tractatu de natura liquidorum. Omnis, inquit, fons maior atque diffusior est noctis in tempore, quàm in die, & haec causa est, quia dicit Simplicius in summa naturalium entium: Nox est frigida & humida, & notum est, quod omnis aqua in tempore humido magis quàm sicco augmentatur. Dies autem propter calorem solis, aquas fontium exterminat & exsiccat, quas econtra nox augmentat.

MYSTICE. Per fontem hic B. Martinus designatur. Rectè n. sicut fons aquas suas continuè renouat, & limositates cum scaturit à se expurgat; & similiter rationis beneficium animalibus, vt ceruis & aquilis, se immergentibus administrat, vt dicit Gloss. super Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Ita B Martinus vitam suam in iuuentute continuè renouauit. Quia dicit Seuerus in Legenda. Statim ab infantia, Spiritus S. illi datus fuit, vt in decimo anno idola relinqueret, ad Ecclesiam confugeret, & se benedici ad baptismum permisit. Veniente autẽ decimo octauo anno se permisit baptizari, & sic omnes limositates peccatorum de se purgauit, teste B. Augustino in Enchyridio, & allegatur, à Magistro in 4. dist. 4. A paruulo, inquit, recenter nato, vsque ad decrepitum senem, sicut nullus phibetur à baptismo, ita est, qui non peccato moriatur in baptismo, sed paruuli tantum originali, maiores vero omnibus quae malè viuendo addiderunt. Haec ille.

Baptismus tollit omnia peccata.

Sed quia B. Martinus, quando baptismum suscepit, iam adolescens fuit, & fortassis aliqua peccata contraxit, cum nullus potest dicere *Mundum est cor meum, & purus sum à peccato.* Prou. 2. Ideò se per baptismum renouauit, vt quasi nouus homo esset, & se non solum renouauit, sed etiam renouationis beneficium alijs condonauit. Quia refert Seuerus, quod per salubrem aquam suae prędicationis, latronem conuertit, & matrem suam ab errore idolorum reduxit. Hic enim limpidissimus fons B. Martinus animo clarus fuit, quia nemo vnquam vidit ipsum iratum, nemo ridentem, & fuit in nocte aduersitatis maioris patientiae, cum multa passus esset aduersa à diabolo, qui ad eum dixit: Quocunq; ieris, tibi aduersabor: ipse patienter pertulit, tum à ma-

à malo proximo, ſicut ab hæreticis Arianis qui ipſum de ciuitate expulerunt, tum etiam à corpore proprio, ita vt nullus viderit ipſum vnquam ridentem. Ideò in eo maior & diffuſior fuit aqua gratiarum & amoris, quàm in alijs hominibus vniuerſis, quia nunquam in illius ore niſi Chriſtus, auditus eſt, ſecundum quod canitur: Eius ori nunquam Chriſtus defuit ſine iuſtitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Nunq̃ in illius corde niſi pax, niſi pietas, niſi miſericordia inerat, vt ſcribit Seueres, & ob hoc fuit *Deo & hominibus* (vt aiunt verba præaſſumpta) *dilectus*. In quibus à duobus commendatur. *Primò*, à communi dilectione, ibi; *Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria*. *Secundo*, à ſeculi adeptione, ibi; *Similem fecit illum in gloria*.

De PRIMO eſt NOTANDVM. Principes mundi conſueuerunt milites ſuos bonos diligere, & eis benefacere, ſecundum illud Eccli. 34. *Si tibi ſit ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua*. Gloſſa, ipſum corde diligendo, *& quaſi fratrem ſic tracta eum*. Et non ſolum principes, ſed & Principiſſæ, & tota familia ipſos amant. Figura huius legitur Gen. 39. Phutiphar princeps exercitus Pharaonis, emit Ioſeph de manu Iſmahelitarum, *qui*, inquam, *erat vir in cunctis proſperè agens, & habitabat in domo Domini ſui: Qui optimè nouit Dominum eſſe cum eo*. Et ſequitur. *Ioſeph inuenit gratiam coram domino ſuo, à quo præpoſitus omnibus gubernabat, creditam ſibi domum, quia omnia credita ei fuerunt*. Et ſequitur. *Quod Domina videns, quod Ioſeph eſſet pulcher facie & decorus aſpectu, iniecit oculos in eum*, & ipſum tantum adamauit, vt eum ad ſuum amplexum inuitauit, dicens: *Dormi mecum*. A

MYSTICE. Conſuetudo talis eſt etiam in curia Dei, quia ſecundum Prophetam Iſai. 9. eſt princeps pacis & princeps Angelorum. Hic igitur dilexit Ioſeph, qui interpretatur accreſcens, & ſignificat B. Martinum, qui, inquam, quotidiè accreuit in virtutibus. Nam de virtuoſo milite factus eſt virtuoſus Monachus, & tandem in virtuoſum creuit Epiſcopum, ita quod dicere potuit illud Iob. 19. *Cunctis diebus quibus nunc milito exſpecto, donec veniat immutatio mea*, ſcilicet de bono in melius. Ipſe namque fuit vir ſapiens, in cunctis proſperè agens, ſicut legitur in dialogo Seueri & Galli, quod quodam tempore ad palatium Valentiniani adijt Imperatoris pro quadam neceſſitate. Et quamuis ſemel & ſecundo paſſus eſt repulſam, tamen ad ipſum peruenit, & omnia proſperè impetrauit, quia multa munera vltra hoc quod petijt, apportauit, quæ ille ſumere recuſauit. Ipſe quidem magnã gratiam inuenit apud dominum ſuum, ita quod de ipſo canitur: Hic eſt Martinus Dei Pontifex electus, cui Deus poſt Apoſtolos tantam gratiam contulit, vt in virtute Trinitatis Deificæ mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus. De quibus vide in Legenda. Ipſum enim tota Trinitas ſanctiſſima dilexit quaſi bonum militem & fidelem. Pater dilexit eum, eo quod ſibi tantam virtutem tribuit miraculorum, & hæc dilectio erga patrem, fuit ex mandatorum obſeruatione. Milites enim habent tria mandata præcipua.

B.Martinus à ſanctiſſima Trinitate diligitur. Tria mandata militum.

PRIMVM eſt, vt pauperes Eccleſias & Reſpublicas defendant, & hoc habetur in lege Imperiali. ff. de re militari. & in 23. q. 5. c. Miles. vbi dicitur: Illis qui milites fiunt, committendus eſt gladius ſuper eorum iuramento, vt viduas, orphanos, & Rempublicam defendant. Et dicit Helinandus, quod talis olim conſuetudo fuit, vt eo die quo quis militari cingulo armabatur, Eccleſiam ſolenniter adiuit, gladiumq; ſuper altare poſuit, ſeipſum obſequio altaris donauit, Deoque iugem ſpopondit famula- B

I. Vt Eccleſias defendunt. Conſuetudo antiqua in augurandi milites.

mulatum. Hoc mandatum B. Martinus obseruauit, cum esset miles, quia pauperes & Ecclesias defensauit, sicut probat Seuerus in Legenda, quando gens barbarica contra Romanam insurgeret Ecclesiam, ipse præcipibus suis, velut alter Moyses pugnauit, hostes Ecclesiæ subiugauit. De hoc vide in Legenda.

Sed (heu) nostri militares ab his mandatis exorbitant. pauperes impugnant, Ecclesias quas deberent defensare, spoliant: Ideò contingit eis, sicut Antiochio regi impio. de quo legitur 1. Mach. 6. qui in superbia venit in Ierusalem, & templum Domini deprædabatur, & ideò infirmus iacens in lecto. ait: *Reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, sine causa. Cognoui ergò, quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo præ tristitia.*

II. Propriis stipendiis sint contenti. Concutere quid est? Tiberii Cæsaris pietas erga pauperes.

SECVNDVM autem mandatum est, quod proprijs stipendijs se sustententur; & hoc habetur Luc. 3. Vbi præcepit B. Ioannes Baptista: *Estote contenti stipendijs vestris, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis*, quod exponit Beatus Augustinus, & habetur 23. q. 3. c. Quod culpatur. Concutere est aliquid petere vltra debitum, ratione officij alicuius. Ille igitur concutit, qui per oppressionem & iniuriam extorquet pecuniam, exemplo Tiberij Cæsaris, de quo refert Suetonius, quod fiat pius erga subditos. Nam quando ei suadebatur, vt tributa augeret regionum; Sic respondit: *Boni pastoris & principis est, pecudes custodire, & non deglutire.* Iste benè custodiuit hoc mandatum. Nam voluit veteribus tributis contentari, & non pauperes suos opprimere vel prædare.

Istud similiter seruauit B. Martinus. Nam cum esset miles, vno tantum seruo stetit contentus, ne ex multitudine seruorum pauperes suos opprimere cogeretur. Sed nostri nunc milites gaudent longo famulantium comitatu, ideò cum non possunt contentari proprijs, coguntur esse violenti raptores in alienis. Sed audite vos impij raptores, quid dicit Spiritus sanctus per Iob. 27. *Hæc est pars hominis impij apud Deum. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt*, id est, occidentur, *& nepotes eius non saturabuntur pane*, id est fame morientur. *Qui reliqui fuerint*, scilicet alij amici, *ex eo, sepelientur in interitu*, hoc est, sepultura asini: cuius cadauer dimittitur in campo consumi, *& viduæ eorum non plorabunt*, scilicet in funeris sepultura.

III. Vt seruent castitatem.

TERTIVM mandatum est, quod castitatem teneant, hoc ponit Aristoteles in libro de regim. Principum, dicens ad Alexandrum, quod debeat seruare castitatem, dicens: Castitas vitam prolongat, sanitatem conseruat, corpusq; optimè disponit. Milites autem debent esse fortes ad resistendum inimicis. Sed quia luxuria effœminat (quod Alexander dicit in secretis secretorum: Luxuria fœmineos facit mores) ideò necesse est quod sint casti; & hoc mandatum seruauit B. Martinus, eò quod virgo permansit, & potest de eo exponi illud Apoc. 14. *Hic est qui cum mulieribus non est coinquinatus, virgo enim permansit.*

C Religiosi habent tria mandata.

Religiosi etiam habent tria mandata. *Primum* est, vt obedientiam habeant. *Secundum*, quod proprium contemnant. *Tertium*, vt votum castitatis seruent, de quibus habetur, Extra de stat mona. c. cum ad monasterium. Abdicatio proprietatis, sicut & votum castitatis adeò annexa sunt regulæ monachorum, quod nec summus Pontifex poterit cum ipsis dispensare. Quia dicit S. Thomas 22. q. 88. Castitas est quidam essentiale statui religionis. Hæc mandata seruauit B. Martinus in statu monachali.

Fuit

Fuit enim obediens, quod testatur Seuerus in Legenda, cum admonitus esset à Domino per saporem, vt visitaret parentes suos, mox voluntatem suam deseruit, & diuinam voluntatem fecit, secundum illud Matth 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis pater.* Fuit contemptor terrenorum, quia in suo monasterio tam pauper fuit, q de radicibus herbarum vixit, & potuit dicere cum S. Bernardo. Quid nobis de diuitijs, quæ nec veræ, nec nostræ sunt. Fuit & castus, vt suprà, & potest dicere illud Tob, 3. *Mundam seruaui animam ab omni concupiscentia.*

Episcopi etiam habent tria mandata. *Primum* est q sint hospitales, & pauperum receptores, secundum quod ponitur in Canone 16. q. 1. c. Quoniam. Ibi dicitur, q res eorum debent esse communes, ad sustentationem peregrinorum. *Secundum*, q sint prudentes. *Tertium*, quod sint Doctores. Et hoc probat Apostolus 1. Timot. 3. *Oportet Episcopum esse hospitalem, prudentem, & doctorem.* Hæc mandata seruauit B. Martinus. Fuit enim hospitalis, nulli pauperi hospitium denegando. Ipse fuit alter Loth, qui sedebat in foribus domus suæ, *peregrinos exspectando.* Gen. 19. Fuit & prudens, secundum quod canitur de ipso: D

Episcopi habent tria mandata.

B. Martinus à furenti vacca dæmonem abigit.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit & quietus.

Prudens in subtili dæmonis cognitione.

Legitur in dialogo Seueri & Galli, quod quædam vacca à dæmone agitata, cum vbiq; sæuiret, & multos confoderet, ac versus Martinum & socios suos in itinere furibunda curreret. Ille manu eleuata iubet eam sistere, qua immobili permanente, vidit dæmonem dorso eius insidentem, quem increpat dicens: Discede & euanesce à pecude, & innoxium animal agitare desiste. Illo autem protinus discedente, vacca ad pedes eius prosternitur, & ad eius imperium cum omni mansuetudine ad gregem suum reuertitur.

Fuit etiam Doctor egregius, quia salutis ostendit viam verbo & facto: verbo doctrinæ, & exemplo bonæ vitæ propter hanc mandatorum obseruantiam, dilectus fuit à Patre. Sic & nos si ab eo volumus diligi, mandata eius necesse est teneri, quia dicit Dominus Ioann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum,* &c. Filius eum dilexit, eo quod eum totum angelis commendauit, dicens: Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit. Et hæc dilectio Martini erga Christum, fuit ex pauperum compassione, quibus vestimenta sua tribuebat, vt habes in Legenda, & non solum eis vestes tribuebat, sed & eos alebat: Ideò Christus eum non tantum coram Angelis, sed coram tota curia cœlesti honorabat, dicens illud Matth. 25. *Esuriui, & dedisti mihi manducare.* Si igitur vis ô Christiane, à Christo filio diligi, misericordiam erga pauperes habe: quia hoc est necesse, sicut dicit Leo Papa in sermone. Misericordia virtus tanta est, vt sine illa cæteræ virtutes, si fiunt prodesse non possint. Quamuis enim quis fidelis sit, statu etiam sobrius, & alijs maioribus ornatus insignijs, & si misericors non est, misericordiam non meretur. Spiritus sanctus etiam eum dilexit, eo quod in specie ignis super caput eius apparuit. Et hæc dilectio fuit propter humilitatis retentionem.

Docet verbo & exemplo.

Refert Seuerus, quod B. Martinus fuit multæ humilitatis. Nam leprosum quendam cunctis horribilem obuium Parisijs habens, ipsum osculatus est, atq; benedixit, statimq; mundatus est. Fuit & vno seruo contentus, cui causa humilitatis sæpius cal-

Osculo sanat leprosum.

calceos detrahebat, & pedes abluebat, in secretarioq; residens, nunquam cathedra vsus est: nam in Ecclesia ipsum nemo sedere conspexit. Sic & nos simus humiles, vt Spiritus sanctus nostras inhabitet mentes, quia dicitur Isai. vlt. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea.* Dicit etiam Cassiodor⁹ super Psal. In vallibus quidem humilium animarum fontes manant, & transeunt flumina cœlestium gratiarum.

Et scias quod non solum Deitas ipsum dilexit, scilicet Pater & Filius, & Spiritus S. sed etiam Regina & Principissa cœlorum Virgo Maria, quod ex hoc apparuit, quia ipsum sæpius visitauit. Refertur in dialogo Seueri & Galli, dum Martinus in cella solus sederet, Seuerus & Gallus eius discipuli præforibus exspectarent, plures secum audierunt insimul loquentes, de quo cum ipsum postmodum requisisset, ait; Dicam vobis sed (quæso) nulli dicatis: Maria, Agnes & Thecla ad me venerunt, & non tantum illo die, sed sæpius ab eis se confessus est, visitari. Et quare hoc? Certè propter suam mundissimam dignitatem qua pollebat, & nunc potest sibi dicere Maria: Dormi mecum; hoc est, requiesce & fruere delitijs meis & amore. Quia beatissima Regina semper diligit virgines, tanquam sibi similes. Secundum illud Eccli. 13. *Omne animal diligit sibi simile.* O homo, bona est dilectio Mariæ, quia quem ipsa diligit, nunquam in æternum peribit. Si ergò ab ea vis diligi serua virginitatem.

Crebrò à Sanctis visitatur.

Angeli ipsum dilexerunt, qui suæ sanctitati quotidie astiterunt, & ei ministrauerunt, ita vt de ipso exponi possit illud dictum: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies, centena millia assistebant ei.* Quia dicitur Matth. 24. *Vbicunq; fuerit corpus*, scilicet Christi, *illic congregabuntur & aquilæ*, id est, Angeli, qui dicuntur aquilæ, quia immediatè rectè Deum, qui est sol iustitiæ, irreuerberatis oculis contemplantur, secundum illud Matth. decimo octauo. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, &c.*

Daniel. 7.

Tota cœlestis curia ipsum dilexit, quia ipsum hodie in suum consortem accepit, secundum quod ipse ait Sinus Abrahæ me recipiet. Et hoc quo ad primum

E

Quantum ad SECVNDVM. Commendatur B. Martinus à simili adeptione, quia cum sanctis animabus adoptionem est adeptus, & tangitur: *Simile fecit illum in gloria sanctorum.*

Circa quod NOTANDVM. Panthera, secundum Isidorum lib. 12. est omnium animalium amicus, excepto dracone, quem valdè odit. Habet enim cum omnibus animalibus similitudinem, quia cum nigris habet nigredinem, cum albis albedinem, & cum flauis flauedinem: quia ex macularum albarum, nigrarum, flauarum, tota pellis varietate decoratur. Ideò omnia animalia, vt dicit Philosophus, audientia vocem eius, ad ipsum veniunt, draco autem si appropinquauerit, & eius vocem audierit, territus citò fugit.

Panthera odit draconem.

MYSTICE. Per pantheram quo ad propositum intellige beatum Martinum, qui habuit similitudinem cum omnibus sanctis, ita vt de ipso exponi possit illud Eccles. 44. *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* Reuera cum Angelis excellentem habuit dignitatem & puritatem. Ideò potest comparari vitreo, quod vnum colorem cuiuslibet liquoris ostendit clare. Sic ipse, quod totum habuit intus in conscientia ostendit per claram confessionem, ita vt de ipso exponi possit illud Apoc. 21. *Platea eius*, scilicet conscientiæ, *aurum mundum, & vitrum perlucidum.*

Panthera denotat B. Martinum.

B. Martinus angelicam habuit puritatem.

SECVN-

SECVNDO, cum Patriarchis habuit iustitiam & longanimitatem. Fuit enim multæ iustitiæ. Nam cum Imperator Maximianus ipsum inuitasset, & ei primò poculum allatum fuisset, sperantibus cunctis, vt post se regi tribueret, Martinus presbytero suo dedit; nullam existimans dignitatem digniorem, qui post se deberet bibere, & indignum iudicans, si aut regem, aut regis proximos, presbytero prætulisset. Patriarcharum iustitiã.

TERTIO, cum Prophetis habuit subtilitatem. Sicut enim legitur in Legenda B. Brictij eius Diaconi, qui ei multa conuicia inferebat. Nam cum quidam pauper Martinum quæreret, dixit Brictius. Si illum delirum quæris, prospice eminus, ille est, qui quasi amens cœlum prospicit. Cum ergo pauper à Martino quod petisset, recipisset; Brictium ad se vocans, ait: An ego delirus videor Bricti. Quod cùm ille præ verecundia se dixisse negaret. Dixit ei: Nónne aures meæ erant ad os tuum, quando hæc loquebaris? Amen dico tibi, oraui ob hoc Dominum, vt tu mihi in Episcopatu succedas, sed scias te in Episcopatu multa passurum aduersa. Nam in trigesimo Episcopatus sui anno mulier concepit, & crimen Episcopo imposuit. Quapropter de Diœcesi expulsus fuit. Similiter obitum suum longè ante sciuit, & fratribus reuelauit. Prophetarum subulitatem. Brictio prædicit aduersitatem futuram in Episcopatu.

QVARTO, habuit cum Apostolis in orando assiduitatem. Quia sicut *Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam*. Actor. 1. Et Bartholomæus centies in die, & centies in nocte, genua flectens orauit, ita vir sanctus Martinus nunquam vllam horam vel momentum præteriit qua non orationi, aut lectioni incumberet. Inter legendum tamen & operandum pro quodam laboris leuamine, nunquam animum ab oratione relaxabat. Et ponit simile Seuerus exemplum, dicens: Sicut fabris ferrariis moris est, vt inter operandum, pro quodam laboris viuamine, incudem verberant, ita B. Martinus, dum aliquid ageret, semper orabat. Apostolorũ in oratione feruorem.

QVINTO, cum Martyribus habuit patientiam & stabilitatem; saltem enim in omnibus patientiam seruabat, quod cum esset summus sacerdos impunè sæpè à clericis lædebatur, nec à sua eos propter hoc charitate repellebat. Legitur in sæpe dicto dialogo. Cum Martinus quadam vice hispido, nigro, & pendulo pallio, circumtectus, suum super asellum procederet, equis econtra venientibus ex pauefactis, milites in terram præcipiti saltu se dederunt, propter quod Martinum arripientes, grauiter eum percusserunt, ille autem patiens vt mutus, cædentibus præbebat terga: illi autem magis feriebant, eo quod quasi non sentiens, verbera contemnere videretur. Protinus autem animalia humi fixa manebant, vt quantumcunque flagellata, velut saxa moueri non possent, quousque ad Martinum redeuntes, vt peccatum suum, quod ignoranter in eum fecerunt, confiterentur. Ille eis licentiam dedit, & gradu concito animalia processerunt. Martyrum patientiam.

SEXTO, cum Confessoribus habuit compassionis pietatem. Valde enim pius fuit erga delinquentes, quia omnes volentes pœnitere, compassionis sinu recepit. Cum enim semel diabolus Martinum reprehenderet, cur semel lapsos ad pœnitentiam reciperet. Respondit. Si tu ipse, ô miserabilis, ab omni infestatione desisteres, & te tuorum factorum pœniteret, ego tibi confisus in Domino Iesu Christo misericordiam pollicerer. Pietatem compassionis.

SEPTIMO, cum sanctis Virginibus habuit austeritatem: necesse est enim Virgines Dominicas habere abstinentias, sicut docet B. Augustinus in libro ad sacras Virgines. Dominica, inquit, Virgo ad extinguendum libidinis flammas, ieiuniis & Virginum austeritatẽ.

abstinentiis deberet operam dare, si cupit laqueos diaboli insidiantis euadere, & ad præmissa virginitatis præmia peruenire. Sic B. Martinus, vt teneret virginitatem, corpus suum ieiuniis & cæteris austeritatibus afflixit.

Refert Seuerus in Epistola ad Eusebium; Cum Martinus in quandam suam diœcesin venisset, lectumque sibi plurimo stramine clerici præparassent, ille ibi requiescens insuetam mollitiem perhorrescit; ipse enim in nuda humo, tantum vno cilicio superiecto cubare consueuerat. Quare permotus iniuria, surgens, stramentum omne proiecit, & se super nudam humum collocauit. Circa mediam verò noctem tota illa palea igne accenditur, & Martinus excitatus, dum exire tentaret & nequiret, ab igne capitur, vt eius iam vestimenta vrerentur. Crucis igitur emittens signaculum, in medio ignis contactus permansit, & flammas sensit rorantes, quas prius expertus fuit vrentes. Monachi ergò excitati, concurrunt, & Martinũ, quem iam consumptum putabant, de medio flammarum illæsum deduxerunt.

Et quia B. Martinus cum omnibus sanctis similitudinem habuit, idcirco omnis cœlestis exercitus in suo decessu ad ipsum venit, & gloriosè in cœlum vsq; perduxerunt. Ibi enim fuerunt Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ, secundùm quod canens testatur Ecclesia: O beatum virum, in cuius transitu sanctorum canit numerus Angelorum, Exultat chorus, omniumq; cœlestium virtutum occurrit psallentium exercitus. Et hoc probatur.

Legitur enim, quod B. Seuerinus Colbniensis Episcopus cum Dominica die sacra loca post matutinas circumiret, qua hora vir beatus Martinus obiit, audiuit chorum canentium in sublimi. Vocans Archidiaconum, interrogauit eum, si aliquid audiret, & cum ille diceret, quod nihil, monuit eum Episcopus, vt diligenter auscultaret. Archidiaconus cœpit collum sursum extendere, & aures erigere, sed nec tunc audire potuit. Tunc prostrati ambo in terram Dominum deprecabantur, vt hæc eum diuina pietas permitteret audire. Erectus autem sursum, interrogauit Episcopus. Quid audis? Voces, inquit, psallentium tanquam in cœlo audio, sed quid sit prorsus ignoro. Cui ille. Ego tibi quid sit, narrabo. Dominus meus Martinus Episcopus migrauit ex hoc mundo, & nunc eum Angelorum exercitus, & sanctorum canendo deferunt in excelsis. Et quamuis omnes Angeli & electi ad eius transitum venerunt, tamen dracones infernales ad ipsum accedere præsumpserunt, & in morte retinere voluerunt. Sed cum nihil suum in eo inuenissent, confusi recesserunt. Sed electi ipsum cum gloria in cœlum deduxerunt, vbi nunc cum Angelis gaudet, exultat cum Patriarchis; ibi iubilat cum Apostolis, plaudit cum Martyribus, intonat cum Confessoribus, decantatq; canticum nouum cum mundissimis Virginibus.

S. Martinus ab angelis in cœlum defertur.

B. Martinus honorandus propter beneficia quæ præstat.

Ipsum quidem debemus honorare & venerari, & diligere, propter beneficiorum multiplicitatem, quæ ab ipso recipimus vniuersi. *Aliqui* enim recipiunt beneficia temporalia, quia sæpius pauperibus adhuc subuenit. *Alij* beneficia corporalia, quod multos infirmos sanat, quia legitur, quod post mortem eius XLIV. anno, cum Sanctus Perpetuus Ecclesiam ampliasset, & in eam corpus beati Martini transferre vellet, fuerunt duo socij, vnus cæcus, alter contractus. Cæcus contractum gerebat, & contractus cæco viam monstrabat. Sicque mendicantes multam pecuniam acquirebant. Audientes autem, quod corpus beati Martini sanabat infirmos. Cum in translatione corpus extra Ecclesiam processionaliter deduceretur, fugerunt,

runt, ne forsitan curarentur: nolebant enim sanitatem consequi, ne deperiret materia questus sui. Quapropter se ad alium vicum transferebant, per quem corpus nequaquam duci putabant. Cum autem fugerent, ex improuiso eius corpori obuiauerunt; & quia Deus multa bona præstat inuitis contra eorum voluntatem, continuò sunt curati, licet de hoc plurimum tristarentur. *Alij* recipiunt ab ipso officia spiritualia, quod multos peccatores ad se conuertit. *Alij autem* beneficia æterna, vt illi qui deuotè ipsi seruiunt, quibus impetrat gaudia cœlorum. Ad quæ nos perducat Iesus Christus Mariæ filius in secula benedictus, Amen.

DE SANCTA CATHARINA VIRGINE ET MARTYRE.

Sermo.

Regnum tuum regnum omnium seculorum. Ita scribitur Psal. 144.



EGES terræ consueuerunt habere fortia regna, de quibus suos propellunt inimicos, & quamuis fortia sint, & benè munita, interdum tamen per hostes debellantur, & lucrantur, & si non vi, tunc cum cautela. Et hoc figuratum est Danielis 5. de rege Balthasar. qui habuit regnum Babyloniæ, cuius metropolis fuit Babylon ciuitas. De qua dicit Hieronymus super Isai. 5. quod eius muri sedecim millia passuum erant ab angulo in angulum, ibique erat turris trium millium passuum in altitudine. Huius materia fuerunt lateres cocti ex bitumine indissolubili, quia nec igne, nec aqua consumi vel dissolui potuit. Et licet tam fortiter fuisset munita, est tamen per Cyrum & Darium reges Persarum capta & destructa, quia vsi sunt tali cautela. Quia Cyrus misit Euphratem fluuium longe à ciuitate per plures riuos, & alueum qui fluebat per ciuitatem, fecit vadabilem, & per ipsum ingressi sunt hostes sub muro: nam aliter capi non potuisset. Cum tanta erat muri amplitudo, quod super eum viginti quadrigæ simul possent esse, vt dicit Magister Petrus in schol. hist.

A

Babylon ciuitas.

MYSTICE. Rex cœlorum Christus, & Dominus vniuersæ creaturæ & terræ, habuit forte regnum, beatissimam Virginem Catharinam, in qua per gratiam suam quotidie habitabat, quemadmodum rex in suo regno glorioso, de quo Ecclesia magnam prædicat gloriam, secundum illud Psalm. 144. *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.* Ipsa figurata est per regnum Babyloniæ, quia Babylon interpretatur confusio. Ipsa autem confudit hodie Maxentium regem, & diabolum, qui nullo modo ipsam expugnare potuerunt, ita vt de ipsa potest dici illud Iudith decimoquarto. *Vna mulier fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.* Ipsi enim neque per vim martyrij, nec per caliditatem blandimenti eam capere valuerunt. Ideo prædicta verba de ipsa dicuntur, in quibus à duobus commendatur. *Primò*, ab interna decoratione, ibi; *Regnum.* *Secundo*, ab æterna violatione, ibi; *Regnum omnium seculorum.*

Circa

Circa quod NOTANDVM. Tradunt terrarum descriptores, quod terra inhabitabilis, varia habet regna, quæ sunt reb. nobilissimis pulcherrimè decorata. Nam Arabia secundum Isidorum libr. 15. ornatur thure, & myrrha, & cinnamomo. Ibi nascitur Phœnix vnica mundi auis, & varia gemmarum multitudo. Aphrica ornatur auro & argento, & fructibus oliuis. India fulcitur fructibus vberrimis, quia bis in anno fruges nutrit atq; gignit. In hoc regno habetur auis Psittacus, propriè Sittich, & lapides pretiosi.

Arabia. Aphrica. India.

Hyberniæ regni commoda.

Sed tamen præ omnibus regnis est magis illa decorata Hybernia, quæ est regnum angustum in Europa. Hoc, inquam, regnum est campis vberrimum, fontibus & fluminibus irriguum, pratis & siluis amœnum, & gemmiferum. Ibi gignitur lapis Iris, qui soli appositus, format in acie cœlestem arcum. Ibi sunt loca, in quibus cadauera mortuorum nunquam marcescunt, sed permanent semper incorrupta. Ibi est Insula parua, in qua homines non moriuntur, sed nimio senio affecti, vt moriantur extra Insulam deportantur. Ibi nullus est serpens, nec rana, nec aranea venenosa, sed tota terra adeo veneno est contraria, vt terra inde delata, & dispersa super serpentes, eos perimat: & si in Hyberniam deferantur, statim moriuntur.

B Psal. 141.

MYSTICE. Per terram illam intelligitur illa terra benedicta & amœna, & delitiis plena, quam desiderauit Psaltes, dicens. *Portio mea Domine sit in terra viuentium*. Hæc inquam, terra gloriosa multa habet virginea regna, in quibus Rex CHRISTVS & sponsus tanquam in mundissimis habitare delectatur. Quia dicit Richardus de sancto Victore: Ab æterno valdè familiaris existit, & amicus felicissimæ virginitatis, ipse candor & speculum puritatis & castitatis. Nam per regna hic sacras virgines intelligo, quibus ratio quasi Rex, & anima quasi Regina suum populum, scilicet cogitationes & operationes benè rexerunt, & quo ad Deum direxerunt.

Hæc speciosissima regna, sunt pulcherrima decorata, auro deuotæ orationis, puræ humilitatis, myrrha continentiæ & castitatis, cinnamomo temperantiæ & charitatis, quia cinnamomum est siccum & calidum, significans siccitatem in carne per temperantiam, & feruorem caritatis in anima; in eis fuit Phœnix vnica auis Christus; ipsæ fuerunt decoratæ auro pietatis. Sed tamen præ omnibus sanctis virginibus, decentissimè ornata est beata Catharina Virgo, ipsa quidem per regnum Hybernicum est designata. Rectè enim sicut Hybernia est spacio terrarum angustior, sed situ fœcundior; Sic ipsa fuit angusta per veram humilitatem, ideo interpretatur quasi vniuersalis ruina, quia omne ædificium diaboli in ea ruit. Nam ruit ædificium superbiæ per humilitatem, quam habuit, carnalis concupiscentia per virginitatem, quam conseruauit, cupiditas mundana in eo quod mundana despexit; & sic vtique fœcunda fuit in diuina gratia. Quia dicit Auicenna in lib. de quatuor diluuiis. In vallibus & solitudinibus, aquæ profundis diluuiis accidunt vt frequenter; & ponit Commentator rationem, quia ob concauitatem sui & porositatem, valles desertæ seu solitudines, de nubibus violenter ad se pertrahunt ipsas aquas. Sic in vallibus humilitatis, in quibus fuit B. Catharina, inundatio contigit cælestis gratiæ & diuinæ, teste Augustino qui ait: Sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti ad humiles, quæ fœcundat eorum mentes.

In

In hoc nobilissimo regno B. Catharina est campus vberrimus, scilicet cor mundissimum, in quo creuerunt omnia genera frumentorum. Produxit namq; triticum puræ fidei & credulitatis, non lolium (propriè Hederich) infidelitatis quia canitur de ea: *Specie corporis decora nimis emicuit, sed fide superno sponso placuit*, Attulit hordeum spei & austeritatis, quia per spem quàm à Deo habuit, valdè austera in corporis maceratione fuit, vt dicere possit illud 1. ad Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Protulit etiam siliginem perfectæ caritatis, ideò propter has virtutes canitur de ipsa: *O mater noster, ter sancta, quaterq; beata*. Ter sancta, scilicet propter fidem, spem & caritatem; quaterq; beata, propter quatuor virtutes cardinales. Ad hunc campum benedictum nos sedulè confugere oportet. Quia dicit Plinius in spec. nat. Tempore pestilentiæ, caristiæ hominum, multæ aues regales, puta vultures, conueniunt intra campum. Cuius ratio est iuxta Platearium, quia aues naturales quodam instinctu, in regionibus quas pestilenticas & corruptas sentiunt, cadauera mox inquirunt, & hoc secundum Aristotelem in apparitione cometæ maximè solet euenire. Ita nos in tempore tribulationis refugium habeamus ad beatam Virginem Catharinam, quæ in omnibus necessitatibus nostris cœlica adiutrix est.

B. Catharina cāpus vberrimus.

In tribulatione ad B. Catharinam cōfugiendū.

Refert venerabilis Episcopus Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum. c. 53. part. 10. quod quædā in Holandiæ partibus reliquiæ B. Catharinæ in domo hospitali celebres habentur, quas nuntij hospitalis ad diuersas mundi partes & Ecclesias confertebant. Accidit autem quodam tempore ab incarnatione Domini M.CC.V. vt isti nuntij in via essent, & fluxum maris obuium venire viderent, & à fluxu effugere non poterant. Tunc vnus confidentia plenus, cum capsa vbi reliquiæ erant, fecit circulum in arena, & flexis genibus & lacrymis intra circulum adiutorium vocauit sanctæ Catharinæ. Mira res. Veniens fluxus circulum circumiuit, eleuauit se mare, & spumans intumuit ad cubitos ascendendo quadraginta: In circulum autem factum, gutta aquæ non inintrauit. Viri autem nouem qui interius erant, exspectauerunt quousq; mare recurreret ad suum cursum & tunc exeuntes, per totam terram inauditum miraculum diuulgauerunt. In isto regno sunt fontes irrigui gratiarum.

Reliquijs S. Catharinæ quidam in maris periculo saluati sunt.

C

Refert Plinius in spec. nat. Quanto aliquis fons magis exhauritur, tanto magis dulcior fieri approbatur. Cuius ratio est ad secundum Constantinum, quia quanto aqua recentius ex terræ visceribus erumpit, tanto magis dulcescit. Cum autem fons haustus sedulè fuerit, aqua recens & imputrefacta succedit. Ita in proposito. Quanto magis gratiæ Catharinæ ex suo purissimo corde euacuata exhastaq; fuerit, tanta cuilibet suauior apparebit, ita vt dicere possit illud Cantic. 6. *Pulchra es amica mea, suauis & decora*.

Ad hunc fontem suæ gratiæ sedulè confluere debemus, vt nosmetipsos renouemus & sanemus. Rectè sicut facit aquila, vt dicit Augustinus super Psalm. & Plinius in spec. nat. quod in senectute patitur caliginem in oculis, & grauedinem in pennis, ita à natura instruitur, vt fontem aquæ scaturientis quærat, quo inuento, ascendit in aëre quantum potest, ex calore aëris volatus stomachus incalescit, & sic ex calore poris apertis ruit in frontem, & resumit vires. Sic, quis est inter nos, cuius oculi mentales non caligauerint ex peccato? Certe nullus. Sed potest dici de quolibet illud Gen. 27. *Senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius*. Isaac interpretatur risus, & significat peccatorem, qui dignus est derisione, secundum illud Prou. 1. *Ego quoq; in interitu vestro*

videbo. Sed quilibet nostrum dicere potest cum Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Et quia est fons, fugiamus per desiderium ad beatissimam Virginem Catharinam, apud quam est fons vitæ, & in illo immergamur, & sic renouabimur, vt quilibet nostrum dicat illud Psalmi 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

Per aquam huius sanctissimi fontis, loti sunt quinquaginta doctissimi Oratores, Porphyrius cum suis militibus & Regina. Ideò canitur nunc de ipsis: Sanctorum velut aquilæ iuuentus renouatur, & florent vt lilia in conspectu Domini. In hac amœnissima puella, velut fructuoso regno, comparantur deliciosa & amœna quæ ornant, vt rosæ benignitatis, & violæ humilitatis. Ad hæc prata transeamus, quia dicitur Prouerb. 27. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes.* Sed quid ibi agemus? Certè colligemus rosas benignitatis & mansuetudinis, quia secundum Psalm. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Vbi puritas, ibi diuinitas.

Colligamus *lilia puritatis*; vbi enim puritas (vt ait Plato in Phedrone) ibi & ipsa vera diuinitas, atq; ea quæ diuinitatis fuerint, adesse probantur. Colligamus *rutam castitatis*, quia secundum Dionysium de cœlesti Hierarchia, imperfecta mentis & corporis castitate, nunquam aliquis placuit oculis diuinitatis excelsæ. Colligamus igitur *violas humilitatis*, quia vt ait Richardus de S. Victore. Humilitas hominem Deo reconciliat, orationem in cœlum leuat, hostes pacificat, homines in præsenti vita & in futura erigit & exaltat.

Effectus humilitatis.

In ipsa B. Catharina fuit silua vberrima virtutum arboribus plena. Ibi est cedrus contemplatiuæ vitæ, oliua misericordiæ, palmæ victoriæ, cypressus bonæ famæ. Ad hanc siluam pergamus, ibiq; ramos virtutum frangamus. Frangamus igitur ramos *cedri contemplationis*, quia dicit Platear. in Iugur. Dulcem quidem gerunt memoriam gaudiorum, qui contemplantur gaudia beatorum. Frangamus ramos *oliuæ miserationis*, quæ necessaria valdè est ad salutem. Quia, vt ait Damascenus contra errores Græcorum lib. 8. Indignus est misericordia & clementia diuina, qui non anxiatur. Frangamus etiam ramos *palmæ victoriæ*, quia sicut B. Catharina vicit hostes suos, mundum, carnem, & diabolum: ita & nos faciamus. Quia dicitur Apocal. 2. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* & ibidem cap. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Frangamus deniq; ramos *cypressi bonæ famæ*, quia *melius est nomen bonum*, id est, famæ bonæ, *quam diuitiæ multæ.* Prouerb. 22.

Illud regale regnum B. Catharina, multas in se gemas virtuosas produxit, ita vt de ipsa canitur: Virgo sancta Catharina, Græciæ gemma. Protulit enim gemmam, quæ dicitur Crystallus, quæ, inquam, secundum Isidorum lib. 16. est clara, pura & perspicua, luminis receptiua, & significat claritatem sanctorum angelorum, quam in se habuit Catharina, quia thesaurum virginalis puritatis, excellentius angelis custodiuit. Nam Angeli puritatem habent à natura, beatissima autem Catharina voluntate libera. Ideò dicit Ambrosius in libro de Virginitate. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, maior est virginitas hominum quàm Angelorum. Homines enim in carne viuunt, Angeli autem sine carne triumphant. Protulit B. Catharina gemmam Adamantem, qui secretum reuelat. Dicit Dionysius: Adamas, si ponitur à marito sub capite mulieris, poterit scire si casta vel adultera sit. Iste lapis significat cognitionem sanctorum Prophetarum, quæ fuit in B. Catharina, quia tanquam Prophetissa Reginæ vxori Maximini prædixit, quod corona martyrij esset coronanda, &

Virginitas hominum maior quã angelorum.

da, & ad Deum ita transmigranda. Ideò de ipsa potest dici illud Isa. 49. *Prophetam in gentibus dedi te.* Super quibus dicit Episcopus Maximus in sermone: Tali prophetandi præsagium, & fiduciam prædicandi attribui, per te Prophetæ officia, & meæ dispensationis ad illos, præferre constitui. Ipsa quidem carbunculum produxit, secundum quod canitur: Aue gemma charitatis, ad instar carbunculi. Gemma illa secundum naturales, lucet in nocte, & in tenebris, & præ omnibus gemmis pretiosissima, & significat fidem electorum Apostolorum, quæ & perfecta fuit in B. Catharina, quia fides sua luxit in tenebris infidelium, adeò vt multos infideles luce perfectissimæ fidei verè illustraret, ita vt de ipsa dicatur illud Isaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium*, & hæc fides inter omnes virtutes fuit in ea pretiosissima: quia secundum Apostolum ad Hebræ. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hæc nobilis Virgo genuit in se gemmam, nomine Abeston, quæ secundum Solinum in libro de mirabilibus mundi, est ferrei coloris, & cum semel accensa fuerit, exstingui non potest, sed continuè manet ardens, & significat constantiam Martyrum, quam habuit ista Virgo pretiosa, quæ ardenter & constanter martyrium sitiuit, secundum illud quod canitur:

Martyrium sitiens, libamina Cæsaris horrens.

Et hæc constantia non potuit ab ipsa per passionem, neq; minas exterminari, quia fuit sibi impressum per sponsum suum Christum, qui eam confortans, ait: Constans esto filia, ego tecum sum, nil paueas. Genuit insuper gemmam magnetem B. Catharina. Hæc gemma secundum Dioscoridem, habet virtutem gratificatiuam & reconciliationis, quia reconciliat maritos vxoribus.

Habet etiam virtutem gratificatiuam, quia auget gratiam & pulchritudinem, & significat abstinentiam Confessorum, quæ B. Catharina habuit, quia duodecim diebus sine cibo & potu, à tyranno in carcere est relicta. Et hæc virtus ipsam cum Christo reconciliauit & sociauit quia ei in carcere apparuit, & dulciter confortauit. Gratiam ei auxit & pulchritudinem perditam ei redonauit. Nec mirum, quia dicit Eusebius in sermone. Abstinentia Deum omnipotentem allicit, ad suspiciendum rorem cœlestis gratiæ habilem efficit, vitia abijcit, draconesq; expellit.

Produxit etiam hoc benedictum regnum Saphirum, quæ gemma est amatrix Castitatis. Et ne affectus eius per immunditiam portantis impediatur, oportet portantem castè viuere, & dicunt omnes naturales. Vnde versus: D Saphirus amatrix Castitatis.

Si quis gestat eam castissimus esse nitetur.

Et significat castitatem Virginum, quam habuit Virgo beata Catharina, quæ in duobus signis est ostensa.

Primum, quia in decollatione sua lac pro sanguine manauit, in signum nitoris castitatis, singulariter pro exclusione omnis carnalis concupiscentiæ, quæ est ex sanguine.

Secundum, quod corpus sanctissimum angelicis manibus voluit sepeliri, in signum quod indignum esset illud corpus humanis manibus contractari, quod ab omni contactu humanæ contagionis fuit alienum. In B. Catharina, tanquam in mundissimo regno, nullus fuit serpens deceptionis, nulla rana cupiditatis, nec aliquod venenum iniquitatis? sic quod potuit dicere illud Prouerb. 20. *Mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Ad hoc regnum gloriosum omnes debemus properare, quia

prudens negotiator diligenter inquirit, vbi sint illa regna, in quibus inueniuntur multa necessaria ad sua mercimonia.

Si quis voluerit visitare aliquod regnum, vt regnum Vngariæ, Franciæ, Poloniæ, interrogat vtiq;, an ibi sint campi vberes, fontesq; salubres, vt mediantibus fructibus se possit in vita sustentare ibidem, & in sanitate conseruare. Si autem in aliquo regno esse tale prærogatiuum, vt homines in eo non morerentur, æstimo quod omnes homines ad illud regnum ambularent, cum secundum venerabilem Boetium lib. 3. prosa. 11. Omne animal vitam tueri laborat: mortem verò perniciemq; deuitat. In præsenti quidem vita positi sumus peccatores, & venale quod habetur secundum Augustinum est regnum cœleste. Ideò properemus aut transeamus ad B. virginem Catharinam, quia in ea inuenimus Crystallum puritatis. Carbunculum fidei, & sic de alijs. Quibus habitis habitabimus in cœlis, secundum illud Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In eo omne genus frumentorum inuenitur, triticum fidei, hordeum spei, siligo dilectionis, quibus anima nostra sustentatur, & sana conseruatur.

Et præ alijs omnibus dedit Deus ei tale priuilegium, quod quicunq; in ea per deuotionem habitat, nec morte turpissima temporali, nec æterna pereat, sed vitam æternam habeat. Quod probat Peranensis in lib. gestorum nobilium. Quidam antistes Mediolanensis Sabinus nomine, post Dei genitricem beatam Catharinā in præcipua deuotione habuit, quia hanc ab infantia in sponsam elegerat. & cæteris virginibus præferebat. Hic cum vltra mare nauigaret cum Abbate Theodorico de monte Cassio, & duobus Capellanis, sex militibus, & famulis tridenis, & sepulchrum Domini visitassent, montem Sinai adierunt ad tumulum sanctæ Catharinæ. Et ecce Dux Turcorum, ferox hostis Christianorum, à Soldano rediens cum multis armatis; Episcopum in montis pede obuium habuit. huius comitiuam mox vt vidit, atrociter peremit, dicens: sicut feci capitibus, sic & membris faciam. Præsul & Abbas hoc videntes, Ducem rogauerunt, dicentes. Liceat nobis montem ascendere, & prius tumbam gloriosæ Virginis Catharinæ visitare, & videre, deinde quid tibi placuerit, sustinebimus libenter. Et ille inquit. Necesse est, vt ista vice mea & non vestra voluntas impleatur: & præcepit confestim, vt ligna, oculis, auribus, manibus, naribus, & pedibus priuarentur, & membra iussit vt igne cremarentur, & vt sic semiuiui in montem veherentur, dicens. Videbo, quid valet sepulchri huius visitatio: & adiecit; Cum vobis membra renascentur, quod impossibile est, fidei vestro adhærebo. Cumque illi ad tumbam venissent, Abbas exspirauit. Episcopus autem sicut potuit, preces fudit. Et ecce, circa noctis medium mons totus contremuit, tantusq; pauor Ducem inuasit, vt inde fugere vellent, nec potuerunt. Deinde, per trium horarum spacium tanta luminis radiantia ibi splenduit, vt non solum vicini, sed etiam Saraceni in remotis locis constituti, hora eadem vigilantes, diem clarum crediderunt, fore factum, & Sinai montem in solem conuersum æstimabant. Interea B. Catharina de tumulo processit, & triste caput amatoribus sui tactu blando permulcens, primò oculos, aures nasum, & cætera membra perungens, pristinæ restituit sanitati. Ille autem gloriosam Virginem cernens, & pulchritudinem eius ferre non potens, ad pedes eius cecidit. At illa præcipiente, duo pulchri iuuenes, qui iuxta eam stabant eum de terra leuauerūt, Cui Catharina ait. Scire debes mi chare, quod amator meus sponsus Chri-

Sabino Episcopo membra à Turcis

Christus Iesus, hic & in futuro, te & omnes honorantes me, propter me honorare paratus est. Et quia perdidisti propter me linguam tuam, solum in proprio idiomate expeditam, Ecce accommodaui tibi linguam meam in Græco & Latino peritissimam, & animas omnes familiæ tuæ in sinum Abrahæ noueris receptas. Facto igitur die, cum Missarum solennia celebraueris, lecto Euangelio singula membra Abbatis, oleo quod sudat de tumulo meo perungas, sic suscitabitur, & antequã diuinum officium compleas, ad statum pristinum reformabitur.

detruncata. per B. Catharinam restituuntur sanitati.

His dictis Virgo S. Catharina dexteram Pontificis apprehendens, dans ei annulum pretiosissimum, & chartulam aureis literis exaratam, disparuit, sed maxima odoris fragrantia ibi remansit. Chartula autem tres lineas verborum habebat. *Prima*, Sabine, hæc verba sunt inter me & te signa dilectionis perpetuæ. *Secunda*, Fecit tibi meritum ingens dolor, faciat tibi gaudium ingens amor. *Tertia*, Ducem baptizabis, sanus ad propria remeabis. Sicq; decennio completo, eris laudabiliter mecum in cœli palatio. Ille autem immensas gratias Deo reddidit. Facto igitur manè, Dux mortem ascendit, & cum Episcopum ad altare præcedentem vidit, & loquentem audiuit, & omnia membra integraliter respiceret, obstupuit. Tunc lecto Euangelio, præsente Duce, Abbatis membra Episcopus, qui in medio erat positus, perunxit per ordinem. Et ecce omnibus videntibus viuus apparuit, sicq; membris paulatim renascentibus; antequam diuinum officium compleret, perfectè est sanatus.

AbbasTheodoricus inunctus oleo S. Catharinæ à mortuis suscitatur.

Viso miraculo, Dux lacrymis perfunditur, corde compungitur, fidem amplectitur, & cum multis nobilibus perfectè credentibus, ab Episcopo est baptizatus. Hic cum hæredibus careret, seculo abrenunciauit, terram suam vendidit, & magnam portionem fratribus in monte Sinai degentibus dedit; & Romam cum Episcopo & Abbate, & multis alijs causa deuotionis venit, multa auri pondera secum deferens, tribuit pauperibus. Demum ad consilium Abbatis & S. Sabini, ministerium virginum, quod dicitur Aula Dei, in honore S. Catharinæ fundauit, quod & multis possessionibus dotauit, & diuitijs ampliauit. Postremò idem Dux in monte Cassino monachalem suscepit habitum, ibique Christo regi, suæque matri & beatæ Catharinæ quamdiu vixit, deuotè seruauit. Sanctus verò Sabinus, post decennium cum ad extremam horam venisset, dignum Deo spiritum exhaluit, sic quod lingua eius minimè apparuerunt, nulli dubium quin B. Catharina eam tulit, quæ suo Domino deuotè eam commendauit. In huius gloriosi miraculi memoriam, annulus & chartula apud Mediolanum vsq; hodie seruantur. Quo quidem annulo B. Catharina Virgo, dignetur nos signare, vt participes efficiamur regni cœlestis, quod nullus præstare habet, nisi Pater & Filij, vna cum sua Genitrice & Spiritus S. qui est idem cum Patre benedictus in secula seculorum.

AMEN.

Sermonum Meffreth de Sanctis. Finis.

JNDEX
RERVM IN SERMONIBVS MEFFRTH DE SANCTIS.

NVMERVS DESIGNAT SERMONEM, LITERA VERO MATERIAM ECdem Sermonem contentam.


Apostoli

Hom

Maria

Stepha-

IN



IN COMMENDATIONEM TOTIVS OPERIS.

Mellifluos fructus frondosis Lector in hortis,
Inuenies, Nardum, Balsama, cumq; Croco
Sæpe etiam succos hortus desudat amaros.
Et salices lentas fert simul & tribulum.
Sic varios fructus noster: tibi Candide Lector.
Dat liber, en quicquid percupis emptor habes.
Hortulus oblectat speciosas sæpè puellas
Redditur & per eum, qui perit ante vigor.
Hortulus iste ferax herbas (mihi crede) salubres,
Cultori deferet, ac medicamen olus.
Languoresq; graues animæ demunt tibi flores
Illius, hi tribuunt gaudia multa tibi.
Hortulus iste quidem de cuius gramine pascit
Se regina Saba, sponsaq; sancta Dei.
Plurima quid referam? dictu memorabile si quid
Præcepère Patres, hortulus iste dabit.
At libri nomen Lector si fortè requiris,
Regina Meffret hortulus, ipse. Vale.

Laus Deo Virginiq; Matri MARIÆ.

TABV-

TABVLA
DE
FESTIVITATIBVS.

Finit Tabula.

722




IHS